

NEAPOLITANAE HISTORIAE

A IVLIO CAESARE CAPACIO EIVS VRBIS A SECRETIS ET CIVE CONSCRIPTAE.

TOMVS PRIMVS.

IN QVO ANTIQVITAS Aedificio, ciuibus, Republica, Ducibus, religione, bellis, lapidibus, locis adiacentibus, qui totam ferè amplectuntur Campaniam, continetur.





NEAPOLI,

Apud Io. Iacobum Carlinum. M.DCVII.



ILLVSTRISSIMIS
DOMINIS ELECTIS
FIDELISSIMAE CIVITATIS
NEAPOLITANAE.

D. Antonio Carmignano, Marino Caracciolo, Fabricio Villano, Cæſari Pignatello, Ioanni Franciſco Stramboni, Gaſpari Ligorio, Anello de Martino.



IVLIVS CAESAR CAPACIVS S.



ON diuitem ciuitatem Corinthum, aut florentes Syracuſas (Illuſtriſsimi Viri Neapolitanę Reip. meritiſsimè præfecti) hiſce lucubrationibus vobis proponendas curaui, cùm Illuſtriſsimam Ciuitatem inter nobiliſsimas Orbis Terrarum nulli

† *ſecundam,*



ſecundam, ſitu ad proſpectum præclaro, aeris ſalubritate, naturæ commodis, rerum omnium copia, cæteris Vrbibus facilè antecellentem proponere mihi perſuaſerim. Illam Neapolim propono quam non Sirenarum domicilio, ſed deliciarum omnium oblectamentis celebrandam iam tùm ab ædificationis primordio innuit antiquitas. Quam etſi non Tagus perluat aurifero fluminis alueo quo ſuam noſtri Reges Hiſpaniam maximè colunt; Sebethus tamen aureo agri ſolo, auream Saturni ætatem retinens præterlabitur. Quam non circumfluit Oceanus, ſed Crater ille continet celeberrimus quo Neapolitani, non Crotoniatæ in Italia inprimis beati numerantur. Neapolim, inquam, quæ victorem Herculem ex Hiſpania redeuntem retinuit, magnos Heroes Sybillinis vaticinationibus, atque delicijs euocauit, exteras gentes ex intima Europa acciuit, ſummos Reges de eius Imperio contendentes armauit; in qua maximorum Principum ad perpetuam nominis gloriam præclara extant monumenta; in qua maiorem quàm faſces, & ſecures Nortmannorum, Sueuorum, Gallorum, Germanorum, ab hinc verò multos annos ad pacis, et gloriæ ſecuritatem, potentiſſimorum Hiſpaniæ Regum inſignia dignitatem, atque maieſtatem præſeferunt. Quæ pacis, et belli fru-

ctus

ctus nunquam non parato, lætoque animo suis Regibus protulit, perpetuò iisdem libentissimè prolatura, nostis enim vos ipsi, qui clauum Reip. tenetis quàm promptè, qua animi propensione hæc ciuitas fortunas, et sanguinem pro nostrorum Regum salute profuderit. Quæ quicquid ex Indis prouenit sola suppeditat. Cuius copia omnibus gentibus summa cum voluntate effunditur: Cuius fides quauis proposita calamitate nullo vnquam tempore occidet. Cuius mœnia priuatique parietes tanta sunt dulcedine illiti, vt suos summa cum felicitate nutriat, exteros maxima cum voluptate alliciat, atque retineat. Lineamenta hæc profectò describendo cognoscentur. Pingere haud valeo. neque μυρεθήκια *Isocrates suppeditat, et Aristotelica pigmenta penicillis, quibus vtor aspergerentur temerè, atque ità vt omnino deesset color. Ea tamen re maximè delector, quòd tenentur aliquando oculi pictura horrida, incultaque veluti etiam, et læta, & nitida delectantur. Et si non gratiæ causa ab Apelle voluit Alexander pingi, sed quòd illius artem, & sibi, & illi gloriæ fore putabat, opaco colore depicta nunc Neapolis gratiam, artemque contemnit indocti pictoris, & illustrissimorum virorum lumine collustrata, quorum virtute atque animi candore non tam publi-*

cis quàm priuatis in rebus coniuncta maximam felicitatis accessionem sibi factam existimat, hoc tantùm sibi tribuit, quod oculis omnium vestra vigilantia, in patriam maxima beneuolentia, Juris rectique obseruantia cunctorum oculis celeberrima, maximaque obijcitur, quoniam à prudentissimis Viris gubernatur. Neapoli. Calendis Octob. CIↃ IↃC. V.



AD LECTOREM.

NVLLI ex præclaris vrbibus magnarum rerum Neapolis cedit præconio. At patriam nimis promptè laudas Capaci. Nihil minus. Rem ipsam laudibus efferre permittas. Ecquænam eius rei monumenta proferes, in ea præcipuè ciuitate quæ præter delicias nihil reconditum seruauit? Næ illud ego libenter efficiam vt planè cognoscas, si quid temporis lectioni, si quid grati animi laboribus, si quid propensionis in eam vrbem ab omnibus desideratam præstiteris. Sepulta quodammodo iacebat antiquitatis gloria, atque omnia ea ornamenta quæ plurimum splendoris afferre solent, ad historiarum veritatem, lapides scilicet, statuæ, & numismata ex quibus antiquarum rerum memoria elicitur, aut cœno aut sordibus obruta, vel scriptorum obliuioni tradita, prorsus amiserat ignorata. Ecce tibi quid huius ciuitatis luminibus obstruxerat. Ciuicæ aliquando coronæ gloria, & pietas aliquorum animos excitauit, qua licet ad vitam reuocare eam haud possent, saltem parentare viderētur, & aliquo pacto præclaræ vrbis dignitati aliquid muneris persoluere. Aliquorum stylus, vt ea ferebat ætas, consuluit vetustati. Aliquorum industria ea seruanda posteris duxit, quæ planè fuissent interitura. Multi immaturæ segetis semina iacientes, messem alijs præbuere; multi à proditionis iniuria contrà exteros scriptores vindicarunt, dum alij elaboratarum lucubrationum studijs eam illustrare sibi persuaserunt.

Ast ego raptim doctissimorum hominum vestigia sequutus, inter ea quæ ipsi prætulerunt lumina atra & alba discernens,

ea no-

ea notando excerpſi, & ex abditis quibuſdam libaui, quæ ſtudiorum meorum fructum non reijciendum litteratis viris apponent, & quæ Neapolitanam vrbem rerum magnitudine & curioſitate cum omnibus Orbis terrarum vrbibus contendentem oſtentabunt. Quamobrem poſtrema iſthæc tentare non ſum veritus. Neque magnus tot ſcriptorum numerus me perterruit, cùm tanta ſit huius ciuitatis moles, vt ſemper locus ſit reliquus, quamuis tota aut ſcriptis, aut vocis laudibus occupetur.

Antiquæ Neapolis ſimulacrum primo loco propoſui, vt nihil cœteris illuſtribus ciuitatibus inuidere poſſe cognoſcamus, non modò ornamentis atque ædificijs, in quibus marmora, picturæ, operoſæ moles in Theatris, Gymnaſijs, Balneis tanta maieſtate elucebant, quanta omnis Græcia emicuit; non modò, inquam, aut Gymnicis ludis qui dùm maximos Pancratiaſtes, & Athletas habuere, maximos quoque Imperatores ad eas voluptates euocarunt; aut Muſices, Poëtices, arteque dicendi agonibus; vel Relligione, in qua ex antiquitatis tenebris multa ſanè obſcura antiquorum lapidum, & nummorum cognitione maximo cum huius vrbis honore in lucem ſunt reuocata; ſed etiam florentiſſimæ illius Reipub. methodo, quam ab Athenienſibus ortam & conſtitutam, cum ijſdem Athenienſibus & Lacedæmonijs ſtatu politico certaſſe non dubitamus. Antiquos illos Magiſtratus noſſe, non erit inutile. Ducum ſeriem, quæ ſub Græcis viguit Imperatoribus, vt rem nouam, & in Longobardorum ſcriptis ſumma cum diligentia repertam, ità etiam cognitu nobilem venerabimur. Quæ verò ad eius pertinent ſitum, quo maximè excellit, tanti erit apud curioſos, & vetuſtatis indagatores, vt cum Neapoli, totius Felicis Campaniæ amplitudinem, ſumma cum iucunditate perluſtrabunt.

Neque in veritate dilucidanda perpetuus hiſtoriæ curſus ſeruari potuit, quando intercurrent ſæpenumerò deſcriptiones, narrationes, elogia, à quibus in tanta rerum varietate abſtinere non licuit, dùm locorum anfractibus detinebor, & de-

ſcribendo

ſcribendo potius, quàm narrando ero occupatus. Res ſacras in aliud volumen compellere ſtudui; at ſi quandò hoc primo tomo ſeſe obiecerint, nefas non exiſtimaui, pro locorum opportunitate, ſuis locis conſtituere. Antiqui lapides & Græci Latinique hiſtoriam dilucidabunt. Politiora ſtudia quæ interdùm inſerere libuit, lucem afferent auctoribus, & doctorum virorum gratiam conciliabunt. Si quid boni eſt mihi attribuite æmulatori ſtudioſorum, qui tametſi anteà ſtatuerim nihil de hiſtoria cogitare, cùm à rebus publicis ſcribendis prorſus animus abhorreret, magnum enim opus inter publica negocia verſatus cenſui, hoc tamen tempore ne cœteri mihi in patriam voluntate præſtarent, huiuſmodi ſum amplexus hiſtoriam, vt ab ea diuelli non queam.



IN NEAPOLITANAM
CAPACII HISTORIAM

Paulus Portarellus.

QVas grates, quæ dona tibi dabit inclita Siren
 Parthenope ſcriptis nobilitata tuis?
Tu prima illius reuocas ab origine gentem,
 Et genus, & mores, Chalcidicumque decus.
Qui patrij Indigetes fuerint, quis conditor vrbis,
 Templa, theatra, vias, mœnia, tecta refers.
Qui Reges, quæ iura viris, quæ bella, triumphi,
 Quæ telluris opes, deliciæque maris:
Commoda quæ tandem, cœli indulgentia, quanta
 Relligio, & pietas, pectoribuſque fides.
Hæc multis ignota olim, clariſſima reddis
 Euboici illuſtrans regna beata ſoli.
Iure tibi aſſurgit Sebethus, & ora Veſeui,
 Crateriſque ſinus, Pauſilypique Deæ.

Camilli Pellegrini Capuani.

LIuio vt Vrbs debet victi orbis bella canenti
 Gloria Romulidum quo magis enituit;
Barbariem æui vincenti ſic debet Iulo
 In lucem è tenebris eruta Parthenope.

Peregrini Scardini.

NOmen an eſt omen quod habes diuine Capacci?
 An potius numen dicimus eſſe tibi?
Cum capias ſcriptis homines, fera ſaxa lepore,
 Fama orbem, patriam moribus, ore feras,
Credimus æthérea quod tu demiſſus ab arce
 Nomine ſub celebri numen & omen habes.

INDEX RERUM.



† Arit-

Fortuna




Nea-


Q

R

Rei-

Sire-

T



TOMI PRIMI NEAPOLITANAE HISTORIAE

LIBER PRIMVS.

In quo antiqua Neapolis continetur.

CAMPANIA, EIVSQ. AGRI FELICITAS. Cap. I.



AMPANIAE à patentibus campis & telluris æquore in quibus illustrium regionum quæ in Orbe terrarum florent, æmula ſedet, nomen eſt inditum. At, Felicis encomium (quin *Felix Campania.* & feliciſſimi apud Strabonem qui *Lib. 5.* eum agrũ ἐυδαιμονέστατον appellat) quo ceteris regionibus antecellere videtur, cœli clementia, ſoli vbertas, aquarum perennitates, thermarum ſcaturigines, auri, argenti, ferri, aluminis, ſulphuris, chalcanti, nitri, ſalis, chalcitis ceterorum mineralium venæ, pecuaria res ampla, ruſtica benè culta & fructuoſa, armentorum greges, nemora ad voluptatem, ad venationem ſaltus, ad omnem materiam ſiluæ, Mi-

nerua oleis, vitibus Bacchus, frugibus Ceres præstiterunt.
Lib.1.Hist. Frumentariam idcircò dicit Halycarnasseus, & fluuijs, & cœlestibus aquis irriguam, in qua arua vel trifera sementem æstiuam post hibernam, & autumnalem post æstiuam enutriunt. Atque fertilitatis argumentum affert Strabo, quòd frumentum ibi nascitur præstantissimum, triticum scilicet ex quo Alica fit omni præstantior Oryza, omniq. ferè alio nutrimento; traditumq. memoriæ asserit quædam eius regionis arua conseri bis zea, tertiùm Panico, quædam etiam quarto satu aliquid producere. Et segetem, subdit Plinius lib.18. cap.11. quæ vere interquieuerit fundere rosam adoratiorem satiua. adeò terra parere cessat. & vulgò dictum, Plus apud Campanos vnguenti, quàm apud ceteros olei fieri. Idq. quoniam non exile solum, aut macrum ibi reperies quod aratro perstringi non possit, neque tam asperum saxetum in quo agricolarum cultus elaboret. Neque terra appulsu Solis exardet, neque obriget niue pruinaq. Frigoribus adiectis non durescit humor; qui si aliquandò duruerit, illicò mollitur tepefactus, & tabescit calore. Et calorem, vel craterem (κρατῆρας Græci locos ignitos appellant) cultiorem in agro Campano fertilitatis causam afferunt. Propterea quòd non tantùm Cumis per Baias & Puteolos ad Vesuuium multæ extant incendiorum atque ignium eructationes, veluti in Iudæa per totum ferè tractum qui est ad Iordanem fluuium, & in Asia minori per Phrygiam, Lydiam, Cariam, Mœoniam, sed etiam in ipso mari ad Aenariam, vt profundissimè ignem ad insulam permeare cognoscamus, quamobrem à Plinio dictum, *Inter Italiam & Aenariam in mari ipso aquam imo feruore exilire, vt in Baiano sinu, & in Lyri fluuio aliquid existere valetudini salutare*; quemadmodum in medio Danubio aquas calidas legimus erumpere. Quapropter in Campania iugium aquarum Balnea calidissima, vbique tepentia, tùm specus venenatam exhalationem expiranres reperies, quæ omnia igne fiunt. Quod si calidum humectumq. solum optimum esse testatur Theophrastus, quiq. rem rusticam scribunt, quis neget Campanos

Agri Campani fertilitas, vndè.

Quartus Satus in Campania.

Crateres, qui.

Loca ignita varijs in locis.

Aqua calida.

Lib.2.c.103.

In Danubio aqua calida.

Calidum solum, optimū.

panos agros imbrium, & pluuiarum copia, ignium caliditate quos medullitùs nutrit, tenuem, solutam, leuemq. reddi terram, vt non modò copiosè suggerat, sed etiam perfectè cōcoquat atque efficiat alimentum? Quæ enim terra concipit semina, temperatione caloris oriuntur atque augescunt. Et ex calore subterraneo coquente fit nigra terra & pulla, quam Leophanes commendat, tùm perfectius adolescunt quæ in eius vtero gignuntur, cùm perennes ebibit terra riuos, quæ vberes producit fructus, & fœcundissimum arborum genus reddit, cùm altè ad radices imbres descendant, & (vt loquitur Plinius) *crebros imbres percolat atque trasmittit, nec dilui aut madere voluit propter facilitatem culturæ; eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit, sed temperat, & concoquens intra se vice succi continet.* Id quod ignis efficit, vt veluti per fistulas aquarum copiam absorbeat, humoremq. consumat, & glebas huiusmodi cœnosas nutriat, venasq. humore fœcundet.

Subterraneus calor fertilitatis causa.

Hac de causa nusquam frequentiùs proceribus populis lætissimæ maritantur Vites, nusquam gleba pleniores fruges, aut suauiora suppeditat olera; tantùmq. agro benignitatis inest, vt ab vno solum asello arari patiatur, quamuis ibidem accuratiùs boues iuga ferre sint edocti. Et tamen eò felicior tota Campania facta est, quòd muliebri sudore concrescunt sata, quæ hilariùs inter rusticarum labores & operas enascuntur; quòdq. maritimarum rerum commodo & commeatu nobilitata, ad iuuandos homines hinc promotorijs, indè amœno littore prosilijsse videtur, quæ vbique fragranti alga sinu & portubus, Conchilio & pisce ferax, præclara Conca, & amœnissimus Crater efficitur. Lyæus quotannis inter pendentem vindemiam bacchatur, frequentesq. viridi pampino botros contegens, mox summa hilaritate diffundens generosa vina temetis immiscet, dùm ea quæ consistunt, ea quæ fugiunt, noua prægustat, edentula prudenter doliat, atque bima, trimaq. bibenda pronunciat. Pomona interim perpetuo seruat anno fructuum genera, quos nunquam decidere, aut arboribus

Campani soli vbertas. Fruges. Vites.

Maritima commoda.

Vinum.

Fructus.

deesse existimabis, cùm recentes non veteribus, sed recentibus succedere videris.

Fluuia Campaniæ. *Liris.* Ipsa Fluuiorum Numina lætissima præterlabuntur Liris, qui & Cæruleus Munstero (ethymologiam tamen ignoro), Straboni & Plinio Glanius, & Glanicus, sed in Græco Strabone Ε'ρις, & Κλαvίς, Glanis Stephano, quem etiam Glanium, appellat & apud Cumæos collocat; Ambrosio Nolano Lagnus, vulgo GarIglianus. Ad Acerras sunt qui collocent, & in Lirim influere dicant. Differt à Clane Vindeliciorum, & *Fibernus.* Clani Etruriæ fluuio. Fibernus, ad Soram in quo Cicero In- *Lib. 2. de Leg.* sulam describit, ad quam sedere solebat, de quo Silius,

---- atqui Fiberno miscentem flumina Lirim
Sulphureum ----

Lib. 4. Silu. *Sauo.* idemq. Cicero in Lirim se præcipitare scribit. Sauo, de quo Papinius

& Linterna palus, pigerq. Sauo.

Vulturnus. Plinius ad Vulturnum collocat; inter Vulturnum & Lirim, alij. Vulturnus, qui ad Cumas in mare profluit apud Seruium; apud Varronem verò, apud Vulturnum Oppidum, affirmatq. oriri in Samnio. Qui cùm tribus millibus passuum Capua prius abesset, ad eius mœnia hac ætate labitur, noua *Casilinum.* Capua in eius ripis ad Casilinum ædificata, quamobrem & *Lib. 2.* Κασυλίνος ab Agathia fluuius vocatur, quod & Vibio Sequestri placet, Ουατουρένος quãuis corruptè legatur in Plutarcho. *Sebethus.* Sarnus, de quo Statius,

Nec Pompeiani placeant magis ocia Sarni.

Princepsq. Sebethus, qui illustriorem Campaniam quàm *Montes Campani.* suus Helicon Græciam, aut Hesperiam reddit Iberus.

Gauri. *Massicus.* *Falernus.* *Vesuuius.* *Cæcubus.* *Tiburnus.* *Surrentini colles.* *Pausilypus.* *Tifata.* In apricis Collibus, montibusq. Gauris ad Puteolos, ad Sinuessam, ad Nuceriam, tres enim montes eodem nomine appellantur, Massico, Falerno, Cæcubo, Tiburno, Vesuuio Surrentinis, omniumq. celeberrimo Pausylipo, vinorum, fructuum, & frugum celebratur & deliciarum copia, dùm colles Tifata illi nobiles, Campaniæ gloriæ vertices, voces adhuc resonant barbarorum, & inter elephantos sacra numina

vene-

venerantur. Plurali numero sic Liuio dicuntur lib. 18. *Samnites cùm imminentes Capuæ colles firmo præsidio tenuissent descendunt indè quadrato agmine in planiciem quæ Capuam Tiphataq. interiacet*. Plinius oppidum Tiphata in prima regione in Latio numerat.

In ipsis Campis semper ferè spicarum viriditas herbescens: vel saltem aristarum crebra culmina vbertatis testes; atque in ipsorum anfractibus perpetuo anni tempore violæ rosæq. liquores ad hominum vitam propagandam effundunt. Et in ipsis inter colles Theatris, apri, cerui, cuniculi, lepores, & spectantur, & capiuntur, dùm volatilium genus omne incolæ sectantur aucupio. Quod si quis locus videbitur fortasse asperior, virentem tamen laudabis asparago, ipsisq. spinarum floribus corollæ ad lætitiam nectentur. *Varia animalium genera.*

Et quamuis pacem obseruaueris loci securam (nihil enim securius Campana felicitate Romanorum voluptuosi Imperatores existimarunt) Martiales nihilominus admiraberis equos tota Europa celeberrimos, pulcherrimosq. quibus nihil esset insignius ad triumphantes aurato curru in patriam reportandos. Illud verò nobilius, quod Campanos in ijsdem doctissimè sedentes videris, nec insigniores habent vspiam equi domitores. Atque id quoque admiraberis, quòd quæ iniucunda alibi censentur, & sordescunt cœno, maximè ibi nitent, & summa cum voluptate desiderantur. Irrigantur enim passim paludibus prata, quorum viriditas non tàm delectat oculos, quàm locupletat dominos magnitudine pastionis. Nutriuntur his iugeribus armenta, quæ squalenti hieme indè arceri non coguntur, ipsoq. cibo lactescente, lactis & casei copia plurimùm laudatur. Quid plura? Nullus ager agro Campano amœnior & fructuosior. Thessala illa amœnissima Thempe cum Campania non conferas, cedatq. campis Macedonia, & delicijs ad Antiochiam Daphne. Nec Penei te delectent fluenta, cùm Nymphæ Campanas aquas ad omnem vitæ vsum & hilaritatem excogitauerint. Nec pigeat Cosmum Anisium Neapolitanum audire Campaniam his verbis describentem, *Pax & securitas Campanæ. Equi. Campaniæ quorum domitores. Paludes. Armenta. Casei copia. Cosmus Anisius.*

Natura

Naturæ opus gaudentis est CAMPANIA,
Campania orbis Sol, ocellus, & nitor.
At cuius in tutela ea Dea sit tamen
Huc vsque nemo nouit aut hominum aut Deùm.
At nec repertus qui ferat sententiam
Ex æquo iniquus quin repentè euaserit,
Tàm pulcra cunctos gemma transuersos agit.
Adiudicat Saturnus hanc pater sibi,
Quòd hic Relligio, Lexq. Honos præsidet.
Splendoris ergò Imperijq. Iuppiter,
Iunoq. propter impotentias opum
Ob arma Mars & bellicosa pectora;
Ob Phœbus artes. Mercurius ob ingenij
Præstantiam cui Orbis incuruat caput.
Venus, Cupido, vindicant lasciuias.
Sapientiam orta Pallas è capite Iouis.
Fabrilia Mulciber; Minerua lanicium,
Frugem Ceres; succos Lyæus nobiles,
Sexcenties quos mille non capiunt lacus.
Neptunus omni laude præstantes equos,
Siue quæris artes fluctuantis æquoris.
Nihil denique terris datum à Dijs, affatim
Quod non vetus Campania aut ferat noua.
Quin est satietas quàm voluptas amplior.

Lib. 3. c. 5. Campaniæ laus.


Quid verò Anisium? audi Plinium nobilissimè laudantem; *Iam verò tota ea vitalis ac perennis salubritatis cœli temperies est, tàm fertiles campi, tàm aprici colles, tàm innoxij saltus, tàm opaca nemora, tàm munifica siluarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum & vitium olerumq. fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tàm opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumq. vbertas totam eam perfundens, tot maria, portus gremiumq. terrarum commercio patens vndique, & tanquam ad iuuandos mortales auida in maria procurrens. Neque ingenia, ritusq. ac viros, & lingua manuq. superatas commemoro gentes*, & quæ sequuntur. Omnes Dionysius Campaniæ

paniæ laudes in Campum ſpicarum manipulis onuſtum congeſsit, *Lib. de ſitu orbis.*

—— ςαχύων βεβριθὸς ἀμάλλαις.

Et, πέδον λιπαρόν; addiditq. Scholiaſtes huiuſmodi loquutum; διὰ τὴν εὐκαρπίαν. Solinus, amœniſſimum tractum prædicat. Et L. Florus omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrimam CAMPANIAE plagam ſcribit; felicemq. & beatam amœnitatem omnes ferè ſcriptores varijs laudibus extulerunt.

CAMPANIAE DIVISIO, FINES, OPPIDA. *Cap. II.*



CAMPANIAM in Opicis Dionyſius collocat, qui ſecunda eius regionis pars erant. Sic enim diſtribuerant veteres vt vnam partem Auſones, Aurunci, Sidicini, & Capuani incolerent; aliam Cumani, & Opici; tertiam Nucerini. In prima regione clariſsima numerantur Oppida, Sinueſſa, & Vulturnum quæ maritimam oram illuſtrabant; habuitq. in mediterraneis præter montes Gaurum, Maſsicum, Falernum agrumq. Campi Stellatis, Sueſſam Auruncam, Cales, Caſinum, Theanum Sidicinum, Venafrum, Calatiam, Calliculam, Trebulam, Caſilinum, Siluam Gallinariam, caputq. regionis Capuam. Præter Combulieriam, & Acticulam quæ propè Capuam ad Pœnum defecerunt. Secunda, Linternum oppidum cum flumine ad mare habuit, Cumas, Miſenum, Baias, Sinum Lucrinum, Auernum, Puteolos Neapolim, Heracleam, & ea omnia quæ nobiliſsimo illo ſinu qui Crater dicitur, continentur; intus verò, Atellam, Sueſſulam, Acerras, Veſuuium montem, Nolam, Pompeios. In tertia, littorales vrbes vigebant, Stabiæ, Surrentum, Mineruæ promontorium; & mediterraneæ, Salernum & Nuce-

Gampania in Opicis. *Campanorũ populi.*

Maritima ora Cãpaniæ.

Nuceria. Apud Strabonem maritima Campaniæ ora quæ ad meridiem vergit, in duos Sinus diuisa est; ἐστὶ δὲ ἀπὸ τῆς Σινυέσσης ἐπὶ μὲν τὴν ἑξῆς παραλίαν Κόλπος εὐμεγέθης μέχρι Μισηνοῦ κἀκεῖθεν ἄλλος κόλπος πολὺ μείζων τοῦ προτέρου; καλοῦσι δ' αὐτὸν Κρατῆρα, ἀπὸ τοῦ Μισηνοῦ, μέχρι τοῦ Ἀθηναίου δυοῖν ἀκρωτηρίων; *A Sinuessa versus reliquam maris oram, sinus est vsque ad Misenum iustæ magnitudinis. Indè alius priore multo maior. Craterem nominant, à Miseno vsque ad Mineruæ promontorijs duobus, in sinus morem inclusus.* Totam deinde planitiem, quàm πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἁπάντων, dicit, Samnitum, Oscorumq. montibus scribit interclusam. Tyrrhenos ibi prætereà plurimùm viguisse, qui duodecim Ciuitates incoluerint Capuam, Cumas, Puteolos, Herculanium, Pompeios, Atellam, Calatiam, Casertam, Casilinum, Vulturnum, Sidicinum. Tribus constare sinubus scribit Volaterranus, ad Sinuessam, ad Misenum, ad Neapolim. Polybius, sic describit, Τὴν μὲν παραλίαν αὐτῶν Σινουεσσάνοι καὶ Κυμαῖοι καὶ Δικαιαρχῖται νέμονται, πρὸς δὲ τούτους Νεαπολῖται, τελευταῖον δὲ τὸ τῶν Νουκερινῶν ἔθνος; *Siquidem oram maritimam incolunt Suessani, Cumani, Dicacarchitæ, Neapolitani, & ad extremum Nucerini.* Addidit in mediterraneis à Septentrione Calatinos, & Calenos; ab Oriente & Meridie Daunos & Nolanos; in medijs autem campis omnium olim felicissimam ciuitatem Capuam; & dùm rerum copiam, regionis fertilitatem, & amœnitatem laudat, non tantùm poetas asserit, sed etiam Deos de ijs locis esse loquutos. L. Florus dùm nihil mollius illo cœlo dicit, nihil vberius solo, nihilq. hospitalius mari, subdidit, Caietæ portum, Misenum, & tepentes fontibus Baias, tùm Lucrinum & Auernum, maris otia. Gaurum prætereà, Falernum, Massicum, pulcherrimum omnium Vesuuium Aetnæi ignis imitatorem; vrbesq. ad mare, Formias, Cumas, Puteolos, Neapolim, Herculaneum, Pompeios, caputq. Capuam, inter tres quondam maximas addita Roma & Carthagine numeratam. Setinos, Cæcubosq. agros, Falernos, Calenos, Massicos, Gauranos, Surrentinosq. montes intercludit Plinius, Leborinos Campos,

Samnites, Osci. Tyrrheni. Duodecim ciuitates Campaniæ,

Lib 3.

Lib. 3. c. 5.

Campos, idq. voluptatis certamen tenuisse scribit Oscos, Græcos, Vmbros, Tuscos, Campanos: Sauum fluuium, Vulturnum oppidum cum amne, Linternum, Cumas, Misenum, portus Baiarum, Baulos, Puteolos, Phlegræos campos, Neapolim, agrum Nucerinum, Surrentum cum promontorio Mineruæ, Colonias Capuam, Aquinum, Suessam, Venafrum, Soram, Theanum Sidicinum, Nolam; Oppida, Abellinum, Ariciam, Albamlongam, Acerranos, Allifanos, Atinates, Alatrinates, Anagninos, Atellanos, Asulanos, Arpinates, Auximates, Auellanos, Alfaternos, tùm Stabias à Sylla deletas, Tauraniam, quæ in agro quoque Campano intercidit, & morientis Casilini relliquias.

Felicissimi habiti sunt habitatores, Opici, Ausones, Osci, Samnites, Tyrrheni, Græci. Opici, Ausones quoque appellati à Strabone. Polybius verò duas gentes eos habet, & Craterem incoluisse affirmat, licet eam habitationem Oscis alij tribuant. Sed lib. 4. idem Strabo ait in mediterraneis Pometium fuisse Campum; & huic finitimam regionem prius Ausones habitasse, qui ijdem Campaniam quoque tenuerunt; post hos verò Oscos qui Campaniæ quoque partem incoluerunt, & eius ætate Latinorum omnia esse vsque ad Sinuessam. Et lib. 5. Oscos & Sidicinos eosdem facere videtur. Sed Opicos sic dictos scribit Stephanus ὅτι ὀφικοὶ, à serpentibus, & eorum sermonem fuisse confusum. At Opicus pro rustico, & rudi apud Agellium ponitur lib. 11. Oscis, verborum obscœnitatem tribuunt. Ausones suprà Circeios, Oscis finitimos collocarunt, ab Ausone Vlyssis & Calypsus filio, qui Auruncam ibi vrbem condidit apud Festum. Ea loca tenuisse scribunt in quibus postea Cales & Beneuentum vrbes conditæ; tantumq. eius nomen valuit, vt vniuersam Italiam Ausoniam appellauerint, licet à Lacinio promontorio ad Salentinos fuerint propagati. Tyrrhenos gentem Pelasgicam fuisse scribit Halicarnasseus ex ijs qui Lemnum & Athenas olim incoluerunt, quamombrem vnico nomine Tyrrhenos Pelasgos Sophocles appellat in sua fabula Inacho; & Tyrrheniæ nomen Italiæ parti quæ Occidentem spectat fuisse inditum, cœteris omnibus aliarum nationum nominibus

Opici, Ausones.

Pometius Campus.

Sidicini. Opici, vndè dicti.

Ausones, vndè.

Cales, Beneuentum.

Lacinii promontorium.

Pelasgi Campaniæ et Neapolis habitatores.

B

minibus ob Græcorum habitationem. Quamuis Tyrrhenum Coloniæ Ducem alij dixerint, genere Lydum; alij, Herculis filium, qui Pelaſgos ex regione trans Tiberim eiecit. Addidit, Latinos, Vmbros, Auſones fuiſſe à Græcis appellatos Tyrrhenos,& ipſam Romam, Tyrrhenicam vrbem, eoſdemq. Etruſcos, & Thuſcos à Romanis dictos; eaq. attuli vt Campanorum nobilitatem ex tot antiquiſſimorum indigenum memoria cognoſcamus. Tantumq. Campaniæ nomen inclaruit, vt aliæ quoque vicinæ regiones illud nomen vſurpauerint, cum in Actis Synod. Romani Concilij ſub Agathone Placentius Epiſcopus Veliternus prouinciæ Campaniæ ſubſcribat, quæ ciuitas in Volſcis eſt.

Roma, vrbs Tyrrhenica.

Inter duo felix hæc regio flumina Lirim & Sarnum poſita eſt. Ad Silarim patebat apud antiquos, quapropter & Picentini in ea prouincia numerabantur, eſtq. in Picentinis vrbs Campania quæ fortaſſe à Campanis, vel ex eorum relliquijs condita eſt. Campanorum ſemper ibi ciues domi foriſq. retinuere virtutem, & ambicioſiùs inter eius prouinciæ ciues enituerunt. Ex ea me oriundum maximæ mihi gloriæ tribuo.

Campaniæ fines.

Campania in Picentinis.

Liris, ab Oriente Sole ex Apennino per Veſtinos præter Fregellas vrbem Strabonis ætate nobilem in Lucum ſacrum prorumpens infrà Minturnas tacito curſu, viatoribus ſæpenumerò inſidioſus, magnorum Ducum virtutis ſpectator & arbiter, dilabitur, Campanos Latinoſq. diſterminans. Hunc fluuium ſimul cum Vulturno, Cumanis ab Ariſtodemo tyrannide occupatis, naturali curſu prætermiſſo, retorſiſſe aquas, & ab oſtijs ad ſuos fontes recurriſſe, ſcribit Halicarnaſſeus. Id quod cùm augurij loco Cumani accepiſſent, cum Vmbris Daunijſq. qui eorum agrum vaſtabant, alacriùs congredi deliberarunt. Neque tamen Liris, Liternus eſt, aut Linternus, quod credidit Appianus Alexandrinus qui lib. 1. de bello Ciuili ait; ὅσπτε ἄλλη ἀπὸ Λίριος ποταμοῦ, ὁ νῦν μοὶ δοκοῦσι Λίτερνον ἦ εἶσθαι; *Quicquid populorum à Liri, qui nunc, vt puto, Liternus eſt*; & alij credidere Appiani verbis decepti. Liternus enim ad Sinueſſam fluit, & Colonias inter Vulturnum eiuſque oſtia Liuius collocat.

Liris, vnde erumpat.

Liris, Liternus non eſt.

Ad

Ad Lirim in marmoreo lapide, Epigramma hoc repertum,

HVIVS.MONVMENTI.IVS.QVA.MACERIA
CLVSVM.EST.CVM.TABERNA.ET.COENACVLO
HERED.NON.SEQVE.... NEQVE.INTRA
MACERIAM.HVMARI.QVEMQVAM.LICET.

In ipso Liris capite à Theodomare xij. à D. Benedicto Cassinensi Abbate, tradit Leo Ostiensis D.Mariæ templum magnificentissimè fuisse dicatum, columnis, plumbo, pictura conspicuum, in cuius turri hæc legebantur, *Theodomares Abbas Cassinas. Templum ad Lirim.*

Sublatis tenebris, quia per te mundus habere
Lumen promeruit, Virgo, & sanctissima mater,
Celsa tibi idcircò consurgunt templa per orbem
Et meritò totis coleris celeberrima terris:

Ad fluminis exitum propè Minturnas, turris extat in quæ hæc leguntur,

Hanc quondam terram vastauit gens Agarena
Scandens hanc fluuium fieri ne postea possit.
Princeps hanc turrim Pandolfus condidit Heros,
Vt sit structori decus, & memorabile nomen.


A Ioanne Caietano Patricio Docibilis filio, ob Sarracenorum incursiones, Turris ad Lirim ædificata est, Ioanne viij. Pontifice. In eam Dattus Meli Barensis affinis, qui ad Atenolfum Abbatem cum vxore & liberis confugerat, à Benedicto Pontifice detrusus est, quippe Henrici Imperatoris partes sequebatur. Adhuc virtutis gloria ea turris fluuio & Campaniæ tribuit. Quadraginta annos Sarraceni eas potarunt aquas, à Docibili Duce eo loco barbaris ad habitandum tradito. Anno tandem 915.eiecti sunt. Sarnus, quem ex Sarone Adriæ fluuio emanare scribit Vibius Sequester, ab ortu merces olim excipiebat, & mittebat. Nuceriæ & Acerrarum commune Emporium (vt ait Strabo) Oscorum prætereà, Etruscorum, & Pelasgorum qui Pompeios præsertim tenuere. Frigidiores eius fluminis aquæ, quæ tamen & crudiores, ex confragosis petrarum sinubus erumpentes, abhinc quatuor annos prudenter à Sarni Co- *Ioannes Caietanus Patricius. Docibilis. Dattus. Atenulfus. Turris ad Lirim. Sarraceni. Sarnus. Saro Adriæ fluuius.*

mite, Neapolitanæ vrbis ope ad ciuium victum à naturali cursu deriuatæ, frumentarijs molibus extruendis maximis laboribus ac diuturnis ad Pompeios sunt deductæ. Atqui dùm vergit ad Septentrionem Campania, fit obuia montibus quibus Hirpini, Samnitesq. excluduntur. Sed à Liri ad Vulturnum erant Ausones, Aurunci, Sidicini, & Campani. A Vulturno ad Sarnum, Cumani, & Opici. A Sarno ad Silarum, Nucerini. Dùm verò ad meridiem, alluitur piscoso mari cuius afflatu cœlum ipsum redditur peramœnum, turribus passim exploratricibus tutum, & complectitur maritimas vrbes, Caietam, Formias, & quæ perierunt Minturnas, Sinuessam, Vulturnum, Linternum, Cumas, Misenum, Baias; tùm Puteolos, Neapolim, & quæ item interiere, Herculanium, Pompeios, Stabias; & Aequam, Surrentum, atque Mineruæ promontoriũ. Interiecti passim sinus, piscosiq. latices, & inter tepentes aquas, & ignes, antiquorum ædificiorum ruinæ, antiquæ amplitudinis monumenta. Adiecimus nos Insulas Capreas, Aenariam, Prochytam, Pandatariam, Nesidem, Euplœam, Megarim. Iacent in mediterraneis Fundi, Sessa, Theanum, Sora, Arpinum, Venafrum, Cales, Capua, Trebula, Calatia (addiderat Strabo Clusium & Beneuentum, præter Vestinam, Ausoniam, & Lirim) Suessula, Atella, Acerra, Abella, Nola, quarum pars quoque perijt. Atque ità in longitudinem xxx. millia passuum; in latitudinem varijs in locis patet ad xxx. Ad c. millia ambiunt, & lx. Inter eas vrbes noua videris oppida, & pagos ad c.xlvi. Quamobrem oppida, vici, ciuitates, c.xci. numerantur. Ideoq. habitatoribus frequentissima, cœlo saluberrima, fertilissima solo, nobilissima commeatu, nihil est prætereà quod ad gloriam nomenq. Campania desideret.

Campaniæ vrbes.

CAMPA-

CAMPANIAE CAPVT NEAPOLIS. *Quis eam Vrbem ædificarit.* Cap. III.



AMPANIAE olim caput Capua. Quæ vrbs pulcherrima & florentiſſima humanarum rerum viciſſitudinem præſeferens, ſuæ ipſius nobilitatis ceſſit Neapolitanæ vrbi amplitudinem. Ceterùm parua ſuis initijs Neapolis, in dies opibus aucta & ædificio, inter maximas Europæ vrbes eminet, vt de ea Iulianus in Miſopogone diceret, πόλις δ' εὐδαίμων, καὶ μακαρία, καὶ πολυάνθρωπος; *Felix ciuitas, opulenta, & florens, & hominum frequentia abundans.* Quid ſi, τρυφερὰν, diceret, & πλουσίαν, *delicatiſſimam, copioſiſſimam?* Athenienſium Republica, Romanorum municipio, Orientalium Græcorum Imperio, Nortmannorum, Sueuorum, Germanorum, Gallorum, Hiſpanorum Regum corona illuſtris, non tantùm Campaniæ metropolis facta eſt, ſed Regina Campanis, Picentinis, Hirpinis, Lucanis, Brutijs, Calabris, Salentinis, Peucetijs, Samnitibus, Veſtinis, Ferentanis, Daunijs inter 12. lacus, 148. flumina, 1981. oppidis decorata, maxima cum felicitate dominatur. *Neapolis amplitudo.*

A Cumanis primùm Neapolim conditam, & Parthenopem à Sirenarum vna ibidem ſepulta, appellatam ſcribit Strabo. Quem ſequutus Stephanus, ait; ἐν ᾗ Παρθενόπη ἡ ἔρηται, μία τῶν Σειρήνων; *In qua ſepulcro condita vna Sirenarum.* Addiditq. Strabo ſcriptor luculentiſſimus, eò Chalcidenſes, Pithecuſæos, & Athenienſes immigraſſe, & nouarum gentium aduentu nouum eſſe nomen ciuitatem conſequutam; ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο; *Indè vrbi nomen factum.* Et poſt aliquot annos ciuiles ob diſcordias, quæ inter varij generis homines facilè ſolent oriri (ſoletq. nouorum ciuium delectu ordo Reip. ſæpè turbari) Campanos ceteroqui inimiciſsimos, ciuium loco receptos; quos deinceps magiſtratus in eadem vrbe geſſiſſe oſtendunt *Cumani. Parthenope. Lib. 5. Lib. de Vrb. Chalcidenſes. Pithecuſæi. Athenienſes. Neapolis vnde dicta. Campani.*

ostendunt lapides ad Diuæ Mariæ Rotundæ,

POSTVMIVS. LAMPADIVS
V. C. CAMP. CVRAVIT.

Ad Neapolitanam rem illud pertinere declarat alter lapis è regione positus in quo characteres abrasi cernuntur, qui prius huiusmodi legebantur,

POSTVMIVS. LAMPADIVS
V. C. CAMP.
TEMPLA. CLIVOS. ET. PLATEAS
NEAPOLEOS. RESTITVI. CVRAVIT.

Quem virum quoniam Romanum aliqui non Campanum affirmant, alium lapidem in medium profero in sacra æde D. Seuerini à Thoma Crispo monacho rerum antiquarum studioso in lucem reuocatum,

POSTVMIO. LAMPADIO. V. C.
ET. INLVSTRI. CONS. CAMP.
RESTITVTORI. PATRIAE. ET. REDINTEGRATORI
OPERVM. PVBLICORVM.
ORDINIS. PROVISORI. POPVLI. SVBVENTORI.
OB. INSIGNIA. EIVS. VNIVERSA. PATRONO
LONGE. A. MAIORIBVS. ORIGINALI
ORDO. CAPVENSIS
VOTI. ET. OBSEQVII. SVI. PIGNVS. LOCAVIT.

In quibus notæ illæ V.C. Virum clarissimum significant, quem titulum minoribus Senatoribus datũ scribit Notitia vtriusque Imperij. Addito, *Inlustri*, Correctores, & Proconsules in prouincijs appellabantur. Eam ciuium permixtionem indè cognitam scribit idem Strabo, quòd Magistratus quibus Græca nomina principio erant, Campanorum nomina sunt adepti; Τὰ δ' ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά; *Posterioribus temporibus Græcis permixta Campania*; quòdq. plurima Græcorum instituta supererant, vt Curiæ, Phratriæ; & Græca nomina Romanis imposita, vt Gymnasia & Epheborum cœtus. Cumanorum

Correctores, & Proconsules.

Lib. 5.

In Campania Græcorum instituta.

norum ciuium partem eam vrbem ædificasse scribit Velleius Paterculus magno interuallo post conditas Cumas. Sed quæ Parthenope sua colonia inchoauerat, eos absoluisse alij sibi persuaserunt. Lingua tamen & moribus Græcos Neapolitanos fuisse sic in imaginibus declarat Philostratus; ἡ δὲ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ (de Neapoli loquitur) ᾤκισται γένος Ἕλληνες, καὶ ἀστικοί. ὅθεν καὶ τὰς σπουδὰς τῶν λόγων Ἑλληνικοί εἰσι; *Ciuitas autem in Italia condita, Græci genere atque vrbani; vndè & orationis studio Græcanici sunt.* Lib. 1.

Sunt qui asserant (si Dijs placet) ab Aenea & Diomede ædificatam. Quasi verò Græcis Troiani gloriam eripere conentur. Nec in memoriam reuocarunt quod Ouidius de Aenea in Italiam veniente dixerat, Diomedes. Aeneas.

Has vbi præterijt, & Parthenopeia dextra
Mœnia deseruit.

Porrò iam anteà conditam liquet, licet in eo itinere Palinuro, Myseno, Prochytæ nomen dedisse scribat Halicarnasseus. Lib. 1.

Aliqui à Phalero (Phalarim dicunt) Siciliæ Tyranno, inter quos Lycophron, eiusq. Interpres Isaacius Tzetzes in Alexandra, vbi apertissimè de nostra Neapoli loquitur, non de Sicula, quod plerique existimarunt, cùm eam Glani Campaniæ fluuio coniungat, Phalaris.

Τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβεβρασμένην
Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνας.
Vnam quidem Phaleri Arx expulsam
Glanisq. terram humectans excipiet.

Vaticinatur de Sirenibus, quarum vnam in Campaniam venturam dicit. Hanc idem Arcem, & Neapolitanum populum nominat in Ludo Lampadodronico, & Miseno proximam facit, eaq. facilè Lycophron didicerat, qui Chalcide Euboeæ ortus, Chalcidensium res gestas sciebat. De Sicula tamen Neapoli, aliqua Cicero scribit Verrina vj. Et Neapolis Panhormi aliqua pars dicebatur apud Polybium, quæ à veteri vrbe ad meridiem vergebat; & Nortmannorum ætate ibi regiones fuerunt Hemonia, Albegaria, Deitin & Thalcia, Sarracenorum voces. Neapolis Sicula. Lib. 2.

Ad

Ad Tyrrhenorum mores fortasse Lycophron respexit, qui turribus ciuitates more Græco munibant; hinc quòd τύρσις, turris est, Tyrrhenos dictos asserit Dionysius.

Hercules. Nec desunt qui ab Hercule ædificatam affirment, & Herculis campum arbitrentur appellari ab Oppiano in Cynegeticis. Qui tamen non de Neapoli, sed de Assyrijs loquitur lib. 2. vbi spicas, & boum labores celebrat, sic enim loquitur;

——— νέον πέδον Ἡρακλῆος
Πάν τι δ' εἰσέτι νῦν σταχυῖ κομέουσιν ἄρουραι,
Πάντῃ δ' ἔργα βοῶν θαλερὰς βέβριθεν ἀλωὰς
Μεμνόνιον περὶ νηὸν ὅθ' Ἀσσύριοι ναετῆρες
Μέμνονα δακρύουσι. ———

——— *nouum campum Herculis,*
Vbique verò etiam nunc spicis ornata sunt arua,
Et passim labores boum florentes onerant areas
Memnonium circà Fanum, quà Assyrij incolæ
Memnonem deflent. ———

Quod etiam Angerianum Neapolitanum poetam fefellit, qui ait de Parthenope,

Diceris extructa à dulce Sirene; Phaleri
Diceris, & felix imperitantis honor.
Diceris & Veneris gratissimus hortus, & acris
Alcidis Campus diceris esse nouus.
Diceris & flauæ Cereris mitissima tellus,
Diceris intonsi Vinea pulcra Dei.
Non mirum; ipsa vrbes superas dulcedine cunctas,
Imperio, forma, robore, fruge, mero.

Alij à Cumanis Parthenopem conditam dicunt, & Neapolim

Nauplius. propè eam à Nauplio Euboeæ Rege xx. annos antè quàm obijsset. Naupliam tamen in Peloponneso, Neapolim, mutato nomine, dictam reperio.

Lib. 14. Rhodij. Strabo aliquorum affert opinionem quibus placuit Rhodios in Hispaniam nauigasse seruandorum hominum causa, & Rhodum condidisse posteà à Massiliensibus occupatam, & in Opicis Parthenopem, in Daunijs, Coum auxilio, Helpiam; eosdemq.

Gymnasia

Gymnasia instituisse, Oscos ibidē habitasse, deindè Cumanos, & Chalcidenses eò se contulisse. Id quod xxv. Dauidici anni Regno accidisse plerique affirmant.

Liuius originem Cumanis tribuit, *Palæpolis haud procul indè vbi nunc Neapolis sita est. Duabus vrbibus populus idem habitabat. Cumis erant oriundi.* Idcircò à Strabone dicitur in Parthenopem immigrasse Chalcidenses, Pithecusæos, & Athenienses, quoniam Chalcidenses Euripi accolæ (quibus cum etiam Andrios coniungo (adiuuat me in ea re Plutarchus in Quæstionib. Græcis) & Euboei Colonias deducere didicerant, quippè Euboeam Coloniam deduxerat Cecrops minor Erecthei filius, Pandionis nepos, cuius in Atticis meminit Pausanias. Atqui Chalcidenses, ductoribus Areto & Ghimeno Messenio, ab Euboeis profligatis, vt Græcorum iram subterfugerent, alias sedes quærere coactis, in Italiam profecti sunt, Rhegiumq. appulerunt. Et Polydoro Alcmeni Regis filio regnante, Lacedæmonij in Italia Colonias duas deduxerunt Crotonem, & Locros ad Zephyrium promontorium, vt idem auctor scribit in Laconicis. Priscos profectò demigrantium mores Græci receperunt quos aut hostilis iniuria, aut agrorum inopia cœliq. intemperies, aut Imperij propagandi libido ex proprijs sedibus ad nouas comparandas arcebant. Quod si ciuitas aliqua ciuium multitudine adeò creuisset, vt domestica alimenta omnibus satis esse non potuissent (vt scribit Halicarnasseus) Deo cuipiam annuam hominum progeniem consecrantes, & è suis finibus armis instructam expellentes, Coloniam quò melius fortuna tulisset sibi deducendam compellebant. Sed Campaniæ regionis felicitas ex Peloponneso Græcos (quam tamen Insulam, magnam & beatam, Cypro non inferiorem appellat Herodotus) in Insulas Aenariam, Prochytam, & in Siciliam (vt ait Tucidides) euocauit, cùm posteà ad ditionem propagandam in continentem se contulerint. Addiditq. Pausanias in Laconicis, Chilonem Atheniensem Heroem vnum ex ijs fuisse qui cum Dorieo Anaxandridæ filio in Siciliensem Coloniam, accepto è Dodona responso, classem traiecerunt. Et deducen-

Cumani. *Andrij.* *Colonia Græcorum.* *Chalcidensiū Duces.* *Croto, Locri.* *Lib. 1.* *Sacrificia in Colonijs.* *Ex Peloponneso Græci in Cāpaniam.* *Colonia in Sicilia.*

C dæ Co-

dæ Coloniæ eam causam scribit, quòd Erycinum agrum ad Herculis posteros,non ad eos à quibus tenebatur barbaros pertinere putabant. Et in Eliacis ait Lybies & Poenos vna & eadem classe deduxisse Carthaginenses, atque hos è barbaris gentibus Siciliæ inquilinos. Nam & Athenienses in Coloniam deducti, eiusq. duces Damasus & Naoclus Codri filij. Id factum à Pelasgis scribit Halicarnasseus, qui ab Originibus recepti contrà Siculos bellum gessere. Hi ex Peloponneso oriundi facilè cum Euboeis conuenire potuerunt,tùm præcipuè cùm paulò post afferat eosdem quandam camporum qui Campani vocantur,aspectuum amoenissimorum, & pascuis aptissimorum partem non minimam, Auruncis gente barbara indè pulsis tenuisse,condita ibi Larissa vrbe à sua metropoli Peloponnisiaca nomine recepto. Et addit ex Thucidide fuisse ibi nonnullos Chalcidenses, maximam tamen partem fuisse gentem Pelasgicam ex ijs Tyrrhenis qui Lemnum & Athenas incoluerunt; Et veluti ex ritibus Siculorum quos à Græcis acceperunt arguit in ea Insula habitasse Pelasgos,sic nobis tùm ex ea gētium mixtione Pelasgos Neapoli habitasse arguere licet, qui etiam Pompeios tenuere; tùm ex sacrorum mysterijs. Si enim Pelasgos in Sicilia sacræ mulieres patefaciunt, quæ templi curam gerebant, & puella quæ Canistrifera vocabatur, casta, & nuptiarum expers,& quæ sacra auspicari solebat; Neapoli quoque eos patefaciunt, vbi præter sacrarum mulierum ritus,quos suo loco describemus,puellæ Canistriferæ simulacrum extat in basi marmorea in turri sacra D. Gregorij.

Pelasgi.

Tyrrheni.

Pompeij Pelasgorum.

Puella Canistrifera.

Eas



Eas Virgines ex ſacrorum inſtitutis in ſuam Rempublicam introduxiſſe Romulum, ſcribit idem Halicarnaſſeus. Quæcunque enim illæ quæ Κανηφόροι, hoc eſt Caniſtriferæ appellantur, in Græcis ſacris faciunt, hæc ipſa apud Romanos peragebant Virgines Veſtales. Deſcribitq. eas capitibus corollis ornatis, veluti Dianæ Epheſiæ ſimulacra ornabantur. Quod verò ad Chalcidenſes attinet, Plinius ait; *Littore autem Neapolis Chalcidenſium ex ipſa Parthenope à Syrenis tumulo appellata*. Et Velleius Paterculus, Chalcidenſes ait, Atticis ortos, Hippocle & Megaſthene Ducibus, Cumas in Italiam condidiſſe. Licet Hippoclem Cumanum dicat Pontanus, & Chalcidenſem Megaſthenem. Nonnulli Pherecidem dixerunt eorum Ducem, idq. innuiſſe Silium Italicum in Annibalis itinerario,

Veſtales.

Lib. 3. c. 5.

——— regreſſus ad altos
Indè Pherecyadum muros ———

Quibus verbis Neapolim deſcribit. Ait prætereà Paterculus illorum claſſis curſum, vel Columbæ antecedentis volatu, quod Statius explicauit,

Columbe volatus.

—— cui mite ſolum trans æquora vectæ
Ipſe Dioneæ monſtrauit Apollo Columbæ.

 Et

Et lib. 5. ad Iulium Menecratem,

Tu ductor populi longè emigrantis Apollo
Cuius adhuc volucrem læua ceruice sedentem
Respiciens ———

Cereris sacra. Vel nocturno aeris sono, qualis Cerealibus cieri solet, fuisse institutum (sacra enim Cereris noctu, & cum clangore fiebant.

Cumani. Ad Cumanos tamen eius originem communis opinio detulit. Ideoq. Cumæa Neapolis dicitur à Politiano,

Hunc Phebe claros, Cumæa Neapolis illum
Protulit ———

Neapolitanorum & Cumanorum fides. Et Cumanorum, & Neapolitanorum fidem, atque nobilitatem coniungit Paterculus, qui ait; *Vtriusque vrbis eximia semper in Romanos fides, facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas. Vires veteres earum vrbium hodieq. magnitudo ostentat mœnium.* Sed qui à Cumanis ædificatam volunt, ab iisdem euersam asserunt, ne nimium efflorescere aut augeri propter agri vbertatem videretur, atque huiusmodi Cumana ciuitas obsolesceret. Cumanorum pestis. Quamobrem Cumanos immani peste vexatos, & Oraculo monitos vt vrbem restituerent, & Sirenæ sepulcro annua sacrificia factitarent. Sic restitutam ciuitatem, Neapolim fuisse dictam. Lib. 2. At Solinus Neapolim dictam ab Augusto scribit; *Parthenope à Parthenopis Sirenis sepulcro, quam Augustus Neapolim esse maluit.* Neque illud auctor ille dixerat, quòd ignoraret Neapolis nomen (quod Volaterranus falsò dictum obijcit) multas antè ætates celebre fuisse, quàm ea qua Augustus Neapolim appellari voluit Parthenopē. Augustus vixerat; sed quòd Augustus qui lateritiam eam Vrbem inueniens marmoream reddidit, suo labore factum existimaret vt noua ciuitas ædificiorum concinnitate appareret, ideoq. non Parthenopem, quod nomen abolendum decreuerat, sed semper Neapolim esse appellandam.

Quisque tamen eam ædificauerit, antiquissimam esse constat, & antè Romana tempora 260. annos, post euersam Troiam 170. celebrem inter præcipuas Græcas Italiæ vrbes floruisse. Alijs alios sequtis auctores placet conditam anno 2804. post diluuium; & post euersam Troiam 20. antè CHRISTVM natum

natum 1160. Alijs autem anno ſalutis 1176. ab Vrbe condita 2818. Alij eundem annum Neapoli, & Brunduſio tribuunt 4035. Quæ tempora ob vetuſtatem abſque ſuſpicione nequeunt conciliari.

DE NEAPOLITANAE VRBIS DELICIIS Cap. IIII.



RAECOS locorum amœnitate ductos Colonias deduxiſse, loca in quibus vrbes tota maritima Italiæ ora ædificarunt optimè declarant. Eaſdem itidem vrbes delicijs fuiſſe affluentes, quòd à Græcis incolerentur, quibus nihil antiquiùs vnquam fuit, quàm voluptatibus operam dare, innuit Strabo qui ea de cauſa delicijs Neapolim abundaſſe ſcribit, & Romanos aut multis laboribus functos, aut imbecillitatis & ſenectutis moleſtijs laborantes, tranquillioris vitæ deſiderio flagrantes, Neapolim diuertere conſueuiſſe, *τῆς ἡσυχίας χάριν*, *Tranquillitatis gratia*, vt ipſe loquitur. Quamobrem fortaſſe *iuuenem* eam ciuitatem appellat Papinius, *Romam Neapolim adiere ob voluptat.*

Tu ne igitur largitor opum, qui mente profuſa
Tecta Dicarchæi pariter, iuuenemq. repleſti
Parthenopem ———

Et ridentem, & benignam,

——— *ridetq. benigna*
Parthenope gentile ſacrum ———

Idemq. vxorem reuocans omnes Neapolitanas delicias explicauit,

Has ego te ſedes (nam nec mihi barbara Thrace
Nec Lybia natale ſolum) transferre laboro.
Quas & mollis hiems, & frigida temperat æſtas,
Quas imbelle fretum torpentibus alluit vndis.
Pax ſecura locis, & deſidis ocia vitæ,

Et nun-

Et nunquam turbata quies, somniq. peracti.
Nulla foro rabies, aut stricta iurgia legis,
Morum iura viris ———

Quæ à Virgilio paucioribus sunt expressa,

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studijs florentem, ignobilis oti.

Et, ——— *in otia natam*
Parthenopem ———

dicit Ouidius. Ad summum enim ocium Græcos omnes natos, ait Cicero in Verrem. Hinc insidiosa dicitur ab Ouidio,

Verr, 3.

Parthenope blandis insidiosa dolis.

Ann. lib. 16.

Atque illud ocium, easq. insidias, Neroni Tacitus exprobrat, *Non tantum Romæ incipere scenas ausum, Neapolim quasi Græcam vrbem delegisse*. Et Dio Cassius his delicijs allectũ Neapoli priuatam vitam degisse scribit, cùm & ipse, & eius familia Græca victus ratione vterētur, ipseq. versaretur in ludis. quasi vero Romanam grauitatem vitaret. A Scipione Consule, Theatrum Romæ demolitum asserit Appianus, quoniam existimaret non esse è Republica populum Græcanicis voluptatibus assuescere. Tantaq. voluptatum cohors effecit, vt Fabulosa diceretur Neapolis, quòd a rebus grauibus vacaret, & fabulis indulgeret, atque ad veneficia rueret. Quod notat Horatius de Canidia loquens, & de Folia Ariminensi,

Fabulosa Neapolis.

Nec defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam;
Et ociosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum.

Et, Vicinum oppidum, Puteolos interpretantur. Locos omnes adiacentes ipse interpretor, eadem superstitione imburos. Ad quam superstitionem explicandam, Secretam eam Vrbem appellauit Statius ad Menecratem,

Secreta Neapolis.

—— *& pecudum fibris spirantibus imple*
Parthenope ———
Nec solum festus secreta Neapolis aras
Ambiat ——— *vel, imbuat*.

omni

omni sacrificiorum genere delectatam.

Cicero pro C. Rabirio, ciuium Romanorum oblectamentum Neapolim facit; *Deliciarum causa, & voluptatis, non modo ciues Romanorum, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam Senatores summo loco natos, non in hortis aut suburbijs suis, sed Neapoli, in celeberrimo oppido cum mitrella (mitella,* alia habent exemplaria) *sæpè vidimus Chlamydatum illum L. Syllam Imperatorem*. En tibi pacis ocia. Quamuis enim chlamys militiæ quoque sit vestimentum, ideoq. idem Cicero in Capitolio Scipionis statuam positam commemorat cum chlamyde & crepidis, vt militiæ pacisq. tempus obstenderet (Crepidæ enim pacem significabant) in pace tamen ea vestis fuit vulgaribus vsurpata, & Vlpianus inter puerilia vestimenta recenset. Mitrellam ad idem ocium refero, quam gestasse viris molle censebatur. Ideoq. Iuno Bacchi molliciem Ioui exprobrans ait apud Lucianum, Μίτρα ἀναδεδεμένος τὴν κόμην. Et Virgilius, **Chlamys. Mitrella. Crepida.** **Lib. 9. Aen.**

——— *habent redimicula Mitræ*.

Censent aliqui, Mitram capitis esse tegumentum illi simile quo intrà nostras ædes vtimur. Et Oratione pro Sylla, cùm eum defenderet, & conaretur efficere vt intelligerent Iudices, nullo pacto scelus ab ipso fuisse perpetratum, illud præcipuè in medium protulit, Syllam esse Neapoli, loco non tam ad inflãmandos calamitosorum animos, quàm ad consolandos accomodato. Ibidemq. cùm agrum Picenum & Gallum furoris diceret administratorem, subdidit; *Fuit enim Neapoli, vt anteà dixi, fuit in ea parte Italiæ quæ maximè ea suspicione caruit*. Tot prætereà Romanos illustres viros ibi commoratos narrat; *Ego autem perspexi cùm a me xvij. Kal. de Putcolano Neapolim Pansæ conueniendi causa proficisceretur Hirtius*. Et, *Qui Brutum Neapoli reliquisset*. Et, *Philippus Neapoli est, Lentulus Puteolis*. Et lib. 14. *Quod idem L. Cæsari videbatur, quem pridiè Neapoli affectum grauiter videram*; vt Romanorum ferè domicilium eam vrbem fuisse sciamus. Nec immeritò Cassiodorus de Neapolitana Comitiua loquens ait; Vrbem **Neapolis ad consolandos animos accomodata.** **Ad Att. lib. 1. Ep. 15.** **Lib. 6. c. 23.** **Neapolitana felicitas.**

eam

eam esse ornatam multitudine ciuium, abundantem marinis terrenisq. delicijs, vt dulcissimam vitam Comes ibidem se inuenisse diiudicaret, si nullis amaritudinibus misceretur. Et meritò, εὐδαίμονα πόλιν Dionysius Afer dixit; & D. Paulinus, *pulcram*,

Neapolis encomia.

——— quos mœnibus amplis
Diues habet Capua, & quos pulcra Neapolis, & quos
Gaurus alit ———

quo etiam nomine Papinius appellauit in Epitalamio Stellæ,

——— & pulcra tumeat Sebethos alumna.

Quòd autem dicit Strabo; Ἐπιτείνουσι δὲ τὴν ἐν Νεαπόλει διαγωγὴν τὴν Ἑλληνικὴν οἱ ἐκ τῆς Ῥώμης ἀναχωροῦντες; *Vitæ autem Græcanicam rationem Neapoli augent ij qui eò Roma secedũt*, ædificiorum, thermarum passim per littora numerus demonstrat; licet auctiorem hac ætate diceret, qua ex toto ferè orbe varia hominum genera eò se conferunt, atque ea important quae ad effeminandos animos maximè pertinent. Adstipulatur Silius Italicus,

Lib. 12.

Nam molles vbi ritus, atq. hospita Musis
Ocia, & exemptum curis grauioribus æuum,
Sirenum dedit vna suum & memorabile nomen
Parthenope, muris Acheloias æquore cuius
Regnauere diù cantus, cùm dulce per vndas
Exitium miseris caneret non prospera nautis.

Qui & mitem eam dixit, *——— mitis*

Parthenope non diues opum, non spreta vigoris.

Hoc tempore ditissimam, & potentem diceret, veluti rebus forensibus adeò implicatam (omnis enim foro frequentia, contrà ea quæ Papinius dixerat) vt nullus ocio locus relictus videatur, atque ità antiquæ Neapolis sæculo inuideamus, in quo ciuium quies, & antiquæ in omnibus fidei in negocijs, in sermonibus, testimonia. In quo nullæ iræ, aut turbæ, quippè virtutibus tantùm dediti habitatores, à contentionibus, ab alienarum rerum desiderio longissimè aberant.

Neapolis antiqua securitas.

Accessit ad Neapolitanas delitias, Vnguentorum vsus. Et cùm

cùm laudatissimum fuisse Irinum Corinthi, & Cyzici, posteà Rhodinum Phaseli, omnem gloriam abstulisse Neapolim, Capuam, Præneste scribit Plinius; Athenæus, etiam ob vnguenta Neapolim celebrat, & Rosaceum nobilissimum appellat, Ρόδινον δὲ κράτιστον ἐν Φασίλιδι, καὶ τὸ ἐκ Νέας τῆς πόλεως, καὶ Καπύης; *Rosaceum verò nobilissimum ex Phaselide, Capua, & Neapoli.* Et peculiaria fuisse Neapolitanis vnguenta, Pythagorica disciplina ostendit, quem splendida veste amiciri, balneisq. & assueta tonsura corpus curare consueuisse, idem Athenæus scribit. Nollem hoc loco effeminatos Neapolitanis mores exprobrare, quos à Cumanis receperant ab Aristodemo Tyranno corruptis, qui comam cincinnis reticulisq. religatam, vnguenta olentem ferre iuuenes Cumanos coegerat. Si verò hoc tempore corruptos dicerem? Non ne virilitatis splendore neglecto, comam in fronte plerique gerunt, vt hirti capilli, & incompositi (qui honestum hominem non decent) cornua videantur, a qua Græci ipsi non abhorrebant, sic enim Diomedes Alexandrum alloquitur apud Homerum,

Lib. 13. c. 1. — *Vnguenta Neapolitana* — *Lib. 4.* — *Comam alere, inhonestũ.*

Τοξότα λωβητὴρ, κέρᾳ ἀγλαὲ ——
Sagittari damnose, cornua splendide

cui tamen apponebantur à tergo comati

—— θοοὶ ὄπιθεν κομόωντες ——
—— *veloces a tergo comati* ——

vt moris est Gallorum. Aliquorum fuit opinio Neapolitanos in ea re imitatos fuisse Longobardos qui caput à ceruice ad occipicium radentes capillos à fronte ad os demittebant. Antiquiora tamen tempora respicio cum Varrone, qui crines ad verticem conuolutos Tutulos vocat, quòd res alta tanquam tuta, Tutulus vocaretur. Res quidē Christiano viro perniciosa cùm B. Petrus in epistola priore canonica, πλοκὴν τριχῶν, *Capilli plicationem*, communi vocabulo prohibeat; & B. Paulus, crines intortos, vt notauit Franciscus Turrianus. Id quod Etnici præcipuè improbarunt, seueritatem laudantes. Iuuenalis,

Lib. 6. De ling. Lat. — *In Clem. Ro. lib. 1. de Laicis.* — *Satyr. 2. lib. 1.*

Rarus sermo illis, & magna libido tacendi
Atque supercilio breuior coma ——

D Sepla-

Seplasia, vnguentarius vicus Capuæ percelebris erat. Nihil Campano luxui cedere iam tùm Neapolis visa est, quæ Græca ciuitas, Græcorum mores retinuit. Et Græcos (omitto balnea) vnguentis delibutos cænitasse nihil est quod auctoritatibus antiquorum confirmem; præterquam quòd veluti plebei oleo, sic nobiliores vnguentis inungebantur, quibus præsertim comam alebant; ne cadaueribus condiendis solertiam commemorem.

Neapolis pulcritudo.

Eius vrbis pulcritudinem & magnificentiam, marmora vndique magnis sumptibus aduecta, variorū lapidum ornamenta, picturæ, Theatra, Circi, Gisymasia ob oculos spectantibus proponebant. Quæ omnia huiusmodi Statius in Surrentino Polli, explicauit,

Vna tamen cunctis procul eminet vna diætis
Quæ tibi Parthenopem directo limite ponti
Ingerit. Hic Grais penitus desecta metallis
Saxa; quod Eoæ respergit vena Syenes,
Synade quod mæsta Phrygiæ fodere secures
Per Cybeles lugentis agros, vbi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.
Hic & Amiclei cæsum de monte Lycurgi
Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas.
Hic Nomadum lucent flauentia saxa, Thasosq.
Et Chios, & gaudens fluctus spectare Charistos.

Ex ingentibus columnis vna in Cathedrali Ecclesia nuper eruta est, quam in Solis templo Neapoli collocatā curiosi contendunt. Ex locis à Papinio cōmemoratis lapides adducti loca publica omnemq. ciuitatem summo cum decore ornabant. Theatra, & Gymnasia protissimùm, quæ sic describit Sidonius Appollinaris ad Domicium; *Iam si marmora inquires, non illic quidem Paros, Charystos, Proconissos, Phriges, Numidæ, Spartiatæ, rupium, variatarum posuere crustas.* Et Prudentius lib. 2. contrà Symmachum,

Et quæ saxa Paros secat; & quæ Punica rupes,
Quæ viridis Macedon habet maculosaq. Synna.

At

At dùm Papinius marmora celebrat quæ herbas imitari videbantur, sic respondit Sidonius carmine 22.

Cedat puniceo preciosus liuor in antro
Synnados, & Numadum qui portat eburnea saxa
Collis, & herbosis quæ vernant marmore venis.

Eratq. Laconicum marmor, quod instar herbarum viret. Quæ tamen pingi consueuerunt. Plinius; *Non committemus vt abijciendo vtiliora luxuriam vtilitate circumscribamus, dicturi, & aliàs herbis tingi lapides parietesq. pingi*. Lapides tamen verissimè herbas referentes Neapoli adhuc cernuntur, in quibus Sanctorum imagines depictas vidi, qui in antris, & virentibus locis habitabant, dùm in medio lapide, aut cœlum, aut nubes, aut aër nitet, atque huiusmodi ipsæ lapidum venæ cum addita pictura, pulcherrima simulacra proponunt; Alabrastrum hodie vocant. Quò etiam referrem picturas Neapoli à Philostrato commemoratas. Atque ità nihil Neapolitanæ vrbi defuisse dicemus earum rerum, quæ ceteras vrbes illustres, nobiles, speciosas reddiderunt, & adeò magnifico rerum apparatu & copia voluptuosam, vt summos ad se viros semper allicere voluerit. Eam seruauit etiam amplitudinem Philosophiæ, & Musarum studijs, quæ tandem ad Equitum gloriam deducta est, sic enim Scaligerus, vt æmulã Romanæ vrbis faciat,

Laconicum marmor.

Neapolitanæ vrb. tria tẽpora.

Partenope varij statuit discrimina mundi,
Quæ tria diuerso tempore sæcla dedit.
Aurea Pythagoras communis commoda vitæ
Et docuit Sophiæ Græcia magna procos.
Altera succedens studiorum mollior ætas
Admisit Musas debiliore sono.
Tertia vulnifici quæsiuit premia ferri,
Atque Equitum potuit sola tenere decus.
Sic ex priuata & serua, Regina supersum,
Roma quod es fueram, quæ modo sum quod eras.

At Neapolitanas delicias cum omni Campano littore communes habes, & omnem oram Amœna, *κατ' ἐξοχὴν* dicebant. Glossarium *Amœnia, αἱ ἀκταί*; vbi, *Amœna*, legendum. Et

Veteres glossæ; *Acta*, Littora amœna; quamobrem de Baijs,

------- *prælucet amœnis*.

Lib. 3. Hist. & Cornelius Tacitus; *Noctu dieq. & amœna littorum personanteis*. Quid autem ea de re antiquorum testimonia? Doceât huius vrbis amœnitatem ij, qui ex intima Europa huc accedentes eam admirantur huiusmodi, vt miraculum Naturæ, diuinã habitationem eam regionem appellent. Id quod ex eius situ copiosius libro 2. explicabitur.

DE SIRENIBVS ET EARVM HABITATIONE. Cap. V.



ISCE deliciarum illecebris quas commemorauimus, loci amœnitate, omnium rerũ commodis factum est Græcorum fabulis, vt Parthenopes Sirenis nomine fuerit appellata. Tantumq. valuit opinio, & ad posteros huiusmodi ptogressa est, vt nec eius simulacrum potuerit vllo vnquam tempore obliterari; & Sirenis insigni, veluti sua Lupa Romani, Neapolitani se illustrari sibi persuadeant. Quamobrem hæc addere, non inutile existimaui.

SIRENES aliqui inter Nimphas connumerandas censuerunt, vocaruntq. Atheloides, Acheloi fluuij qui Aetoliam ab Acarnanis diuidit, & Calliopes Nimphæ filias. Idcircò natantes describit Orpheus in Argonauticis.

Sirenes Nymphæ.

Δεινὰ δ' ἀνεστενάχησαν ἐπὶ πότμος ἤις λυγρὸς
Μοιριδίῃ θανάτοιο, σφίας δ' ἀπὸ ῥογάδος ἄκρος
Ες' βύτον δίσκευαν ἁλιρρόθιοιο θαλάσσης
Πέτρας δ' ἠλλάξαντο δέμας μορφήνθ' ὑπέροπλον;

Sunt grauiter questæ, & senserunt fata Deorum
Aduentasse sibi, summaq. crepidine saxi
Præcipites saliere maris spumantis in vndas,
Protinus in duras vertuntur crepidine cautes.

Et

Et Virgilius in Opuſculis,

Transiluit ſcopulos, & inhoſpita littora claſſis;
Illa præcipites deſiluere freto.

Ab Hygino in Fabulis & Nicandro, Melpomenes Muſæ, & Acheloi filiæ; ab aliquibus Therpſichores, ſeu Melpomenes; ab alijs Steropis, vel Calliopes dicuntur. Tres aliquandò commemorantur, Parthenopes, Leucoſia, & Ligea, quarum vna lyra, altera tibijs, tertia voce canebat, vt hac varietate, varia quoque hominum ingenia, & libidines oblectarent; ſuos enim cantus nauigantium moribus accomodabant, atque ità ambitioſis, laudiſq. cupidis, vel ſua, vel maiorum geſta recinebant; libidinoſorum rebus amatorijs demulcebant aures; & veluti piſcatores eſca qua delectari prætemauigantes cernebant, inſtar piſcium irretire conabantur. Alij Aglaophemem, vel Aglaopem, Thelxiepiam, Piſinoem, & Ligiam nominant. Alij abſque nominibus duas narrãt, quod notat Euſtathius. Sunt qui etiam quinque eas fuiſſe dicant. *Sirenum nomina.*

Habitudo Corporis.

Græci tradiderunt Sirenes à pectore habuiſſe ad ſuperiora Στρουθῶν, Paſſerum, ſpeciem; inferiora verò, mulierum. Apud Seruiũ, *Tres in partes Virgines fuerunt, in parte Volucres*. Boccacius ex Albrico, virgineum corpus vmbilico tenus eis ttibuit, & gallinaceos pedes. Is Albricus, ſi is eſt qui philoſophus appellatur, ſcripſitq. de Imaginibus, nullam Sirenum mentionem facit. Cumanus & Siculus nummus ſic pictas Sirenes oſtendũt. *Syrenum pictura.* *Nummus Sirenarum.*





In

In quorum altero duæ quæ cernuntur sagittæ, fluuium Acim significant qui ab Aetna monte in duas partes deriuatur. Alterum ad Cumas inuenimus cum Petronij nomine Triumuiri. Idem in Petronia familia refert Fuluius Vrsinus, aitq. Denarium ad Cumas Coloniam deductam ab Augusto instauratam referri. Pennatas eas pingi, ex Pausania cognouimus, qui in Boeoticis scribit infrà Mercurij Epimelij & Ventorum aras sacellum Iunoni dicatum, quæ Sirenes manu præferret. Quæ nimirum Iunone suadente in cantus Musas prouocare ausæ fuerunt. Victis Sirenibus, Musas ex alis pennas auulsisse, & coronas sibi fecisse scribit, Αποτίλασι τῶν Σειρήνων τὰ πτερὰ, ποιήσασθαι στεφάνους ἀπ' αὐτῶν λέγουσι. Ideq. narrat in Atticis mortuo Sophocle Lacedæmonios in Atticam irrupisse, eorumq. ducem sibi visum Liberum patrem videre, mandantem vt nouam Sirenem omnibus honoribus prosequerentur quos mortui habere consueuerant. Laudabat Sophoclis carmina. Hinc obseruatum ait poemata & orationes in quibus sit suauiloquentia, cum Sirenis cantu conferri. Pennarum verò rationem dùm perquirit Ouidius, hæc ait;

Fluuius Acis. *Petronia familia.* *Sirene pennata.* *Sirenes, carmina poëtarum.* *Lib. 5. Met.*

——— vobis Acheloides vndè
Pluma pedesq. auium, tùm virginis ora geratis?
An quia cùm legere flores Proserpina vernos
In comitum numero mixtæ Sirenes eratis?
Quam postquàm toto frustrà quæsistis in orbe
Protinus vt vestram sentirent æquora curam
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis, facilesq. Deos habuistis, & artus
Vidistis vestros subitis flauescere pennis?

Οἰωνοὺς appellari Sirenes scribit Tzetzes in Lycophonem, & Θεάς; Pennatas, & Deas. Pennatas, quippe volucres, & volucris Dea Parthenopes à Lycophrone dicta est. Deas verò, διὰ τὸ τοιαύτην ἔχειν δύναμιν θελκτικὴν, *quòd demulcendi vim habent*. Eorum prorsus opinionem refello qui ex Parthenopei insigni (vnus is ex septem Ducibus qui ad Thebas pugnarunt) Sirenem Parthenopem traducunt. Quamuis enim in aureo clypeo

peo hæc depicta geſtauerit, ea tamen Sphinx eſt quæ vnguibus



hominem Cadmeum detinet, in quem plurima iacula contorquebantur.

Locus.

Locus in quo Sirenes habitant, ſic ab Homero deſcribitur.

Ἡ̔μεναι ἐν λειμῶνι, πολὺς δ' ἀμφ' ὀςέοφιν θὶς
Ἀνδρῶν πιθομένων, περὶ δὲ ῥινοὶ μινύθουσιν;
Deſidentes in prato; ingens circùm ex oſſibus aceruus
Virorum putrefactorum vndique cutes putreſcunt.

Sirenum habitatio.

Indicat ſanè mortuos homines, quos ſcilicet Sirenum cantus demulcebant, vt inquit Pauſanias, atque eos qui illuc deducti, mori, & inhumati iacere cogebantur.

-------- *ὧν πύθεται ὄςεα λευκά*

Inquit Leſches in parua Iliade; quod Virgilius,

Iamq. adeò ſcopulos Sirenum aducta ſubibat
Difficiles quondam, multorumq. oſſibus alba.

Quæ ad meretricum lenocinia proculdubio referuntur, Vlyſſem allicere, & Herculem in feminam transferre ſtudentium. Et Argonautæ, dùm ad earum periculum incidiſſent ab Orpheo liberantur citharæ ſonitu, quo earum cantus non audiebatur. Id efficiebat cera & vincula ad nauis malum, Circis inuentum, ne Vlyſſes à Sirenibus detineretur.

Argonautæ.

Strabo meminit Sirenum locum ab alijs collocari ad Peloriadem, & Euſtathius addit, ad Planctas propè Pelorum. Ab alijs ad Sirenuſſas (Sirenes eas inſulas appellat Ariſtoteles lib. περὶ

Alia Sirenarum loca.

περὶ θαυμας. ἀκουσμ.) quae tres paruae insulæ sunt Pæstanum sinum à Cumano separantes, à Pomponio Mela Petra, siue σκόπελος, appellatæ, & à Dionysij Scholiaste πέτρα Σειρήνης. Ibi aliqui Leucosiam tantùm sepultam ferunt. Ouidius de Aenea loquens,

Sinus Pæstanus.

Leucosiam petijt, tepidiq. rosaria Pæsti.

Lycophron vnam è tribus Sirenibus à Phaleri arce (Neapoli scilicet) fuisse receptam scribit, vt suprà diximus, cùm Leucosiam in ripam Enipei eiectam dicat; & Ligeam in Terinam. Dio Chrisostomus Oratione ad Alexandrinos, in deserto pelago ait eas habitasse in scopulo quodam ad quem nemo appulit. Plinius earum sedem Surrentum, & Mineruæ promontorium fuisse scribit; & Strabo, in locis quae contrà Capreas & Surrentum in littore iacent ad Mineruæ templum Sirenum Fanum collocat. Archippus scribit (citatur in Mythologijs à Natali Comite) loca quædam marina angustias quasdam præruptis mõtibus contracta fuisse, in quas illisi fluctus sono cum suauitate & harmonia emittentes, nauigantes allicerent ad visendum, quò cùm appulissent, vndarum impetu delati absorbebantur. Hinc locus datus fabulæ. Dorion libro de piscibus, meretriculas scribit fuisse has Sirenes in littore habitantes, quæ nautas inuitarent. Horatius, desidiam, Sirenem appellat

Surrentum. Lib. 5. Meretrices. Lib. 2. Serm.

------- *placanda est improba Siren*

Desidia ---------

D. Hieronymus epistola ad Furiam, fidicinas, psaltrias, & huiusmodi, chorum Diaboli, quasi mortifera Sirenarũ carmina perturbanda hortatur. Idcircò ad scenas Neapolitanas referũt, in quibus psaltriæ adhibebantur. Sed ob cetera vrbis oblectamenta, vbi commodiùs quam Neapoli Sirenes habitasse dicemus? Indè factum arbitror vt semper Parthenopes symbolo Neapolitanis vti placuerit, tùm quòd volucribus pennis, relligione, nobilitate, ingenijs Neapolitana ciuitas caput inter ceteras vrbes extulerit, & ad astra euolauerit; tùm quod Lyræ concentu, vrbis suauitatem, comitatem ciuium, placidamq. tranquillitatis quietem ostenderint. Quid si ad concordiam dedu-

deducemus? Et licet aliquãdò chordæ in suauiùs obstrepuerint, inter ciuiles tempestates excitatas, semper tamen ergà suos Reges, & Magistratus concordi obseruantiæ melodia, modulatur. Oblectantur itaq. Sirenis imagine, vt serijs etiam rebus adhibeant, & in publico fonte posuerint, cuius ex mãmis dùm aqua depromitur, ardentes Vesuuij flammæ, restinguntur. Musarum amicus Antonius Epicurus, hoc Epigramma inscripsit, DVM VESVVII SIREN INCENDIA MVLCET, & tumultibus Neapolitanis allusisse arbitror, quibus sedatis, symbolum illud effictum est. De Sirenum loco sic cecinit amicus noster,

Non longè à Capreis scopuli tres ordine circùm
Maxima Campani, Pæstani & gloria ponti,
In quos Nereides Nymphæ, turba humida aquarum
Sæpiùs insiliunt, madidos expandere crines
Ad Solis radios, & candida membra mouere
Ad choreas, pelagiq. lacessere carmine Diuos.
Hæc nautis tranquilla quies, si quandò procella
Horisonæ insurgunt, hic ocia capere suerunt,
Et nassis, linoq. vagos comprendere pisces
Allecti à scopulis Sirenum nomine dictis.

Symbolicè.

Aliud Sirenum symbolum Plato explicauit, qui eas cœlestibus orbibus adscripsit, ideoq. non esse eum ferendum affirmat Plutarchus, qui gyris æternis & diuinis, Musarum loco Sirenes *Quæst. conui ualibus.* præficit, non admodum humanos neque placidos Genios, dùm Musas vel præterit prorsus, vel Parcarum nominibus appellat, *Musæ, & Sirenes.* nominatq. Necessitatis filias. Quòd verò ad earum cantũ pertinet, ad animorum concinnitatem idem auctor accommodat, atque ea de causa fabulosas esse asserit, his verbis; Ἄγομεν δὲ *Opusc. lib.4. c.14.* Ὁμήρου Σειρῆνας οὐ κατὰ λόγον ἡμᾶς τῷ μύθῳ φοβοῦσιν. ἀλλὰ καὶ κεῖνος ὀρθῶς ἠνιᾶτο τὴν τῆς Μουσικῆς αὐτῷ δύναμιν, οὐκ ἀπάνθρωπον, οὐδὲ ὀλέθριον οὖσαν, ἀλλὰ ταῖς ἐντεῦθεν ἀπιούσαις ἐκεῖ ψυχαῖς. ὡς ἔοικαι, καὶ πλανωμέναις μετὰ τὴν τελευτὴν ἔρωτα πρὸς τὰ οὐράνια, καὶ θεῖα. λήθην δὲ τῶν θνητῶν ἐμποιοῦσα κατέχει καὶ κατάδει θελγομένας.

Hoc est; *Enimuero Homeri Sirenes immeritò nobis fabulositate metum iniiciunt. Ceterùm ille probè innuit earum in Musica dotes, non illas quidem inhumanas & exitiales, sed auolantibus hinc illinc animis nimirum vigilantibusq. ab excessu Cupidinē, ad cœlestia & diuina, simul rerum caducarum obliuionē infundentes retinent, & demulcent delinitas.* Ait præterea Sirenes animos exultantes sequi, & cū eis circumcursare. Nescio quid etiam de rerum memoria philosophatur, quarum maxima pars obsepta carneis perturbationibus, non sinceris, vt Musis expeditiorē, & concinniorem locū cœlestibus sphæris tribuat, dùm Sirenes renuntiantes res diuinas prædicant ad inferos, vt Sophocleum Vlyssem referre scribit,

> Σειρῆνας εἰς ἀφικέσθαι φόρκου κόρας
> Αἰθροῦντος τοὺς ἅδου νόμους;
> *Sirenas ingressas domum*
> *Phorci puellas qui leges Orci occinit*

quapropter Orci vocibus demulceri Sirenes scribit Plato in Cratylo.

PARTHENOPES VARIAE. NOSTRAE Sepulcrum. Cap. VI.

Parthenopes Samia.



LVRES apud Græcos Parthenopes reperies. Alia Ancæi Regis Lalagū filia est apud Strabonem, quam illi peperit Samia Meandri filia. Hanc scribunt Apollinis concubitu grauidam esse factam. De qua sic Pausanias in Achaicis. Αγκέω δὲ τὴν θυγατέρα τοῦ ποταμοῦ λαβόντι τοῦ Μαιάνδρου Σαμίας γενέσθαι καὶ Περίλαον, καὶ Ἔνυδον, καὶ Σάμον, καὶ Αλιθέρσην, καὶ θυγατέρα ἐπ' αὐτῷ Παρθενόπης δὲ τῆς Αγκαίου καὶ Απόλλωνος Λυκομήδη γενέσθαι; *Ancæus autem Samiā Mæandri filiam vxorem ducens, habuit filios Perilaum, Enudum, Samum, & Parthenopem. E Parthenope Ancæi filius & Apolline Lycomedes genitus.* Alia ex Arcadica familia Stym-

Parthenopes Arcadia.

phali

Phali Regis qui cum Pelope bellum gessit; quam patrem habuisse Herculem asserunt. Tertia hæc nostra, quam Matronam, & dominam dixit Pontanus, Eumeli Regis Pheræ Thessaliæ vrbis filia, vt rerum patriarum inuestigator Statius innuit. *Parthenopes Eumeli.* *Lib. 4. Silu.*

Dÿ Patrÿ, quos augurÿs super æquora magnis
Littus ad Ausonium deuexit Abantia classis.
Tu ductor populi longè emigrantis Apollo,
Cuius adhuc volucrem læua ceruice sedentem
Respiciens blandè felix Eumelis adorat.

Vbi, *Abantia classis*, Eubœa est, Homerus enim *Iliad. 2.*

Οἳ δ' Εὔβοιαν ἔχον μένεα πνείοντες Ἄβαντες
Χαλκίδα τ' ———

Qui autẽ Eubœam habitabant robora spirãtes Abantes
Chalcidaq. ———

Et vbi, *Eumelis*, Parthenope est Eumeli filia, quem Græco more Deum patrium esse effectum, & constituisse Neapoli tribum, vetustissimus Græcus lapis qui sordidus in ædibus Tiberij Coppulæ iacet cum Neapolitanæ antiquitatis magna iactura, quo ad equos conscendendum vtuntur habitatores, declarat. In eo hæc leguntur;

ΕΥΜΗΛΟΝ. ΘΕΟΝ. ΠΑΤΡΩΩΝ
ΦΡΙΤΟΡΣΙΝ. ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ
Τ. ΦΛΑΥΙΟΣ. ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΥΝ. Τ. ΦΛΑΥΙΩΙ. ΤΕΚΝΩΙ.

Eumelum Deum Patrium Tribulibus Eumelidarum.
T. Flauius Pius Curator dicauit cum T. Flauio filio.

Tantùmq. hoc nomine valuit Eumelus, vt inter Penates inuocaretur, veluti Athenis Apollinem Patroum commemorat Pausanias in Atticis, & Dianam Patroam, idem in Chorinthiacis post Arati monumentum cum Isthmio Neptuno & Milichio Ioue coniunctam, & veluti in precationibus, θεοὺς πατρῴους inuocatos scribit Xenophon, quos & Histiæus apud Herodotum, θεοὺς τοὺς βασιληίους, iurat. Morem verò Dijs Tribulibus erigendi statuas, ab Atheniensibus conditoribus acceperunt, quos il- *Eumelus inter Deos Penates.* *Apollo Patrous.* *Statua Deorum tribuliũ.*

 lud

lud feciſſe ſolitos docet idem Pauſanias, qui ait ſe Cecropis & Pandionis inter eos à quibus Tribuum ſunt cognomina vidiſſe, & Curias ſuos quaſque Deos priuatim coluiſſe, Mineruæ rem diuinam facientes. Pilas quoque tumulis impoſitas (veluti hæc erat) commemorat cum elogijs, nomen cuiuſque & Curiam teſtantibus. Hunc igitur illum exiſtimant Eumelum, de quo Homerus,

> Οἳ δὲ Φερὰς ἐνέμοντο παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην
> Βοίβην καὶ Γλαφυρὰς, καὶ ἐϋκτιμένην Ἰαωλκὸν
> Τῶν ἦρχ' Ἀδμήτοιο φίλος παῖς ἕνδεκα νηῶν
> Εὔμηλος, τὸν ὑπ' Ἀδμήτοιο τέκε δῖα γυναικῶν
> Ἀλκῆστις ————
>
> *Qui cum Pheras habitarent apud Bœbeidem paludem,*
> *Bœbem, & Glaphyras, & benè ædificatam Iolcum.*
> *His imperabat Admeti dilectus filius vndecim nauibus*
> *Eumelus; hunc ſub Admeto peperit nobiliſſima mulierum*
> *Alceſtes* ————

Parthenopes nobilitas. Quibus verbis nobiliſſimam conditricem extollimus, & nobilitatem Neapolitanam inter Græcos illos adhuc vigere cognoſcimus, quandò inter Aeolidæ & Iolei Dynaſtas habet Aeſonem illum Theſſaliæ Regem, Iaſonem Argonautarum ducem, Amythaonem, Idomeneum, Pherem, Promachum, Polyxenum Elienſium Regem, & quamplures alios illuſtriſſimos viros progenitores, ne Alceſtis quoq. familiã multis modis celebrandam proponamus, quam idem celebrat Homerus.

Alius Eumelus. Multi hunc Eumelum cuius mentio in lapide eſt, alium ab Eumelo Rege faciũt, quippè ſapientiſſimus quidam vir fuit arcanarum rerum ſtudioſus, ex cuius doctrina etiam picturarum imagines prodiere, quem celebrat Philoſtratus. Cùm enim is hoſpicio Neapoli per triẽnium accepiſſet Ariſtodemum ex Caria, cognouit eum doctiſſimè pingentem ad Eumeli ſapientiam; & in eo picturæ genere ſecretiora quædam & abſcondita philoſophiæ lumina, & myſteriorum arcana enituiſſe, videtur aſſerere. Aitq. Ἔγραφε δὲ κατὰ τὴν Εὐμήλου σοφίαν, πολὺ τὸ ἐπίχαρι ἐς αὐτὴν φέρων; *Pingebat enim ad Eumeli ſapientiam, maximam*

Eumeli pictura.

adbi-

adhibens venustatem. Idq. ζωγραφίας genus Neapoli floruisse, idem auctor confirmat, cùm multas tabulas pictas à varijs pictoribus elaboratas quidã collegisset in suburbio quod ad mare vergebat, in porticu quæ ad Fauonium fuerat ædificata, quatuor contabulationibus mare Tyrrhenum respiciente. Ibi Philostratus adolescentibus abditarum rerum curiosis, & eius philosophiæ audiendæ cupidis, multa de Homerico Scamandro, Dæmone, Como, Nilo, Amoribus, Neptuno, Amphione, Phaëtonte, Bosphoro, Semele, Pelope, Pentheo, Tyrrhenis, Olympo ceterisq. quæ ad Neapolitanorum relligionem refero, disceptauit. Philosophiam tamen in picturis ostendi, ipsemet declarat in Fabulis cùm de Aesopo loquitur; φιλοσοφεῖ δὲ ἡ γραφὴ καὶ τὰ τῶν μύθων σώματα; *Philosophatur autem pictura, & circa fabularum corpora*. Quamobrem multa in ipsis Imaginibus doctissimè & sapienter interpretatur. Ad hæc quæ diximus, φροντιστῆ quoque nomen in nostro lapide videtur respicere, nam quod Etrusci anteà & Pelasgi fecerant in Magnorum Deorum sacris, idem Romulus in Republica faciundum iussit. Id tamen prætereà, vt ex vnaquaque tribu Vates vnus sacris interesset, quem Ἱεροσκόπον vocabant. Et omnes Sacerdotes, & Deorum ministros à Curijs eligi, & confirmari ab illis qui Deorum voluntatem per vaticinia interpretantur (quod ab Eumelo factitatum Neapoli in sua tribu affirmo) singulis Deos & Genios assignãs, quos perpetuò colerent, certamq. pecuniam ad sumptus in sacra faciendos constituens; & Curiæ cum Sacerdotibus sacrificia sibi attributa faciebant, & vnà in Curiali domo (quod infrà explicatur) diebus festis epulabantur. Siue is igitur Parthenopis pater Eumelus fuerit (quod vt affirmem illud præcipuè efficit, quòd Deus Patrius effectus est, summi viri & Ducis encomium) siue Eumelidarum Curiæ sacerdos, aut nobilitatem, aut sapientiam Neapolitanorum ostendit, qui etsi in omnibus ingenio præstent, picturarum tamen desiderio se curiosissimos præbent, atque vndique ijs coemendis incumbunt.


Sacerdotes à Curijs eligebãtur.

Parthenopes itaque non Siculi Regis filia est cui cùm ad Baias animi causa diuertisset, ibiq. obijsset, templum fuisse conditum

Parthenopes Coloniam deduxit.

Partenopes Methiocum amat.

tum dictitant; sed Eumeli filia quæ honoris & castitatis amantissima, in Campaniam se contulit, Eubœorum Coloniam duxit, & Neapolitanum solum delegit, quod ipsi admodum gratum, & in delicijs habitum (vt Pontanus loquitur) Columbæ volatum sequutæ. Reconditus locus est apud Dionysij Scho-



liastem qui ad Parthenopis historiam dilucidandã facit. Scribit, Parthenopem Virginitatis amantem, nunquam procorum petulantiæ voluisse assentiri. Cùm deindè Methiochi Phrygij amore capta esset, comam sibi resecasse dedecoris pœnitentẽ, & indè profectam petijsse Campaniam; Παρτενόπη πολλοῖς ἀνδράσιν ἐπιβουλευθεῖσα, καὶ τὴν παρθενίαν φυλάξασα, εἶτα Μηθιόχου Φρυγὸς ἐργασθεῖσα τάς τρίχας ἔτεμεν, ἀκοσμίαν ἑαυτῆς καταψηφιζομένη, καὶ εἰς Καμπανοὺς ἐλθοῦσα ᾤκησε. Ad eius aduentum significandum Apollinis statuã cum columba in humero à Neapolitanis cultam scribit Alexander ab Alexandro, veluti & Parthenopolim Theogenes in Macedonicis cõmemorat à Virginibus Cerasti filiabus memorabili castitate puellis. Quod si Neapolim Cumani ædificarunt, Parthenopi tamen vrbis initia tribuuntur, quæ parua deducta Colonia, & sepulcro, ad augu-

Apollinis statua Neapoli.

Lib. 6.

stiorem

ſtiorem ciuitatem ædificandam, addito Oraculi monitu, incitauit. Qui meretricij nominis notam Parthenopi inurunt, erubeſcant encomio quo eam laudat Dionyſius,

Parthenopes encomium.

—— Καμπανῶν λιπαρὸν πέδον ἤχι μέλαθρον
Αγνῆς Παρθενόπης ϛαχύων βεβριθὸς ἀμάλλαις,
Παρθενόπης ἣν πόντος ἑοῖς ὑπεδέξατο κόλποις;
—— *Campanorum pingue ſolum, vbi domicilium*
Caſtæ Parthenopis, ſpicarum onuſtum manipulis;
Parthenopes quam pontus ſuis ſuſcepit finibus.

Et qui Parthenopem Circis ſociam conſtituere, meminerint nihil Sarmatiam vndè Circes diſceſſerat, cum Eubœa commune habere. Suidas Parthenopis ſtatuam Neapoli celebrat; ἐν ᾗ Παρθενόπης ἵδρυται Σειρῆνος ἄγαλμα; *In qua Sirenis ſtatua poſita eſt.* Eam profectò noſtra ætate ad D. Stephani poſitam Periſanus Ribera Regni Vicarius, cũ plurimis antiquitatis monumentis tranſtulit. Eius ſimulacrum tanta animorum propenſione Neapolitani amplectuntur, vt caput marmoreum prægrande ad D. Eligij conſtitutum (& ſi cuius ſit ignoretur,) caput Parthenopis appellet vulgus, & cuſtodiat. In denarijs æreis argenteiſq. varijs modis eius caput cum Hebone depictum cernimus, quos in Religione retulimus.

Parthenopes non Circis ſocia.

Sepulcrum.

Lycophron ad Parthenopis tumulum Neapolitanos faces ferre ſolitos ſcribit, & Diotimum Athenienſium præfectum Neapolim ad Patthenopis oraculum veniſſe, & in eius rei memoriam Græcorũ ludum Lampadodronicum celebraſſe vt ſuo loco dicemus. Pontanus hæc de tumulo; *Tametſi quæ de Sirenibus dicuntur pleraque habeantur fabuloſa, proditum tamen eſt memoriæ. atque ità hominum opinio tenuit, vnius ex eis conditum ſepulcrum editiore in colle ad vltimum maris ſinum, dediſſe colli nomen, vocatumq. illum ex eo Parthenopem, quod nomen poſt fuit etiam vrbis eius quæ nunc eſt Neapolis.* Idẽq. alibi; *Itaque ſepulcrum ipſum indicio eſt Parthenopem colli imperitaſſe, qui ſubiectæ imminebat ſtationi, atque ad ſinus ipſius caput,*

Tumulus Parthenopis, & Oraculum.

Lib. 6. de bello Neap.

eq.

eq'. regione Surrentum spectabat, quæ Sirenum ipsarum sedes tunc esset. Quem ad locum quod naues quasi in quendam portum applicarent, collis ipse frequens erat habitatoribus atque ab accolis & nautis celebratus, isq. obliterato priori nomine, post matronæ memoriam, atque ab eius sepulcro, Parthenope agnominatus. De eo colle Pontanus loquitur qui editior adhuc est in vrbe, cui Montis nomen reliquum est, & locus ipse in quo sedile cernitur Montis vtitur insigni. Ibi tutelares Dij erant collocati, Parthenope scilicet, Castorq. & Pollux, ceteriq. in quo Theatrum, Circus, Forum. Idcircò Papinius,

Mons, Neapoli.

Exere semirutos subito de puluere vultus
Parthenope crinemq. afflato Monte, sepulti
Pone super tumulos, & magni funus alumni,

sic deplorabat patris mortem; & innuit cum Theatri Neapolitani ruina quod terræ motu fuerat concussum, Parthenopes etiam sepulcrum in eodem monte corruisse; hortatur enim vt semirutos vultus excitet de puluere subito, quandò terræmotus ædificia quæ circùm erant, subitò deturbauit. Atque ità de opinione decedant, qui arbitrati sunt, collem editiorem eum esse in quo D. Ioannis templum ædificatum est, cùm eo tempore is locus marini tantùm littoris rupes esset, cui collis immnebat, veluti etiam hodiè mons imminet, semper enim indè accliuem ascensum experimur. Nec quoniam in eius templi æde in tabula marmorea legimus, PARTHENOPE TEGE, FAVSTE, lapidem ex Parthenopis sepulcro, & sppulcrum ibidem constitutum fuisse dicemus, pueros enim nos esse omnes arbitrarentur, cum ea verba neoterica sint, & simplici dicendi genere Parthenopem, pro ipsa Neapoli ea inscriptione explicatam cognoscamus, Diuoq. Ioanni commendatam.

PAR-

PARTHENOPE. PALAEPOLIS. Neapolis. Cap. VII.



RIA hæc vrbs, nomina sortita est, quæ temporum vicissitudo mutauit, Parthenopem, Palæpolim, Neapolim. Parthenope à prima cōditrice dicta est, quod nomen deindè semper poëtis fuit peculiare, & quod ab Augusto in Neapolim est commutatum vt ex Solino suprà notauimus, quod quidem obsoleuerat, nam cum primùm denuò à Cumanis exædificari cœpta est qui anteà Parthenopem amplificauerant, Neapolis est appellata. Sed Palæpolis nomē sæpiùs me in dubium reuocauit, nulla enim apud Geographos eius vrbis mentio facta est. Apud Stephanum qui accuratè vrbes describere conatus est, non reperitur, & ferè similes describit Παλικὴν πόλιν Σικελίας, &, Παλλήνην Θράκης. A Suida non commemoratur. A nullo prætereà obseruatur indice, licet in suo Thesauro collocauerit Abramus Ortelius, cùm à nostris scriptoribus deprompserit. Est tamen Παλαιὰ πόλις Straboni notissima, Emporiensium ciuitas quam olim Massilienses habitarunt, Οἱ Ἐμπορῖται πρότερον νησίον τι προκείμενον ᾤκουν, ὃ νῦν καλεῖται, Παλαιὰ πόλις. Idcircò, quamuis apud Græcos πάλαι olim significet (dicitur aliquandò de eo quod paulò antè factū est, pro ἄρτι, vt notat Budæus ex Xonophontis auctoritate) & παλαιὸς nihilominus, veterem significat, non Palæpolim, sed Palæopolim aliqui dicendam condendunt. Quid verò illud Græcæ loquutioni obstat? non ne ex Papho, Palæpaphum dicimus, quēadmodum Νεάπολιν, & Νέαν πόλιν? Vnum habemus, nostræ Palæpolis auctorem Liuium, qui scribit illud oppidum haud procul indè vbi Neapolis nunc est, fuisse, & eundem populum duabus vrbibus habitasse, & contrà Palæpolitanos à Romanis bellum esse gestum anno ab V.C. 427. L. Cornelio Lentulo, & Q. Publio Philone Coss. qui inita cum Romanis pace,

Palæpolis.

Dec 1. lib. 8 Liuius tantū Palepolim nominat.

F omnes

omnes vno nomine Neapolitani dicti sunt. Duas ergò has vrbes fateamur necesse est, si Liuio fides sit adhibenda.

Quæstio inter nostros de situ Palæpolitano est. Pontanus, sub Hermite monte in eo littore vbi nunc Arx noua cernitur, Palæpolim collocare videtur, ait enim; *Quod autem ab eo loco quadringentis fermè passibus Oppidulum aberat secundum littus, ac sub monte ad meridiem positum, cui Græca nomen esset appellatione Palæpolis, vbiq. breuitate sua habitatores non caperet, crescente iam multitudine, quo habitandi laxior ferebat cōmoditas, multi eò continuò immigrabant ob diuersandi amplitudinem. Quocircà augescente in dies nouo oppido, nouo paulatim nomine, & ab ipsis incolis, & ab nauigantibus, vocari pro Parthenope, Neapolis cœpta est.* Quibus verbis necio quo pacto Parthenopem, Palæpolim, Neapolim confundit, vt eodem in loco semper eas vrbes fuisse videatur innuere. Nec alium montem quam Hermitem intellexisse qui Palepoli ad Arcem nouam immineret, alibi declarat; *Post ipsam verò Palæpolim, in qua nunc Arx cum adiectis hortis, postq. montem qui Palæpoli imminet, promontorium protenditur ad meridiem, quod à delicijs sortitum nomen est Pausilypum.* Quæ summi viri auctoritas, qui longè aliam ciuitatis formam ab ea quam nostra ætate cernimus, sua ætate vidit, efficeret vt crederem in ea Arcis regione positam fuisse Palæpolim, cùm præcipuè multæ antiquorum ædificiorum relliquiæ terræ aggeribus obrutæ sub nouis ædificijs & via quæ ad Palatium ducit esse sciamus. Sed Liuij historiam legens, ab ea prorsus opinione deducor, & cogor vt mihi persuadeam Palæpolim nullo pacto ibi esse potuisse. Nam si Romanus exercitus inter Neapolim & Palæpolim loco opportunè capto diremerat hostibus (vt is auctor scribit) societatem auxilij mutui quo vt quisque locus præmeretur, inter se vsi fuerant; quo pacto Palæpolim Nolani & Samnites introduci potuissent, si medius Romanus exercitus aditum non permisisset, cùm ex orientali Nolana plaga, in occidentalem, vel meridionalem, vt cum Pontano loquamur, Palæpolitanum iter facere Nolani, & Samnites debuissent? Prætereà ad littus ea

Lib.6. de bello Neap.

Palepolis vbi posita.

Mons Hermis.

Romanus exercitus Neapoli.

Nolani & Samnites.

vrbs

vrbs posita fuisset, si quis in ea Arcis regione collocet. Et tamen à littore abfuisse Palæpolim eo præcipuo vtor argumento, quòd cùm Nymphius Prætorem Samnitium decepisset, vt sineret se classe circumuehi ad Romanum agrum, quòd omnis Romanus exercitus esset circà Palæpolim, omnem Samnitium iuuentutem ad littus misit Prætor; tunc Charilaus ex altera vrbis parte introducto Romano milite, clamorem tolli iussit, quo sublato, Nolani per auersam portam, via Nolam ferente, effugerunt. Quòd si propè littus Palæpolis fuisset, clamorem facilè Samnites exaudientes, in vrbem illicò se recipere potuissent. Tantum abest, vt quoniam in ora maritima, quæ Plaga dicitur, ædificando subterraneæ parietinæ inueniantur, veluti concamerationes lateritias ipse vidi ex quibus Vas vitreum fractum seruo, & lapidem cum hac inscriptione *Nymphius.* *Charilaus.*

C. IVLIVS. HYPOPTVS
C. IVLIVS. NARCISSVS
NIGRI. LIB. DE. SVA. P
FECERVNT. SIBI. ET. SVIS

in eadem ora Palæpolim fuisse existimandum sit; quam opinionem aliqui cum Pausilypanis propè ædificijs confirmabant.

Aliqui in ijs locis asserunt fuisse, in quibus hoc tempore serici operis mercimoniæ venduntur, & in quibus pelliones habitant, vbi dum putei aliquot sunt effossi, ex marmore murorum ordines, ruinæ quamplurimæ, repertæ sunt. Quæ tamen Gotthorum, & Sarracenorum ædificia multi arbitrati sunt, & Iudæorum, quorum vestigia substructionum insanis molibus, & maris gurgitibus oppressa cernuntur, quemadmodum contrà alijs locis mare etiam longiùs discessisse videmus. Idq. confirmare conantur, cum Gotthis inscriptionibus ibidem repertis. Quos toto cœlo errare dixerim, propterea quòd, nec barbarorum tanta in ædificijs diligētia fuit, vt nobilissimos lapides perquirerent, quales Græci luxus amatores perquirebant, & quales indè erutos vidimus quibus non multos abhinc annos Regiæ sacræ ædis porta in Palatio ornata est; nec à Gotthis, & *Pelliones.*

 Sarra-

Castrum aureum. Sarracenis ad hæc nostra tempora adeò profundè obstructa esse ædificia possent; & iam reliquum Aureum Castrum est in Iudæorum compitis,& Turris quam Derumatam nominat inuentarium monachorum S. Benedicti qui monasterium S. Seuerini incolunt,barbarorum opus. Et ad littus quoque ciuitas fuisset,ad ea enim vsque loca mare effluebat. Neapolis igitur pars.

Turris Derumata.

Palæpolis in via Nolana. Ambrosius Nolanus, Palæpolim tribus millibus passuum mari proximam describit, & monti Vesuuio, in ipsa via quæ Neapoli Nolam ducit. Multa in ijs locis quidem subruta ædificiorum fragmenta, multa quoque Græca sepulcrorum epigrammata. Inter cetera,

D. SERVILI. D. L. APOLLONI
MEDICI. SERVILIA. D. L.
AMBROSIA. FECIT. PATRONO
SVO. ET. SIBI. ET. SVIS.

ΩΔ. ΕΠΑΦΟΥ. ΓΕΝΝΗΜΑ. ΣΟΦΟΙΣ. ΕΠΕΙΚΕΛΟΣ. ΑΝΗΡ.
ΚΕΙΜΑΙ. ΡΩΜΑΙΩΝ. ΣΠΕΡΜΑ. ΠΟΛΥΚΤΕΑΝΩΝ
ΚΛΗΤΟΜΕΝΟΣ. ΔΕΚΜΟΣ. ΣΕΡΟΥΙΛΙΟΣ. ΕΙΒ. ΕΤΗ, ΕΛΟΩΝ
ΕΝΝΕΑ. ΠΟΥ. ΔΕΚΑΔΩΝ. ΚΑΙ. ΤΡΙΑ. ΩΣ. ΕΛΕΓΟΝ.

item,

Σταὶ ξένε τάνδ' ἄθρησον ἐπίσαμαι Κλεοπάτραν
Α'ν φθόνος εἰς ἀίδαν οὐ χρόνος ἠγάγετο.
Μορφαῖ ἁ πρωτεῖον ἔχειν δωρήσατο Κύπρις
Ε'ργα δ' Ἀθαναία τερπνὰ σαοφροσύνας.
Μοῦσα δὲ καὶ σοφίαν, καὶ πακτίδα ταν φιλέραστον
Συμφωνίαν ἐρατοῖς μειξαμένα μέλεσιν
Καὶ γνοὺς ὡς θανάτοιο οὐδὲν γλυκερώτερον αὐγᾶς
Ζῆθι καλὸν τείνας οὔριον εὐφροσύναν.

Εἰ καὶ σοῦ κεύθει κάλλος νέον ὦ Κλεοπάτρα
Τύμβος, καὶ φροῦδον σῶμα λέλογχε κόνις
Ἀλλ' ἀρετὰ βϊοτᾶς αἰὲν ζωοῖσι μέτεστι
Ψυχᾶς μανύουσ' εὐκλέα Σωφροσύνην.

Stans

Stans hospes hanc aspice, scio, Cleopatram
Quam inuidia ad inferos, non tempus duxit.
Pulcritudinis primas habere dedit Venus,
Opera autem Minerua iucunda prudentiæ.
Musa autem & sapientiam, & tibiam valdè optatam
Symphoniæ optatis miscens cantibus.
Et cognoscens quod morte nihil dulcius splendore,
Viue bonum tendens ventum secundum prudentiam
Quamuis & tuā abscōdat rectè pulcritudinē ò Cleoplatra
Sepulcrum, & corruptibile corpus sortita est puluis,
Virtus tamen vita semper cum viuis participans,
Animi indicat gloriosam prudentiam.

Quid in ea antiquitate nobilius? quid Græca suauitate dulcius? Non erant profectò duo hæc præclara monumenta prætermittenda. Canis in ea re venaticus efficior vt antiquitatis studiosos aliqua ex parte iuuare possim. Sunt itaque in ijs locis multa, quæ Palæpolim possent ostendere. Leander Albertus, ad Aquas Regias collocat; sed quæ ibi vnquam antiquitatis vestigia reperta sunt? Multi ad eam regionem Neapoli, quæ Crypta D. Martini dicitur vbi quamplurimæ ruinæ supersunt, sed cùm dixerit Liuius, *Haud procul abesse*, non, *Proximam.* Neapolim quoque eam partem iudico. Quod si ibi fuisset Palæpolis, & Romanus exercitus inter Palæpolim & Neapolim locum occupasset, vt mutuum auxilium dirimeret, tanta erat vicinitas, vt in eadem vrbe fuisse videretur. Nolano idcircò assentirer.

Aliorum opinio de Palæpoli.

Illud assererem, non oppidulum Palæpolim fuisse, vt vocat Pontanus, sed vrbem, vt Liuius nominat. Quam valuisse viribus indè scimus, quòd multa hostilia aduersus Romanos, agrū Campanum, Falernumq. incolentes gesserit, quo circà & auctoritate Patrum bellum Palæpolitanis fuit indictum. Neque in oppidulo præter ciues, duo millia Nolanorum, & quatuor Samnitium recipi potuissent. Neque tanta auctoritate Charilaus de oppidulo loquutus fuisset; *Quod bonum, faustum, felix Palæpolitanis, populoq. Romano*, tradere se ait mœnia statuisse.

Palæpolis vrbs, non oppidulum.

Lib. 8. Dec.

Et

Romani cum Palæpolitanis pugnabāt.

Et belli summa cum Palæpolitanis gerebatur, magisq. metuenda videbatur Romanis Palæpolis, quàm Neapolis, cùm circà Palæpolim esset exercitus. Videbatur præterea Neapolitanorum Palæpolitanos fuisse præsidium, quippe Tarentini cùm rem Neapolitanam vana spe auxilij aliquandiù sustinuissent, postquàm Romanos vrbe potitos accepere, veluti destituti increparunt Palæpolitanos, qui post eam calamitatem Neapolim se cōtulere, & omnes dicti Neapolitani (eò enim summa rei Græcorum venit, vt ait Liuius) & Neapolitanum fœdus effecit vt ij in Romanorum amicitiam redierint. Apud Polybium Neapolis atque Palæpolis Panhormo adscribuntur. Et apud Plutarchum in Marcello, Syracusis pars Achradine est, eiusq. vna pars Neapolis, altera Tyche dicitur. Quæ omnia ostendunt Palæpolim non esse Parthenopem, neque ideò Neapolim appellatam nouam ciuitatem, quòd eandem veterem Palæpolim instaurauerint; sed Palæpolim alibi quàm Neapolis siue Parthenope, & Neapolim post Palæpolim fuisse ædificatam, quod vetus nomen declarat, & Liuij verba ostendunt, qui scribit Palæpolitanos Cumis fuisse oriundos, quos tamen à Romanis victos, & Neapolitanis coniunctos vno acquisito nomine, veterem vrbem deseruisse mihi persuadeo & Neapoli habitasse.

Palæpolitani quando dicti Neapolitani.

Lib. 5.

Palæpolis pars Panhormi.

Neapolis situs.

Lib. 6. de bello Neap.

Sed Neapolis situm, sic describit Pontanus; *Sed redeamus iam Neapolitana ad mœnia omnium illa tempestate magnificentissima, qua quidem tempestate mare quod illic curuari sensim incipiebat in sinum, radices allidebat collis*. Et paulò post; *Ipsius quoque ad collis ima fontes tùm manabant scatebrosis sub rupibus, qui nunc etsi paucioribus locis, in ipsa tamen maris oræ subter ædificia defluentes scaturiunt*. Quapropter mirum illud videri non debet, si nostra ætate aquarum scaturigines passim ad littora summo cum ciuitatis commodo perennes erumpant. Et collis ipse ad mare impositus, rupibus in mediterraneis insurgebat obnoxius, vallibus vndique præterquàm ad mare cingentibus. Circumducta erant mœnia, quæ haud prompta visa sunt Annibali oppugnanti. Ne tamen aliquem fallant Pontani verba, quibus crederent murorum relliquias ad D. Patriciæ quæ

Aquarū scaturigines.

extant,

extant, eas esse quæ Annibalis oppugnationi prompta visa non sunt; illud præcipuè propono, duplicem illam molem tam crassa materia exstructam, non moenia (scimus enim quo pacto, quòue ordine Græcarum ciuitatum moenia exædificarentur) sed templi, aut stadij, aut alicuius eius generis ædificij partem esse reliquam, cum omnia ciuitatis Sacra ibi continerentur. Procopius muros Neapolitanos partim ad mare fuisse, partim in continenti, & locis difficilioribus ad quos nemo adire poterat propter accliuitatem scribit; eaq. accliuitas rupium moenia haud prompta oppugnanti efficiebat. Valles nunc maximo ædificiorum numero complanatæ, & habitationum frequentia refertæ, atque illustratæ. Portus nominis ad rupium maritimarum radices memoriam seruat cymba, quam figulis annis nobiles in ea regione comburunt, cùm mare longiùs recesserit. Ormum, regionem dicunt, non Vlmum ab vlmo quod vulgo placet, sed ἀπὸ τῦ ὅρμυ, Ormum enim Græci portū appellant, quam vocem iner alias Græcas custodit, quibus frequentissimis vtitur. Paruum sanè tunc oppidum, exiguo continebatur ambitu si cum eo, quo nunc cingitur, aliquis voluerit metiri. Ad Boream nulla erant suburbia, sed viarū potius cuniculi, & anfractus, quibus Neapolim insidiosè Annibal petijt. Ad oriētem, Cathedralis non excedebat Ecclesiæ terminos; sed si Palæpolim ad viam constituerimus Nolanam, parietinæ, quæ præter hæc loca ad D. Magdalenæ cernuntur, Neapolim quoq; cōstituebant. Ad occidentem, ea pars quæ ad Hermitem montem protenditur, nulla inerat. Ad meridiem, à Portus statione ad molem maximo ædium numero ciuitas aucta est; vt oppidū, quod ad duorum millium passuum spatio ambiebatur, ad duodecim cum suburbijs, & eo amplius hac tempestate contineatur. Exprobrarunt siquidem Belisario obsidionem paranti Neapolitani, non decere magnum Ducem, cum numeroso exercitu, paruam vrbem inuadere; Romam priùs ipsi fore recuperandam.

Muri ad D. Patriciæ.

Muri Neapolitani.

Lib. 1.

Portus & Ormi regio.

Neapolitanæ vrbis ambitus.

DE

DE VARIO NEAPOLITANORVM *Reipublicæ ſtatu.* Cap. VIII.



ROPOSITO Neapolitanæ vrbis ædificio, & Grecorum in eam regionem aduentu, Reipublicæ nunc ſtatus proponendus eſt qui ex Cumana Republica elicitur, quoniam huiuſmodi eam cõſtituiſſe Cumanos conditores liquet, vt ad Athenienſem optimè conſtitutam (quoad fieri poterat) accederent, cuius amplitudo elucebat omnibus in locis ad quæ Græci Colonias ducturi appellerent. In ea tamen ora, Cumæ, Dicæarchia, Neapolis, Herculanium, Surrentum, quarum ciuitatum Reſpublicæ multis antiquis in lapidibus continentur.

Reipublicæ Neapolitanæ forma, Vt verò Neapolitanæ Reipublicæ formam dignoſcamus(qui enim Romanorum Rempublicam eodem tempore norunt, quid ab ea Græcorum vicinæ Reſpublicæ differrent, noſcere cupiũt) ad Platonem accedendum eſt, cuius non illius Reip. methodũ in medium afferamus, in quo nihil mali eſt, nihilq. prætereà adminiſtrationis ratione, temporum æqualitate, ciuium moribus deſiderari poteſt; ſed rectas in ſuo genere illas adminiſtrationes, *Tria adminiſtrationum genera.* Monarchiam, Ariſtocratiam, Politiam, quo vltimo nomine popularem adminiſtrationem notabat; in quibus tamen omnibus plurima peccata recenſentur, quas μεταβολὰς τῆς ὀρθῆς πολιτείας, dicimus. Sed Politiarum τρόπους enumerans, bifariã diuidit; ità verò vt tres formæ indè oriantur. Vel enim vnum, vel plures, imperare dicit. Si vnus, Monarchia, vel Regnum erit; ſi plures, vel Optimates erunt, & Ariſtocratiam conſtituent; vel Populus, & appellatur Politia. Aque huiuſmodi præceptoris doctrinam elucidauit Ariſtoteles, qui etiam vt vitia oſtendat, Regno Tyrannidem, Ariſtocratiæ Oligarchiam; Populari dominationi, vel Politiæ, Democratiam opponit, quo nomine Ochlocratia ab vtroque intelligitur; licet Plato quatuor

tuor ἡμαρτημένον πολιτειῶν formas ſtatuat, τιμοκρατίαν, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, τυραννίδα. Ad primam formam, veluti honorariam, Cretenſem, & Laconicam deducit gubernationem. Secundam, plurimis malis plenam affirmat; tertiam, Popularem exceſſum intelligit, veluti, & Ariſtoteles intelligit Politiam; quartam, vltimum Reip. malum appellat.

At cùm aliam Remp. commemoret, in qua minores Potentatus, & venalia quædam Regna, quæ ſupremo cuidam imperio ſint vectigalia, quarum non pauciores inter barbaras, & Græcas reperiri ſcilicet, & ὠνητὰς appellat βασιλείας, vt in Regnis, Ducatus, Comitatus, & huiuſmodi; quænam de Neapolitana Republica dicemus? Ea profectò quæ ipſe met Plato explicat, ità ſcilicet comparatas res humanas eſſe, vt nuſquam pura & genuina conſtet rectæ gubernationis forma, ſed vbique fiat in deterius commutatio, vt in omni adminiſtrationis genere vanitas dignoſcatur. Eam profectò primo loco optimè conſtitutam fuiſſe arbitror, & optimum appello quod Græcis Rebuſpublicis conueniebat; quas Polybius Lacedæmoniorum, Cretenſium, Mantineorum, Carchedoniorum, numerat, quibuſcum Athenienſium, & Thebaeorum immiſcet. Quas verò nec competenti augmento, nec ſtabili vigore potitas, rerum moderationes non eſſe ſortitas ſcribit, ſed quaſi noua quadam fortuna illuſtres eſſe factas, & cùm proſperè vigere viderentur, contrariam eſſe mutationem expertas. Habemus Neapolitanæ Reip. varietates, quas mox explicabo. Neſcimus an alicuius virtute illuſtris facta fuerit. Si enim Thebanorum ſtatus proſperè ſtetit, Epaminondas, & Pelopidis virtuti tribuamus neceſse eſt. Si Athenienſium laudatiſsimus, omnem laudem Themiſtocles attulit; quorum hominum tamen naturæ inæqualitas, contrariæ mutationis experientiam protulit? Hanc Neapolitanæ Reipublicæ varietatem temporum attulit mutatio, non hominum natura, quandò nullum eorum qui ibi floruerint habemus monumentum. Omnium verò ſtatuum formam habuiſſe id declarat, quod Regnū in ea fuerit Archonticum, & βασιλεὺς quoque princeps Sena-

Reſpublica in qua minores ſunt Potentatus.

Lib. 8. de Rep.

Lib 6. Rerum publicarum varietates.

Neapolitana Reſpublica omnes formas habuit.

tùs erat. Cum Archontibus, Optimates intelliguntur; & cum his administratio Popularis, Demarchorum, quos in Politia Platonis eiusmodi statuo, vt nisi excessum fecerint popularem, vnius nihilominus Reipublicæ corpus diuisisse appareat. Omissis verò his omnibus, eius Reipublicæ quatuor tempora consideremus.

Primus Neapolitanæ Reipublicæ status. Primum illud est quo Cumani ab Chalcide Euboica originem ducentes classe aduecti (vt ait Liuius) multum in ora maris quod accolebant, potuere, primò in insulas Aenariam & Prochytam egressi (Aenaria Pithecusæ à Pithecusaeis populis à Strabone commemoratis, non à Simijs, aut figulis dicta) deindè in continentem sedes transferentes, in quibus suis moribus, suisq. vsi ritibus Græcanicam illam viuendi rationem instituere, quam ex suis sedibus traduxerant. Id quidem tempus, vel ob ciuitatis calamitates, vel ob scriptorũ inopiam, prorsus ignoramus. Quis ergò quæ in ea gesta fuerint ex tanta antiquitate poterit eruere? Magistratus sese nobis offerũt. Archonticã enim, & Democraticam administrationem habemus, quibuscum alios quoque Magistratus qui in Atheniensi Rep. floruere, fuisse coniunctos non vereor, nam in ijsdem monumentis quæ pauca supersunt, Dioecaetas, Agaronomicos, Phrontistas, Στρατηγοὺς legimus, qui antiquæ illius Reipublicæ munera redolent. Atque hunc statum liberum censeo, & nulli seruituti peruium, sed qui suis continebatur finibus, extrà sui nominis limites non procurrens.

Magistratus Neapolitani.

Fœderata Respublica.

Secundus status. Secundum tempus turbationibus vexatum, seruituti additũ anno ab V.C. 237. reperio. Cùm enim iàm Græci à Samnitibus & Tarentinis (Rheginos addo) quibuscum inita erat societas, contrà Romanos sollicitarentur, veluti Priuernates quoque, Fundani, & Formiani, Romanorum in se odium concitarunt, atque ità vt misso Consule cum exercitu, duas vrbes *Lib. 8 Dec. 1.* Palæpolim atque Neapolim Romani subiugauerint. Hoc verò amissæ libertatis vulnus, fœdus aliqua ex parte sanasse visum

ſum eſt. Ideoq. Liuius; *Tum fœdus Neapolitanum (eò enim deindè ſumma rei Græcorum venit) ſimilius vero facit ipſos in amicitiam rediſſe.* Erant Neapolitani fœderati fœdere Italico, vt & Rempublicam, & Magiſtratus,& leges ſuas,& amicitiam Romanorum retinerent. Ceterùm in fœderata oppida Romanos exilij cauſa ſolum vertere ſolitos, vt in liberas ciuitates ſe contuliſſe ſcribit Polybius, inter quas Tyburem, Præneſtem, Neapolim numerat. Sed Neapolitanis & Palæſtinenſibus poſterioribus temporibus ius ciuitatis à Seuero fuiſſe ſublatum quòd contrà eum in armis fuiſſent, ſcribit Spartianus. Etſi nõ in oppida fœderata tantùm ſeceſſiſſe, ſcribat Sigonius, ſed ſæpe in Colonias etiam Latinas iure donatas, quippè quæ longiùs à ciuium Romanorum iure abeſſent quàm Romanæ. Fœdere dixi Italico, nam alia oppida fœderata erant iure Latij, vt Tybur, & Præneſte; iure Italico, vt Neapolis, Velia, Heraclea; iure Gallico, vt Rauenna. Addunt Iuriſconſulti iuri Italico Heliopolitanam Coloniam à D.Seuero inſtitutam,ab eodem Tyriam in Syria fœderis Romani tenaciſſimam, Laodicenam, Napocenſem, Apulenſem, Patauienſem; Emiſenam, ab Antonino; Zernenſium, à Traiano; adde Pacenſem, Emeritenſem, in Luſitania; Barcinonenſem; Lugdunenſem, Narbonenſem in Gallia; Carthaginem, Leptim, Vticam in Africa; & alias quæ inter barbaras gentes ius Italicum ſunt adeptæ. Et fuiſſe in eo fœdere Neapolitanam Rempublicam Romanis obſtrictam, Polybius oſtendit, qui ſcribit, Romanos maritimarum rerum tunc prorſus ignaros, & qui nullam nauigandi peritiam antè eum diem habuerint quo cum Carthaginenſibus pugnarunt, quapropter audaciæ vitio illos notat, vſos eſſe xl. nauibus Tarentinorum, Locrenſium, & Neapolitanorum, præter triremes, dùm ipſi ne lembum quidem vllum haberent; & ad quinqueremis poſteà exemplar quæ Carthaginenſium erat, & caſu fracta ad eorum manus peruenerat, claſſem ædificaſſent, & in arena artem nauigandi eſſent edocti, dùm in tranſtris ſedentes brachia protendere ac reducere, tùm remos per arenam mouere hortatoris voce qui in medio eſſet, didiciſſent.

Neapolitani fœderati fœdere Italico.

In Seuero.

Foedus Latium & Gallium.

Coloniæ iure Italico.

Lib. 1.

Neapolitani nauibus iuuant Romanos.

Quod aliquid gloriæ Neapolitanis attulit, maritimæ classis parandæ antequàm Romani parare scissent, expertibus. Liuius ea de causa Neapolitanos ab ijdem Romanis fuisse vexatos asserit, qui Minionem loquentem inducit in Sulpicij, & Villij aduentu contrà Antiochum Syriæ Regem à quo complures Græcorum vrbes occupatæ fuerant, & dicentem; *Specioso titulo Romanos vti Græcarum ciuitatum liberandarum, facta tamen orationi non conuenire, & aliud Antiocho iuris statuere, alio ipsos vti; Qui enim magis Smyrnaei, Lampsaceniq. Græci sunt, quà Neapolitani, & Rhegini, & Tarentini, à quibus stipendium, à quibus naues ex fœdere exigitis?* Quod fœdus armorum iure fuisse acquisitum, idq. ad eam spectare ætatem qua à Charylao & Nymphio Neapolitanæ vrbis deditio Romanis facta est, verba quæ sequuntur, declarant; *Cur Syracusas, atque in alias Siciliæ Græcas vrbes Prætorem quotannis cum imperio, & virgis, & securibus mittitis? nihil aliud profectò dicatis, quàm armis superatis vos ijs has leges imposuisse.* Sed imperium ab eo tempore quo in eorum potestatem Neapolitani deducti fuerant, huiusmodi explicat Sulpicius Minioni respondens; *Ab Rheginis & Neapolitanis, & Tarentinis ex quo in nostram venerent potestatem, vno & perpetuo tenore iuris semper vsurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent exigimus.* Addidit quoque hos populos non per se, non per alium quemquam fœdus mutasse, veluti Asiæ ciuitates, vt semel venerunt in maiorum Antiochi potestatem, non in perpetua eius possessione permansisse, quandò aliæ in Philippi, aliæ, n Ptolemæi fuerint manibus, aliæ, per multos annos libertatem vsurpauerint. Et Iunius Syllanus Romanus Præfectus Neapolim tenebat cùm Annibal eam obsidere tentasset. Quo etiam victore ad Cannas anno ab V. C. 537. M. Attilio, & Gemino Seruilio Musitano Coss. calamitoso Romanæ Reip. tempore, xl. aureas pateras Neapolitani ad Romanos miserunt, si quid fortè subsidij ex ijs essent accepturi, tantum abest, vt aut metu perterriti, aut pacis conditione allecti ad Annibalem deficere, & ius fœderis violare voluerint. Romanorum

Dec. 4. lib. 4.

Ius fœderis ex armis.

Iunius Syllanus Neapoli Præfectus.

Aureæ pateræ Neapolitanorum ad Annibalem.

norum quoque animi magnitudo in eo munere elucet, qui preter fœdus quod exigerent, socios non afficiendos molestia statuerunt, vna solum patera accepta; & socios in ea legati one appellarunt; *Vt dicerent, scire se Romani populi aerarium bello exhauriri; & cùm iuxtà pro viribus agrisq. sociorum, atque pro capite & arce Italiæ vrbe Romana atque Imperio geratur*, &c. Cuius societatis causa id quod auri ad subsidium fortunæ à maioribus relictum foret, iuuare posse populum Romanum sibi persuaserant. Apud Polybium eo bello Cannensi, Neapolitana Arx ab Annibale fuit occupata, antequàm signa conferrent, frumento & omni commeatus genere munitissima, in quam Romani ex Canusio, alijsq. circùm locis frumenti copiam reposuerant, qua deindè ad quotidianos castrorum vsus vterentur. Adepta victoria, Magnam Græciam, Neapolimq. in deditionem accepit. Quæ Liuio contradicunt, qui nunquam Neapolim ab ipso captam affirmat. *Lib. 3.*

Municipium.

Licet Municipem natiuitate, manumissione, & adoptione describat Vlpianus, & muneris participem sic appellari dicat receptum in ciuitate, vt munera nobiscum faceret, & abusiuè dici Municipem subiungat suæ cuiusque ciuem patriæ, vt Cāpanum, Puteolanum, atque ità si quis Campanis parentibus ortus fuerit, Campanus est; si ex patre Campano, ex matre Puteolana, æque Municeps Campanus dicitur, nisi fortè aliquo priuilegio maternæ originis erit Municeps, veluti Iliensibus, Delphicis, Ponticis est concessum; & manumissos, & adoptatos, adoptatoris & patroni originem sequi; & incolas esse Municipes voluntarios qui in ciuitatem aliquam, vel eius fines domicilium contulerunt; dicam tamen fœderatione factum esse, vt huiusmodi oppida Municipia dicerentur, quæ proprijs legibus viuere permittebantur, quo nomine à Cicerone Neapolis fuit appellata, ideoque Municipij nomen nihil Reipublicæ oberat, sic enim in Romano lapide. *Municipes qui dicantur.* *Municipia ex fœderatione.*

AVGV-

AVGVSTALIBVS. MVNICIPI. CAERITVM
LOCO. ACCEPTO. A. REP. SVA. IMPENSA
OMNI. EXORNATVM. DONO. DEDISSE

Fundi populi qui dicerentur. *Neapolitanorum, & Heracliensiũ contentio.*

Quin etiam cùm lege Iulia socijs, & Latinis ciuitas data esset (anteà enim, vt Cicero loquitur oratione pro Balbo, *Qui fundi facti non essent, ciuitatem non habebant*; & fundus erat factus populus qui legibus Romanis vteretur) magna Neapolitanorum & Heracliensium contentio fuit, cùm magna pars in ijs ciuitatibus iuris sui libertatem ciuitati Romanæ anteferret; nam qui suffragio in ciuitate Romana valebant, suis legibus spoliabantur, vt ait Liuius. Quamobrem antè legem Iuliam Romani ciuitate Neapolitana donari cupiebant, quod innuit Cicero; *In Epist.* *L. Manlius est Sosis. Is fuit Catinensis, &c. erat enim adscriptus in id Municipium Neapolitanorum antè ciuitatem Socijs, & Latinis datam. Hic fuit in ea vrbe Decurio.* Ea lege id factum est, vt qui fœderatis ciuitatibus adscripti essent, si tùm cum lex ferebatur in Italia domicilium habuissent, ac sexaginta diebus apud Prætorem professi essent, ciues essent Romani. Id maximè ad ius Romanum pertinebat, pro ijs Romanis qui extrà vrbem habitabant.

Tertiũ Reipub. Neap. status.

Tertius status is est eius Reipublicæ, qui mixtus, quodammodo Græcos Latinosq. Magistratus habuit. Cùm enim Municipium esset, & quæ Municipiorum iura essent subiret, Romanis quoque legibus obnoxia, Senatus formam tantummodo mutauit, vt Græcos Magistratus non amitteret, sed simul cum ijs Decuriones quoque & Duumviri gubernarent, qui *Senatus Neapolitanus.* Municipiorum Senatores erant. Senatus verò intercedebat auctoritas, & in nostris lapidibus qui vsque ad hæc tempora latuerunt, legitur, τὴς βουλῦς ψήφισμα, itemq. προσανήνεγκαν ἐν Προσκλίτῳ. vbi nam clarior Senatus? Sed Græcos Latinosq. huiusmodi cernimus in duobus lapidibus altero in aedibus olim Iouiani Pontani.

Οκτά-

Οκτάυιος Καπράριος

Οκταυίῳ Καπραρίῳ υἱῷ εὐσεβεστάτῳ

κατὰ τὸ τῆς βουλῆς ψήφισμα.

Ι. πρὸ Καλανδῶν Ιανυαριῶν, Γραφομένῳ παρῆσαν Πηρόνιος Σκάπλας Μάννειος Πρεῖσκος Πόππατος Σέυηρος. Περὶ οὗ προσανήνεγκαν τῇ Βουλῇ Πάκκιος Κάληδος καὶ Ουιβιόσπον οἱ Ἄρχοντες. Περὶ τούτου τοῦ πράγματος οὕτως ἔδοξεν. Παντὶ μὲν πολίτῃ συναχθεσθαι δεῖν ἐπὶ τέκνου τελευτῇ, μάλιστα δὲ Οκταυίῳ Καπραρίῳ ἀνδρὶ ἀξιολόγῳ, βιοῦντι ἐπιεικῶς, καταγορανομήσαντι σεμνῶς, ἀποβαλόντι υἱὸν Καπράριον νεώτερον μεμαρτυρημένον ὑφ' ἡμῶν διά τε τὴν τῶν τρόπων κοσμιότητα καὶ διὰ τὴν ὁμοίαν τῷ πατρὶ ἐπιτελεσθεῖσαν αὐτῷ ἀγορανομίαν. παραμυθεῖσθαι οὖν αὐτὸν δημοσιακὸν δίδοσθαι τόπον τῆς κηδείας ὃν ἂν ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἕληται. L. D. P. P. D.

Octauius Caprarius Octauio Caprario filio pientissimo ex decreto Senatus. X. antè Calendas Ianuarias. Scribendo adfuerunt Pironius, Scaplas, Mannius, Priscus, Poppatus, Seuerus. De ea re ad Senatum retulerunt, Paccius, Caledus, & Vibiospon Archontes. Ea consequuta est sententia. Singulis ciuibus in morte filij condolere nos oportet; maximè verò Octauio Caprario laudabili viro, cùm moderatè viuat, Annonæ Præfecturam magnificè gesserit, Caprarium iuniorem filium amiserit nostro testimonio comprobatum, cùm propter modestos mores, tùm quòd annonam æquè tractarit ac pater. Easque ob res, vt ipsum consolemur, publico sepulturæ loco quem pater eius elegerit donare Locus datus publico priuilegio Decurionum. Nobilissimum Neapolitanæ Reipublicæ monumentum, quæ tamen sub Romanis florebat. Vtinam huiusmodi antiquioris Reipublicæ testimonium haberemus. Sunt in eo Archontes, Græci Senatus capita; sunt & Decuriones, Latini Municipij Senatores. Eorumq. auctoritate in Senatu decerni videmus, nã priuilegio Decurionũ locus datus Sepulturę. Ex

Senatores & Decuriones.

noucm

nouem nominibus quæ hic leguntur ſex prima ad Theſmothetas deduco, qui Senatorum officio fungebantur. Tria quæ ſequuntur, ad Regem, Polemarchum, & Archontem, qui omnes Archontes dicebantur, licet plures alij fuiſſent Archontes. Noſtis Athenienſium Rempublicam. Et quamuis Græci, vt ait Appianus, aliquot cognomina nominibus habebant adiuncta, hic tamen ſex nomina abſque cognominibus lego, veluti etiam tria Archontium nomina ſimplicia recenſentur. In altero autem lapide apud Gulielmum Spataphorum, non item, ſic enim legimus cum cognominibus,

Græci aliquot cognomina habebant.

ῑ. πρὸ. Καλ. Απρειλιων

Γραφ. παρῆς. Φύλβιος Πρόβος, Λύκιος Πύδης, Νεαπολ. Πύλχερ περὶ ȣ̃ προσανήνεγκαν τοῖς ἐν πρεσπλίτῳ Κορνήλιος Κερεάλις ὁ Αρχ. περὶ τούτου τοῦ πράγματος οὕτως εὐηρέστησεν. Λικινίῳ Πωλλίωνι ἀνδρὶ τοῦ ἡμετέρου τάγματος πάτρός τε βουλευτοῦ ἐπιεικῶς καὶ ἀξίως τῆς πόλεως ..... τόπον εἰς κηδείαν δίδοσθαι ὃν ἂν οἱ προσήκοντες αὐτοῦ ἕλωνται ἐκτὸ τῶν ἱερῶν τόπων καὶ εἰς παραμυθίαν τῶν γονέων.

C. LICINIVS. PROCIVS. ET. MECIONIA
C. F. SECVNDILLA. PARENTES.

Decimo antè Cal. Aprilis. Scribendo interfuerunt Fuluius Probus, Lucius Pudes, Neapolitanus Pulcher. De ea re detulit ad Senatum Cornelius Cerealis Archon. Ea conſequuta eſt ſententia; Licinio Pollioni noſtri exercitus ductori placenter & digne .... locum in ſepulturam dari quem parentes eius elegerint extrà ſacra loca in conſolationem genitorum. Tres hic Senatores, vnum Archontem legimus. Quemadmodum enim Archontis nomini cognomen, ità & Senatorum nominibus cognomina adiuncta eſſe non eſt verendum. Neque Cerealis cognomen hoc loco annonæ Præfectum ſignificat, veluti in multis lapidibus legimus, vt Sæpini, AEDILIS. PLEBIS. CEREALIS; & veluti Aedilem Cerealem in prima Republica Romana floruiſſe notat Liuius, quod de Cerere & frumento pro-

Cerealis.

Dec. 1. l. 7.

to prouidendi munus haberet; sed cognomen simplieiter prolatum, veluti P. Petilius Cerealis apud Dionem, vnus ex primis Senatoribus, & veluti in Fastis Romanis plures Cereales. Vbi Latinum subscriptum Epigramma leges, mixtam Rempublicam intuere. Quæ permixtio à Petro Diacono Casinensi sub Adriano II. & Ludouico II. & Basilio Imperatoribus animaduertitur anno 872. ait enim, Neapolim binas Præsulum gestare sedes qui eam gubernabant & regebant, vt capite teguntur artus diuersi, & laicos & clericos, Græcè & Latinè communi præce psallere Deo. Hoc in vltimis Ducibus notauimus, Ioannes enim Græco charactere subscribit, sed Idioma Latinum est. Plures Archontes habuisse Neapolitanam Rempublicam idem lapis ostendit, ne ad vnum modò Magistratum illum deducamus. Quid si decem Archontes aliquando fuisse dixerim? Sic legimus in lapide qui ab acerrimi ingenij equite Ioanne Paulo Sanfelicio seruatur, in quo Græcorum quoque Magistratus Latino idiomate leguntur,

Græci Latiniq. in Rep. Neap.

Archontes plures Neapoli.

D M.
MARCIAE. MELISSAE. CONIVGI. INCOMPARABILI
FELIX. ARX. X.
REIPVBLICAE. NEAPOLITANORVM
L. D. EX. PERM. MAGISTER
ET. MARCIVS. FELIX. MATRI. B. M.

Senatus autem etsi Græcus, Latinorum formulas decernendo obseruabat. Legito Romanos lapides. Sed hic quoque Neapoli citatur,

S. C. AVCTORITAS. L. V. PRIDIE. CAL. OCTOBRIS
IN. AEDE. APOLLINIS. SCRIBENDO ADFVERVNT
L. DOMICIVS. CN. F. AENOBARBVS. Q. METELLVS. C. F. PIVS
SCIPIO. L. VILLIVS. L. F. PONTINA. ANNALIS. C. SEPTIMIVS.
T. F. QVIRINA. C. LVCEIVS. C. F. PVPINA. HIRTVS. C. SCRIBONIVS. C. F. PVP. CVRIO. &c.

Senatus consulta.
Lib. 1. Epist.

Ex quibus intelligimus τῆς βυλῆς ψήφισμα idem esse cum Senatus consulto, eiusq. auctoritate, de qua ad Lentulum Cicero; *De his rebus pridiè quàm hæc scripsi, Senatus auctoritas grauissima intercesserat*. Et Senatores scribendo adfuisse, idem declarat Catoni gratias agens, quod scribendo S. C. de eius supplicatione adfuisset. In hoc Reipublicæ tempore, libertatem quoque, desidiam, voluptates enumero Neapolitanas; ludos, scenas illustriores censeo; Imperatorum nobiliumq. frequentiores accessus effecisse, vt hilariùs viueretur, mihi persuadeo.

Quartus Reip. status.

Quartum statum inferioribus temporibus tribuam necesse est; à Constantino videlicet ad Rogerium Nortmannum, in quibus Ducum, Consulum, Comestabulorum, Comitum administratio, ad fecem Remp. deduxit, si primum statum considerare libuerit, à cuius felicitatis culmine, ad miserias & onera decidit; licet se immunes & liberos Belisarij temporibus Neapolitani appellauerint, nec se Imperatoribus subijcere velle contenderint. Tempora verò huiusmodi aliqui pariuntur, vt eam Reip. imaginem quam cetera Municipia habere consueuerant Augusti temporibus habuisse dicant. Et quidem tempora differunt, cùm L. Manlium Decurionem fuisse Neapoli Cicero dicat. Alij à Grecorum Republica ad Romanorum administrationem cùm eam Gotthi occuparunt sub Genserico anno 456. vsque ad annum 537. quo à Belisario capta est. Cùm vero Totilas anno 545. Italiam occupasset, Neapolim cepit, & expulsis à Narsete Gotthis, Græcorum Imperium eam ciuitatem iterum subijsse, qui Principem, vel Præfectum, vel Ducem, vel Prætorem (sic appellat Zosimi interpres) ciuitati gubernandæ præfecerunt. Atque mortuo Phoca Imperatore, Præfectus Ioannes Cansinius qui se Regem fecerat anno 612. ob insolentem animi superbiam ab Eleutherio Heraclij Duce occisus est; quocircà Neapolitani Imperatoris partes sequuti sunt, & Græcorum, & Longobardorum diuturnis cladibus appressi vixerunt. Expulsis tandem à Carolo Magno Longobardis anno 775. diuisoq. Imperio, Orien-

Neapolitanæ Reip. varia tempora.

Imperij diuisio.

Orientale Græci, Occidentale Romani sortiti sunt, atque ità suis quoque Græcis Neapolitani obtemperarunt vsque ad Rogerium anno 1125. Eius diuisionis alius annus apud historicos reperitur. Nam Nicephorus Imperator Orientis xliiij. Thoxia cognominatus Legatos ad Carolum Magnum misit de feriendo fœdere. Easq. condiciones inter se receperunt, vt ambo Augusti, fratresq. dicerentur, Orientis alter, alter Occidentis. In Italia, hinc à Neapoli, illinc à Siponto quicquid vlterioris Italiæ in mare procurrit cum suis è regione insulis Græco Imperatori, reliquum Franco obediret. Venetiæ inter duo Imperia medius cardo, Imperij maiestatem piè conseruarent, neutri se addicerent, proprijs vterentur legibus, vtriusque essent amici, anno 803.

Colonia.

Omnem Neapolitanæ liberæ Reipublicæ iacturam, Colonia patefacit. Eam veteres Inscriptiones apertissimè ostendunt, vt tandem aliquando ij concedant qui Coloniæ nomen veluti prophanum ab hac Republica arcere conantur. Ac si Romanorum maiestas quæ omnes perdomuit populos & subiugauit, atque omnibus vrbibus imperitare didicit, sua quoque iura & iuga fœdere deteriora, Neapolitanam vrbem perferre noluerit. Sed afferamus testimonia. Ex Panuinio

GENIO. COLONIAE. NEAPOLITANAE.

Neapoli,

M. AVRELIO. PELAGIO
PATRONO. COLONIAE. NEAPOL.
PIENTISSIMO.

item,

S. P. Q. NEAPOLITANVS
DD. L. BAECIO. L. F. GAL
COMINIO. PATRONO. COLONIAE.

Et apud M. Antonium de Caualerijs antiquarum rerum studiosum,

diosum, qui multa etiam in Neapolitana historia describenda congessit, patriæ obseruantissimum.

NEAPOLITANI
... Q. COMINIO. PRIS
Co.... V. P. MAGISTRO
Lud. ... ORVM. PATRONO
Colon. ... IAB. SACERDOTI
Aug. ... VRVM. AGONOTHE.
&
LICINI
ALFIO. LICINIO V. P.
PATRONO. COLONIAE. EX
COMITIBVS. REGIO. THERMEN
SIVM. VERE. PATRONO

Ad Neapolitanam Coloniam extremum hunc lapidem esse referendum, duo præcipuè docent; Licinij memoria, cùm constet sub Liciniorum tutela Neapolitanos fuisse, veluti in Brutorum Puteolani quod confirmat Alexander ab Alex. qui etiam addidit plebem per clientelas etiam sub patriciorũ equitumq. tutela fuisse diuisam, & Cæsarẽ Græcorũ patrocinio plerumq. adfuisse; & Regio Thermensis quæ ad nostra ferè tẽpora sub Gulielmo Rege in Inuentario Casinensium viget. *Thermenses maiores Pisidiæ* inuenimus in antiquis lapidibus, qui Thermeses quoque ibidem nominantur. Erat autem Pisidia Ciliciæ regio, vt Cilices etiam Neapoli cum Isauris cognoscamus habitatores. Præthereà, si suos Consules, & Proconsules Romani iudicandis litibus ad Colonias mittebant, ad Neapolitanam missum scimus Q. Fabium Labeonem, qui Neapolitanis, & Nolanis de finibus contendentibus datus est arbiter; veluti Cæsar missus est ad Lucrini lacus negocium cum mercatoribus perficiendum, vt Romanæ ditionis dignitatem retineret. Si cui tamen Coloniæ nomen fuerit odiosum, ad Agellium confugiat, qui sic loquitur; *Sic adeò & Municipia quid & quo iure sint, quantumq. à Colonia differant, ignoramus;* exisli-

Lib. 3. c. 24.

Regio Thermensis Neapol.

Cilices.

Neapolitani. & Nolani.

Cæsar ad Lacum Lucrinum.

Lib. 6. c. 13.

existimamusq. meliore condicione esse Colonias quàm Municipia. Et tamen D. Adrianus oratione quam pro Italicensibus habuit miratur quædam antiqua Municipia cùm suis legibus vti possent, in ius Coloniarum mutari cupiuisse. Contrà Prænestini Tiberium obsecrarunt, vt ex Colonis in Municipes redigerentur. Et quamuis Romanorum Coloniæ tripliciter distinguantur, vna enim est in qua Romani deducti soli habitabant; alia, in qua Romani, & alij; tertia, in qua etsi barbari incolerent, Romanorum tamen legibus obstringebantur; & licet in hoc tertio ordine Coloniam Neapolitanam possem adnumerare; tanta nihilominus in ea est varietas, & tàm pauca de Neapolitana coloniã habemus, vt ignorem quid decernam. Illud affirmare tutò possumus, à Romanis iure Colonico omnem Italiam esse subactam; & quemadmodum anteà Romani solum vertentes Neapolim se conferebant, posteà frequentem habitatione eam vrbem reddidisse. *Colonia & Municipia.*

Quod si aliò modo Coloniam, coloni habitatores faciunt, quæ nam maior Colonia quàm Neapolis poterit reperiri? Cumanos à Campanis expulsos libentissimè à Neapolitanis fuisse receptos, scribit Halicarnasseus in Legationibus, & eius ciuitatis bonis donatos asserit. Baianos & Cimmerios, ibi habitasse notat Pontanus, & sub varijs Imperatoribus in regione Furcillensi inuenimus, qui sua ætate Baianã & Cimmeriam regionem commemorat. nostra ætate vtraque, reliqua est. Bello nauali, quod inter Menecratem Pompeianum, & Caluisium Sabinum Caesarianum gestum est, quamuis Cæsar cladem accepisset, & Mencerates à Mena eius Duce fuisset interfectus (id quod eius calamitati solacium attulit) hostes tamen Sabinum in sequi Siciliam vsque iussit, quorum ipse parata classe ab Apollophane Duce Pompeiano circumuentus est. Et tandem Cæsar ad terram est pulsus, multaq. nauigia naufragium fecerũt, atque huiusmodi potiundæ Siciliæ spem abiecit. Tunc Pompeius Neptuni filius creditus est, vestemq. cœruleam induit. Ceteris hac de causa ad Pompeium deficientibus, Liparenses Caesar anteuertit, & ex insula in Campaniam translatos Nea- *Habitatores Neapoli Cumani. Baiani. Cimmerij. Dio. lib. 48. Liparenses.*

poli

Alexandrini. poli habitare coegit quoad bellum est absolutum. Alexandrinos Nero Alexandria Neapolim euocauit, eorum modulatis laudationibus (vt loquitur Suetonius) delectatus. Genus illud modulationis veluti nouum Neapoli, obscœni Imperatoris aures nimium demulcebat. Augusto in Puteolano sinu ijdem de naui quæ tunc appulerat candidati, & coronati, thura libantes, eximias laudes congesserunt. Quadragenos aureos comitibus Imperator diuisit, tùm etiam togas & pallia. Sybaritarum *Sybaritæ.* habitationem ex fragmento Græci lapidis in Fabij Cicinelli ædibus, elicimus,

.... ΙΜΕΛΗΘΕΝΤΩΝ

ΠΑΝΙ. ΤΩ. ΕΚ

ΣΥΒΑΡΙΔΟΣ

ΑΝΤΟΝΙΑΣ. ΣΕΒΑΣΤ.

Ducentis à Crotone stadijs Sybaris est ab Achæis condita, vt inquit Strabo; & luxus & libidinis auctores Sybaritæ habiti sunt. Antoniam Iustiniani Imperatoris, eam iudico, inter alias *Antonia vxor Iustiniani.* Augustas à Neapolitanis celebratas. Duas è lupanari sorores, Iustinianus antequàm Imperium adeptus esset, & Belisarius abduxerunt. Antonia Imperatori, Antonina Belisario contigit. *Annonius lib 2.c.5.* Historici de Antonia hæc narrant; Cùm sub dio meridianis horis Iustinianus quiesceret, caputq. in sinum Antoniæ reclinasset, *Antonina vxor Belisarij.* aduolans Aquila expansis alis à Solis ardore eum defendere conabatur. Auspicium animaduertit mulier, portendi scilicet Iustiniano Imperium. Quamobrem re communicata, à iuuene petijt, vt ad imperium euectus ipsam sibi vxorem copularet. Quod iusiurando promisit, & inter ipsos annulorum ea de causa permutatio facta est. Belisarius interim Antoninam accepit vxorem. Augustus Senatus acclamatione Iustinianus appellatus est. Accessit Antonia. Princeps cognito annulo, Regijs vestibus indutam, Augustam vocandam imperauit. Scribunt, Belisarium Neapoli Antoninam retinuisse. *Romani.* Antoniæ Iustiniani, monumentum est dicatum. Romanorum alia inferior Colonia Neapoli facta est, cum Belisarius vrbem defen-

defendens, Gotthis quos oppugnauerat à muro repulsis, peruigilium vtrinque factum est. In sequenti die Romanis edixit, vt vxores, ac liberos, & imbellem multitudinem ab Vrbe Neapolim transferrent, & cum his simul seruitia quæ ad murorum custodiam minus necessaria ducerent ne alijs essent ad annonã, & ad vitam seruandam impedimento. Qui Neapolim, atque in totam Campaniam profecti sunt. Gotthorum adhuc monumenta, munitiones, turres retinet; Ostrogotthos eodem tempore cum Theodato cognouit. Quis Longobardorum, non audiuit in ea ciuitate imperia? Quis Hungaros, Hunnosque & Alanos cum Cacano, Gepidas cum Vsdula Narsetis Duce ibidem habitasse? Et Hungari allecti iterùm & Cimbri Teutonesq. cum Ludouico Rege Andreæ fratre quem laqueo Ioanna strangulauerat, & ad vastandum Regnum Neapolitanum venerant. Saxones cum Othone Bransuichio quarto Ioannæ viro. Quid Franci? Hos à Gallia transalpina in auxilium euocatos in Italiam duxit Gregorius Miniaces à Michaele Imperatore missus in Siciliam, vt Apolophari auxilium ferret; quos posteà Neapolim, Capuam, Beneuentum extrusit. Quis Saracenos (quos primo loco commemorare debueram) ab ea habitatione excipiet, qui toties eam vrbem inuaserunt, quibus & ipsi Neapolitani aliquandò sancito fœdere locum dedere? Slauos, Campaniæ vastatores quis inter eos habitantes non adsciuerit? Quis Nortmannos, Sueuos, Gallos, Germanos, Hispanos non nouit? adhuc Gallorum, & Catalonorum regiones Neapoli nominantur; adhuc Coloni ijs nominibus viuere creduntur. Nec prætereundi Pisani sunt qui iam indè sub Lothario anno 1137. cùm inter Innocentium & Anacletum, Rogerium Regem & Robertum II. Capuanorum Principem simultates intercederent, in suam potestatem ora Amalfitana deducta, Neapolitanæ vrbis custodiam petiere, quam facilè per septennium obtinuerunt. Maritimæ classis gloria eos viguisse lapis ad D. Iacobi Italorum ædem patefacit. Aedes quæ prius D. Petri Fusarelli fuerat, ab eorum Consule fuit denuò exædificata, Epigramma hoc est,

Gotthi. Ostrogotthi. Longobardi. Hungari. Hunni. Alani. Gepidæ. Cimbri. Teutones. Saxones. Franci.

Sarraceni. Slaui. Nortmanni. Sueui. Galli. Hispani. Pisani.

Annis

Annis millenis terdenis octo ducentis
Post CHRISTVM natum hoc opus ædificatum,
Quarto Septembris dena inditione Kalendas.
Condidit hanc Consul ODDO GVALDVLIVS aulam,
ROGERIVS PISCIS cum suis compatriotis.
De Fusarello Sanctus Petrus hic erat ante.
En Pisanorum nunc est, sic plebe vocante.
Cum Pisis vrbanæ laudem famamq. decusq.
Cui parent terræ, cui parent æquoris vndæ.
Iacob in petra voluit tunc sculpere metra.

Græci. Græci suæ ferè Coloniæ non ignari iterùm in eam concessere cùm Baiazetes Turcarum Imperator anno 1507. cum Venetis bellum gerens in Peloponnesum irruit & Methone, vel Modone (quæ Pedasus dicebatur) Corone & Zanchio vrbibus ibid. Aug. potitus, occisis Venetorum præsidio, & ciuibus, domibusq. incensis, qui reliqui ex tanta clade fuerant Cæsaris beneficio in hanc ciuitatem sese receperunt & templum D. Petro erectum à Rale Assagno Palæologo nobilissimo viro in sua Colonia colunt quæ nunquam in hac ciuitate nomen amittet. Suam habuere non multos annos antè Coloniam Mauri, quos suas superstitiones exercentes puer vidi. Suam item Scalenses qui regionem eius nominis incolunt. *Scalenses.* Quis narret alios? Quis Neapolitanos colonos describet? Plures semper colonos quàm incolas habitasse fateamur necesse est. Maximum profectò id affert decus Neapolitanæ vrbi quæ tot aluerit gentes, hodiè alat, tanquam ad matrem exteri ad eam conueniant, eius lacte & opibus nutriantur, viuant, commoda quæ alibi non sunt maxima cum voluptate in ea reperiant.

Nihil itaque vel antiquæ, vel nouæ Coloniæ nomen moueat. Hoc ad antiquitatem spectat, vt ordinem & Populum *Ordo, & Populus Neap.* Neapolitanum tunc animaduertamus, veluti etiam Senatum Populumq.

M. AV-

M. AVRELIO. ANTON. AVG.
PATRONO. INDVLGENTISSIMO
ORDO. POPVLVSQ. NEAP. DD.

Ordo, & Populus, idem quod in alijs lapidibus, *Decuriones & plebs Aesculanorum, Decuriones & plebs Coloniæ Anconitanæ*. Et in alijs; *Decuriones, & Coloni Coloniæ Aeliæ Augustæ*. Et Capuæ in pila quadam in porticu, *Decuriones, & Coloni*; vbi enim Ordo, ibi Decuriones qui ordinem constituebant; & vbi Decuriones, ibi Colonia. De Decurionibus siquidem loquens Andreas Alciatus, ait; *Emanauit autem nominis origo à Colonijs Populi Romani, in quibus qui eas deducebant Triumuiri decimum quemque consilij causa adscribebant. Ex his Magistratus Municipales eligebantur*. Ergò Senatores ij erant, & Senatorium Ordinem, & plebem Puteolanam ad Senatum misisse legationes scribit Tacitus. Et quid notæ illæ in nostris lapidibus, L. D. D. D. *Locus datus decreto Decurionum*, significant, nisi Coloniam? Constantinorum ætate eiusmodi institutam Neapolim legimus in vno lapide cùm Helenæ statuam erexissent, in Montis Sedili,

PIISSIMAE. AC. VENERABILI. DOMINAE. NOSTRAE. HELENAE. AVGVSTAE. MATRI. DOMINI. NOSTRI. VICTORIS. SEMPERQ. AVG. CONSTANTINI. ET. AVIAE. DOMINORVM. NOSTRORVM. BEATISSIMORVM. CAESARVM. ORDO. ET. POPVLVS. NEAPOLITANVS.

Eidem fortasè alia statua anteà erecta fuerat, cum Græca Inscriptione ΘΕΙΟΤΑΤΗ. ΚΑΙ. ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΗ. ΣΕΒΑΣΤΗ. Quam enim aliam diuinissimam, & pijssimam appellassent?

Et in Iesuitarum Collegij hortis,

PIISSIMAE. AC. CLAEMENTISSIMAE. DOMINAE. NOSTAE. AVG. HELENAE. MATRI. DOMINI. NOSTRI. VICTORIS. SEMP. AVG. ET. AVIAE. DOMINOR. NOSTROR. BEATISIMORVM. CAESARVM. VXORI. DIVI. CONSTANTINI. ORDO. NEAPOLIT. POP.

Quibus etiam verbis inscribit litteras Gregorius Pontifex ad Neapolitanos de Episcopo deligendo, & vicinæ vsæ sunt

Respublicæ Surrentinorum, ac Puteolanorum quibus *Splendidissimi* quoquè epithetum tribuerunt. Sed de Ordine in Decurionibus agemus. Noscite Neapolitani verè pijssimam illam & augustissimam Helenam Coëlis, vel Coylli filiam, Constantini Pij Chlori vxorem, Magni Constantini matrem, Constantinorum iuniorum, qui vrbi impetitarunt, auiam. Atque hos lapides tanto honore seruandos curate, quantus debetur Constantino Pio sic dicto quòd sæuientibus alijs in Christianos, ipse solus eos amauit & complexus est; quantus debetur Helenæ quæ filio non dùm baptizato, christiana iam facta, sanctissima Cruce Christianorum vexillo & gloria inuenta, tres clauos quibus Christus Saluator crucifixus fuerat, dedit; & quantus debetur Constantino, qui eorum vno pro Galeæ amuleto vsus est; alium equi loris iussit affigi; tertium ad maximam tempestatem sedandam, in mare proiecit; qnantus inquam tanto Imperatori debetur, qui cum Maxentio conflicturus, eleuato ad sidera vultu, in aethere Crucis trophœum vidit, clamante voce, *In hoc signo vince*. En quæ vobis marmora repræsentant. Alias tamen cognoscat hæc vrbs Helenas suas Imperatrices. Helena fuit Iuliani vxor, Constantij soror, Magni Constantini filia cui Eusebia Constantij vxor honoris specie insidiabatur quòd ipsa sterilis vixerat, illexitq. per fraudem vt venenum biberet, vt quoties concepisset, abortum faceret. Helena Alipij filia vxor Constantini X. Porphyrogeniti Orientis Imperatoris L XI. Helena Constantini VIII. Imperatoris L V. vxor, Christophori mater. Helena, Romani Lecapeni, eiusdem Constantini coniux. Helena, Roberti Guiscardi filia vxor Constantini XIII. Ducæ Imperatoris L XXIII. qui cum Nicephoro Botoniata, & Alexio Commeno ad VII. annos imperauit, & Dirrachij contrà Robertum dimicans occubuit anno 1084.

Helena encomia.

Constantini laudes.

Helena plures Imperatrices.

DE

DE GRAECIS NEAPOLITANAE REIPVB. *Magistratibus*, Cap. VIII.



QVOS Consules Romana Respublica dinumerauit, Archontes videntur Græci appellasse; quos Rebuspublicis præesse nouerant, ij qui in Græciam missi sunt, vt condendis Romanis legibus è Græcia exempla sumerent. At quoniam Archontum Magistratus Neapolitanæ Reipublicæ præcipuus erat, aliqua ad eorum cognitionem præmittenda duxi. Thessali Regias, & Tyrannicas potestates *Archi.* Ἀρχοὺς vocabant, quos Lacædemonij Ἁρμοσταὶ, atque ità hone- *Armosta.* stioribus vocabulis graue illud nomen atque odiosum conuelabant. At nec eo modo Reipublicæ Magistratus intelligebant Ἀρχαὶ, vt Isocrates in Panthenaico, Ἀρχὰς οὐ κληρωτοὺς, ἀλλ' αἱρετὰς fuisse scribit. Et Aristoteles in Politicis, εἰ καὶ βουλόμενον, καὶ μὴ βουλόμενον ἄρχειν, τὸν ἄξιον τῆς ἀρχῆς; *Nam & volentem, & nolentem, modò dignus sit Magistratu, ad eum admouere oportet*. Quamobrem illud, ἄρχειν, ad Magistratus pertinet. Principatum quoque denotat, vt de Iairo, καὶ αὐτὸς *Luc. 8.* ἄρχων τῆς Συναγωγῆς ὑπῆρχε. Et de Nicodemo Ioannes; ἄρ- *Ioan. 3.* χων τῶν Ἰουδαίων; de quo Tertullianus de Corona militis; Quis Leuites, aut Sacerdos, aut ἄρχων, quis vel postea Apostolus, aut Euangelizator, aut Episcopus inuenitur coronatus? Et aduersus Hermogenem; Nam & in Græco Principij vocabulum *Archontes.* quod est ἀρχὴ, non tantùm ordinatiuum, sed & potestatiuum *Principes.* capit, principatum, vndè & Ἄρχοντες dicunt Principes & Magistratus. Quamuis μέγιστας Ἀρχαὶ, Maximos Magistratus aliquot agnoscat Xenophon de Repub. Lacedæmoniorum, quo in numero constituuntur Rex, Senatus, Ephori, & Harmosti. Semper autem apud eundem auctorem dùm Ephori Lacedæmonijs, Archontes Atheniensibus imperitant, quod pluribus locis ostendit lib. 2. de Hist. Graecorum.

Decaduchi. Astynomi.

Exactis quidem Tyrannis, Decemuiri Athenis Remp. administrarunt, qui Decaduchi dicebantur. Post hos præfuere Astynomi numero decem, quinque in Pyræo, totidem in vrbe, quibus tibicines curæ erant. Suidas scribit hos in Arce Palladis pecuniam seruasse. Alios Decemviros recolit Plutarchus, qui rebus bellicis præerant. Nouemuirorum deindè Magistratum coluerunt & sortitò annis singulis, quos Archontes nuncupabant, inter quos primus Archon, primarius Archontum, & Reipublicæ princeps erat (fortasse is βασιλεύς, cùm Regis nomen fuisset inuisum) à quo sicuti Romani à Consulibus, & Lacedæmonij à Tribunis, annos & tempora dinumerabant.

Decemuiri rei militaris.

Nouemuiri.

Archôtes Polimarchus. Thesmothetæ.

Alij sic diuidunt, vt nouem fuerint Principes qui Archontes dicerentur, Rex, Archon, Polemarchus, & Thesmothetæ sex, quibus ius omne quod primùm Regum, posteà Archontum fuerat, huiusmodi tributum legimus, vt in eorum potestate esset Respublica. Sed Decemuiri posteà in Romanam Remp. introducti sunt anno ab V. C. 311. cùm enim T. Romilius sententiam dixisset, vt Legumlatores crearentur qui iura Patribus plebiq. scriberent, & quæ ab ijs essent decreta, ea plebs atque Patres obseruarent, missi legati in Græciam (addit Dionysius, in Græcanicas etiam Italiæ ciuitates, nam Atheniẽsium quoque Rempublicam obseruabant, vt de Neapoli diximus) Sp. Posthumius Albus, A. Manlius, Ser. Sulpicius Camerinus, qui Græcorum instituta, mores, & iura cognoscerent, & cognita Romam deferrent. Quibus redeuntibus, legesq. ferentibus, Senatus consultum factum est, vt Decemuiri crearentur cum imperio Consulari ac Regio sine prouocatione, qui ex patrijs moribus, & peregrinis legibus optimas seligentes, & Reip. vtiles, Populi Romani iura constituerent. Quamobrem ad Decemuiros spectare arbitror Archontes, & Archontes iura Reip. condidisse, quippe Consulari vtebantur potestate. Desijsse Decemuirorum imperium anno ab V. C. 301. scribit Messala Coruinus, cùm Appio Claudo petulanter sæuiente in Virginiam, Decemuiri abdicare se magistratu coacti sunt. Eosdem tabulis leges notasse scribit L. Florus. At Cleo

Decemuiri quando introducti.

Romani à Græcis habuerunt leges.

menes

menes Leonidæ filius Eurydamida Rege per Ephoros veneno sublato, & translato imperio ad Epiclidam, Senatusq. auctoritate versa, Patronomos creauit, qui patriarum legum essent auctores, vt narrat Pausanias in Corinthiacis,

Alij scribunt, post obitum Codri illius, qui sciens volensq. mutato habitu ex hostibus militem quendam prouocans occisus est, saluti suorum consulens, quòd sciret ab Oraculo responsum Doriensibus ne regem inimicum occiderent si victoriam cnnsequi vellent, Athenienses Archontum imperio se subiecisse qui vsque ad Caropum singulis annis creabantur. Mox ad decennium prorogatos, idque tempus septem Archontum imperio perdurasse; & de ea re Dionysius, ait Albanos Colonia Romuli Remiq. ductu missa, Romam condidisse initio primi anni septimæ Olympiadis, qua Daides Mesenius in stadio vicit Archonte Athenis Caropo, decennalis imperij anno primo. Posteà in singulos annos esse reiectos, primumq. Archontem fuisse, Medonem Codri filium. Auctor Theatri vitæ humanæ huiusmodi disponit. Codro Rege à Doribus interfecto placuit Regum imperium imminuere, atque referendis rationibus obnoxium reddere, neque Reges in posterum, sed Archontes creare. Medon obijt anno 2916. Arastus 2952. Archippus, 2971. Thersippus, 3012. Phorbas, 3043. Mecades, 3073. Diognetus, 3101. & sic vsque ad Erycem, vel Eryxiam anno 3282. Quæ ideò adscripsi, vt huiusmodi etiam Neapolitanos suos Archontes numerasse sciamus, quamuis pauciores illi nobis cogniti sint, Paccius, Caledus, Vibiospon, Cornelius Cerealis, & Felix. Tempora ignoramus.

Olympiadis 24. anno 3. ab Athenis conditis 867. Archontum decennali imperio abrogato, summa rerum nouem Archontibus quotannis est demandata, Regi, Archonti, Polemarcho, & Thesmothetis sex; permissumq. est vt ab Archonte anni singuli numeratentur. Hinc legimus in Halicarnasseo, discordiam inter plebem & Senatum de creandis Consulibus esse ortam anno 273. Olymp. 75. Archonte Athenis Calliade; atque eos cum Romanis Consulibus confero, scribēte Herodo-

Codrus.

Archontum mutatio.

Lib. 1.

Archontes nouem.

Lib. 10.

to, ὕπατον ἀρχὴν τελέσαι δεύτερον; *Bis consulatu functum*. Et in lapidibus, habemus, ὕπατον, ἀντίπατον. Reliqua semper Neapoli Archontum memoria fuit; atque in ea regione habitasse existimarunt, quæ ARCO, non ab arcubus, sed ab Archonte dicta est. Crediderunt etiam Neapolitani habitationem eam turrim fuisse quæ in quatriuio posita, mea ætate deturbata est, quòd crederetur à κακοδαίμονι coli. Fuerat aliquando à Landulfo Vulcano Cardinali Surrentino instaurata.

Archontium habitatio.

Demarchus.

Fauebant Archontes Senatus auctoritati; Populi verò, Demarchi eius Principes. Idcircò in lapidibus passim legitur; ἡ Βυλὴ, καὶ Δῆμος. Eo tamen pacto, vt Demarchiam Neapolitanam non deducamus ad tertiũ illum statum Democraticum quo etiam ruentem Rempublicam cernimus. quamuis enim destructis Regno & Tyrannide Aristocratia proueniat; & hæc in deterius labens Oligarchiæ formam accipiat; & cum iniustitiam eorum qui præsunt plebs vlciscitur, Democratia oriatur, in qua omnis multitudo quæcunque libuerit faciendi habet potestatem; ex ea tamen corrupta (quod facile in ignara plebe efficitur) non modo Ochlocratia sequitur, turbæ scilicet popularis administratio, id enim ὀχλοκρατεῖσθαι significat; sed bestialis illa Chirocratia qua cuncta prompta manu, ferro, sedicionibus, alieni auida plebs, potentiorum inuida, nullius virtutis æmula, imprudentissimè decernere exoptet, quod Virgilius ità expressit,

Democratia vitia.

Ochlocratia. Chirocratia.

Lib. 1.

Ac veluti magno in populo cùm sæpè coorta est
Sedicio, sæuitq. animis ignobile vulgus,
Iamq. faces & saxa volant, furor arma ministrat,

Idq. cuilibet Reipublicæ vnius duntaxat potentiæ vi constitutæ euenit, quæ confestim instabilis efficitur, propterea quòd in peculiarem sibi malitiam degenerat, & varia mutationum tempora ob oculos ponit. Malitiam eam intelligit Polybius qua quisque in contraria tendit, si enim quis Monarchiam regit, Regnum expetit; in Aristocratia Optimatum inter se va-

Respublica vnius potentiæ.
Malitia in Respub.

rijs

rijs affectibus dissiderint, mox Oligarchia exposcitur, vt ad paucorum manus administratio deueniat; si Democratiæ forma destruetur, vulgi petulantia quod quid sibi velit semper ignorat, libertatemq. atque æqualitatem optat, contemnit reliqua, in violentiam atque furorem, vt diximus, conuertitur. Ideoq. Lycurgus qui optimè illa præuiderat, non vnius solum formæ Rempublicam constituit, sed omnes simul Politiarum virtutes coniunxit, quæ alternatim singularum viribus stabilitæ nusquā nutarent, æqua semper ratione solidarentur; atque ità Monarchiæ insolentia, metu plebis coerceretur; plebs Regē non contemneret, Seniorum metu, qui ab Optimatibus electi æquitatis studio semetipsos essent accommodaturi; & qui inferioris essent ordinis huiusmodi obtemperarent, vt Optimatum pars semper grauior esset, quòd à Senibus adiuuaretur. Hinc Rerumpublicarum libertas diutiùs seruabatur. Seruata est præcipuè Romana, in qua Consulum potestas, Monarchicæ, vel Regiæ; Senatus, Aristocraticæ; Populus, Democraticæ comparatur. Et quamuis eandem Neapolitanæ Reipublicæ rationem quod supra innuimus aliquo pacto considerare possimus, si βασιλεὺς quoque inter Archontes constituetur, vt ad Regem spectet; Archontes ad Optimates; Demarchus ad popularem administrationem; longè tamen alia est primi Archontis, vel etiam posterioribus temporibus Duumuirorum auctoritas; eiusq. populi, à populo Neapolitano status. Consules enim si Regia potestate in bellicos apparatus, ac reliqua omnia quæ sub coelo aguntur, potiebatur; Archontes tantùm roboris non habuere, qui limitibus in Neapolitana ciuitate septi viuebant. Populus prætereà Romanus, honorum & suppliciorum potestatem sortitus est, quod maximum esse grauissimi auctores testati sunt, quoniam ijs solis mortalium vita continetur. Principatus dabat ijs qui digni habebantur, quod in Republica pulcherrimum profectò est honestatis premium. Huiusmodi leges probabat, vt in eius voluntate pax & bellum consisteret, & de sociorum auxilio, & fœderibus iudicaret; & eo pacto Democratica Respublica potest appellari. Hinc Plebiscita appellabantur

Oligarchia.

Optimus Reip. status.

Optimates.

Romana Resp.

Duumuiri Consules.

Populi Romani auctoritas.

Plebiscita.

bantur quæ plebs suo suffragio sine Patribus iussit, plebeio magistratu rogante, vt ait Sextus Pompeius, quod & Iustinianus confirmat; *Plebiscitum est, quod plebs plebeio magistratu interrogante, veluti Tribuno constituebat*. At populus Neapolitanus licet in ea Demarchia potuisset efficere quod Plutarchus narrat, Lycophronem scilicet Lycurgi Butadem promulgatione proscripta postulasse sibi ius epulandi in Prytaneo, quod donatum à populo fuit Anaxicrate Archonte, vt qui Demarchus esset aliam ab Archonte haberet potestatem; tantùm verò ab eo populo aberat, quantum Ordinem populumq. Municipiorum, à Senatu populoq. Romano abfuisse non ignoramus. Sed in eo Ordine Demarchus huiusmodi præfuit, vt in parua Republica maximam seruaret potestatem; huiusmodi inquam vt eum Magistratum Adrianus Imperaror Neapoli gerere voluerit, sic enim de eo Spartianus; *Apud Neapolim Demarchus, & in patria sua Quinquennalis, quasi in alia patria; & Athenis Archon fuit*. Quapropter Demarchum cum Archonte eundē aliquandò faciunt, & dictū Consulē & Demarchum; vt in lapide, ΥΠΑΤΟΣ. ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. Eundem aliquandò cum Aedilibus. Cum Dictatore sæpius in Latio, quem Magistrum populi appellarūt, veluti Magister Equitum dictus est qui summam potestatem haberet in equites, ait Varro. Et primus Dictator M. Valerius plebis furorem repressit, quare Maximus appellatus est. Maiorem populi Neapolitani Gregorius Pontifex appellat. Alij eundem arbitrantur cum Vergobeto Heduorum, Diorigio Acheorum, Dionysiarcho Carthaginensium, Archino Thebanorum, Diæceta Aegyptiorum, Medice Oscorum, Democrate Tarentinorum, Chiliarcho Persarum, Mediastutico Campanorum. Alij cum Tribuno Romanorum; legem enim sacratam plebs tulit in sacro monte, cuius Cicero, Liuius, & Dionysius meminere, vt liceret plebi Magistratum ex suo corpore creare qui plebem ab iniuria prohiberet; vt nemini patricio hunc Magistratum capere liceret; vt hic Magistratus sacrosanctus esset, idest, ne quis Tribunum plebis, aut verbo, aut manu violaret; qui secus

Populus Neapolitanus.

Ordo, & populus.

Adrianus Imperator. Demarchus Neapoli.

Demarchus confertur cū alijs Magistratibus.

Tribunus plebis.

cus fecisset, ipsum impunè posse occidi. Sed hunc Magistratum apud Romanos tumultuarium respicio, & ad seditiones potius placandas spectare; cùm enim de legibus ferendis inter Romanos ageretur, sæpè inter plebem & Senatum discordiæ ortæ sunt. Et quamuis manibus temperatum sit, vt ait Appianus, & ciuiliter disceptatum cum sese occasio obtulisset; suam tamen vt sibi plebs potestatem tueretur, separatione primùm, cùm in Montem Sacrum secessisset, deindè noui Magistratus creatione, æquas in administranda Rep. partes, & Senatui, & populo diuisas ostendere voluit. Nouum Magistratum, Tribunum plebis creauit, qui Consulum reprimeret potentiam, ne tota Respublica in eorum manibus vincta iaceret. Dissensiones haud multò post inter vtrosque intercesserunt, & paulatim sæuierunt animi, atque inter odia & diffidia armis certare cœperunt. Nec solum alterius partis fautores, in exilium missi sunt, quod Marcio Coriolano accidit quamobrem patriæ bellum intulit, sed etiam ipsi Tribuni nouas leges ferētes, aliaque vltrà potestatis limina molientes, occisi sunt; nouimus enim Tiberium Gracchum qui omnium primus concitata sedicione, occubuit. Hinc etiam in Comitijs, in Foro, iussu Tribunorum, Prætorum, Consulum varij cecidere augescente in dies iuris legumq. contemptu, & bacchante populo & sicarijs. Hinc domi militiæq. succedente temporum vicissitudine immensum in Remp. prorupit malum, coniuratorum consilia, damnatorum prauitas, exulum incursus, procliues animi ad euertendam patriam, in qua nihil nisi hostiliter gerebatur. Huiusmodi rixæ effecerunt, vt anno post Gracchi cædem quinquagesimo, nec Senatu, nec populo administrante Remp. L. Sylla magistratum occuparit qui suo arbitrio rem Romanam regeret Dictatoris titulo, qui difficillimis temporibus adhibebatur, & iam desierat. Et quamuis perpetuam Dictaturam assequi conaretur, potentiæ nihilominus satur, priuatam vitam elegit, quibusuis rationem redditurus, quod factum memorabile celebratur. Quam perpetuam Dictaturam Cæsar occupauit, cui Triumuiratus poteà coniuratorum occurrit.

Tribuni plebis creatio.

Tribunorum potestas.

Tanta verò fuit Tribunorum poteſtas, vt conuocandi, & diſſoluendi Senatum poteſtatem habuerint. Quapropter Imperatores veluti Pontificatum Maximum, & Cenſuram, ità Tribuniciam in ſe receperunt poteſtatem. Quid ergo Tribunus cum Demarcho magiſtratu omnium pace in Græcis Rebuſpublicis creato? Quid prætereà vnus Demarchus cum pluribus Tribunis, qui Collegium quoque habuere, & aut quinque, aut aliquando decem inueniuntur? Quod verò ad eum attinet, illud addam, δημαγογεῖν, de eo dici, qui populi fauorem aucupatur; & δημαγογίαν, gratiam & auctoritatem ſignificare qua quis apud populum valet. Et in agro Neapolitano lapillus inuentus eſt in quo inſculptum, ΕΥΔΗΜΙΑ, *Bona popularitas*, ad popularem gratiam conciliandam. Sed alia cum Demarchia oſtendit munera lapis Græcus, qui erat apud Sanctinos, iam indè ablatus,

ΗΒΩΝΙ. ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩΙ. ΘΕΩΙ.
Γ. ΙΟΥΝΙΟΣ. ΑΚΥΛΑΣ. ΝΕΩΤΕΡΟΣ
ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ. ΕΡΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ
ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. ΛΑΥΚΕΛΑΡΚΗΣΑΣ.

Heboni clariſſimo Deo C. Iunius Aquila iunior Miles, Procurator, Tribunus plebis.

Vocem, λαυκελαρχήσας, nemo quod ſciam interpretatus eſt. Ipſe caſtiſſimè verba deſcripſi. Vox, στρατευσάμενος, efficit vt Tribuniciam poteſtatem tribuam. Caledianum Demarchum infrà in alio lapide habebimus, qui ex Senatus conſulto Auiæ ſepulcrum ponit, vt cum Senatoribus & Tribunicia poteſtate Reſpublica conueniret.

Phretarchus. Phratriæ.

Neapolitani antiqui Magiſtratus.

Quatuor antiquos Magiſtratus præter alios in lapide quem in Epuli Sacrificio recitabimus, notaui, φρήταρχον, χαλκολόγον, φροντιστὴν, Διοικητας, Phretarchum, Chalcologum, Phrontiſtam, Dioecetas. Αγορανόμον, Annonæ Præfectum, in alijs

alijs inueni. Hos minores magiſtratus abſque dubio appellandos cenſeo, nec ad eos referendos quos Ἀρχαὶ diximus fuiſſe appellatos; ſed poſt Archontes, & Demarchos eſſe conſtituendos, & quibus Reſpublica carere non poterat, in quauis enim Republica numerabantur. Ad Curationem pertinebant, de qua Cicero priore Oratione in Rullum; *Licinia eſt lex atque altera Ebatia quæ non modo eum qui tulerit de aliqua Curatione ac poteſtate, ſed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit ne eis ea poteſtas Curatiòue mandatur*. Hanc Græci (etſi Magiſtratus ſit, vocant enim Magiſtros quoque Societatum, Vicorum, Collegiorum) Ἐπιμέλειαν dicunt, & Διακονίαν quæ vox in antiqua Neapolitanorum Chriſtiana Relligione viget in qua S. Andreas, & aliæ ſacræ ædes ad Diaconiam dicuntur, quibus vocibus ad eam rem demonſtrandam vſus eſt Aeſchynes oratione in Cteſiphontem. Ariſtoteles, Curationes ciuiles appellat, in quibus & belli Ducem, & matronarum Cenſorem, & puerorum Magiſtros recenſet. Honores, poteſtates, & procurationes Cicero coniungit. Sed cum Phretarcho, Curiæ, quas Decuriones poſterioribus temporibus curarunt. Hinc in Neapolitanis lapidibus, Φρήτορες Ευμελήδων, Φρήτορες Αρτεμίσιοι, Φρήτορες Αριςαίων, Tribules Eumelidarum, Artemiſiorum, Ariſtæorum & huiuſmodi. Tribules Eumelidas, initio commemoraui. Artemiſiorum, in ædibus Hyppolytæ Ruffæ erat memoria, quæ ad Sacerdotes Theatinos D. Mariæ Maioris templum incolentes deuenit. Obſecraui eos, vt relictam ex marmore tabellam publicè collocarent, ne tot monumenta ædificijs concinnandis ſimul perirent. Ea eſt huiuſmodi;

Curatio. *Diaconia.* *Lib. 4. de Repub.* *Verr.* *Phratria. Eumelidæ. Artemiſij. Ariſtæi.*

Λ. ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ. ΠΡΟΚΛΟΝ
ΥΠΑΤΟΝ. ΑΝΤΙΠΑΤΟΝ. ΤΩΝ ΙΛΙΩΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΙ. ΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣ. ΧΑΡΗΝ.

L. Creperlio Proclo Conſuli Proconſuli Ilienſium ob beneficia Artemiſij Tribules retributionis gratiam.

. Ea enim elocutionis formula Græci vouebant, vt Romæ, Λ. ΦΑΒΙΟΝ. ΚΕΛΟΝΑ. ΤΟΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ. ΕΠΑΡΧΟΝ. ΡΩΜΗΣ. pro, *L. Fabio Celoni splendidissimo Romæ Imperatori.* Itaque Artemisij L. Creperlio vouent ij qui in Phratria Iliensium erant, veluti Nolæ Regio Romana, & Regio Iouia, Iulio Clementiano statuam collocant. Claudii temporibus hunc lapidem tribuunt, cùm in eius vita dicat Suetonius; *Iliensibus quasi Romanæ gentis auctoribus tributa in perpetuum remisit, recitata vetere epistola Græca Senatus Populiq. Romani amicitiam & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni munere immunes præstitisset.* Horum quoque legatio adiit Tiberium Capreis commorantem. Atque tunc facetè respondisse scribit Franciscus Petrarcha, cùm Legati de filii obitu eum consolarentur; *Ego quoque fortunæ vestræ compatior qui magnificum ciuem Hectorem perdidistis.* Ilienses, & Neapolitanos celeberrimos populorum in Sardinia insula collocat Plinius.

Ilienses. *De viris Illustr.* *Lib. 3. c. 7.*

Sed vt ad rem redeam, Curiarum, & Tribulium caput erat Phretarchus. Et φρατρίαν, sic describit Suidas; φρατρία ἐστὶ τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς; φρατριάρχος, ὁ τούτου μέρους ἡγούμενος; *Phratria est tertia pars Tribus, & Phretarchus, huius partis moderator.* Budæus scribit Phratrias esse conuentus hominum, veluti pagos. Iam Confraternitates omnes ferè habent vrbes. Quid autem sint φράτορες, & γεννηταὶ, sic idem Suidas explicat; φυλαὶ *Tribus fuerunt olim ad quatuor anni temporum numerum. Harum singulæ tribuebantur in tres φρατρίας, id est, Curias, quæ xij. fuerunt, duodecim mensium imitatione. Vnde, φράτορες. φρατρία habuit Γένη, idest gentes triginta pro numero dierum mensis; vndè Γεννηταὶ dicti Gentiles, non quidem ratione cognationis, sed propter familias hoc pacto distributas.* Halicarnasseus ait Romanos Græco ritu semper vsos, iam tùm cùm Aborigines in Palatinum collem Arcades exceperunt; & ex Græca familia Potitios & Pinarios sacra esse edoctos; asseritq. Curias fuisse triginta Populi Romani partes, & Romulum singulis præclarum aliquem virum præposuisse, deindè partitum eas

Curiarum caput Phretarchus. *Tribus, Phratria, Curia.* *Lib. 2.*

eas in decem totidemq. viros præfeciſſe; has Curias;illas Tribus vocaſſe. Addidit præterea eos qui Tribubus erant præfecti, Phylearchos (φυλῆς Ἄρχοντας dicit Hesichius) qui autem Curijs, Phratrearchos eſſe dictos, & λογαγὺς, quos Curiones Romani appellant. Habes Decuriones. Alibi dicit, à Numa Pompilio primum ſacrorum miniſteriorum ordinem Curionibus aſſignatum, qui publicè pro ſuis Curialibus rem diuinam facerent. Hi quidem noſtri Phrontiſtæ, & Curatores. Secundum Flaminibus, quos Græci Stephanophoros dixerunt. Curias, Phratores vocat Demoſthenes contrà Eubulidem. Ex Græcis igitur φρατρίας Romani acceperunt, & ſeruant; quid mirum ſi Græci Neapolitani ſeruant? Seruat, inquam regiones diſtributas, ſed non eoſdem Decuriones; neque enim præclari viri præficiuntur, neque ſacrorum miniſteriorum adminiſtratores. *Stephanophori.*

Chalcologus.

Hunc Magiſtratum Phratriarum Quęſturæ tribuo, cui earũ cenſus curæ erat, ἀπὸ τοῦ χαλκολογεῖν, quod nummos colligere ſignificat. In Republica Athenienſium Quæſtorem, ſacrarum publicarumq. pecuniarum appellari ait Colocretas Pollux; & Quæſtorem Tribuum, Philarchon. In quem verò vſum Chalcologus pecuniam erogaret, in Sacrificio epuli in Neapolitanorum Relligione ediſces. *Colacreta.*

Phrontiſta.

Suidas Phrontiſtas, Curatores, & Sollicitos vocatos eſſe Socraticos ſcribit, quòd alij alios curarent, & quòd nunquam non ſolliciti eſſent, his verbis; φροντισαὶ δὲ ἐκαλοῦντο οἱ περὶ τὸν Σωκράτην, διὰ τὸ φροντίζειν περὶ ἀλλήλων, καὶ διὰ μηδέποτε παύεσθαι φροντίδος. Addit etiam ſapientes vocatos eſſe, Merimnophrontiſtas. Sacrorum diximus hos curaſſe myſteria, & Curijs ſacras aperuiſſe diſciplinas. Ideoq. φροντιστήρια dixit Ariſtophanes Iudicum conſeſſus, à philoſophorum ſollicita contemplatione; & in Forum tranſtulit, quoniam qui litigant in profun- *Curatores.*

Curiones. profundissimas iuris indagines rapiuntur. Et quoniam ad Curias transfertur; Curiones sunt qui macerantur curis. Plautus Aulularia,

Volo ex te ego scire, quid sit agnus Curio.

Parochi. Hinc Parochi Curiones dicuntur, & φροντισαὶ, à curis quibus erant obnoxij. De his fortè Liuius; *Inter maiorum rerum curas Comitia maximi Curionis vetus excitarunt certamen.* Romanæ vrbis regionibus Curatores tribuit P. Victor, qui cum Vicomagistris & Decurionibus coniunguntur.

Diœcetes.

Διοικηταὶ, Sacerdotes erant Tribulium negociorum administratores, & procuratores. Cicero oratione pro C. Rabirio Postumo; *Diæcetes, Regius homo est. Id autem (inquit) facere non poterat nisi Diæcetes, hoc enim nomine vtuntur qui à Rege essent constituti.* Alius à nostro magistratu videtur. Apollonius Tyaneus scribit Διοικηταῖς Ασίας; *Quorsum prodest ex agrestibus arboribus quæ in noxam hominum nascuntur ramos amputare, & radios incolumes relinquere?*

Agoranomus.

Αγοράνομον, & καταγορανομήσαντα, Neapolitani habent lapides, cùm Annonæ Præfectum significant. Aedilem, interpretatur Glossarium. At verò Aediles & Quæstores aliosque eiusdem generis, Romæ Annonæ præfectos fuisse asserit Perionius; sed Aediles primos in Colonijs Magistratus fuisse, tota affirmat antiquitas. Arcadius Iurisconsultus, *Episcopos* nominat. Rem frumentariam, pondera, & mensuras curabant. Ageronomus quoque dictus. Plautus Captiuis,

Episcopi. Rei frumentariæ curatores. Ageronomus.

Euge edictiones Aedilitias hic quidem habet, mirumq.
Nisi hunc fecerunt sibi Aetoli Ageronomum.

Præcipua semper Annonæ Præfectura Neapoli fuit, nihilq. in eius administratione desiderabilius est ac difficilius, quàm res frumentaria. Magni eam fecit antiqua Neapolis; sed parua Neapolis. Quanti facere hoc tempore debet, cum decies

centena

centena millia modiorum victui singulis annis vix sufficiant? Laudarunt in ea re Neapolitani Octauium Caprarium; laudent Lopez Mardonem qui primus ei negocio præfectus est, Ferdinandum Loffredum Triuici, Alfonsum Sancium Grottulanorum, Ioannem Franciscum de Ponte Morconensium, & qui hoc tempore præfectus est, Fuluium Constantium Corleti Marchiones; atque his duobus Regentibus præter Vincentium de Franchis S.C. Præsidem addant alios Salazarium, Lanarium, Gorostiolam, & Petrum de Castellet, omnes quidem insignes viros, qui eam præfecturam tàm prudenter gesserunt, vt inter illustria eorum opera, hoc præclarissimum sit iudicandum. Ad ducentum, & septuaginta millia hominum alere, tantam frumenti copiam non modo à vicinis, sed etiam ab exteris longissimè comparare, munitam amplissimam ciuitatem Neapolim retinere, nostra ætate tàm difficile est quàm quod difficillimum, tantæq. industriæ ac diligentiæ laboriosum opus, vt maius nullum ipse possim excogitare. Qui inter ea versatur negocia, aliquam eorum potest reddere rationem. Non enim huiusmodi interpretatur, vt Theodosij rescriptū ad Proculum, de ciuica annona, de panibus militū, aut ædificiorum, vel palatinorū quos pauperibus Constantinus est elargitus apud Metaphrastem. Nec de Theodosij, Valentiniani, Marciani bucellis agitur; nec de gradili pane de quo scribit Valentinianus Iurisconsultus, quam etiam liberalitatem Traianus exercuerat, vt eius nummi ostendunt; sed de ea re agitur, qua Neapolitana dignitas tuetur, & quam Augustus maximus Princeps Præfecto Vrbi demandandam iussit.

Annonę Neapolitanę Præfecti.

ΣΤΡΑΤΙΓΟΣ.

Habuit alios fortasse Neapolis Græcæ Reipub. Magistratus Xenoparchos, præbendis hospicijs; Telephoros, vectigalium exactores; Siticomas, Decaprotos, Prostatas, Logographos, de quibus Alciatus. Sed Στρατηγὸς non est prætereundus, qui & Ηγεμὼν dictus est. Legitur is magistratus inter maiores, tribuitur enim Demarcho, Α'κυλας στρατευσάμενος. Sed cum maiori magistratu non coniunctum, Polemarcho paruisse non vereor.

Xenoparchi. Telephori. Siticomæ. Decaproti. Prostatæ. Logographi.


reor. Apud Græcos qui in Italia degebant eius nominis gloria semper claruit,& Theophilactum Baruli στρατηγὸν Theanum venisse scimus, cùm Sarraceni ad Lirim amnem consederant. Et Symbaticium Stratigon Macedoniæ, Beneuentum occupasse. Et Marianum Antipatum Imperialem Patricium, & στρατηγὸν Calabriæ legimus. Græcorum altrix Sicilia eum retinet magistratum. Straticoton, & Stratigetam appellat. Præsidem, vel Stratorem dicit Afflictus, à sternendo, quòd maleficos sternat. Ignorauit Græcum Idioma. Qui à Rogerio institutum dicunt, non negligant Arcadij Imperatoris tempora cuius ætate anno 407. Methrodorum στρατηγὸν reperimus. Capitaneus armorum in Ferdinandi Regis diplomate nominatur; qui tamen pacis tempore *criminis læsæ Maiestatis, assassinatus, contrà famosos latrones, homicidij apostatato modo perpetrati, resistentiæ contra Magistratùm, contentionis inter ciues, domus expugnationis, populationis agrorum, falsæ monetæ causas cognoscit*. In ijs verò, ad alium Iudicem prouocant Messanenses.

Stratigi Campania.

Capitanus armorum.

DE LATINIS EIVSDEM REIP. MAGIstratibus. Cap. IX.

Decuriones.



POST veterem Reip. statum, Municipia, qualis etiam Neapolis erat, si ordines quærimus, Decuriones, Equites, & plebem habebant. Si Magistratus, & Sacerdotes, Duumuiros iuri dicundo, Censores, Aediles, & Flamines, qui ex Decurionum ordine eligebantur. Si Consilium publicum, Senatum & Populum. Archontibus itaque Neapolitanis successisse Decuriones, Decurionibus Cõsules, Consulibus Duces, Ducibus etiam aliquo pacto Comites.

mites, aliquot monumentorum fragmenta demonstrarunt, quæ nihilominus Decurionum præcipuam ostenderunt potestatem, & Municipij Neapolitani sub Romanis seruitutem, scriptasq. has notas reperimus, L. D. P. P. D. *Locus datus publico priuilegio Decurionum*. Et, L. D. D. D. *Locus datus decreto Decurionum*, qui in Municipis ijdem cum ijs erant, qui Romæ, Senatores. Et veluti Romæ ex patricijs Senatus conflatus fuerat; ità extrà Vrbem vbi pauci erant patricij, ex equitum ordine, & præcipuè qui Decurionatus officio præditi fuerant, Rempublicam administrabant.

Dicti sunt Decuriones, Patres, & Curiales à curia in qua consulebant. Vlpianus appellat Possessores, quia Reip. prædia possidebant. Cassiodorus, *Honoratos Possessores Curiales Tridentinæ ciuitatis.* Et Honorati etiam tantummodò dicebantur; de quibus D. Ambrosius; *Honorati multa minabantur grauissima, nisi Basilicam traderent*. A Græcis dicti sunt Βουλευταὶ, quòd consilio rebus publicis præstarent, & quòd Curiales creabantur nobiliores ciuitatis (quapropter Decuriones ordinem efficiebant) cum alij dicerentur plebei. Vlpianus; *Vetres qui Rempublicam ordinarunt ad exemplum Regiæ vrbis in qualibet ciuitate nobiles congregandos, Senatumq. constituendum esse censuerunt, qui publica negocia tractarent, & rectè cuncta disponerent. Quæ res ità excreuit, ad eumq. splendorem peruenit, vt magna virorum multitudine referta Decurionum familiæ inuenirentur*. Diuersis quoque temporibus diuersa contigisse scimus, quippè ex plebeis quoque electos fuisse Decuriones legimus apud Vlpianum in Digestis, vbi ait non nocere plebeio patre esse natum, si posteà honor Decurionis patri accesserit. Et spurios etiam in ordinem posse allegi, non enim impedienda dignitas eius qui nihil admisit, sed si habeat competitorem legitimè quæsitum, præferri non apoitere, Diui fratres Lolliano Auito Bithyniæ Præsidi rescripserunt. Hoc tamen certum est, Decuriones in Municipijs nobilitatem effecisse, & à nobilitate ordinem fuisse constitutum; ideoq. ORDINEM ET POPVLVM sæpissimè legimus; & ORDINEM

Decuriones quo alio nomine appellantur.

Ordo & populus.

L DECV-

DECVRIONVM TVDERTI, vt ab Ordine Populum fuisse segregatum sciamus, licet obeundis Reipublicæ muneribus coniungerentur. Ordinem designari à Decurionibus, elicitur ex Paulo Iurisconsulto, qui de priuilegijs Veteranorum ait, *Veterani muneribus fungi cogantur, dùm passi fuerint in Ordinem legi*; vbi Accursius, *eligi Decuriones* interpretatur.

Decurionum electio. Numerus. Quod ad eorum electionem & numerum attinet, in tabella Decuriones notabantur quæ Album appellabatur, quemadmodum etiam Senatorum scribebantur nomina. Sed veluti Senatus princeps eligebatur, sic etiam creabatur, primus Curiæ, qui vniuersa ciuitatis munera explebat. Et quoniam plures paucioresue erant pro ciuitatis magnitudine, quisque rogatus sententiam dicebat qui honore præcederet. Quandoquè decem erant quos Græci Δεκαπρώτους nominabant. Aliquandò viginti, εἰκοσαπρώτους. Nunquam pauciores quinque. Non minores xxv. annis allegi nisi ex causa poterant Callistrato; neque hi qui annos lx. excesserint. Nonnunquam longa *Decuriones perpetui.* consuetudo in ea re obseruata, recipienda erat. Vlpianus Municipijs perpetuos Decuriones præfuisse scribit, è quorum numero singulis annis eligebantur Duumuiri, tanquam omnium præcipui, qui aliundè non poterant cooptari, maximumq. honorem Duumuiratum appellat. Cicero tamen commendat Valgium, Quatuoruiris ex Decurionibus Fregellanis. Vsus multa tulit. Alij scribunt Decuriones Calendis Martii nominari solitos sollemniter à Duumuiris Curia conuocata, & à Prouinciæ Præside confirmatos, eosq. qui creati erant hono-*Epist. 78.* rarium aliis Curialibus exoluisse. Qua de re Plinius nepos; *Decuriones qui suprà legitimum numerum Cæsaris indulgentia adiecti fuerant, singula millia denariorum, & quandoquè bina* *Decurionum census, Officium.* *millia Curiæ pro introitu intulisse.* Eorum census erat centum millium nummum. Medicos, Grammaticos, Rhetores, & Philosophos in ciuitate alebant. Qualibet autem ciuitas professoribus liberalium artium pecuniam destinauerat, cuius diminutio facta est à Iustiniano Imperatore, cùm pecunia ad templorum ædificia non sufficeret. Vespasianus, Medicis, Gram-

Grammaticis, & Rhetoribus centena sextercia constituit, vt ait Tacitus. Et Neapoli huiusmodi studiosos viros floruisse quis nescit? Et Archiam ciuitate donatum? & cohonestatum à nostris Decurionibus sepultura Lucilium? *Archias. Lucilius.*

Quid verò ad sepulturas à Decurionibus cõcessas adijciam? Apud Hermogenianum tributorum exactionem huiusmodi Decuriones curabant, vt si qua detrimenta Fiscus mortuorum causa pateretur, ipsi suis sumptibus resarcirent. Nam cùm corpus in ciuitatem inferri non liceret, vt scribit Paulus, ne funestarentur sacra ciuitatis, Adrianus Imperator statuit, vt pœnam xl. aureorum soluerent qui in ciuitate sepelirent, eamque pecuniam Fisco addixit, eandemq. soluerent Decuriones qui id licere passi essent, locumq. publicari & corpus transferri. Quod rescriptum in ijs quoque ciuitatibus obtineri Vlpianus ait, in quibes lex Municipalis permittebat in ciuitate sepeliri. Cicero; *Ex agro culto, vel qui coli possit, vllam partem sepulcro sumi vetat Plato. Sed quæ natura agri tantummodò efficere possit, eam nequis minuat, neue viuus, nèue mortuus.* Postumius tamen cui cognomento Tuberto, in vrbe sepultus est vt ait Zonaras, & Plutarchus, & Cicero Tuberti virtuti illud tribuit. Et ob virtutem à Neapolitanis Decurionibus locus datus est sepulturæ Octauij Caprarii. Pertinebant quoque ad Decuriones cursus publici, aquæductuum sollicitudo, spectacula, publicæ viæ, munitiones, calefactiones thermarum, annona, & legationes. Studebant tandem tranquillitati, & commodo ciuitatis.

Decurionum potestas in sepulturis.

Lib. 1. Sent.

Lib 2. de leg.

In ciuitate non sepeliebant.

Sepulcra à Decurionibus concedebantur.

Decurionum alia munera.

Quibus omnibus factum est, vt ciuitatis Neapolitanæ Electos, Decuriones appellandos esse censeant. Nihil minus. Magistratus hic Neapolitanus, qui profectò maximus est, à Decurionatu longè abest, si quæ suprà retulimus attentiùs considerentur. Primò temporis habita ratione; Decuriones enim perpetui eligebantur; Electi, non item; qui vel semestri, vel annua dignitate funguntur, quòd paucos ab hinc annos est introductum. Secundò, quòd plebeio patre non intererat esse natum, si postcà honor Decurionis patri accessisset; quàm il-

Electi ciuitatis Neapolitanæ quid differant à Decurionibus.

lud obstet Electis, eorum lecta nobilitas doceat, licet vnus ex popularibus intercedat. Tertiò, quòd Duumuiros tanquam omnium præcipuos Decuriones habebant; & inter Neapolitanos Electos æqua omnium potestas est, & nemo eorum maiorem exercere auctoritatem profitetur. Quartò, quòd Decuriones à prouinciæ Præsidibus confirmabantur; quam confirmationem Electi aliundè non expetunt, quàm quisque à sua Curia (plateas & sedilia vocant) accipit. Quintò, quòd Decuriones qui suprà legitimum numerum adijciebantur, honorarium alijs Curialibus exsoluebant; at Electi nec suprà numerum eliguntur, nec honorarium aliud vllum alicui erogant. Sextò, Decuriones in Colonijs & Municipijs Romanis legibus obnoxijs administrabant; Electi in Regia ciuitate, à Regibus excogitati. Septimò, Electi non eo obstringuntur iure, vt si Electus crearetur filius familias voluntate patris, vniuersis muneribus quæ filio iniunguntur (vt aiunt Iurisconsulti) quasi fideiussor obstrictus sit pater. Octauò, quid Senatorum, cum Electorum officio? Quæ iura, quæ leges immutatæ? Quid à Reipublicæ statu, Regius differt dominatus? At quando Decuriones tanta cum maiestate, & dignitatis gloria in Municipijs imperitarunt, quanta Neapolitani Electi amplissimæ orbis vrbi præsunt? Si tamen cum alijs Magistratibus essent comparandi, cum Decurionibus profectò cōparabuntur, quod annonæ illi præcipuè consulebant, nec debebant cogi (vt notat Marcianus) vilius præstare frumentum ciuibus suis, quàm annona exigebat. Condebant præterea eas leges, quæ administrandæ Reip. necessariæ videbantur, veluti Electi suas quoque promulgant leges, quibus ciuium status victu constituitur. Quamobrem Electi nomen plurimùm sibi dignitatis comparauit, (licet Sexuiri, & Sindici à Regibus fuerint quoque appellati) nec alio nomine maiorem dignitatem additam quisquam putet. Et qui Decuriones à supremo illo Municipali ordine traducunt ad minorem nostræ ciuitatis Magistratum quem Capitaneum dicunt, ea tantùm re non benè dicere cognoscant, quòd nunquam Senatus auctoritas Capitaneis

Duumuiri cum Decurionibus.

Electi, Sexuiri, & Sindici.

Capitaneus.

fuit

fuit tributa, nunquam munitiones, publicas vias, annonam, & huiuſmodi curarunt. Vico magiſtros potiùs Romano more appellarem, apud quos non dicuntur Capoziones à Curijs, ſed à varijs regionibus quibus præficiuntur; Comeſtabulos corruptior ætas cum Conſulibus appellauit. Et nouum hoc Capitanei nomen, & ſi barbarum, plùs tamen habet dignitatis, quàm quodlibet aliud erogaueris, noua hac gubernandi ratione propoſita.

Conſules. Comeſtabuli.

Conſules quos Συμβόλυς & Υ'πάτυς dixerunt, in Neapolitana Republica triplici ſerie cognoſcimus. Primi fuerunt ij, qui aliquandiù Decurionum loco adminiſtrarunt, vel antè Decuriones poſt Archonticam dignitatem, nihil enim certi comperimus, quamuis etiam cum Archontibus Decuriones reperiamus. Philippus huiuſmodi Conſul obijcitur in æde Pontani, *Conſulum Neapolitanorum varia tempora.*

ΤΟΝ. ΠΑΣΗΣ. ΑΡΕΤΗΣ. ΕΙΛΗΜΟΝΑ. ΦΩΤΑ. ΦΙΛΙΠΠCΝ
ΠΡΕΣΒΗΝ. ΑΟΝΙΗΣ. ΕΝΠΕΡΑ. ΜΟΝΣΟΦΙΗΣ
ΑΥΣΟΝΙΩΝ. ΥΠΑΤΟΝ. ΠΑΤΕΡΑ. ΚΑΥΤΟΝ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΙΟ
ΘΡΕΨΕ ΜΑΧΗ. ΔΟΝΙΗ. ΔΕΖΑΤΟ. ΔΕΠΑΛΙΗ

Sic in ſuperiori lapide, *L. Creperlius Proculus Conſul.* Et in alijs noſtris lapidibus Conſules cum Duumuiris, *Cn. Domitio Dextro, L. Valerio Meſſala Coſſ.* cum quibus Cn. Papirius Sagitta, & P. Aelius Eudæmon Duumuiri ad Senatum retulerunt de Statua ponenda à Dendrophoris, qui thermas lignis calefaciendas curabant, atque idcircò ad Puteolanam, vel Cumanam potiùs Rempub. ſpectant; ad noſtram tamen dignoſcendam plurimum valent quippe quæ eadem Senatus auctoritate intercedente gubernabatur. Atque eiuſmodi mutationes in Colonijs dignoſcimus; & Cæſar Duumuiris Municipiorum omnium imperat, vt naues conquirant. Et in Rep. Puteolana, eiuſmodi Conſulibus (qui profectò Conſules Romani non erãt, qui Regiam habebant poteſtatem) antecellunt, AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC. N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVOVIRO. *Duumuiri. Dendrophori. Lib. 1. de bel. ciuil.*

P. RVTILIO. CN. MANLIO. COSS. qui ſic etiam cum Decurionibus recenſentur, DVOVIRI. ET. DECVRIONES. FORO. SEMPRONIENSES.

Duces & Conſules.

Secundam Conſulum ætatem Conſtantini Imperatoris æuo habemus, quandò conſtitutis Ducibus, Conſulum quoque nomen & auctoritatem retinuiſſe viſus eſt; & recenti Ducum Magiſtratui plurimum addidit honoris Conſulis nomen, quo eorum auctoritas & poteſtas quodammodò confirmabatur. Idcirco Neapolitanus Dux, ΥΠΑΤΟΣ ΚΑΙ ΔΟΥΞ, apud Græcos; *Conſul, & Dux*, à Latinis dicebatur. Solius ſæpè Conſulis nomine appellabantur; vt cùm etiàm *Magiſtri militum* dicerentur, ad Conſularem poteſtatem aliquo pacto viderentur accedere. Poterant fortaſſe tunc Duces & Conſules, Conſuli & Dictatori comparari, qualem M. Fabium Ambuſtum fuiſſe ſcribit Liuius anno ab V. C. 428. Alios Nortmannorum ætate habemus Conſules, qui vt in minoribus ciuitatibus imperitabant, minori quoque dignitate quàm Duces fungerentur. Huiuſmodi Conſulem Lottefridum, & Leonem Fundani habuerunt, & Andream Municipes Montis Corui anno 1123. apud Leonem Oſtienſem.

Conſules Fundani, & Montis Corui.

Conſules ſubſcribunt diplomatibus.

Tertiam, iàm conſenuiſſe in Neapolitana Republica videmus, & inclinatiorem eſſe factam quandò aliquot diplomatibus ob varias res variis temporibus, ſubſcribunt, *Conſules magnificæ Ciuitatis Neapolis*. Si tamen vera ſubſcriptio illa habenda eſt. Et anno 1190. cum Alierno Cutono magnus ſubſcribit Conſulum numerus, quæ ſi etiam vera habeantur, tot Conſules præcipuè cũ Cutono à culmine ad valles dignitatis deſcendiſſe cognoſcuntur. Aliud quoque Conſulũ genus Neapoli permiſerunt quo variæ gẽtes negocijs præficiuntur. Veluti & à Rege Ferdinãdo Catholico ipſi Neapolitani obtinuere, vt Neapolitanos Conſules vbique præficiendi poteſtatem habeant; atque ità vt ſuperioribus annis Hiſpanorũ Rex ad Neapolitanos ſcripſerit, vt in Balearibus inſulis eũ Conſulem eligerẽt quẽ ipſe per litteras peteret. Et nuper cùm Syracuſis, & Drepani, Cõſul quidã à Neapolitanis Electis creatus, Procõſules in

Conſules Neapolitani apud varias Nationes.

Electi creant Conſules.

pota

tota Sicilia substituisset, orta inter aliquos lite, & Consules & Proconsules abdicare se Magistratu coegerunt, nouisq. Consulibus creatis, Proconsules abrogarunt.

Cum Consulibus, Comestabuli numerantur. Hæc quoque dignitas quæ tunc nullius pōderis erat, in Regia administratione maximū pondus, maximamq. auctoritatē adepta est. Comestabuli, Comestabiles, Conestabiles, & Contestabiles (his enim vocibus eadem dignitas significatur) rei tantum bellicæ præpositi ijdemq. cum στρατηγοῖς, sic dicti Gallica voce, vt in Titulo de Magistratibus Romanorum; vel quasi Marescalli, vt alio vocabulo appellantur; vel quia Comitiuæ Stabiles debent esse, atque idem Conestabili, quasi Cuneus stabilis, ait Frezza. Atque illud addam, legi in Notitia vtriusque Imperii, Cuneos Equitum Dalmatarum, Scutariorum, Constantinianorum, quæ diuisio contigerat militiæ Ripensis Ducis, & Ducis Moesiæ Cuneum Equitum Solensium, Armigerorum, & huiusmodi. Et quoniam plures per prouincias esse poterant distributi Comestabuli, vt bellorum occasio ferebat, factum est vt is qui in Regno crearetur dictus sit Magnus Comestabulus, quasi Magister Equitum, qui à Romano Dictatore instituebatur; quapropter Ammianus Marcellinus scribit à Valentiniano Imperatore Valentem fratrem Comestabulum creatum fuisse. Huic extensa manu à Rege gladius aureus traditur his verbis; *Accipe Sanctum gladium in quo deijcies aduersarios populi mei.* veluti Præfectum Prætorio à Tyranno ornari, ait Plinius in Panegyrico; *Accipe hunc ensem, vt si quidem rectè Reip. imperauero pro me; sin autem secus, in me vtaris.* Primus apud Regem sedet Comestabulus, vt in Conuentu à Rege Alfonso I. conuocato legitur, anno 1442. Et quamuis Marescallus, & Comestabulus, Stabuli Magistrum significent, barbaras tamen voces affirmant Latinæ linguæ studiosi; Tribunum Stabuli appellat Marcellinus. Nostri verò Comestabuli, vel aliquo pacto rem bellicam tractabant, & vt Dictatori Magister equitum, sic ipsi Consulibus parebant; vel etiam ipsi Consules eo nomine appellabantur. Scimus tamen

Comestabuli

Lib. 1. de Subfeud.

Cunei equitum.

Magnus Comestabilis.

Lib. 26.

ad an-

ad antiquam eorum dignitatem accedere non potuisse. Placet alijs à Nortmannis huiusmodi fuisse institutos vigintiquatuor numero, ideoq. ad nostros Capitaneos referunt.

Proconsules Palatini Correctores.

Quamuis Gregorio Magno Pontifice, & Mauricio Imperatore cuius ætate Pontifex viuebat, Exarchatus dignitas in Italia vigeret, & missos ab eodem Imperatore sciamus Romanum, Callinicum, & Smaragdum Exarchos; legimus tamen in eius Pontificis Epistolis Proconsules, siue Exconsules & Palatinos Italiæ fuisse Præfectos, & in Campania atque Neapoli iurisdictionem exercuisse. Scribit ad Gregorium Proconsulem Italiæ his verbis; *Fertur itaque quod annonas atque consuetudines Diaconiæ quæ Neapoli exhibetur, Eminentia vestra subtraxerit*. In Diaconiis igitur annona pauperibus erogabatur. Et eos Magistratus in ciuitatibus habuisse aliquos qui ipsorum vicem gererent, idem superiùs declarat scribens Ioannem Neapoli præfecisse Dulcitium, & alterum Ioannem eius decessorem in eadem epistola nominat, à quo eas consuetudines ait fuisse administratas. Et ad Amantium Domesticum; *Scripsimus vt cautiones agentium vices Ioannis Præfecti simul & Palatini, huc transmittere debeat*. Hunc clarissimum dicit ad Fortunatum scribens. Atque eundem non fuisse Ducem, Pontificis verba sic innuere videntur; *Etsi, quod non credimus, admonitionem nostram prædictum Ioannem virum clarissimum videtis fortè differre, cum eminentissimo filio nostro Præfecto strictè loquimini*. Clarissimi titulum Ducibus non datum contendunt. Sed si Eminentissimi titulum Præfectis, Palatinisq. tribuunt, Ducibus quoqne fuisse tributum affirmo, cùm eo titulo Neapolitani Duces in Diplomatibus subscribant. Præfectum alij non Palatinum, sed Ducem intelligunt. Atque huiusmodi hæc inter se nomina commiscebantur.

Lib. 8. ep. 20. *Diaconia.* *Lib. 8. ep. 51.* *Clarissimi titulus.*

Ceterum huiusmodi Proconsules quos & Exconsules appellat, & Palatinos, & Cubicularios Consulatu functos intelligit, veluti Exquæstores, Quæstorio munere functos intelligit Iusti-

Cubicularij Exquæstores.

Iustinianus. Quamobrem Landuinum, & Racterium Campaniæ Consules legimus in Cassinensibus Chronicis circà annum 1000. Et in lapidibus de illustribus aliquot Campanis habemus has notas V. C. *Virum clarissimum*, quæ dignitas Consularibus Viris, Proconsulibus, & Præsidibus, vel Correctoribus conueniebat. Habebat siquidem suos Consulares & Correctores Campania sub Italico Prætorio, veluti Tuscia, Lucania, & Apulia habebant. Spartianus in Herodiano quatuor Consulares per omnem Italiam constituit. At de Campania Symmachus; *Lupus Consulari iure Campaniæ præsidens*. Tretrici Lucaniæ Correctoris meminit Vopiscus in Aureliano; à quo Samnij, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, Vmbriæ, Piceni, & Flaminiæ Correctores habes. Consulares Correctores sub Gotthis quoque statuit. In lapidibus antiquis,

Campaniæ Consules.

Correctores Campaniæ.

Lib.1.ep.39.

BETTIO. PERPETVO. ARZYCO. V. C. CONSVLARI. TVSCIAE.

Et in alio,

RVFFIO. VOLVSIANO. V. C. CORRECTORI. CAMPANIAE.

Palatini autem dicti tanquam custodiendi Palatij Principis honorem consequuti; & ideò alijs digniores habiti. Quapropter inuentis à Constantino Magno Comitibus, eorum tres, ordines fecit, vt scribit Eusebius, Palatinos, Comitatenses, & Pseudocomitantes. Eo tamen loco, Præfectum Prætorio intelligere Gregorium docti viri existimant. Et sub hoc Magistratu Diœcæses prouinciarum continebantur. Erant & Palatini Magistri militum (sed hoc non ad Duces Neapolitanos pertinet) sub quibus erant Legiones Palatinæ, Martiarij, Daci, Scythæ, Primani, Vndecimani, ac reliqui quos in Notitia reperies. Leontium quoque Exconsulem nominat Gregorius cùm de causa libertini scribit, & de insulis Neapolitanis non surripiendis Romanum Defensorem admonet. Numerantur etiam Præfecti Campaniæ. Cassiodorus vocat Præfectos, & Consules.

Palatini.

Comites inuenti à Constantino.

Comitū tres ordines.

Lib.8.ep.51.

Lib.8.ep.53.

Præfecti Campaniæ.

M Tribu-

Tribunus, vel Præfectus custodiæ.

Constantium Tribunum custodiæ ciuitatis commendat Gregorius vniuersis Episcopis Neapolitanis, his verbis; *Summa militiæ laus inter alia bona merita hæc est, obedientiam sanctæ Reipublicæ exhibere, quodq. sibi viriliter imperatum fuerit, obtemperare; sicut & nunc deuotionem vestram fecisse didicimus, quæ epistolis nostris quibus magnificum virum Constantium Tribunum custodiæ ciuitatis deputauimus praeesse, paruit, & congruam militaris deuotionis obedientiam demonstrauit. Vndè scriptis nos præsentibus curauimus admonendos, vti prædicto magnifico viro Tribuno, sicut & fecistis, omnem debeatis pro Serenissimorum vtilitate, vel conseruanda ciuitate obedientiam exhibere, quatenus quicquid à nobis benè gestum hactenus agnoscitur, per præsentis temporis vigilantiam, ac sollicitudinem augmentetis.* Magistro militum & Duce tunc Neapolim caruisse, ea verba ostendere videntur, quandò eius custodiæ cura Tribuno committitur. An verò non etiam intelligimus, omne studium in Neapolitanam ciuitatem Summum Pontificem contulisse, & pro Imperatorum dignitate omnia fecisse quæ optimum Pastorem decebant? Eius in ea ciuitate auctoritas iis verbis ostenditur, quibus Tribunum ab ipso præfectum scribit. Eusebius in Græcis vrbibus hos Tribunos, Præfectos nominat. Accedit autem custodiæ Præfectus ad antiquum Præfectum vrbis & Vigilum, qui incendiorum causa opportunis vrbis locis ab Augusto fuit cum cohortibus institutus, & Clarissimum virum appellat Festus, Triumuiris, & Tribunis id negocium quoque demandatom asserens. Imperabat Præfectus Vigilum sexagintatribus Collegiatis, qui ex diuersis artificum corporibus erant delecti. *Nycteparocbus* dictus est Nouella 13. & *Nyctostrategus l. vltima*, §.1. *de muneribus & honoribus*. *Nocturnus aduocatus*, Petronio *in Satyra*, Νυκτοφύλαξ, *Noctianus*, *Nocte custos*, *Vigilis*, in Glossis.

Lib. 12 ep. 24.

Gregorij Pontificis in Neapolitanos studium.

Præfectus vigilum.

Collegiati.

Comi-

Comitiua Neapolitana.

Comitum dignitatem Constantinus inuenit, vt ex Eusebio diximus. Sed Comitiuam quam describemus Longobardis, Gotthisq. tribuo, quibus in Italiam ingruentibus aliquot Magistratus desiere, aliquot ad summum honoris fastigium sunt euecti. Duces sub Gotthis, nihil fuere. Viguit Comitiua; licet Neapolitani exactis Gotthis, sub Ducibus redierint. De Comitiua Neapolitana, sub Visigotthorum Rege Theodorico, sic loquitur Cassiodorus; *Et ideo ad Comitiuam te Neapolitanam per illam inditionem libenter adducimus, vt ciuilia negocia aequus trutinator examines, tantumq. famam tuam habita maturitate custodias, quantum te illi populo, vel in leui culpa displicere cognoscas. Vrbs ornata multitudine ciuium, abundans marinis terrenisq. delicijs, vt dulcissimam vitam te ibidem iuuenisse dijudices, si nullis amaritudinibus misrearis. Pratoria tua officia replent, militum turba custodit. Consídis (alibi, conscendis) gemmatum Tribunal. Sed tot testes pateris, quot te agmina circundare cognoscis. Praetereà littora ad praefinitum locum data iussione custodis. Tuae voluntati parent peregrina commercia. Praestas ementibus de precio suo, & gratiae tuae proficis, quod auidus mercator acquirit. Sed inter haec praeclara fastigia, optimum te esse Iudicem decet, quandò se non potest occulere qui inter frequentes populos cognoscitur habitare.* Hoc Magistratus genus, nihil cum supremo Magistratu commune habuisse mihi persuadeo, cum Iudicem dicat, & Comitem alijs verbis, iuri tantùm dicundo electum declarat. sic enim scribit Honoratis, Possessoribus, & Curialibus, quos Decuriones suprà diximus; *Tributa quidem nobis annua deuotione persoluitis, sed nos maiore vicissitudine decoras vobis reddimus dignitates, vt vos ab incursantium prauitate defendant, qui nostris iussionibus obsecundant. Erit vestrum gaudium, vestra quies, suaue lucrum, si nesciatis incommodum.* Et paulò post; *Atque ideò illi vos Comitiuam Neapolitanae ciuitatis per illam inditionem dedisse declaramus, vt nostra gu-*

Lib. variar.

Comes, et Iudex.

bernatione laudatus, alteram mercatur de nostro iudicio dignitatem. Cui vos conuenit prudenter obedire, quia vtrunque laudabile est, vt bonus populus Iudicem benignum faciat, & mansuetus Iudex gratissimum populum æquabili ratione componat. Sed gemmatum illud tribunal, Prætorium, militum turba & alia quę subnectit efficiunt, vt credā Comitē quasi Ducem præfuisse in Gotthica illa calamitate, & Iudicem supremum tunc Magistratum esse appellatum; & Iudicibus Neapolitanis scripsisse Pontifices dicemus. Adiuuat hanc opinionem idem Cassiodorus qui eosdem Iudices Cognitores quoque appellat, nec solùm ciuitatibus, sed vniuersæ prouinciæ præpositos. Idq. totum ad Gotthos spectasse in litibus idem confirmat; si enim inter duos Gotthos lis coorta esset, ipse vnus Iudex dirimere deberet; si verò inter Gotthum & Romanum, adhiberet sibi peritum Romanum, quo cum rei consuleret; sic enim scribit; *Cùm Deo iuuante sciamus Gotthos vobiscum habitare permixtos, neque inter consortes, vt assolet indisciplinatio nasceretur, necessarium duximus illum sublimi virum bonis nobis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem destinare, qui secundum edicta nostra inter duos Gotthos litem debeat amputare; si quod etiam inter Gotthum & Romanum natum fuerit fortasè negocium, adhibito sibi prudente Romano, certamen possit æquabili ratione distringere. Inter duos autem Romanos Romani audiant quos per prouincias dirigimus Cognitores.* Magistratus profectò illi in tanta ditionum, & variarum gentium mutatione, varia nomina, varias quoque sortiti sunt dignitates. Sic post Græcorum Duces Præfectosq. Comites subsequuti, à Transimundo enim Capuano Comite Constans Imperator cùm soluta Beneuenti obsidione Neapolim se recepisset, nonnullis detrimentis affectus est anno 603. & Grimoaldus Alzeconis petitioni obsequutus Bulgaros in Beneuentanum Ducatum transmisit, atque oppida aliquot deserta Bouianum, & Aeserniam præcipuè, à filio iussit concedi, eorumq. Gastaldium, siue Comitem appellari anno 667. Transijt ad Nortmannos, & honoris fuit insigne, vt ait Gulielmus

Cognitores.

Gotthi, & Romani Neapoli permixti.

Aesernia & Bouianū deserta oppida.

Gastaldius.

Apu-

Apulienfis, legimusq. vel prouinciæ, vt Apuliæ Comites, vel ciuitatum, vt Aquini, Fundorum, Auersæ. Et in Rogerij diplomate anno 1144. quædam confirmantur quæ Adenulfus quondam Puteoli Comes concesserat, & Landulfus Castri Puteolani Comes, Adenulfi Comites filius, & Gayltragunæ Comitissæ, aliqua cuidam Igumeno Monacho restituit. Antè ea tempora anno 590. Comitatium, & Vectanum Misenates Comites commemorat Gregorius. Comitiuam etiam Principis militum proponit Cassiodorus, & annuum Magistratum dicit: *Omnes apparitiones decet habere Iudices suos. Nam cui Præsul adimitur, & militia denegatur. Sed nos quibus cordi est locis suis vniuersos ordines continere, indicamus illi Comitiuam Neapolitanam, Deo iuuante, largitos. Vt Iudicibus annua successione reparatis, nobis sollemnitas non pereat actionis. Quapropter designato viro præstate competenter obsequium, vt sicut vos non patimur emolumentorum commoda perdere, ità & vos parendi debeatis priscam regulam custodire.* Notaui Neapolitanæ vrbis decus & commoda, quæ si hoc tempore Theoderico cognita essent, & admiraretur, & illustriores huic vrbi laudes tribueret Cassiodorus, tùm hoc præcipuè administrationis genere quod ad Regiam accedit potestatem à Regibus administratoribus datam, tùm habitantium numero, quibus gubernandis oportet huiusmodi Iudices, atque Rectores vt habeamus. Sed accipe varios Comitum ordines qui aliquid lucis Comitiuæ afferre poterunt;

Comites Puteolani, & Misenates.

Lib. 11. ep. 36

Comitiua Principis militum.

Sub Theodosio iuniore inter ceteros Orientis Magistratus Comites floruere. Ideoq. reperies Comites largitionum, & rerum priuatarum; Comites domesticorum equitum & peditum; hiq. sunt postremi spectabilium, qui cum Ducibus rei militari præpositi, in limitibus degebant. Et quamuis Ducem & Comitem eundem esse non legimus, Ducis tamen nomen Comitis nomini non præponebatur. At scimus in diuisione Orientalis, & Occidentalis Imperii, vel ab Arcadio, & Honorio, vel à Probo & Floriano, vel à Maximino & Constante, vel à Constantino & Galerio, qui primi Romani Imperii prouincias


Comites & Duces.

Imperij diuisio.

Comites officio Præsidis iungebantur. cias sunt partiti, Comites officio Præsidis esse functos. In Occidente verò, duo Comites domesticorum erant, qui Principem semper comitabantur; & in limitibus, duo Comites rei militaris; aliquandò sex reperiuntur. Sed in Palatijs vtriusque Imperii, Comites Officiorum, Largitionum & rerum priuatarum. Constantius tres Comitum ordines Largitionum *Perfectissimi. Angariæ.* inuenit, primiq. secundi, & tertij Comites dicebantur, quos Perfectissimos nominabant, atque ijs in cursu publico, vel euectione, præter duas angarias (ità cursum vehicularem appellabant Persæ, & Græci δημοσίυς ἱπποςάθμυς) hoc est duos equos, concedebant. Idq. tunc fiebat cùm res gestas in prouincia Principi nunciarent, quod per dispositos equos hodiè efficitur, idq. inuentum Herodotus Persis, Xenophon Cyro, *Clibanarij. Cataphracti.* Tranquillus Augusto tribuit. Præter hos Comites, Clibanarij quoque Comites sunt, ex genere armorum sic dicti à Persis, à Latinis Cataphracti, qui seipsos & equos vndique ferro *Comites varij.* tegebant, quorum Lampridius meminit & Marcellinus. Comites Sagittarij iuniores, post Seniores inuenti. Comites Taifali, sic à Septentrionalibus populis dicti, qui sub Fernebio Duce Thracias populati, cum Fidigerno Gotthorum Principe conserta manu magna ex parte trucidati sunt anno 379. qui à Valente Imperatore circà Mutinam, Rhegium, & Parmam sunt exterminati. Ex his posteà equites factos Gratianus stipendio aluit, & Comites Taifalos vocauit. Comites Arcades qui ex Arcadia Peloponnensi regione delecti equites, Comites *Legiones variæ.* honoris causa sunt appellati. Ex Comitatensibus Legiones reperies sub Magistro militum in Oriente, tùm in Occidente sub Diocletiano & Maximiano; Constantino, Constante, Valentiniano, Theodosio, quibus illa nomina, Diocletiana, Thebæorum, Maximiana, Herculea, Flauia Gemina, Flauia virtutis, salutis, Gallicana, & huiusmodi. At verò Præfecti limitum, quia Comites primi ordinis erant, ius animaduertendi in milites habebant, & Comites militum, vel Comites rei *Tribuni.* militaris dicebantur. Tribunos aliqui hos vocant. Minimè. Qui enim tantum auctoritatis consequuti non fuerant, Tribuni erant,

ni erant, qui alia militiæ necessaria curabant, continebant scilicet milites in castris (vt refert Aemilius Macer) ad exercitationem perducebant, claues portarum suscipiebant, frumentationibus commilitonum intererant, frumentum probabant, mensuræ fraudem coercebant, valetudinarios inspiciebant, in reos animaduertebant. Habes pro Neapolitana Comitiua, prouinciarum Præsides, ius animaduertendi in alios, & multa quæ ad Comitum dignitatem inferiorum temporum pertinebunt, Comites enim Apuliæ, Calabriæq. & huiusmodi sese offerent. Eo nomine appellabantur summi Proceres, qui cum Regibus aliquandò contendere ausi sunt. Nunc ab iis negligitur qui titulos exposcunt. *Comites Regni Neapol.*

CORPORA ET COLLEGIA NEAPOLITANAE Reip. Cap. X.



CORPORA & Collegia Rerumpublicarum fuisse partes, Notitia vtriusque Imperii docet, in qua sunt Architecti, Arcarii, Clauicarii, Vitriarii, Figuli, Quadratarii opus vermiculatum facientes, Statuarii, Lecticarii, Deauratores, Albini, Argentarii, Barbaricarii qui ex auro (vt inquit Donatus) coloratis filis hominum, & animalium imagines exprimebant, Aerarii, Fusores, Diatrerarii margaritas perforantes, vel calices torno polientes, Pelliones. Alios numerat Symmachus; *Nouerat horum Corporum ministerio tanta vrbis onera sustineri. Hic lanati pecoris inuector est, ille ad victum populi cogit armentum; hos suillæ carnis tenet functio; pars lauacris ligna vrenda comportat. Sunt qui fabriles manus augustis operibus accommodant; per alios fortuita arcentur incendia. Iam Caupones, & obsequia pistoria, frugis & olei baiulos, multosq. id genus patriæ seruientes*. Supra appellauit, *Corporatos negociatores membra æterna vrbis*. Collectarios quoque commemorat, quibus arca vinaria

Varia artificum Collegia.

Lib. 5. ep. 13.

Corporati Collectarij.

Alij artifices. vinaria statutum precium ministrabat. Constantinus in rescripto ad Maximum, alios recenset. Tarruntenus Paternus in Digestis enumerat Valetudinarios, Medicos, Capsarios, qui fossam faciunt, Veterenarios Naupegos, Ballistarios, Specularios, Fabros, Sagittarios, Bucularum structores, Carpentarios, Scandularios, Gladiatores, Tubarios, Cornuarios, Arcuarios, Plumbarios, Lapidarios, eos qui calcem coquunt, eos qui siluam infindunt, eos qui carbonem cædunt, & torrent, Venatores, Victimarios, Librarios, Horreorum Librarios, Depositorum Librarios, Adiutores Cornicularíorum, Stratores, Custodes armorum, Præcones, Buccinatores. In antiquis lapidibus inuenimus Collegia & Corpora Suauiorum, Confecturariorum, Tignariorum, Fabrorum, Centonariorum, Dendrophororum, Sartorum, Coriariorum, Dolabrorum, Solæariorum, Scalariorum, Fœnariorum, Aeneatorum, Piscatorum, Pistorum, Vrinatorum totius aluei Tyberis, Nautarum; qui Corporis nomine coibant, & Corporati dicebantur; *Societates* appellat Liuius; *Ordines*, Cicero & historici; Σώματα, Græci, quæ vox non tantum corpus, sed etiam seruile significat opus. Ideò Cicero in Pisonem, ex omni vrbe & seruitio Collegia instituta commemorat. Ideoq. Marcianus; *Curatores horum Corporum sciant ne inuito, aut ignorante domino in Collegium tenuiorum reciperent, & in futurum pœna teneantur in singulos homines aureorum centum.* Et, *Seruos quoque licet in Collegio tenuiorum recipi volentibus dominis.* Curatores ea Collegia habuisse, ostendit lapis Puteolanus, in quo Dendrophori sunt sub cura xv. Vir. De his Corporibus, Theodosius & Valentinianus ad Senatum; *Introducto negocio statuimus, vel quibuslibet Corporibus, aut legatis, aut prouinciæ, vel ciuitati, vel Curiæ donauimus.* Sed Marcianus ex Senatusconsulti, vel Cæsaris auctoritate eadem coeunda dicit, & Collegia Sodalicia nominat. Aliquandò illicita fuisse demonstrat, mandaturq. Præsidibus prouinciarum, ne ea patiantur, quemadmodum D. Seuerus nec in Vrbe, nec in Italia, nec in prouinciis locum habere rescripsit. Et quamuis Relli-

Societates — *Collegiorum Curatores.* — *Collegia Sodalicia.*

Relligionis causa non prohiberentur, licebat nihilominus coire, dùm contrà Senatus consultum non fierent. quo illicita Collegia arcebantur, quæ qui vsurpassent, pœna tenebantur (inquit Vlpianus) qua qui hominibus armatis loca publica, vel templa occupasse iudicati essent. Monopolia sic vitanda censuerunt. Suetonius ait Augustum Collegia præter antiqua & legitimà dissoluisse, propterea quòd plurimæ factiones tituli Collegij noui ad nullius non facinoris societatem coisse. Caius lib. 4. ad legem xij tabul. Sodalicium huiusmodi à Græcis dicit nominari ἑταιρίαν; addidit his potestatem fecisse legem pactionem qua velint sibi ferre, dùm ne quid ex publica lege corrumpant. Institutum ex Solonis lege deducit, qui ait; *Si plebs, si vicini, si sacrificuli, vel Nautæ, vel Conuictores, vel communia sepulcra habentes, vel ad prædam simul profecti, vel in negociationem, vel id genus simile alterum altero conuenerit, firmum esse, dùm publicis Sanctionibus non contradicat*. Hinc in nostris Phratrijs, Epulum, conuiuia, χίλια δινάρια, leges. Qui in maiora, & minora Collegia diuidunt, ignobiliores artes à nobilioribus separant, quàm enim Argentariorum, & Sericariorum corpora, à coriariorum & huiusmodi corporibus differunt? Sic Romæ Collegia Tibicinum, & Fidicinum Romanorum, inferiora Augurum, vel Augustalium corporibus dicemus. Et quamuis Neapoli omnia ea corpora quæ supra commemorauimus fuisse, magnificæ vrbis institutio declaret, hæc tamen pauca in marmoreis monumentis, & auctorum scriptis reperimus; Figulorum, Dendrophororum, Saponariorum, Iudæorum, Equitum.

Maiora & minora Collegia.

Tibicinum Augurum. Augustalium corpora.

Corpora Neapolitana.

Extat cippus marmoreus, cum inscriptione, in qua præter hanc vocem, FIGVLI, quæ veluti titulus præponitur, nihil legi potest. Depicta in eo fax est; quam vel ad Cereris Relligionem, vel ad facium ludum refero. *Plurimi faciebant Figulos, quòd fictilibus prolibabatur simpuuijs; & satiabant figlinarum opera imbricibus, tubulis, tegulisq. ad balineas hamatis, vel ad tecta coctilibus laterculis, frontatisq. aut quæ rota fiunt, etiam fictilibus dolijs ad vina excogitatis, & ad* *aquas.*

Lib. 35. cap. 17.

N

aquas. Propter quæ Numa Rex ſeptimum Collegium Figulorum
Dendrophori. *inſtituit*, ait Plinius. DENDROPHORORVM Neapoli memoria extat in lapide qui ſacram turrim D. Gregorij ſuſtinet, in quo hæc leguntur,

C. DOMITIO. DEXTRO. II. L. VALERIO. MESSALA. THARSIA. PRISCO. COSS VI. ID. IAN. IN CVRIA. BASILICAE. AVG. ANNIAN. SCRIBENDO. ADFVER. A. AQVILIVS. PROCVLVS. M. CAECILIVS. PVBLICIVS. FABIANVS. P. HORDEONICVS. SECVND. VALENTIN. T. CAELIVS. BASSIANVS. QVOD POSTVLANTE. CN. ...... DE. FORMA. INSCRIPT. DANDA. STATVAE. QVAM. DENDROPHORI. OCTAVIO. AGATHAE. P. C. N. STATVERVNT. CN. PAPIRIVS. SAGITTA. ET. P. AELIVS. EVDAEMON. II. VIR. RETVLERVNT. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. PLACVIT. VNIVERSIS. HONESTISSIMI. CORPORIS. DENDROPHOR. INSCRIPTIONEM. QVAE. AD HONOREM......

Quem licet Puteolis, aut potiùs Cumis huc aduectum arbitrarer, cùm in ijs locis repertum lapidem, in quo Dendrophororum creatio ſcripta eſt, oſtenderit Epiſcopus Puteolanus, quem ſuo loco adſcribam, & quem Nuntius Apoſtolicus Neapoli retinet; non eſt tamen cur verear, de Neapolitanis quoque Dendrophoris eſſe locutum, qui ad Neapolitanas thermas ligna, carboneſq. importabant, cùm Balinei ad theatrum ſuo loco mentio fiat. Neapolitani verò, vel Puteolani ſint, iuuat eos noſſe. Non ſæpè Dendrophoros legimus, ſed varijs epithetis deſcribuntur; *Qui ſiluam infindunt*; *Qui carbonem cædunt, & torrent*; vbi *carbonem*, arborem intelligit Accurſius; *Qui lauacris ligna vrenda comportant*. Neque fabricarum ſerui ſunt de quibus Valentinianus, *Si qui publicorum ſeruorum fabricis, ſeu alijs operibus publicis deputati domibus ſe alienis, & priuatarum ancillarum conſortijs adiunxerint, conditioni priſtinæ, laboriq. reſtituantur*; conſtituta enim erant ab Imperatoribus fabricandis arma, loca Damaſcus in oriente

Thermę Neapolitanę.

Loca fabricis deſtinata.

vbi

vbi Scutariorũ fabrica; Antiochia, vbi Clibanaria arma quæ cataphractos protegerent; Aedessa in Mesopotamia, vbi Scutaria & Armamentaria; Irenopolis Ciliciæ, vbi Hastaria; vt Pontum, Asiam, Thraciam, Illiricum praetereã in singulis quarum fabricis seruos ad opus illud publicum damnatos, & aliquandò mercede conductos habebant; sed Corpus hoc siluis præcipuè erat dedicatum, & cum Fabris, Centonarijs, Tignarijsq. in multis antiquis monumentis coniuguntur. In lapide Puteolano cernitur Dedicatio Dendrophororum, & magisterium Quinquennalitatis. In alio Romano, Ti. Claudius Chresimus ob Quinquennalitatis honorem Collegio Dendrophororum quibus ex S. C. coire licebat, argenti pondo X. & HS. decem millia reddidit, quæ diuisa sunt populo per gradus Nummio Albino, & Fuluio Aemiliano Coss. Sacerdotium quoque obijcitur, *Magister* enim est & *Flamen*. Saffinæ in Flaminia inscriptio est qua collegis Dendrophororum, Fabrum, & Centonariorum ex testamento HS. senamillia dantur, oleumq. singulis annis diuiditur die natali testatoris. Ad Lirim amnem ex Manutio Q. Iunio Seueriano veterano Quæstori Reip. Asculanorum, patrono Collegij Centonariorum, & Dendrophororum, statua à liberta dedicatur, & datur cœna Decurionibus, quibus & populo pecunia quoque diuiditur. Errarunt qui arbitrati sunt Ξιλία & Δενδρόφορον eundem esse. Ξιλία enim Sacerdotem appellabãt qui certo pretio ligna ad sacrorum vsum, vel publicè ciuitatibus, vel priuatim cuiuis homini suppeditabat, ex eo Collegio quod ex Iouis famulatu ab Hercule fuit institutum qui apud Eleos Pelopi ad scrobem quandam sacra fecit, ad quam annui magistratus nigros arietes mactabant, vt scribit Pausanias in Eliacis. Iurisconsulti, vt familiam tres, ità Collegium & Corpus tres quoque efficere scribunt. l. Neratius de verbor. signif.

Corpora Fabrorum, Centonariorum.

SAPONARIORVM Corpus (hac ætate Neapoli infimum) huiusmodi Fortunato Episcopo Gregorius Pontifex commendat; *Augustinus præsentium portitor, qui reliquorum Saponariorum ciuitatis vestræ vice sese dixit esse transmissum, quæ-*

Lib 2. ep. 27.

ſtus nobis eſt, quòd Ioannes vir clariſſimus Palatinus, multis eos fruſtrà affligat incommodis, atque noua plurima eorum Corpori præiudicialiter nitatur impendere. Denique vt ſicut ait, eos promittere ſibi compellat, vt ſi quis arti eorum ſotiari voluerit, quicquid commode de introitu eius acceſſerit, ipſi proficiat. Adijciens quoque pactum inter ſe de quibuſdam rationabilibus artis ſuæ capitulis iuxtà priſcam conſuetudinem omnium conſenſu interpoſita eſſe pœna confectum, atque id ſacramento interueniente firmatum; & ab eo nunc velle quoſdam ex ſuis, eius ſcilicet patrocinio fretos abſcedere, atque ità contrauenire tuitionem cupientibus impendere, & quod dici graue eſt, plus in defenſione eius præſumptionem habeant, quàm de pœna penuriam, vel de ſacramento præſtito poſſint habere formidinem. Quòd ſi ità ſe res habet, quia etiam ipſi quod ait aduerſum eſt, quippè qui alieno ſe peccato ſua defenſione conſtituit eſſe participem, fraternitas veſtra paterna eum adhortatione conueniat, vt ab huiuſmodi ſe actu cohibeat, & præiudicialiter illis nihil imponat, nec eos diſpendij contrà rationem affligat. Pariter etiam prouidendum eſt, vt & pactum vbi ſacramenta ſunt præſtita conſeruetur, & cum diſpendio animæ ſuæ temporalia lucra contraueniendo non appetat, ne & periurij crimen incurrat, & commoda prauè deſiderata non capiat. Et ſi, quod non credimus, admonitionem veſtram prædictum Ioannem virum clariſſimum videtis fortè differre, cum eminentiſſimo filio noſtro Præfecto ſtrictè loquimini, vt ipſe hoc ſicut in præſenti dici fecimus quomodo prauiderit, rationabiliter faciat emendari; quatenus & eos qui tuitionis veſtræ ſuffragia quæſiuerunt, quorundam voluntas iniuſtè non opprimat, vt ille ab opere ſe indecenti probitum pro ſua magis animæ vtilitate cognoſcat. O beatum Pontificem, cuius ſtudium etiam ad Saponarios pro animarum vtilitate deſcenderit; & o beatam Neapolim quæ tantum virum habuit protectorem.

IVDAEIS quoque locum tribuamus, quorum Corpus in ea vrbis regione habitauit, quam Synocham vulgus appellat, quòd συνέχεσθαι conuenire ſignificat; niſi malueris Συναγωγὴν

χωγλῶ. Hos quidem multos fuiſſe, eorumq. fortunis calamitoſo tempore vti ſolitos Neapolitanos, oſtendit Procopius. Cùm enim Beliſarius metuendam parabat Neapolitanis obſidionem, Iudæi publicè à Paſtore & Aſclepiodoto qui principem locum in ea vrbe obtinebant, ſunt conuocati, & propoſito periculo in quo verſabantur, polliciti ſunt pecunia & viribus effecturos, vt intelligerent quantùm tuendæ ciuitati incumberent, ſi Gothi quoque moenia fortiter tueri voluiſſent. *Iudæi Neapolitanos iuuabant.*

Idem Pontifex Gregorius hæc de Iudæis Neapoli commorantibus ſcribit ad Fortunatum Epiſcopum; *Fraternitati veſtræ antè hoc tempus ſcripſimus, vt hos qui de Iudaica ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem Deo aſpirante venire deſiderant, dominis eorum nulla eſſent licentia venundandi, ſed ex eo quod voluntatis ſuæ deſiderium prodiſſent defendi in libertatem per omnia debuiſſent. Sed quia quantùm cognouimus, nec voluntatem noſtram nec legum ſtatuta ſubtili ſcientes diſcretione penſari, in Paganis ſeruis hac ſe non arbitrantur conditione conſtringi, Fraternitatem veſtram oportet de his eſſe ſollicitam, & ſi de Iudæorum ſeruitio non ſolum Iudæus, ſed etiam quiſquam Paganorum fieri voluerit Chriſtianus, poſtquàm voluntas eius fuerit patefacta, ne hunc ſub quolibet ingenio, vel argumento cuipiam Iudæorum venundandi facultas ſit, ſed is qui ad Chriſtianam conuerti fidem deſiderat, defenſione veſtra in libertatem modis omnibus vendicetur.* Quos ſuos ibi ritus exercuiſſe declarat idem Pontifex ad Paſchaſium Neapolitanum ſcribens, monetq. non aſperis ſed blandis verbis ad fidem aliquos eſſe prouocandos. Hic enim titulus cap. 3. eſt in Decreti parte 2. Diſtin. 45. *Iudæi ſiquidem* (Inquit Pontifex) *Neapoli conſiſtentes queſti nobis ſunt, aſſerentes quod quidam eos à quibuſdam feriarum ſuarum ſollemnitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis ſit licitum feſtiuitatum ſuarum ſollemnia colere, ſicut eis nunc vſque, & parentibus eorum longis retrò temporibus licuit obſeruare.* Multaq. ſubdidit, ſed præcipuè vt de ſuis illos ſollemnitatibus inquietari denuò non permittat, & liberam habeant licentiam obſeruandi feſtiuitates quas per longa

Lib. 5. ep. 31.

Lib. 11. ep. 16

Iudæi Neapoli eijciuntur.

longa retrò tempora obseruarunt. Neapoli à Petro e Toleto 1540. eiecti sunt. iterùm cum accedere tentassent, non fuit permissum. Reliquæ tamen aliquot familiæ sunt quæ à Iudæis originem ducunt, & quæ in negotijs peragendis Iudaismum sapiunt; nec in rebus publicis onera subire, & petere verentur.

Equitum corpora. Sed ne seruilia solum Corpora Rempublicam constituisse arbitremur, nobiliora Corpora in medium proferamus. Prætermitto Augustalium Corpora deuenio ad corpora EQVITVM. Multos de ijs lapides habemus, sed præcipuus ille est, qui ad S. Crucis Monialium positus est;

M. METTIO
M. FIL. PAL. PIO. EQVO. PVBLICO
PRAEF. COHOR. V. THRACVM.

Sic etiam Capuæ in monte Tifatis.

C. VELLEIO. C. F. PAL. VRBANO
MAG. FAN. DIAN. TIFAT. HONORATO
EQVO. PVBLICO. AB. IMP. ANTONINO
AVG. CVM. AGERET. AETATIS. AN. V
C. VELLEIVS. VRBANVS. ET. TVLLIA
NICE. PARENTES. D. D. D.

Duo equitum corpora. In quibusque Rebuspublicis rei militaris præcipuum hoc erat ornamentum. Et duo Equitum Corpora leguntur, alterum Equo publico, & ij verè Equites dicebātur; alterum, sine Equo *Equus publicus.* publico. Censores delectum faciebant, vt cognoscimus ex Polybio, μετὰ ταῦτα τοὺς ἱππεῖς τὸ μὲν παλαιὸν ὑστέρους εἰώθεισαν δοκιμάζειν ἐπὶ τοῖς τετρακισχιλίοις; *olim quidem Equites solent legere* (de Censoribus loquebatur) *post pedites*. Cumq. Equus *Equus publicus & Decurio.* publicus diceretur, Iudex selectus erat dignissimus Decurionum, cui equus publicus alebatur. Quamobrem in hoc similibusq. lapidibus idem Equus publicus est, ac Iudex selectus, vel Decurio. Brixiæ

P. PLACIDIO. C. F. PAL. CLODIANO. EQVO. PVBLICO
DECVR. BRIXIAE. C. PLACIDIVS. HEMADION

& Au-

& Auximi,

M. OPPIO. CAPITONI. Q. CAMVBIO. Q. F. TN. T
PRIN. VEL. ANNIO. SEVERO. EQVO. PVBLICO
IVDICI. SELECT. ET. DECVRIO. TRIB. LEG. VIII.

Equi autem publici, militares alio nomine appellabantur; ideò Plinius; *Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis Equorum publicorum*. Et Feſtus; *Equitare antiqui dicebant, Equo publico merere*. Hinc Cicero in Antonium, *Altera Statua eſt Equitum Romanorum Equo publico*. Hinc ad Neapolitanos Equitum nomen ex militia defluxit, Militeſq. antiquitùs appellati ſunt. Dicebatur Publicus, quoniam vt ait Liuius, *Equis certum numerum æris aſſignatum, tùmq. primum equis merere Equites coeperunt*. Et quòd è publico accipiebatur pecunia ad emendum & alendum equum, Equus publicus erat. Augusti æuo apud Dionē ad quinquemilia eorum numerantur quibus Equus publicus eſſet, & in eum ordinem referri maximæ dignitatis erat. Notat Lipſius probatiſsimæ vitæ eum eſſe oportere, qui Equum publicum eſſet accepturus. Et cùm quidam Adriano diceret ſibi eſſe ſubſtantiam Equeſtris dignitatis, ſed cùm Equum publicum peteret, eſſe prætermiſſum; reſpondit Imperator, *Qui Equum publicum petit, emendatus eſſe debet*; producitq. nummum cum Equo & Cenſore, Liuius enim; *Ne inuitus militaret neue Cenſor ei Equum publicum aſſignaret*. *Examen recognouit,* inquit Suetonius in Caligula. *Tranſuectionem* appellauit Dionyſius. Et Liuius quoque ſcribit inſtitutum, vt Equites Idib. Quinctilibus tranſueherentur. *Tranſitum* appellauit Plinius in Viris Illuſtribus. *Recognitionem* dixit Xiphilinus. Meminit Martialis,

Lib.33.c.1. *Lib.1.* *Equi publici innumeri.* *Lib.33.* *Examen equitum.* *Tranſuectio.* *Tranſitus.* *Recognitio.*

Trabeaſq. & idus, fibulaſq. cenſuſq.

Nam trabeati, Equites tranſuehebantur apud Valerium Maximum, & Dionyſium, qui ſacrificium & pompam deſcribit, quaſi è pugna redirent equites coronati fronde Oelagina; togis purpureis, & punicei coloris materiam prætextam habentibus induti, quas vocant trabeas. Idem Auctor hoc Relligionis monumētum reliquum fuiſſe ſcribit ob victoriam quam Roma-

Romani contrà Latinos consequuti sunt, in qua Castor & Pollux Postumio Dictatori apparuerunt. Ea de causa à Martis tẽplo extrà vrbem, cùm alias Vrbis partes transeuntes, tùm ædem Castoris & Pollucis quæ in Foro erat pompam celebrabant, & eundem morem in Municipiis institutum. Hac de causa Neapoli quoque, vbi Castoris ædes in Foro. Et Papinius ad eum morem alludit,

Hic tum Romuleos Equites, trabeataq. Cæsar
Agmina mille simul iussit discumbere mensis,

Non igitur noua Neapoli sunt Equitum corpora. A prima antiquitate eorum nobilitas originem habet, & splendorem addit stemmate in dies nobiliori.



DE DVCIBVS NEAPOLITANIS QVI *Græcorum Imperatorum ætate floruerunt.*

Cap. XI.



NON esset hic Ducum Neapolitanorum locus, qui inferiora tempora spectant. At verò cùm ad Reipublicæ statum eorum administratio pertineat, non absurdum duximus, huiusmodi Politica immiscere,

In

In prouincijs Italiæ à Constantino Magno (vel paulò antè ea tempora) quæ decem & septem erant, vt scribit Sigonius, administrabant Consulares, Correctores, Præsides, & Præfecti. Sed expulsis Gotthis Narses à Iustiniano Ducis titulo Italiæ præpositus est. Qui cùm ab eodem Imperatore, & Sophia coniuge Constantinopolim esset accersitus, vt eius opera in distribuenda lana ancillis vteretur (atque hoc tot laborum premium pollicebantur) vir haud impiger, solers in bellis, insolitus contumeliæ, eorum ingratitudinem detestatus, & magis Constantini in ea re inertiam, qui tantùm vxori iniustè tribuere videbatur, quàm mulieris inconstantiam improbans, Neapolim se contulit, ibique priuatam vitam degebat. Odio interim capitali dùm arderet, crescentem flammam vendicandæ iniuriæ assiduis cogitationibus nutriebat. Quamobrem nihil opportunius efficere arbitratus est, quàm Alboinum cum suis Longobardis ad Italiam occupandam euocare. Ioannes tunc III. Pontifex Italiæ quieti studens quæ tot bellorum calamitates passa fuerat, Neapolim contendit, vt ab ijs artibus quas irato animo Narses moliebatur præcibus & monitis reuocaret. Duos summos viros tunc Neapolis in sua potestate florentes intuita est, & audiuit de summis rebus quæ ea ætate contigerant, & de Italiæ tumultibus & tranquillitate loquentes. Cùm inter se multa disseruissent, Pontificis tandem auctoritas Ducis ardorem magna ex parte restinxit, effecitq. vt simul Romam proficiscerentur, ibiq. Narses obijt. Successor Longinus ei datus est, qui non Ducem, sed Exarchum se nominant. Exarchos tunc primùm nouit Italia, licet eiusdem nominis Magistratus ad bellorum munera essent in Africa. Sublatisq. prouinciarum Correctoribus, atque Præsidibus, singulis ciuitatibus singulos Duces imposuit qui pro Imperatoribus regerent, quibuscum & Iudices, qui omnia reddendis iuribus administrarēt. Eorū Ducū posterioribus temporibus ordinibus populisq. ciuitatū electio data est, veluti Neapolitanis cōcessā videmus tùm ex Magni Greg. literis, tùm ex ijs quæ pro tēpore acciderūt, vt infrà planissimè cognoscemus.

De regno Ital Ducum initia.

Narses Neapolim venit.

Narses euocat Longobardos.

Ioannes III. Neapolim venit.

Longinus. Exarchi.

Lib. 18. Ducatus nomen Præfecturam significasse, Marcellinus docet, qui Orientis Præturam, Præposituram, & Ducatum nominat; & Orientis Ducatum cum ornamentis militaribus Tacitus Probo promisit. Et Paulus Diaconus scribit à Iustiniano Belisarium Prætorem in Lybia in omnibus esse constitutum. Apud Marcellinum quoque Magisterium Orientis reperies (hinc fortasse, Magistri militum) cui qui præfectus erat, Cardinarius etiam & Catholicus dictus est. Et apud Vopiscum,

In eius vita. Tacitus Imperator totius Orientis Ducatum decreuit Aureliano; vt Ducis tunc dignitatem maximam existimemus. Ipsi quoque Duces, Iudices deindè fuerunt; quippè Ἄρχοντες Principes erant Reipublicæ; & ἄρχειν Ducem esse, & iubere significat, quales Iudices legimus apud Hebræos, qui in Chana Iudices sibi constituerunt, vt populo ius dicerent; Regemq. noluerunt, solum enim Deum Regem existimabant. Quorum tamen cum satietas cepisset, Regem petiere, primusq. Saul Rex imperauit. Vt Iudicis auctoritatem, & eundem cum Duce fuisse cognoscamus, audiendus est Ioannes VIII. ad Neapolitanos, cùm enim Sergium Ducem abiecissent, & Athanasium Episcopum in eius locum suffecissent, hæc scribit; *Et quia illo abiecto pastorem & Episcopum animarum vestrarum, dilectum confratrem & vnanimem filium nostrum habere Iudicem elegistis innumeras vestræ prudentiæ, atque vnanimati gratias agimus.* Nescio tamen cur titulum præposuit, *Vniuersis eximijs Iudicibus, & vniuerso populo Neapolitanæ ciuitatis*, quo Senatum, Iudices appellare videtur, nisi fortè ipsum Ducem primum Iudicem voluerit intelligere, veluti inter plures Ἄρχοντες qui Senatui præerant Βασιλεὺς ὁ Ἄρχων primus existimabatur. Ad Decuriones quoque transferri nomen posse dicemus, ex quibus tamen Duumuiri iuri dicando eligebantur, eosq. Iudices eam adhuc imaginem retinuisse. In Synodo Constantinopolitana legimus, *Iudices & Senatum.* Sed

Ducum dignitas.

Iudices.

Præfectus. Dux *Præfectus* quoque fuit appellatus. Sic Mauritius Neapo-

Rector. litanus Dux à Gregorio dictus est. *Rectorem* nominat Ioan-

Seruator. nes VIII. *Senatorem Parthenopensis loci*, Bonitus Eccle-

siæ.

siæ Neapolitanæ Subdiaconus.

Bellorum molestijs solutus Constantinus, & voluptatibus deditus ædificiorum molem cogitans, distributa ciuibus Byzantinis annona, Magistratuum munera subuertit. Præfectum enim Prætorio in quatuor imperia distribuit, vt in eius vita scribit Zosimus. Et cùm præessent vbique locorum militibus non modò Centuriones, & Tribuni, verùm etiam Duces (sic appellabantur qui quolibet in loco Prætorum vicem obtinebant) Magistris militum institutis, altero Equitum, peditum altero, & in hos translata potestate militum ordinandorum, & coercendi nocentes, hac etiam in parte Præfectorum, vel Ducũ auctoritati detraxit. Quocircà aliquot annos Magistrum militũ alium à Præfecto Magistratum fuisse, certum est. Ideoq. Pelagius Mauritio scribit in tantas angustias Remp. esse adductam, vt nisi Princeps Magistrum militum, & Ducem Romam mitteret, omnibus essent auxilijs destituti. Qui reuocato Longino, Smaragdum Patritium continuit Rauennæ Exarchum, Romæ verò Gregorium Ducem, & Castrorum Magistrum militum destinauit. Quæ subsequuta sunt tempora, eundem Ducem, & Magistrum militum fecerunt. Declarat id Ioannes VIII. Neapolitanis scribens, cùm detestatur Sergium Magistrum militum, qui tamen inter Duces numeratur. Gregorius, Theodorum Sardiniæ Ducem nominat, eundemq. gloriosum Magistrum militum tantùm, veluti Maurentium, cui, *Gloriam vestram*, dicit, (quem etiam titulum Theodoro Rauennæ Curatori tribuit) quemadmodum gloriosum Sardiniæ Ducem appellauit, & veluti Ioannem, qui Sanguinarius dictus est, appellat Paulus Diaconus, qui Vethegim viuum ad Belisarium adduxit. Idem auctor, Magistrum militum Mysiæ Iustinum, & Scythiæ Blandarium nominat, & Adamantium qui in Palæstinam profectus est Stephani Episcopi necem vindicaturus. Et tamen hi quoque Duces erant. Magno imperante Isaacio, Sergius sic subscribit; *Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux, & Magister militum*; additq. Consulis nomen quod idem cum Duce, & Magistro militũ est; ait enim,

Duces, & Pretores iidem.

Magistri militum.

Smaragdus.

Lib. 1. ep. 47.

Subscriptio Ducum.

Filius quondam bonæ memoriæ Ioannis gloriosi Consulis, & Ducis, & Magistri militum, &c. Alter quoque Sergius sub Alexio; *Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux, atque Dei gratia Magister militum.* In extremo autem Diplomate; *Sergius Consul & Dux, & Protosebastos.* Idemq. *Consul & Dux per Domini gratiam Magister militum, & Imperialis Protosebastos,* primus scilicet Augustalis, qui & Magistratus amplitudinem, & militarem potestatem præseferebat. Licet apud Curopolatem, ὁ πρωτοσεβαστὸς οὐδεμίαν ὑπηρεσίαν ἔχει; *Protosebastos nullum ministerium habet.* Et tamen alibi scribit in nominibus Magistratuum Constantinopolitani Palatij, Δεσπότης Σεβαστοκράτωρ (adde Σεβαστοθώρων apud Cedrenum) Καῖσαρ, πρωτοσεβαστός; quem Augustalis primus vt dixi, cuius vestimenta eadem cum ijs quibus induebatur μεγάλος Κοντοστaύλος, Magnus Contestabilis. Et Caesarem appellat Iustinus Tiberium Comitem exactorum. Et Protosebastum, cum Πανυπερσεβάστῳ eundem faciunt. Et inuenta nomina scribunt ab Alexio Commeno, vt fratribus & affinibus gratificaretur, vt ait Zonaras. Neque functio erat Palatio militans, sed dignitas honoraria, quam non ministerij necessitas faciebat, sed Imperatoris δόξα. Sed quid de noua re Curopolatis dicam? terrestri exercitui imperabat Panisebastus, quemadmodum Dux maritimæ classi. Vide quid ferant tempora, quibus propria iudicare nequimus. Consules verò & Duces, Antipati quoque & Duces dicebantur (de Amalfitanis Ducibus legimus) & Imperiales Patritij, & Antipati & Basti, in eorundem Chronicis. Antipati, quæ vox Proconsules significat, Consules ipsos eo corrupto sæculo aliquandò designauit. Et Basti nomen (quod Vasti corruptè legunt) ad Protosebastum refertur. Nam iidem dicebantur, *Gloriosi Duces, Gloriosæ potestates, Pansebasti, & Sebasti.* Patritiatus sublimis dignitas erat, Clarissimis tantùm conferri solita. Sic enim Zeno Imperator; *Nemini ad sublimem Patritiatus honorem qui ceteris omnibus anteponitur ascendere liceat, nisi prius aut Consulatus honore potiatur, aut Præfectura Prætorij Orientis, vel*

Protosebasti. — *Augustalis.* — *Panisebastus* — *Antipati. Patritij. Basti.* — *Lib. 3. de Consul. Cod. lib. 12.*

vel Illyrici, vel Vrbis administratione, aut Magistri militum, &c. Duces limitibus erant præpositi, qui cum militibus prouincias custodiebant; vt quæ Romanis olim Consulibus tributa est auctoritas, Ducibus quoque tribueretur. Indè ad inferiores hos Duces auctoritas dimanauit, & aliquandò Consules & Duces dicti, vt in nostris lapidibus ὕπατος καὶ Δοὺξ; aliquando Consulis tantùm nomine decorabantur, & si non eo pacto Magistri militum dicebantur, quo qui limites custodiebant, similem tamen in ciuitatibus quibus præerant habuere. Et quamuis cum Neapolitanis hoc tempore Proregibus conferantur, tantò tamen splendidiùs hi excellunt, quantò latius Regni Neapolitani imperium propagatum cernimus, cùm certis finibus res Neapolitana Reipublicæ solùm commodò coercebatur. Nominis tamen antiqui superest auctoritas, cùm *Primi* appellentur à Regibus, & Magistri militum meritò *Generales* possint appellari, licet aliquid gloriosius in noua militia extollatur. . Militiæ causa aliquandò etiam Comestabuli nomen Ducibus est tributum, quamuis posteà suos Comestabulos Duces habuerint Prætores, & ciuitatum Vigiles, vel Custodes.

Duces, veluti Romani Consules.

Duces, & Proreges Neap.

Comestabuli.

Hæc verò prætermittenda non sunt, vt Ducum certior cognitio habeatur, vtq. sciamus Longobardorum etiam aliquandò Ducibus Neapolim fuisse subiectam quandò triginta sex annorum calamitatem illam barbarorum Italia passa est. Alboinus anno 568. cum Saxonibus in Italiam venit, & Venetam Regionem, Forum Iulium in Ducatus formulam redegit, & Gisulfus eius nepos Dux institutus. Hinc Ducatus Foroiuliensis nomen inclaruit; atque hinc perpetua Italiæ ditio est comparata. Perpetuum quoque Ducatus insigne adhuc retinet Illustrissima Venetorum Respublica. Eodem anno Vmbria quoque Ducatu instituta est, Duce Foroaldo; Etruria item citerior, vlteriore Romanis relicta. Reliquæ Vrbes singulis Ducibus commendatæ. Anno 574. Spoletanus Ducatus celebrari coeptus. Et hæc Regni Italiæ primordia. Mortuo Alboino, Clepho Rex successit anno 565. qui à puero familiari percussus

Ducum Italiæ series.

ſus interijt. Quocircà habitis à Longobardis Comitijs creando Regi, à Regibus abſtinendum decreuerunt, atque triginta Ducibus Reſpublica eſt commiſſa; qui ità ferociter, in vrbes, nobiles populares, Baſilicas, Epiſcopos ſæuierũt ſacra prophanis miſcentes, vt Saxones qui cum ijs venerant, ab eorum immanitate abhorrentes, Italia exceſſerint. Mauritij Imperatoris audito apparatu anno 585. rebus ſuis timentes Longobardi, in conuentu ſententias tulerunt, ac Regium dominatum reſtituendum cenſuere tranſacto decennio. Itaque Autharis Rex Clephonis filius creatus inſtituit, vt Reges Flauij dicerentur, & vt à ſingulis Ducibus vectigalium ſuorum dimidium ad Regiam tuendam amplitudinẽ conferretur. Anno 589. Autharis Longobardorum Rex in Samnium penetrauit, & cùm eas regiones ab eorum ſedibus remotas, exiguis præſidijs firmatas inueniſſet, & oppida, & prouinciæ caput Beneuentum ad deditionem adduxit, progreſſuſq. Rhegium vſque, & Beneuentum reuerſus, Zotonem Ducem ibi conſtituit, & Samnium Ducatu inſigniuit. Atque ita Foroiulienſi, & Spoletano, tertius Ducatus Beneuentanus eſt additus. Quamuis poſteà Arichis, vel Archis, Princeps non Dux voluerit appellari, vt ex Heremperto aſſerit Leo Oſtienſis. Anno 590. Childebertus vt à Longobardis acceptam cladem vlciſceretur quarta expeditione in Italiam parata ſummam Imperii xx. Ducibus commiſit, qui Longobardorum vires perfringerent. Tunc Gundoaldus Ducatum Haſtenſem adeptus eſt; atque huiuſmodi varia Ducum fortuna, varios attulit euentus. Hinc Neapolitanorum Ducum ſeries; ſed à Græcis Imperatoribus inſtituti, nullam à Longobardis acceperunt originem, quin etiam cum Longobardis Beneuentani ſæpè pugnarunt, & Orientalium ſemper partes ſequuti ſunt; & Gregorius Summus Pontifex, vt Imperatoribus morem gereret, Neapolitanæ ciuitatis maximam habuiſſe curam viſus eſt. Ideoq. Neapolitanorum Ducum maximam auctoritatem exiſtimo, quòd Imperatoribus, non barbaris Regibus obtemperabant; ideoq. etiam Cæſareos eos Vicarios dicit Nauclerus in Chronicis. Is Ducatus, quamuis

uis angustioribus finibus quàm Beneuétanus, aut Venetus, aut Spoletanus contineretur, aliquandò tamen Salernitanis, Surrentinis, Amalfitanis præfuisse, ex huius historiæ lectione patebit. Duces quos potui summis laboribus è tenebris eruere conatus sum, licet rerum inuolucra rectam annorum supputationem mihi abstulerint. Eorum imagines summa diligentia perquisiui. Frustrà tamen laboraui. Hunc tantum nummum Grimoaldi Beneuentanorum Ducis habui, in quo nostrorum etiam Ducum memoria elucescat. Sed veluti antiquiora nosse delectabile est; ità quæ mediis temporibus intercesserunt dignoscere iucundum existimo, cum præcipuè ad Reipublicę statum de quo agimus hæc spectare, quisque diiudicabit. Sed ne Copronimos, Porphyrogenitos, Palæologos, Curopolates, Balbos, Zimiscos; Paphlagones, Argyropolos, Monomachos, Botoniates, Calaphates, Commenos, Leapenos, Macedones ceterosq. Imperatores sub quibus Duces floruere commemorem, longiùs enim vagari existimarer, Ducum tantummodo gesta vsque ad Rogerium, quæ licet enumeremus.





DE DVCVM NEAPOLITANORVM Gestis. Cap. XII.

MARCELLVS. Ananymus.



NOLLEM sanè aut quicquam de aliorum laboribus detrahere, aut aliqua ex parte ineptus haberi omnium scriptis eam fidem adhibendo qua ipse quoque vltrò errarem. Ioannes Villanus *Ioannes Villanus Neap.*

nus Neapolitanus Chronica huius vrbis conscripsit (nisi magis placuerit alium mutato nomine eius operis fuisse auctorem quod à plerisque curiosis sæpè audiui) & gratiæ illi referendæ sunt qui vrbis memoriæ pro viribus consulere conatus est; sed in iis rebus quas longè ab eius ætate remotas recenset, cùm fabularum inuentis plurima immisceat, parum credere debemus. Multa quæ eius ætate fortasè acciderunt, ità sine ordine digerit, tàm longè à temporum serie disiungit, vt cautè quoque ad veritatem elucidandam, sit legendus. Is Marcellum ab Augusto Neapoli relictum fuisse Ducem scribit. Quænam Romanorum Imperio Ducũ memoria, in Coloniis & Municipiis? An verò Duumuiri & Decuriones iis non præerant, quibus nulla vnquam cum Ducibus communio intercessit? Quis ignorat, Duces à Græcorũ & Longobardorum temporibus initia duxisse? Anonymum idem auctor anno 334. à Constantino (quem Magnum fuisse tempora indicant) Ducem creatum scribit; idq. factum cùm Nicæam ad Concilium cum Pontifice Imperator proficisceretur. At Pontifex (qui Siluester erat, si cum illo Constantino conuenimus) Concilio anno 322. celebrato non interfuit. Asserit prætereà eundem Imperatorem instituisse, vt à populo deinceps Dux eligeretur. Electio sanè populi fuit; sed nescio quo illud Oraculo diuinarit. Quod si ità fuisset, rectiùs hunc primum Ducem, non Marcellum appellasset. Alios ipse non ex serie numero, sed ex temporibus quibus reperi.

Dux à populo eligebatur.

THEODORVS. DVX. I.

Constantini ætas efficit vt hunc nisi primum, in primorum tamen Ducum ordinem recenseam. Lapidem quem Falcus citat in D. Petri & Pauli æde quæ Iesuitarum templi ædificandi causa diruta est, dùm puer essem & ad Iesuitas studiorum causa ventitarem, legere memini. Sed quod verba ipsa memoria non retineo, & Falcus non optimè linguam Græcam callebat, exemplar malè transcriptum habemus. Et quoniam eiùs iactura, vt

ra, vt multarum etiam rerum, facta est, verum mihi exemplar afferre non licet. Huiusmodi scriptum in Falco reperi,

ΘΕΟΔΟΡΟΣ. ΥΠΑΤΟΣ. ΚΑΙ. ΔΟΥΞ. ΑΠΟ. ΘΕΜΕΛΙΩΝ. ΝΑΟΝ. ΟΙΚΟΔΟΜΗΣΑΣ. ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΔΙΑΚΟΝΙΑΝ. ΕΚ. ΝΕΑΣ. ΑΚΤΝΑΣΕΝ. ΕΝ. ΙΝΑ. ΤΕΤΑΡΤΗ. ΤΗΣ. Β ΣΙ. ΑΕΙΑΣ. ΑΣΟΝΤΟΣ. ΚΑΙ. ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΘΕΟΦΙΛΩΝ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΣΕΜΝΩΣ. ΒΙΩΣΑΣ ΕΝ. ΤΕ. ΠΙΣΤΗ. ΚΑΙ. ΤΡΟΠΩ. ΕΚΤΟ. ΜΕΝΣΕ. ΟΚΤΟΒΡΙΟΥ. ΕΝΘΑΔΕ. ΒΙΩΣ Σ. ΧΡΙΣΤΩ. ΕΤΙ. Γ. ΚΑΙ Σ.

Theodorus Consul & Dux à fundamentis templum ædificauit, & Diaconiam ex nouo perfecit Indit. quarta Regni Asontis & Constantini Dei amatorum & Regum, qui reuerenter vixit in fide & conuersione. sex. Mens. Octob. Hic viuens Christo annos xl. Oportuerat dicere, *Vixerunt*.

Nouũ etiã illud Regnum *Asontis & Constantini*, omnia turbat. Quis enim Asontem regnantem cum Constantino inueniet? Ad primos, hunc Ducem, Constantinos, vt referam efficiunt verba quæ *Dei amatores* eos Imperatores dicunt. Primi enim illi pietate & relligione viguerunt. In alijs prauitatem, aliquandò hæresim reperies. His additur, *Fides, & Conuersio*, quæ primi Constantini temporibus celebrantur. Qui arbitrantur, hunc Theodorum illum esse Calliopam qui Exarchus fuit in Italia, meminerint à Constante II. missum; & cùm bellum intulisset Longobardis qui ampliùs xx. annis quieuerant, fuisse reuocatum anno 650. Qui verò censent hunc fuisse Theodorum qui Prothospatharius dictus est, sciant illum Constantino & Hirene regnantibus vixisse, & annum longè alium esse, cùm regnare cœperint anno 786. Quapropter sufficiat Ducem habere, & Græcum Ducem, vt à primis temporibus, quibus Duces instituti sunt, non recedamus. Mendosum exemplar iudiciosis examinandum relinquimus.

ANONYMVS. DVX. II.

Absque nomine Ducem inuenimus in S. PATRITIAE vita quæ ex Imperiali orta progenie sub Constantino, vel Constante, è Constantinopoli cum Aglaia nutrice, & aliquot Eunuchis atque Virginibus anno 361. naui profecta Relligionis causa, vt mihi persuadeo, Neapolim appulit. Cùm Ciuitatem perlustraret, in Monasterium Sanctorum Nicandri & Marciani ingressa est quod à monachis incolebatur. Ibi cum Abbate loquuta prędixit se in loco eius Monasterij vbi suis manibus crucis signum reliquisset, eius corpus esse sepeliendum, & monachos, aliò profecturos. Romam deindè cum socijs petijt, & in D. Petri sancto Relligionis velamine indutæ, Constantinopolim rediere. Ibi vendito patrimonio, vt omnia condendis templis, iuuandisq. pauperibus erogaret, nauim iterùm conscēdit, & diuinitùs Neapolim aduecta in Insulam Saluatoris, vel Castrum Lucullanum appellens obdormiuit in Domino. In somnis Aglaiæ nutrici Angelus apparuit monens, vt quod gestum fuerat ciuitatis Duci illicò referret, & ab eo duos tauros peteret & carrucam (sic in eius vita à Leone Monacho conscripta quæ apud Bartholomæum Chioccarellum rerum sacrarum Campaniæ scriptore seruatur) in qua posito sanctæ Virginis venerando corpore, dimitteret tauros quò procurrerint, atque vbi steterint, corpus sepultura honestarent. Cum primùm somnus abijt, ad Ducem se contulit Aglaia, & quæ in somnis viderat fideliter detulit. Summò gaudio affectus Dux laudauit Aglaiam, tauros reperiendos iussit, corpus carrucæ est impositum; & dùm tauri per mediam ciuitatem currerent, populus frequens cum facibus, & thure, & hymnis prosequutus est, vt quæ dicta fuerunt vera experiretur. Ad Monasterium Sanctorum Nicandri, & Marciani cursum tauri retardarunt. A Duce, & Neapolitanis ibi Patritiæ corpus est sepultum. At cùm ob reuerentiam locus Virginibus frequens esset effectus, sic enim omnes Virginis sanctitas inuitabat, monachi

nachi alium locum quem incolerent petiere, quem Dux extrà ciuitatis muros concessit, vbi Monasterium S. Sebastiani situm est. Vtq. Ducis illius nomen est incognitum, ità diuino illo miraculo quod eius ætate contigit, præclarum est existimandum.

ANONYMVS. DVX. III.

Eandem gloriam innominatus Dux assequutus est, miraculo quo Seuerus Neapolitanus claruit Antistes. Quamobrem in annum 381. quo id accidisse narrant, errorem irrepsisse indicat Valentiniani iunioris Imperium qui cum Theodosio septem regnauit annis vsque ad annum 394. cuius Imperatoris ætate Seuerus vixit. E Balneo cuidam egredienti, Balneator compater iussit, vt pretium solueret (ouum eius Acta pretium fuisse narrant, velut etiam antiqui vile pretium Quadrantem poscebant) quod cùm promptè soluere nequiret, domo afferre pollicitus est. Debiti tamen oblitus, non post multum temporis mortuus est. Balneator Ducem adiit, & centum solidorum debitorem mortuum appellauit, quamobrem vxor in iudicium rapta est. Flentem mulierem, & negantem Dux debiti iudicio damnauit; quod nisi illicò solueret, ipsa cum liberis creditori seruitia præstarent. Sed cùm se iniustè damnari animaduerteret, ad Seuerum Episcopum confugiens rem omnem narrauit, & adiutorem in tanta calamitate poposcit. Miseratus optimus, sanctusq. Antistes viduæ infelicitatem, diuino confisus auxilio ad cryptam extrà vrbem quam sibi parauerat ciues conuocauit. Qui cùm audita rei nouitate frequentissimi conuenissent, orantes, flentes ab Episcopi voluntate pendebant. Is fusis ad Deum precibus, Dominicæ Crucis symbolo fretus, aperto sepulcro, cadauer euocauit, à quo cùm percunctatus esset an centum solidos compatri deberet, ac respondisset, nihil nisi ouum pro balneo debere, quamobrem lapidibus petere iniquum hominem populus voluisset, omnem seuitiam atque furorem placido sermone cōpescuit, mortuum

D. Seuerus Episcopus Neap.

Miraculum

quem ad tempus de sepulcro excitauit, vt legitur in Martyrologio in pace requiescere iussit, & mulierem lætissimam domum dimisit, & mendacem creditorem falsitatis accusauit.

MAVRENTIVS. DVX. IIII.

593. *Prior populi Neapolitani. Fortunatus Episc. Neap.* Ad Maurentium Ducem Neapolitanum scribit Gregorius Magnus Pontifex Theodorum commendans, quem alibi, *Priorem Neapolitani populi appellat.* Atque vt ex eiusdem verbis liquet, Fortunati Neapolitani Episcopi ætate vixit cuius acta vsque ad annum 600. extant. Eius verba hæc sunt; *Gregorius Maurentio Magistro militum, Theodorum commendat oppressum. Valdè mirati sumus quòd vobis in Neapolitana ciuitate positis, venire ad nos pro quibusdam causis Theodorus vir memorandus præsentium portitor cogeretur, maximè dùm in illa se re contrà antiquum morem à fratre Coepiscopo nostro Fortunato quæratur præiudicium pertulisse; quam ad curam dispositionemq. patroni ciuitatis eiusdem, Gloria vestra teste, asserit sine dubio pertinere. Quod si ità se res habet, omninò contristamur cur in eius vos defensione veritas non permouit, vt & liberè quod esset ratio disceretis, & reseruari quod longa sibi consuetudo iure vendicat, faceretis. Quia ergò graue nimis est Sacerdotes contrà veterem vsum sibi quicquam arripere, vndè in laicorum videntur actus incidere, prædicto fratri Coepiscopoq. nostro scribere quæ nobis sunt visa curauimus, ipsorumq. ad vos scriptorum exemplar transmisimus, vt ex eis quid debeat scrutari, Gloria vestra cognoscat. Prætereà indicauit nobis supradictus portitor, Vectano qui Comes fuit in Messinati Castello, propterea quòd eum nobilem fuisse nouerat, & paupertate nimia laborabat, viginti vrnas vini per duos annos de Insula Prochyta, quæ ei vicina erat, misericordia intuitu se fuisse largitum; & nunc eas de eadem Insula successorem ipsius tanquàm debitas violenter exigere. Et quoniam hæc de cetero tentari debeat, postulat prohiberi, Gloria vestra curat addiscere. Et si hoc quod quæritur veritate subsistit, & hæc antè consuetudo*

Lib. 7. ep. 70. *Vectanus Comes Miseni.* *Prochyta.*

ſuetudo non fuit; huiuſmodi grauamen iuſtitia ſuadente compeſcat, & ſtudeat vt pietatis adminiſtratio in præfata Inſula onus præiudicij non imponat. Quia verò priuilegia ciuitatis ſuæ, vel cauſas inſulæ illius à nobis Gloria veſtra petit commendandas, hortamur vt veſtram eius tuitionem impendere ſeruata æquitate quocunque neceſſe fuerit, debeatis; vt ſi qua in re vtilitas populi cui præeſt contrà rationis (vt ait) ordinem prægrauatur, impoſita onera vſque ad modum iuſtitiæ vobis ſuffragantibus releuentur, nec priuilegia eorum quolibet modo calcentur, ſed omnia quæ vſus antiquitatis ſtatuit, in omnibus intemerata ſeruentur. Ità ergò in his Gloria veſtra ſe decenter exhibeat, vt & ipſa partes iuſtitiæ fouere comprobetur, & qui commendati ſunt, bona nobis veſtra quæ de vobis cupimus ſemper audire, renuncient.

Curioſa quidem nimis hæc eſt epiſtola, multis rebus referta, quæ ad Neapolitanam hiſtoriam pertinent. Primùm, eius Pontificis temporibus Neapolitanum Demarchum viguiſſe, quem ſub Ducibus quoque cognoſcimus habuiſſe Præfecturam. *Priorem populi*, ipſe nominat; eundemq. dicit alia epiſtola, *Magnificum virum maiorem populi*; quem etiam dùm memorandum virum appellat, eius Magiſtratus auctoritatem videtur extollere. Secundò, in rebus arduis ac difficilibus, Neapolitanum populum ad Summos Pontifices confugere ſolitum, qui etiam in Duces auctoritatem exercebant, eoſq. confirmabant electos, vt infrà in Epiſtola Ioannis VIII. quaſi verò in ea re Imperatores maximè aſſentirent qui Pōtificibus ciuitates ſuas commendabant. Nec vereor Ducum auctoritatem Pontificum iuſſu fuiſſe coercitam cùm opus eſſet, ne plurimum ſibi ſumerent, & ne populi viderentur quodammodo deſtituti, cùm difficile eſſet ſemper ad Imperatores vrgente neceſſitate confugere. Ideòq. Pontifices ciuitatis priuilegiorum fuerunt defenſores; & Epiſcopos ſuam tantùm iuriſdictionem exercere iubſerunt, & ne ea ſibi vendicarent quæ aliquo pacto antiquæ vrbis conſuetudini derogare viderentur, id quod ſi à laicis aliquandò factum eſt, à Sacerdotibus ſemper debet eſſe alienum.

Demarchus.

Lib. 7. ep. 108. Lib. 8. ep. 14.

Neapolitani ad Summos Pontifices confugiebant.

Tertiò

Comites. Tertiò Comites per ea tempora vicinis oppidis destinari solitos, quos haud vereor iudicijs fuisse præpositos, eosq. annuos Magistratus gessisse, cùm Vectano Misenatis Castelli Comiti per duos annos in insula Prochyta Theodorus aliquid fuerit elargitus, & successor eidē fuerit datus. Quibus etiã liquet eam insulã in Neapolitanorum potestate fuisse, & ad populum pertinuisse, quandò maior populi Theodorus Vectano vini vrnas concesserat. Ad eundem Maurentium idem Pontifex scribens commendat Theodosium Abbatem Monasterij quod à Liberio quondam Patritio in Campania fuerat ædificatum.

Prochyta in Neapolitanorum potestate.

Lib. 7. ep. 74.

GVNDVINVS. DVX. V.

602. Eos qui Gunduinum Ducem inter Neapolitanos recensuerunt ad eam opinionem antiquum Gregorij exemplar adduxit, in cuius lib. 12. epist. 5. legebatur; *Gregorius Gunduino Duci Neapolitano*. Cùm verò in nouis exemplaribus, ad Demetrium Episcopum Galliæ ea scribatur epistola, *De milite qui ancillam Dei de Monasterio rapuit*, nec alibi aut apud eundem, aut apud alios eius mentionem factam legerim, vetera exemplaria sic emendata censeo quippè in manuscriptis ea verba non reperiuntur; aut eum Ducem Neapolitanos amisisse.

IOANNES. CANSINIVS. DVX. VI.

Memorabilia in Italia. Tria eodem tempore sub Heraclio in Italia memorabilia acciderunt, Foroiuliensis Ducatus clades, Ioannis Exarchi Rauennæ cædes, & Ioannis Cansinij Neapolitanorum Ducis occisio. Quæ omnia veluti catena quadam connectuntur. Cùm enim Longobardorum vires essent perfractæ, & è Pannonia Hunni prædandi cupiditate, cum Cacano eorum duce adolescente in Italiam irruptione facta, Foroiulensem Ducatum occupassent, Gisulfus Dux coacto exercitu, barbarorum tempestati occurrens, cum omnibus suis vccisus est. Et cùm Romildæ vxo-

Cacanus Dux Hunnorum Foroiulium occupat.

dæ vxoris perfidia; quæ è muris adoleſcentem conſpicata & eius amore illecta, Forumiulium hoſtibus traditum eſſet, pollicitus enim fuerat Cacanus coniugem ſibi illam accepturum, non ſeruata fide vna nocte vxoris loco habitam Hunnis ad libidinem & proſtrauit, & ſupplicij cauſa erecto palo ſuffixit, inquit Sigonius. Reuerſus in Pannoniam captiuos Longobardos quos prædam abduxerat, in eius regionis finibus crudeliſſimè trucidauit. Ex hiſce tumultibus, Rauennates alios excitarunt. Propterea quòd Ioannem Exarchum ob inſolentiam in omnium maximam inuidiam adductum, arreptis armis, in Regiam concurſu populi facto (quem impetum facientem vis vlla coercere poteſt) adductis ad ius dicendum Iudicibus trucidarunt. Ex eo rerum motu Ioannes Canſinius vel Campſinus, Neapolitanorum Dux, fide Imperatori violata, Neapolim tyrannide occupauit, cum cæſo Ioanne Exarcho id quod erat Imperij reliquum in Occidente nutare cæpiſſet Heraclij anno vj. Quibus rebus in Græciam nunciatis, ab Heraclio ad motus ſedandos miſſus eſt in Italiam Eleutherius. Qui quòd ſciret Imperatorem cum Perſis bellum gerere in Oriente, neque ob eam rem ſatis de Italia cogitare, aliquam Imperij partem vſurpare auſus eſt; atque ſe Ioanni Exarchi cædem vlciſci velle minitans, Romam, deindè ad Neapolim profectus eſt vrbem & tyrannum oppugnaturus. Turbæ Neapoli ea tempeſtate maximæ coortæ ſunt. Illudq. maximè credendum, plures ex Neapolitanis Canſinio amicos & obæratos, eiuſdem partes ſequutos, contra Eleutherium arma ſumpſiſſe, & eundem multorum qui & tyrannidem oderant, & Imperatorem metuebant auxilio fuiſſe deſtitutum. Tandem ad arma ventum eſt, atque acriter vtrinque pugnatum. Canſinium fortiter manus conſerentem Eleutherius iugulauit, victorq. Neapolim eſt ingreſſus. Omnibus ibi rebus pacatis; vel aliorum exemplo ductus, vel quòd regionis deliciæ mentem ab Imperatoris obſequio auerterant, maiorem tyrannidem molitus, facta pace cũ Theudelinda Longobardorum Regina, Regem ſe Italiæ appellauit; & antequàm Rauennam proficiſceretur, alium Ducem Neapoli

Romilda Giſulfi vxor.

Ioannes Exarchus occiditur.

Ioannes Canſinius Neapolim occupat.

Eleutherius iugulat Canſinium.

Eleutherius ſe Regem appellat.

poli constituisse affirmat Sigonius; nomen ignoramus. Hunc Patricium & Cubicularium dicit Anastasius Bibliothecarius, asseritq. ab eo omnes fuisse occisos qui Exarchi necis participes fuerant. Sed ob tyrannidem ab ipso excogitatam, à militibus interfectus est, caputq. amputatum Constantinopolim ad Heraclium missum anno 619. Qui in Eleutherij locum Isaacium Patricium Exarchum ad gubernandam Italiã destinauit.

IOANNES CVMANVS. DVX. VII.

730. *Cumæ occupatæ à Romualdo.* Ioannem hunc Cumani cognomine appellare libet. quem Gregorius II. Summus Pontifex occupato per dolum Cumano oppido à Romualdo II. Duce Beneuentanorum, monitus est atque impulit vt illud recuperaret. Primùm precibus, deindè pretio cum Romualdo Pontifex egit, vt oppidum restitueret. Quod cùm impetrare non potuisset, graue in eum anathema contorsit. Vbi verò etiam anathema contemni animaduertit, ad Ioannem Neapolitanorum Ducem confugit, promisitq. soluturum lxx. auri pondo, si Cumanum castrum recuperasset. *Cumæ à Ioãne Duce recuperantur.* Ioannes, nescio precibus ne magis, an Pontificis hortatu allectus, firma militum parata manu additis Romanis militibus quos Pontifex miserat, noctu Neapoli profectus Cumas obsedit. Aliquot ibi prælijs confectis, & oppido recuperato, Longobardos qui præsidio erant, fugauit. Trecentos cum suo Castaldeo (ductorem dicimus) trucidauit. Viuos ad quingentos Neapolim duxit. *Pontifex pecuniam soluit Ioan.* Misit Pontifex quod pollicitus Duci fuerat. In ea pugna cum Ioanne fuisse Theodimum Subdiaconũ Correctorem Campaniæ qui Diaconiam S. Andreæ Neapoli regebat, scribit Anastasius. A Ducibus aliquandò Episcopos Neapoli fuisse electos, sub hoc Duce cognoscimus. *Duces eligebant Episcopos Neapoli.* Cùm enim is ad Cumanum oppidum proficisceretur, & ab aliquo Sacerdote benedictionem exoptaret, Sergius ei occurrit, atque orationem obtulit. Quapropter cùm reuerteretur ab eo Episcopum esse deligendum iurauit (obierat enim Laurentius Episcopus) *Laurentius Episc. Neap.* atque promissa obseruauit. Stephanum verò xl. & Tibe-

Tiberium xliij. Episcopos, à populo fuisse electos, ex eorum Actis patet.

EXHILARATVS. DVX. VIII.

Sub eodem Pontifice, & Leone Isaurio, anno 726. Exhilaratum Ducem recenset Anastasius, citatq. locum Illustrissimus Baronius tomo ix. Fluctuabat tunc maximè Romana Ecclesia, quandò à sacrarum Imaginum cultu abhorrens, non modò Pontificis περὶ τῶν ἀγίων εἰκόνων edictũ spreuit, sed etiã Legatos quos ad eius animũ demulcẽdum miserat, exilio in carceribus damnatos mori coegit; atque plures in Pontificem coniurationes molitus est. In prima, conuenere Basilius Dux, Ioannes Chartularius, Ioannes Subdiaconus, quorum consilium Mauritius Spatharius, qui Romanorum Ducatum obtinebat, quòd Imperator iusserat, vt Pontificem occiderent, probauit. Fuit autem coniuratio per ministros Regios prouocata. In secunda, missus est in Italiam Paulus Patricius, & Exarchus, qui cum ijsdem scelus perficere conatus est. Qua tamen detecta Romani ob peculiarem in Romanum Pontificem obseruãtiam, captis armis, Iordanem, & Ioannem Subdiaconum interfecerunt. Basilius cùm saluus euasisset in Monasterium se abdidit, ibiq. vitæ finem dedit, cùm vltimus fuerit eorum Ducum qui ab Imperatoribus Romam mitti solebant, vt vrbem, & ad eam spectantes ciuitates curaret. Atque ità scimus Duces & à populis electos, & ab Imperatoribus missos. In tertia Paulus Exarchus multas tentauit artes, vt ex Pontificis nece alium substitueret. Mox alter Spatharius ab Imperatore missus est. Denuò Paulus ex Rauenna milites cum suo Comite Romam proficisci iubsit. Sed Romanis & Longobardis (qui tamen anteà Romanam Vrbem cladibus afficere non desierant) Pontificem defendentibus, tantùm scelus est impeditum. Tandem Exhilaratus quoque Neapolitanorum Dux diabolica instigatione impulsus, vt fortasse Imperatorem sibi conciliaret, cum Andriano filio, in Campaniam profectus (vereor ne tunc

726. Leo Imperator damnabat imagines.

Coniurationes in Pontificem.

Secunda coniuratio. Paulus Patritius.

Tertia coniuratio.

Exhilaratus Dux conspirat in Pontificem.

Constantinopoli esset) populum hortatus est, vt occiso Pontifice, Imperatori obediret. Id quod cùm ægrè tulissent Romani, maxima ira commoti, insequuti sunt Ducem & comprehensum vnà cum filio occiderunt. Mira eo tempore diuina prouidentia cognita est, quæ Beatissimi Petri limina nunquam deserit, semperq. orbis arcem, Ecclesiæ caput tuetur. Cùm enim nefarius Orientalis Ecclesiæ moderator, Catholicæ Ecclesiæ aduersarium se publicis profitebatur edictis, ex Britannia Rex in Vrbem missus est, qui Catholicam fidem defendebat. Hunc, Ceudullam nominat Beda; cui successit Huu, qui cùm xxxvij. annis imperium tenuisset, relicto Regno, Romam petijt. Quò etiam Theudo Boiariorum Dux profectus, Apostolicæ Sedis auctoritatem tutatus est,

Exhilaratus à Romanis occiditur.

Theudo.

PETRVS. DVX. IX.

726. Occiso Exhilarato, Petrum Ducem Neapoli constitutum conijcimus ex Anastasij verbis, qui ait; *Ipsis intereà diebus Exhilaratus Neapolis Dux deceptus diabolica instigatione, cum suo filio Andriano Campaniæ partes tenuit, seducens populum, vt obediret Imperatori, & occideret Pontificem. Tunc Romani omnes eum insequuti comprehenderunt, & cum suo filio occiderunt. Post hæc & Petrum, Ducem, dicentes turbati, quòd contrà Pontificem quoque scripsisset.* Petrum Exhilarato successisse, eundemq. Romanorum à se animos abalienasse, hæc indicant. In ea dissensione, Paulum Patricium Rauennates occiderunt, quòd Imperatoris prauitatem defenderet.

Paulus Patritius occiditur.

EVTYCHIVS, vel, EVTICIVS. DVX, X.

Euthychiũ Patriciũ Eunuchũ, qui dudùm Exarchus fuerat, post aliquod tẽpus Leo Imperator in Italiã misit, vt quod Paulus & Spatharij contrà Pontificem efficere non potuerunt, ipse perficeret. Misit Romam ministrum cum litteris (inquit Anastasius) quibus præcipiebat, vt Pontifex, proceresq. Romani inter-

Adhuc contrà Pontificẽ conspirant.

interficerentur. At verò neque crudelis hæc insania, Deo iubente, huiusmodi latuit, vt non omni conatu illi potuisset occurri. Detectus dolus est; detectum scelus, quo omnia subuertere iniquus homo sibi proposuerat. Romani ipsum quoque occidere statuerunt vt eandem pœnam cum Exhilarato, & Petro nefandis machinatoribus lueret. Quod à pientissimo Pontifice non fuit permissum. Hunc inter Neapolitanos Duces ea tantùm de causa recenseo, quòd in ea vrbe fuerit, vt quod Exhilarato & Petro Imperator commiserat, ipse infectam rem exequeretur. Ideoq. tutiùs credendum, quod alium Ducem ea tempestate Neapolis non habebat. Is est qui Rauennam petijt, & Rauennates Imperij studiosos facilè in fide retinuit. Romam posteà cum Luitprando Rege Longobardorum obsedit.anno 729. Sed petitus bello à Luitprando, Pontificis auxilium implorauit, cuius opera lis composita est, & obsidio soluta anno 743. & à Pontifice Zacharia contrà Rachim Longobardorum Regem defensus est anno 752. Rauennam deseruit, quam Aristulfus cum reliquis Exarchatus oppidis occupauit; atque ità hic Magistratus in Italia desijt. Hos numerato Exarchos, quandò Eutychius hanc nobis præbet occasionẽ, vt à Ducibus eos secludere sciamus. Longinus, missus à Iustino iuniore anno 569. Zmaragdus, qui à Mauritio Constantinopolim reuocatus est anno 587. Romanus, à Mauritio successor Zmaragdo datus. Obijt anno 598. Callinicus, obijt anno 602. Zmaragdus, iterum à Mauritio missus, præfuit sub Phoca vsque ad annum 612. Ioannes Lamigius, à Phoca missus, præfuit sub Heraclio; trucidatus anno 615. Eleutherius Patricius, ab Heraclio anno 616. caput ei amputatum, anno 619. Isaacius ab Heraclio anno 619. subita morte correptus anno 642. Theodorus Calliopa Patritius missus à Constante II. reuocatus, anno 650. Olympius, ab eodem Imperatore. Hic anno 650. die Natalis Domini Spathario suo iussit, vt Martinum Pontificem occideret; qui districto gladio cæcus euasit. Obijt anno 653. Theodorus Calliopa iterum ab eodem Constante. Captum Pontificem Martinum, ad Imperatorem Nea-

Pontifex pietatem exercet.

Exarchi Italiæ.

polim misit. obiit anno 687. Ioannes Platina, vel Platon, à Iustiniano. obiit anno 702. Theophilactus, vel Theophilacius Patritius, à Tiberio Absimaro anno 702. obiit occisus, anno 712. Eo mortuo absque Exarcho fuit Italia annos duos & menses decem. Intereà Philippicus Bardanes, Petrum quendam in Italiam misit, qui Ducis nomine Vrbem Romam regeret. Vbi tandem luminibus captus est, anno 726. Sed decimũ quinctum Exarchũ ab Anastasio Italia habuit Anastasium II. Arthemium anno 715. reuocatus est à Leone III. anno 723. Paulum misit Leo II. vt Gregorium occideret. Rauennæ occisus anno 726. Euthychium, idem Imperator anno 727. Neapolim profectus ea gessit quæ suprà commemorauimus. A Longino ad Eutychium, anni 183. intercesserunt.

STEPHANVS. DVX. XI.

Sub Constantino V I. Copronimo Porphyrogeniti auo qui à Constãtino Magno XL. Romanorum Imperator numeratur, & qui Copronimus dictus est, quòd infans Baptismi lauacro admotus media cerimonia sacram aquam ventris solutione fœdauit, vel quòd stercus tractans dùm ab amita lauaretur, quasi Sterquinomius appellatus est, & à Germano Constantinopolitano Patriarcha coronatus est anno 720. qui ea tempestate sanctissimus puerum hunc omnia cõtaminaturum præsagiuit. Tumultus Neapolitani, & totius regionis quæ Græco Imperatori subiecta erat, excitati sunt. Quippè post patris Leonis III. Isauri obitum regnans, totum se libidinibus, dæmonum inuocationibus, ludis, sceleribus tradens, sacrilegus effectus, vt nec Græcus, nec Christianus, nec Hebræus esset, Concilium anno 754. contrà sacras Imagines celebrauit, licet Synodus fuerit Constantinopolitana, quàm Oecunemicam ipse appellauit, cui sub Stephano Pontifice Lateranensi consentu est abrogatum. Antistitem habebat tũc Neapolis PAVLVM, cui Secundi cognomen erat, qui cum Imperatori aduersa-

Paulus Episcopus Neap.

uersaretur, & hæreticæ opinioni contradiceret, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem defendens, vt bonum Episcopum decebat, in summam Imperialium inuidiam adductus, Neapoli tutus commorari non poterat. At quoniam maximam omnium ciuium sibi beneuolentiam comparauerat, in D. Ianuarii æde extrà ciuitatem absconditum retinuerunt. Post bien- *Paulus absconditur.* nium quo ibi latuerat, Pastore diutiùs carere nolentes Neapolitani, propensione in Apostolicam sedem permoti, Paulum nulla Imperatoris habita ratione in ciuitatem & Basilicam sollemni pompa introduxerunt, idq. à nobilitate factum historici scribunt. Qui schismaticam eo tempore Neapolim damnãt, dicant necesse est potuisse fieri, vt aliquibus solum ea nota potuisset inuri, qui Imperatoribus adhærescere velle videri cupiebant. Idq. docet Sergius Neapolitanus Episcopus, qui an- *Sergius Episc. Neap.* no 730. monitus à Gregorio III. Pont. vt se à Patriarcha Constantinopolitano alienaret, & Ecclesiæ Catholicæ adhæreret, in omnibus deinceps Pontificiis præceptis obediuit. Et tamen Sergii huius dignitas Episcopalis à Beato Laurentio Episcopo prædecessore prædicta fuerat. Ob eam contrà sacras imagines *Artabasdus.* impietatem, ab orthodoxis in Imperatoris ludibrium Artabasdus obscuri generis homo, Augustus appellatus est anno 742. ab Anastasio Patriarcha coronatus. Qui coniecto in fugam Imperatore, Imaginum cultum restituit, licet à Constantino Imperatoris affine, ex Chalcedone traiiciens, oculis & filiis, restituto Copronimo, fuerit priuatus, anno 744. Indigna tamen postea Paulum infelicem Neapoli passum fuisse, verba Ioannis Diaconi in Episcoporum Neapolitanorũ Chronicis aliqua ex parte innuunt, quibus didicimus post eius Episcopi obitum, *Neapolitani à Deo castigantur.* irati Dei vindictam in Neapolitanos irruisse, tanta omnium internecione, vt reliquus quisquam non esset qui mortuorum sepulturas honestaret. Ait enim; *Stephanus Episcopus XL. sedit annos xxxiij. Mens v. dies xx. In eo siquidem anno quo Paulus Episcopus defunctus est, irato Deo tanta desæuit clades Neapoli, quæ à medicis Inguinaria vocatur, vt patris interitum mors subsequeretur filiorum, & ad sepeliendum rarus superstes*

perstes inueniretur, vndè & omnes propè Clerici eiusdem Episcopij vitam finirent. Quo circà Neapolitani deligendo nouo Pastori studentes, cùm esset Dux Stephanus, & duodecim annos ciuitati præfuisset, virumq. prudentia & integritate amabilem cognouissent, mortua coniuge, illud ei persuadere conati sunt, vt electus iam Episcopus, quamuis laicus, electioni annueret, & Romam proficiscens peteret à Pontifice confirmari. Subdit enim idem auctor; *Ac per hoc omnes Neapolites ad prædictum accedentes Præsulem, magnis postularunt precibus, vt Ecclesiæ prouidus Pastor acceleret. Quorum petitiones non renuens, Romanam sedem laicus, & adhuc Consul adijt; nam Parthenopensem Ducatum laudabili quiete duodecim rexit annis. Cùm autem Dominus Stephanus suus Apostolicus tantam populi deuotionem in eum cerneret, tonsum ibidem absque regulari promotione Episcopum consecrauit. Qui mox ab eo benedictione dimissus suam repedauit ad vrbem, in qua honorificè susceptus est. Sic de diuinis cœpit studere rebus, ac si paruulus in eis fuisset educatus. Vxor quoque eius illo Consule ex multis obierat annis*, &c. Hũc ex laico in Episcopum fuisse electum. Anastasius, & Platina confirmant. Et Stephanus III. Pontifex natione Siculus anno 768. Concilium indixit in quo Constantini Nepesini Episcopi Romani in schismate ix. acta proponeret, misitq. ad Pipinum Regem, de cuius obitu nondùm renunciatum fuerat, Legatos, vt Concilio aliquos è Clero probaret. Atque paternæ ille pietatis æmulus (vt loquitur Nauclerus) duodecim misit Galliæ Episcopos. Et cùm accusatus esset Constantinus quod nullis sacris initiatus ad Episcopatum euectus esset, ostendit maiorum exemplo id factum, nam Sergius Rauennatium, & Stephanus Neapolitanorum Episcopi ex laicis fuerunt electi. Quam impudentiam Patres qui Concilio aderant minimè ferentes, indignati eum expulerunt. In Distinctione tamen lxi. cap. *Statuimus*, legitur; *Cùm ergo quilibet laicus merito suæ perfectionis clericalem vitam transcendit, exemplo B. Nicolai, & Seueri, & Ambrosij, eius electio potest rata haberi*. Eupraxiam filiam habuit

Stephanus ex laico in Episcopum eligitur.

Constantinus Nepesinus Episcopus.

buit Stephanus Theophilo Duci in matrimonium collocatam de qua in Theophilo; & Cæsarium filium, Ducem, quem sibi collegam cooptauit, & viuens tumulauit. Episcopatus munus tot laudibus prosequutus est, vt ad omnium Episcoporum bonitatem accesserit. Templa in vrbe condidit, Monasteria ædificauit S. Festi præcipuè, quod patrum nostrorum diebus dirutam scimus, & S. Marcellini monialium coenobio vnitum; S. Pantaleonis prætereà, cuius nullum nunc extat vestigium, coenobium prætereà S. Gaudiosi intrà vrbis moenia, in quod è Patriæ oppido propè Cumas à Vandalis, & Sarracenis euerso sanctorum martyrum Fortunatæ atque eius fratruum Carponij, Euaristi, Prisciani reliquias transtulit, qui Cesareæ in Palestina martyrij palmam sub Diocletiano consequuti fuerant. Ab eodem Sanctarum relliquiarum amatore Neapolim Puteolis summa cum solemnitate. Eutycetis, & Acutij quoque corpora translata scribit Raynerius quidam, eius temporis scriptor; atque addidit ad Stephaniam fuisse delata ea corpora Sanctorum, & condita in asylo integri marmoris, bifidoq. Sarcophago in imo telluris solo defosso, *Cuius claustri prominens pulcritudinem decenti fastigium columnis ambitum purpureis sculptarum vario schemate figurarum insignitum argenteum baiulat, quòd vulgò ciborium dicitur nitens pyraterium, sub cuius vmbraculo altare similiter argenteis vndique redimitum tabulis, quod mundi Saluatoris gratia & vocabulo simul dedicatum, multorum corporali solamine Sanctorum se gaudet esse refertum*; sacris vasibus ornauit, sanctorum monumentis decorauit, multaq. alia præclara gessit. Stephani, & Adriani Pontificum ætate floruit. Septuagenarius obijt, & in monasterio S. Ianuarii sepultus est, intus absidam (antiquis verbis vtor) S. Stephani Prothomartyris.

Euprаxia Stephani filia.

Monasteria Neapoli ædificata. S. Festi. S. Marcellini. S. Pantaleonis. S. Gaudiosi.

CAESARIVS. DVX. XII.

Dùm Præsul atque Dux esset Stephanus, Cæsarium filium sibi collegam adsciuit. Obijt tamen viuente patre. Eiusq. elogia

gia marmoreus seruat lapis quem in D. Ianuarij superioribus annis positum, nescio quæ temporis, vel hominum iniuria perdiderit. Carminum achrosticha in exametris, nomen & dignitatem referunt, legitur enim; CAESARIVS CONSVL.

Cæsarius Consul teneris sublatus in annis
Hic recubat moriens, væ tibi Parthenope.
Aeternum medio gestat in pectore vulnus,
Militibus perijt murus, & arma tuis,
Et mea qui hunc genui nos vulnera flete parentes
Qui sobolum cupitis tàm benè sorte frui.
Sors mea deterior dulcis in funere nati,
Cuius flamma meum pectus vbique cremat:
Aptus erat cunctis in verbis, promptus in aptu,
Consilio solers, fortis ad arma simul.
Rex Romæ præcelsa nouo quo sceptra reguntur
Pratulit hac nostra ciuibus vrbe suis.
Istius auxilio longæua paterna Senectus
Tuta regebatur, iamq. quietus eram.
Virtus, ingenium, pietas, sapientia multa,
Væ cui cum genito tot periere bona.
Sic blandus Bardis erat vt fœdera gratis
Seruaret Sapiens inuiolata tamen.
Consul, post Præsul, genitor monumenta paraui
Cui fuerat cura condere membra patris.
O mihi non proles tantùm, sed Collega fidus
Cui tantos linquis quos tuus arsit amor.
Nutritus obses Arichis moderamine sancto
Saluasti patriam permemorande tuam.
Sex, quater, & binos hic iam transcenderat annos
Cum flamen CHRISTO credidit esse suum.
Vita senis tenuis, post nati funus acerbum
Post illum paucis credo diebus eam.
Lux te præcedat CHRISTI charissime fili,
Sancte Ianuari quod peto posce Deum.

Depo-

Depositus est xij. Kal. Oct. Imperante nouo Constantino & Irene Aug. Anno XIII. Ind. XII.

Ergo sub hoc Duce tumultus Neapolitani cum Longobardis qui Beneuenti erant, commemorantur. Ictum quoque fœdus inter eos noscimus, dato obside Cæsario filio, Arichi Beneuentanorum Duci, qui primus se Principem appellari iussit (sic loquitur Leo Ostiensis) cùm eatenus qui Beneuento præfuerant, Duces vocati fuerint. Quod verò laudis pater filio præcipuè tribuit, ex eo fœdere natum explicat, quo Arichis sancto moderamine nutritus, sancti viri vestigia, dùm viueret, sequi videbatur. Arichis bonitatem & relligionem multa profectò gesta extollunt, at ea maximè quòd ab Episcopis vngi voluit, in Sacratissimo Palatio subscriptiones dandas iussit, Sanctæ Sophiæ templum ornatissimè ædificauit, virginesq. ibi statuit quas germanæ suæ instituendas dedit, duodecim sanctorum Martyrum corpora primùm, deindè cum Martyre Mercurio aliorum Martyrum & Confessorum ad xxx. transtulit, ibidemq. ipse Abbas obijt anno 787. Quamobrem eius sanctitatem antiquitas venerata est, & inter Longobardos neminem Arichi laudabiliorem existimauit. In eius sepulcro verba leguntur quibus tùm philosophia fuisse peritissimum cognoscimus (& quis bonus Princeps appellandus est qui doctrinis non fuerit imbutus?) tùm rebus diuinis adeò fuisse addictum, vt noctes integras orando cum lacrimis transigeret. Optimum igitur Cæsarius habuit institutorem, qui non magis laudandus est quòd Neapolim datus obses seruauit, & Longobardorum furorem auertit, quàm quòd ex Arichis officina multa bona ad Reipublicæ commoda depromserat. Cùm verò in extremo lapide legatur, *Imperante nouo Constantino & Irene*, tempus non ad Constantinum Copronimum, sed ad Constantinum Porphyrogenitum refero, qui mortuo Patre Leone IIII. cum Irene matre Attica imperauit anno 780. ætatis suæ anno decimo; ex qua ætate fortasse *nouum* pro, puero, & iuniore dixerunt. Nullos singularis femina labores subterfugit, vt filio imperium reseruaret. at ipse ex pubertate egressus, ma-

Neapolitani & Longobardi.

Lib. 1. c. 15. Arichis Beneuentanorum Dux.

S. Sophiæ templum.

Irene Attica Imperatrix Neapolitana.

trem Imperio deiecit, omnia crudeliter subuertit; Imagines patris exemplo, & Sanctorum Reliquias spreuit, & conculcauit. Sed eo mortuo, Irenem expulsam, qua cum decem annos regnauerat, ciues in pristinam dignitatem restituerunt; cuius opera veteri religioni & pietati suus nitor redditus est; modusq. additus quo sacræ Imagines coli debuissent, duobus carminibus quæ ex Græco huiusmodi in Latinum sunt conuersa,

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa.
Hanc videas; sed mente colas quod cernis in ipsa,

Hæc etiam Constantini soceri corpus, Theodori monitu, effossum publicè cremari iussit, & cineres in mare iactari, vt ipse Sanctorum ossa iactauerat, nullam eius habēdam esse memoriam existimans, qui lerna malorum, & fera bestia erat iudicandus. Habetis in hac Imperatrice, Nepolitani, maximam relligionem, quæ fortasse vos ipsos leuauit, qui ea molestia ob hæreticorum Imperatorum insolentiam laborabatis; & nescio an Stephanus Præsul & Dux eadem de causa qua Paulus, aliqua pertulerit. Vestram hanc Imperatricem relligione tantùm æmulamini. Præter eam, tragica in suos exempla edidit, & crudelitatē in suos exercuit, Duces enim muneribus onerauit, petijtq. vt filium iugularent, qui paratis insidijs eum capiunt, oculos effodiunt, eodem die quo ipse patruos excæcauerat, & in carcerem coniiciunt, & cum eo Leonem filium etiam excæcatum, quem ex Theodora susceperat; ipse præ mœrore expirauit. Quibus omnibus, & muliebri Imperio commotus Nicephorus in Lesbum insulam exulem, eam eiecit, in qua decessit anno 803. Aliam quoque Irenem Copronimus vxorem habuit Chazaram Cagani Bulgarorum Regis filiam, pijssimam item feminam ex quæ Leo III. ortus est.

Alia Irenes.

THEOPHILVS, vel THEOPHILACTVS. DVX. XIII.

Theophilum hunc Ducem nominat Ioannes Villanus in Neapolitanis Chronicis, quem Sarracenorum incursus anno 788. me-

788. memorabilem fecit. Hi si quidem sub Adriano I. Summo Pontifice, & eius anno xv. regnantibus in Italia Desiderio, eiusq. filio Aldegisio, ex Africæ, Hispaniæq. littoribus multis nauibus soluentes, quò sub Solimano Aegypti Sultano anno 721. Theodosio Anastasij successore, & Gregorio II. Pontifice imperantibus, appulerant, in Campaniæ oram impetum facientes, Neapolim eiusq. vicinos agros sunt depopulati. Pridiè tandèm Calendas Iulij cùm D. Pauli Apostoli dies festus celebraretur, in vrbem per portam quæ Donursa dicebatur ingressi, cladem & necem ciuibus inferentes, ea regione potiti sunt, quæ à porta ad Forum (Imperatoris Regiam ibi fuisse scribit Villanus) pertinebat. Forum ibi antiquitùs, quod ad Castoris ædem erat constitutum, velut apud eadem Numina aliæ ciuitates Forum habere consueuerunt. Et Forum vetus nostra ætate dicitur; estq. area ad D. Laurentii valuas, in qua omnia singulis diebus venalia habentur. Theophilus (quem à Desiderio præfectum Ducem idem auctor asserit) vrbis, & ciuium saluti consulens, comparata armatorum ciuium lecta manu, audacter hostibus obuiam prodiit, & fortiter dimicans hastæ ictu occubuit. Neapolitani tamen pugnam non deferentes, ipsorummet corpora confertissimi veluti propugnaculum telis obiicientes, omnem in virtute spem victoriæ posuerunt. Faciebat etiam ipsis animos Aldegisii diligentia qui cùm hostium aduentum præuidisset, ad Carolum Magnum opem petiturus discesserat. Neque spes eos fefellit; Neapoli enim opem ferens, castra ad Thorum posuit, qui locus etiam Caroli Campus dicebatur. Inde Aimone & Bernardo Ducibus missis cum duobus millibus equitum, & decem millibus peditum (hic numerus nimis est amplificatus) & à ciuibus introductis, mirum in modum Neapolitanorum mœror est sublevatus. Tunc repentè hostes qui eam vrbis partem occupauerant adorti manus viriliter conseruere. Atrox quidem pugna fuit, atque diutiùs incerta. Sed ad Neapolitanos victoria inclinauit, & Sarraceni cedere & terga vertere coacti sunt. Qui nihilominus castris ad Malaczanum positis (locus

Sarraceni Neapolim incendunt.

Porta Donursa.

Forum Neapolitanum.

Theophylus occiditur.

Aldegisius ad Carolum Magnum.

Almo, & Bernardus Neapoli opem ferunt.

extrà vrbem est) sex mensium & eo ampliùs spacio, Neapolim obsederant. Machinis ligneis mœnia subruere conati sunt, quamobrem multis vtrinque prœlijs factis, multi cecidere. Interim cùm Appuli, Calabriq. subsidio Neapolitanis venissent, inito consilio, in hostem agros vastantem impetum facere decreuerunt. Quamobrem Ianuario mense eo die quo Conuersionis D. Pauli Apostoli celebritas honoratur, eductis copijs, albente cœlo, confertissima acie, in barbaros eruptione è ciuitate facta, tanta alacritate pugnarunt, atque hostem sunt insequuti, vt vsque ad eorum nauigia ad mare profligarint, multos cum ipsis nauigijs combusserint. Numerat idem auctor, in prima pugna ex Neapolitanis quingentos & viginti septem interijsse, & ad sexcentos esse vulneratos; ad tria millia ex auxiliariis occubuisse, ex Gallis equitibus, quingentos; ex peditibus, sexcentos & quadraginta; ex hostibus, ad quadraginta duo millia, inter quos Fontanam Africæ, Exdronem Boetiæ, Marchinatum Syriæ Reges. In secunda, quadraginta sex Gallos equites, Aimonem & quatuor eius filios, Aldegisiumq. Desiderii filium, cecidisse. In D. Ianuarii fuisse sepultos, sed Aldegisium in Galliam cisalpinam esse transmissum. Neapolitanorum equitum ad ducentos, peditum ad duomillia fuisse occisos. Ideoq. veluti etiam Belisarii ætate acciderat, ex vicinis oppidis incolas Neapolim accersiuisse, & auxisse ciuium numerum matrimoniis. Narrat etiam tantæ victoriæ memores, Templum Castori & Polluci dicatum, ob duas hasce victorias quas Pauli Apostoli festiuitatibus, adepti fuerant, eidem Apostolo summa cum sollemnitate dicasse. Miror antiquos scriptores illustris huius pugnæ nunquam mentionem fecisse. Non fuerat factum id maximè memorabile prætermittendum. Sarracenos sæpiùs eam vastasse oram & regionem, & variis temporibus, non est verendum. Sed tot viros ex Græcia, ex Scotia, ex Gallia huc aduenisse, nemo meminit. Tantus vtrinque militum numerus historiæ fidem derogat. Et tamen facti memoriam seruat Neapolis. In Diui Angeli ad Signum loci & facti monumentum est reliquum. Vsque enim ad eum locum

Appuli & Calabri Neapolim.

D. Angelus ad Signum.

cum

cūm Sarraceni progressi essent, & in fugam postea conuersi, clauū æreū Neapolitani in marmore fixerunt. A Diuo Archangelo Anellum Abbatem scribunt fuisse monitum Neapolitanos in ea pugna victores euasuros, ideoq. Archangelo ædem condidisse, & Anello in patrocinium suscepto, insignia Neapolitana esse tributa. Aeris vsus ad monumentorum perpetuitatem iampridèm translatus est apud Plinium, ideoq. in æreis tabulis leges incisæ, qui mos ad Romanos à Græcis traductus est, inter quos Minos singulis annis leges æneis tabulis incisas per populos circumferendas curabat, vt sanctiùs conseruarentur. Theodosius, & Valentinianus idem obseruarunt. Liuius ad pestem sedandam antiquos figere clauum ad alicuius templi fores solitos scribit; idque factum in æde Iouis, ad quam rem sollemnem peragendam Dictatores creatos esse affirmat. Ad pellendos tonitrus clauum humi figebant rustici;& venatores clauum æneum prædæ quoque figebant ne computresceret. Superstitiones quis antiquitùs Neapoli fuisse neget? Theophilactum alii hunc Ducem dixerunt, & Stephani superioris Ducis gener in Episcoporū Chronicis reperitur, qui vel auaritia ductus, vel Eupraxiæ coniugis hortationibus, quæ ægrè tulerat Neapolitanum clerum Stephani Episcopi patris obitu fuisse laetatum, quoniam non ex clero sed ex laicis Episcopi eligerentur, id quod eius auctoritati plurimùm derogabat, ipso inuito, Paulum laicum vxore orbatum, Episcopum ciuitatis obtulit. Hæc ibi leguntur; *Defuncto igitur Domino Stephano, Theophilactus gener eius Consulatum gerebat Parthenopensem (* mortuo Cæsario *) qui obstinatus auaritia nolebat quempiam ex Clericali officio promouere ad sacrum ordinem, dicens; Nequeo exinde amaricari Eupraxiam meam vxorem. Illa quoque quasi comperta occasione referebat; Lætati estis de morte genitoris mei; mihi credite, nullus ex vobis ad Episcopatum ascendet. Diuina ista vertentes cœperunt omnes acclamare; Date nobis quem vultis; quia sine Pastore esse non possumus. Tunc illa femineis flammis accensa, hunc Paulum popularem, & laicum licet vxore orbatum comprehendens* tradi-

Lib. 34. c. 9. *Clauus qui figebatur.* *Lib. 7.*

Theophilacti Stephani generis.

tradidit illis. Sed cùm reniti nemo auderet, illicò tonsum electum sibi fecerunt. Non post multos dies ad sedem Romuleam à Domino Apostolico Episcopus est effectus. Subdidit, eandem Eupraxiam relligiosam feminam Monasterium in regione Albinensi condidisse, quod S. Dei genitricis ædi coniunxit, in quo à prædicto Episcopo Abbatissa est ordinata. B. Maria quoque ex Albino, nostra ætate dicitur.

Monasterium S. Mariæ Albinæ.

ANTHIMVS. DVX. XIV.

Virum vxoremq. in hoc Ducatu pientissimos habemus. Anthimus enim quem Leonis III. Pontificis sæculum cognouit, tanta bonitate & relligione claruit, vt templis monasteriisq. ædificandis totum se dederit, peregrinos hospicio acceperit, Sanctorum Relliquias vndique exquisiuerit, semperq. sacris operibus obeundis vacauerit. Viri pium animum, Theodonandæ vxoris pietas mirum in modum auxit; atque inter se de Relligionis honore & cultu contendere videbantur. Viuentes, S. Pauli templum, Monasteria S. Andreæ, & S. Cyrici & Iulittæ ædificarunt. Post viri obitum, Theodonanda S. Marcellini monasterium extruxit; *Ipsis igitur diebus Anthimus Neapolitanus Consul ad honorem S. Pauli amplam construxit Ecclesiam, quam pulcriori decorauit pictura, vbi res multas, multosq. obtulit seruos. Et propter Episcopatum Leonis Romulei Papæ cuius tunc iuris erat Monasterium S. Andreæ quod Cella noua dicitur, connectit. Fabricauit & idem Consul cum Coniuge sua, Monasterium S. Cyrici, & Iulittæ in quo duodecim statuit cellulas quas hospitibus peregrinisq. censuit habitari qui ex ipsius Ecclesiæ alerentur rebus. In istis atque duabus Basilicis prædictus Episcopus sacras collocauit Relliquias.* Cyrici, & Iulittæ monasteriorum loca ignoramus. Andreæ in Cella noua, quoniam cum Pontificis iure connectit, illud esse templum affirmamus, quod ad Nili sedile positum cernimus ad Diaconiam dictum, & obseruatione dignum est, vt notat Illustrissimus Baronius, in illis locis, vbi Romana Ecclesia patrimo-

S. Paulus.

S. Cyricus. S. Iulitta.

S. Andreæ templum.

Tomo 9.

trimonia possidebat, constitutas esse Diaconias sicut in Vrbe, in quibus eleemosynæ à Subdiacono Rectore patrimonij & dispensatore erogari soleret. Eorum namque ministeriorum fuisse munus curam gerere pauperum, ex pluribus Sancti Gregorij litteris edocemur, datis ad Anthemium Subdiaconum, eo tempore Neapoli, eodem munere fungentem. Theodimi S.R.E. Subdiaconi,& Correctoris Campaniç extat ibi Epitaphium in tabula marmorea antè altare his verbis exaratum,

Diaconia quæ.

Theodimus Corrector Campania.

Confugientis ad tuum suffragium latus amplectere ossa putrida, tabefacta, Apostole Sancte, qui ob tui meriti desiderium aulæ tuæ mœnia mira fecit pulcritudine coruscare. Vt tuis adiutus auxilijs, disruptis vinculis inferni hinc resurgere caro misera possit, & in die examinationis, calcatis facinorosis peccatis, gaudia diuina percipiat te interprecante Martyr Andrea. Hic in pace membra sunt posita Theodimi Sub. Reg. & Rect. Sedis Apost. & Disp. huius Diac. Beati Andreæ. Si quis præsumpserit hunc tumulum violare, erit anathematis vinculis innodatus.

Sed Candidæ quoque sepulcrum ibi extat, cuius memoria viget in Martyrologio vnà cum S. Candida Seniore B. Petri Apostoli discipula,

S. Candida sepulcrum.

Mors quæ perpetuo cunctos absorbet hiatu
Parcere dùm nescit sæpiùs ipsa fauet.
Felix qui affectus potuit demittere tutos.
Mortalem moriens non timet ille viam.
CANDIDA præsenti tegitur patrona sepulcro,
Moribus, ingenio, & grauitate nitens.
Cui dulcis remanens coniux, natusq. superstes
Ex fructu mater noscitur in sobole.
Hoc precibus semper lacrimosa, hoc voce petebat,

Cuius

Cuius nunc meritum vota secuta probant.
Quamuis cuncta domus nunquam te flere quiescat,
Felicem fateor sic meruisse mori.
Hic requiescit in pace Candida C. F. quæ vixit P. M. An. L. Die IIII. Id. Septem. Imp. D. N. Mauricio PP. Augusto. anno 1110. P C. Eiusdem ann. II. Ind. Quarta.

Tradunt hanc claruisse miraculis, dignamq. habitam quæ referretur in Sanctorum numerum. Et in altari maiori,

Heu quantos luctus renouas gratissime fili
Bonite moriens, ò decus atque dolor
Qui benè cum ingenio florebas barbula grata,
Moribus ornatus, pulcher & acer eras.
O mihi quàm subitò requiescis nate suauis,
Heu spes clara mihi, te sine vita grauis.
Hoc genitor cecinit Taurus lacrimabile carmen,
Cuius flamma vrit pectus amore pio

Hic requiescit Bonitus qui vixit Ann. xxiij. Depositus Id. Aug. Ind. vij.

Paulo Tasso Neapolitano Canonico persuadente, Franciscus Carrafa Rector altare restauravit anno 1570.

Quod ad seruorum oblationem attinet, neminem latere arbitror, à præcipuis Principibus & summis viris fundorum Ecclesiarum seruitio seruos fuisse adscriptos. Et paulò post; *In ipsis denique diebus Theodonanda vxor Anthimi quondam Ducis, in suo Prætorio fecit Monasterium S. Marcellini, in quo Abbatissam suam neptem cum ancillis Dei posuit.* Hæc habentur in Episcoporum Chronicis. Si hic Anthimus alius est ab Anthemio, alius Neapolitanus Dux Anthemius dictus, obijcitur, quin etiam plures Anthemij, cum in antiquo lapide in D. Restitutæ, tertium Anthemium legamus,

Hic requiescit in pa. Sanctus Abbas Habet deus positus vij. Id. Maias. Anthemio III. Cos.

THEO-

THEOCTISTVS, vel THERECTISTVS. DVX. XV.

Anthimi oditus de Ducatu adipiscendo, multas turbas Neapoli contirauit, multorum enim ambitio animos elatos fecerat, vt eum Magistratum mereri posse sibi persuaderet. Sed ne cõcitatiores orirẽtur sediciones, & ne quisquam queri posset si ex Neapolitanis Dux eligeretur, aliundè eum euocare decreuerunt. Ex Sicilia itaque accersiuere. Sic Chronica; *Cùm autem hæc gererentur, defunctus est Anthimus Consul, & Neapoleos Consulatus orta est sedicio, cupientibus quidem multis honorem Ducatus arripere. Tunc Neapolitani cupientes magis extraneis, quàm suis subesse, miserunt Siciliam, & indè adductum quendam Theoctistum, sibi Magistrum militum statuerunt. Cui aliquantis decursis temporibus, vt Græcorum moris est, successit Theodorus Prothospatharius.* Hæc verba aliquo pacto innuunt aliquandò populum Neapolitanum elegisse Ducem, aliquandò Imperatorem. Mos enim Græcorum videtur, vt Duci Neapolitano aliquis ex Constantinopolitano Palatio succederet, veluti hic Theodorus Duci à Neapolitanis electo successit. Hic olim, ὁ Πριμμικήριος τῆς αὐλῆς, &, ὁ μέγας Ἄρχων, dicebatur. Huiusmodi Officiales, & Patricios, in Ducibus Amalfitanis habebimus.

Dux ex Sicilia eligitur.

THEODORVS. DVX. XVI.

Theoctisto successit Theodorus, quem diximus, Prothospatharius, quem prauis moribus imbutum Neapolitani è Ducatu deiecerunt.

Prothospatharius.

STEPHANVS. DVX. XVII.

Eiecto Theodoro, Stephanum Ducis & Episcopi Stephani nepotem, in eius locum huiusmodi suffecerunt. Sico Beneuentanorum Dux, antequàm eius Ducatus insignia accepisset.

816. Sico Neapolim obsidere decernit.

S Theo-

Theodoro familiarissimè vtebatur; qaapropter illatam à Neapolitanis in eum virum iniuriam ægrè tulit, animoq. concepit amici contumeliam aliquandò vindicare. Cum primùm igitur ad Ducatum euectus est, nihil sibi fuit antiquius quàm Neapolitanis bellum inferre, & diuturna obsidione affligere, vt ait Leo Ostiensis, & igni omnia tradere, vt ait Herempertus. In ea obsidione quod charius Neapolitani habebant amisere, Corpus scilidet B.Ianuarij martyris & Episcopi, quod in æde à Seuero Episcopo condita, ab eodem eò Puteolis translatũ sepultũ fuerat. Etenim, vel quod indè decedere voluerit Ianuarius ob periuria quę in eo tẽplo fieri audiebat, in illud enim templum conueniebant Neapolitani testimonium facturi, an quæ iureiurando dixissent, vera fuissent, vt etiam alibi fieri consueuerat, vt explicabimus cùm de eo templo agemus; vel quod à Bono Stephani successore fuerit Siconi permissum, vt beati corpus abriperet; vel quòd nemine permittente abstulerit; corpus Beneuentum translatum est, & cum Sanctis Festo & Desiderio in maiori Ecclesia, maximo cum honore conditum. Et cùm Longobardorum vires diutiùs sustinere non valerent, nec ab obsidione Sico recederet, nihil vtilius rati sunt, quàm condicionibus propositis agere de pace. Sico, per eos quibus pacis negocium commissum erat, promissis premijs, egit, vt Stephanum occiderent, hoc enim pacto Theodori decus vlciscebatur, idq. absque mora efficere conarentur. Morem gessere clientes, atque Stephanum antè fores Stephaniæ trucidarunt, & nouus Dux cui nomen Bonus, tumultuariè, ac turbatis ordinibus creatus est, Erat Stephania Episcopi sedes atque Basilica, sic dicta à coronarum oblationibus quæ in antiqua illa pictura Saluatori fiunt. In Aspremi vita legitur id templum ob prolem susceptam intercessionibus dicti Episcopi à quodam fuisse ædificatum, & paruas ibi ædes eum habuisse in quibus cum Sancta Candida habitabat. In vita Athanasij, Maior Ecclesia Stephania vocatur, & legitur; *Basilicam ad nomen Saluatoris copulatam cum Episcopio quæ vsitato nomine Stephania vocatur*. A coronarum igitur muneribus

Lib. 1. c. 22.

Stephano paratur cades.

Stephania.

neribus quæ pro votis susceptis offerebantur, non à Stephano, nomen duxit. Leo Imperator Basilij filius inter quatuor vxores Theophaniam primam habuit Martinacij Patricij filiam, quæ Stephanium dicta est. Huic in honorem B.Stephani templum Constantinopoli præciosum ædificauit propè ædem Sanctorum Apostolorum, in quo & corpus eius deposuit. Sic de eo tumultu, Chronica; *Eodemq. in tempore Neapolitani Theodorum successorem Theophilacti* (is horum Ducum tempora interturbat, quare, Theoctisti, potiùs aliqui legendum arbitrati sunt) *Ducis perpellentes, Stephanum nepotem præscripti Stephani Præsulis Consulem leuauerunt. Cuius inuidia commotus Sico Beneuentanorum Princeps multa mala nunc obsidendo, nunc depredando Parthenopensium irrogauit ciuitati, cupiens eam aliquo modo suo pessimo dominatui subiugare. Sed cùm exindè non valeret ad effectum sui venire, impios ciues eiusdem vrbis, datis multis muneribus, misit in letale consilium ipsius Ducis. Quid multa? æstiuo tempore quando segetes reponuntur, eidem Duci pacem petenti suos transmisit Legatos, dante eis in præceptum, vt dolosè loquerentur Neapolitanis. Illi quoque venientes, vt conceptum irato Deo perficerent malum, simulauerunt se in ipsius Episcopij ædibus applicare. Postera igitur die Stephanus Consul cupiens desideratam pacem sancire, iunxit se cum eis antè fores Ecclesiæ Stephaniæ. Tunc fautores Siconis impetum facientes peremerunt suum Consulem coram Legatis eius.* Id quidem non Neapolitanis tribuendum quibus nullo vnquam tempore proditionis nota inusta est; sed ijs facinoris ciuibus (semper enim in cadis faex reliqua est) qui Siconi obærati, tantum scelus in Ducem immeritò perpetrarunt. Deus tamen proditionis præcipuus vindex, inultum facinus non reliquit, nam Bonus, qui ab ipsis electus fuerat, proditorum alios in exilium egit, alios lumine priuauit, quæ pœna apud Græcos vsui erat. Ideoq. eadem subdunt; *Et Dominus iustus redditor, qui nihil sinit abire inultum, permisit vnum ex his interfectoribus Bonum nomine, Ducatum arripere Parthenopensem, qui mox vt Consul factus est, ex suis com-*

Stephanium

Stephanus Dux occiditur.

Bonus in occisores animaduertit.

plicibus alios lumine priuauit, alios perpetuo relegauit exilio. Hanc memorabilem cædem, antiquum epigramma quod in D. Ianuarij templo fuerat repertum ostendit, in cuius achrostichis primis & extremis legitur, STEPHANVS CONSVL;

S Sebæ cum facinoribus inuasit me horror mortis S
T Tellus in puluerem redacta caro mea quieuit T
E Expectans venturũ meum de cœlis factorẽ cũ fide E
P Promissionis, Resurrectionisq. sustinens diẽ, vt Iosep P
H Hæc CHRISTI Martyr Ianuari deposco H
Vt per te meis delictis ignoscat Sabaoth
A Attendite quid mundi mihi profuit misero gloria A
N Nunc dormiens sileo Baptismi habens fiduciã tamẽ N
V Vehementer coniux deflet, & mærens luget me diù V
S Sodales etenim mei cuncti me sunt obliti viuentes S
C Cùm ex illis sit nullus qui sententiam euadat hanc C
O Omnis ergo maledictus cuius cor recedit à Deo, O
N Nec vllus saluabitur viuens nisi Dei crebrò inuocauerit nomen N
S Sed Dei genitrix virgo meritis me tuere tuis S
V Vt æterni examinis die à perpetuo eripiar interitu; V
L Lætariq. cum Sanctis merear dùm ad iudicandum venerit Emanuel L

Requiescit hic Stephanus Dux & Consul. Vix. Ann. xxxiiij. Obijt xvi. Mens. Maij. Ind. viij. Sed & eius coniux non vit. Theodori Ne. p. Ducis F. ponitur hic. Imperante D. Constantino An. vi. & Leone ann. xvij.

BONVS. DVX. XVIII.

Longobar. à Neapolitanis vincuntur.

Longobardorum calamitates sub hoc Duce quoque viguerunt, quorum incursiones non tantùm Neapolim penetrarunt, sed omnes vicinos agros vastasse cognoscimus. Sed ab eo hostium quoque oppida Acerras, Atellas, Sarnum, vt etiam ad Caudi-

Caudinas Furcas percurrerit, subscriptum epigramma innuit. Hic Stephani necis particeps, certam pecuniam iureiurando Siconi solutorum pollicitus est, omnia enim tunc venalia habebantur, & pecunia in omnibus principatum agere videbatur. At fortasse Bonus promissis cũ Longobardis non respondebat. Hinc bella. Maximam verò virtutem esset ostensurus, nisi breui Ducatu functus esset, qui annum cum dimidio imperauit; hoc enim, *metium & annum* infrà significat. Ceterùm cùm Neapolitanos insolenter tractaret, & Boni nomen è contrario ostenderet se habere, à Tiberio Episcopo qui bonos mores in Principe desiderabat, verbis quæ bonum Præsulem decebant argui cœpit. Quibus commotus Dux, eò temeritatis perductus est, vt in carcerem Episcopum coniecerit, alio suffecto in eius locum Episcopo, quem Ioannem Aquarolum vocabant; qui quòd sanctissimè viuebat, quòdque nihil commune cum hominibus habere cupiebat, eam dignitatem recusauit. Tiberius quoniam Ioannis operam sibi maximo adiumento futuram in sua calamitate sperabat, vehementer ab eo contendit, vt Episcopatum non renueret; libenter eam dignitatem acciperet, sic enim sperabat irati Ducis sæuitiam sedare. Quæ cum cognouisset Ioannes, amici miseriam aliquo pacto subleuaturus, ad opem Tiberio ferendam, subijt Episcopatus onus. Chronica hæc huiusmodi narrant; *Præfatus igitur Bonus Stephani Ducis necator, in eo anno quo Neapolitanorum Consulatum regere ortus est, contra Sanctam Ecclesiam ad cumulum suæ perditionis multa cœpit mala peragere. Cui cùm hic idem Antistes* (Tiberius) *in quantum virium erat, obsistere non dubitauit, eligens terreni quàm cœlestis iram incurrere Iudicis, & iugiter examen comminabatur diuinum. Sed ille antiquæ aspidis cauda aurem cordis obtusus adhuc quia spernebat monita salutis, insuper & funes peccatorum ad suum prolongaret interitum, lictorum verbositates magis attendebat. Quid multis moror? ad vltimum iniecit ad eum manus, & comprehendit eum, atque carceralibus tenebris religatum arctè in pane & aqua macerabat.* Et

Bonus promissa nõ obseruat.

Bonus Tiberium Episcopum in carcerem detrudit.

Ioãnes Aquarolus Episcopus.

paulò

paulò post; *Cùm prædictus Bonus Tiberium tenebroso carcere, & execrabili fame affligeret, iussit cunctos terq. quaterq. aggregari clericos, vt illis Electum præberet. Hic autem solus, nonnullis conatibus assumere, imo inuadere eandem sedem absens & contrarius ibat. Ad vltimum verò multis affectus conuitijs adductus est antè Bonum Consulem, cui feroci pectore, ore garrulo comminari cœpit. Post paululum furijs actus, iurauit non alium nisi ipsum facere Electum. At ille clamabat; Præsule meo viuo, non ero Sedis inuasor. Vndè Dux valdè iratus dixit, eundem iugulare Tiberium, & totius Episcopij seruos, possessionesq. infiscari. Tùm ille vndiquè angustiatus mentem per varia ducebat, hinc formidans de Præsulis nece, Pontificatusq. clade coeleste examen, illinc Apostolicam sententiam, & populi infamationem. Sed vbi respectu misericordiæ maluit humanum, quàm diuinum subire detrimentum, ait ad Consulem; Si iureiurando sancire volueris, vt licentiam habeam ingrediendi ad Tiberium Episcopum, & nullatenus eum produces ex ipso Episcopio, nec quamlibet maculam facies in corpore eius, licet ad periculum capitis mei, præbebo consensum. Hac illicò prouisione percepta Electus est sublimatus* &c. Eadem confirmantur in eiusdem Aquaroli vita. Lapis habet *achrostica*, BONVS CONSVL ET DVX. Barbariem tempora Longobardorum ferebant;

B *Bardorum bella inuida hinc indè vetusta*
Ad lacrimas Parthenope cogit sæpè tuos.
O *Ortus & occasus nobit quo Sico regnauit*
Suadendo populos munera multa dabat.
N *Nam mox hic recubans vt Principatu refulsit*
Eosq. perdomuit bellis, triumphis subdidit.
V *Vt rem affatim, nullusq. referre disertus*
Enumerando viri facta decora potest.
S *Sic vbi Bardos agnobit ædificasse castellos*
Acerræ, Atellæ diruit, custodesq. fugauit.
C *Concussa loca Sarnensis, incendit Furchlas,*

Cuncta

Cuncta latus depredans cum suis ingreditur vrbem.

O *Omnibus exclusis isto tantùm retinebitur antro*

Metium & annum brebe Ducatu gerens.

N *Nam moriente eo tellus magno concussa dolore*

Indè vel indè pauper luxit, & ipse senex.

S *Sibi o quàm duris vxor cædit pectora palmis*

Subtili clamitans voce mori parata satis.

V *Vlulatu potius communia damna gementes,*

Pax quia nostra cadit, sede cor ipse simul.

L *Loquax, vigil tantus is habebatur ab omni*

Vt moriens populi corda cremaret idem.

E *Eheu teneri quàm lacrimas patiuntur infantum*

Clamitat, hic nobis paxq. paborq. fuit.

T *Turmatim properant diversi sexus & ætas*

Funera de tanto voces vbique gemunt.

D *Dapsilis, & fortis, sapiens, facundus, & audax.*

Pulcher erat specie, defensor vbique totus.

V *Virgo præcipua Mater Domini posce benigna*

Vt sociare dignetur beatorum amœnis locis.

X *XLVIII. hic vixit annos, obijt die nona*

Mensis Ianuarij per inditionem duodecimam.

LEO. DVX. XVIII.

Bono Duci. Leo filius successit; *Bonus intereà Consul expleto vnius anni & sex mensium circulo defunctus est. Cui successit Leo filius eius. Hunc Leonem post sex menses socer eius Andreas expulit; & factus est ipse Consul*, &c. 835.

ANDREAS. DVX. XX.

Andreas Leonem socerum post sex menses expulit, & Ducatum accepit Præcibus Ioannis Episcopi Neapolitani Tiberium in carceres à Bono detrusum liberauit, & sub custodia posuit in cubiculo antè Ecclesiam S. Ianuarij Martyris. Sicardũ Siconis filium & Beneuentanorũ Principẽ habuit Andreas hostem 835. *Tiberius Episcopus liberatur.*

hostem acerrimum, quòd cùm Neapolitani vectigal patri promissum pendere recusarent, crebras irruptiones in agrum Neapolitanum moliebatur. At viribus tantummodo suis niti tutum non existimans, ad Sarracenos confugit, missoq. Apocrysario, vt parata classe Neapolim contenderent hortatus est. Quod illicò factum. Sicardus eorum aduentu perterritus, inito fœdere, captiuisq. redditis, aliquot firmandæ pacis proposuit condiciones, de quibus Herempertus; *In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu CHRISTI, & Beata gloriosæ Dei genitricis B. Virginis Mariæ. Dùm ea quæ Dei præcepta sunt partes obaudiunt, tunc ipsius adimplere probantur mandata, & ad pacis concordiam pro salute Christianorum animarum peruenisse monstrantur; pro quo promittimus nos Dominus vir gloriosissimus Sicardus Longobardorum gentis Princeps, vobis Ioanni Electo Sancta Ecclesiæ Neapolitanæ, & Andreæ Magistro militum, vel populo vobis subiecto Ducatus Neapolitani, Surrentini, & Amalfitani, & ceteris castellis, vel locis in quibus dominium tenetis, terra mariq. pacem veram, & gratiam nostram, vobis daturos, ab hac quarta die mensis Iulij Ind. xiiij. vsque ad annos quinque expletos*; & quæ sequuntur. Hanc pacis condicionem idem auctor Rofrito à Sicardo ad Neapolitanos misso tribuit, qui Neapolim ingressus cùm terræ aggerem in media ciuitate vidisset ex quo vndique frumenti spicæ eruperunt, à quodam ciue percunctatus est, qui fieri poterat, vt ibi frumentum enasceretur? At ciuis nactus occasionem, callidè respondit, Tantam in ciuitate frumenti esse copiam, vt plenis vbique horreis, locum in quo illud conderent, non haberent; ideoq. eius quod supererat ibi aliquam partem reliquisse, & imbribus tabefactum pullulasse. Quod cùm Sicardo Rofritus renunciasset, & intelligerent adeò munitam esse Neapolim, vt quamlibet posset obsidionem sustinere, à conatu destitere, & ad pacem accedere deliberarunt. Fidem tamen à Sicardo non seruatam illud maximè declarat, quod in eadem calamitate constitutus Andreas in Galliam ad Lotharium Legatos misit, qui vel auxilium ab Imperatore

Foedus inter Neapolitanos & Longobardos.

Neapolitanorum astutia.

Sicardus fidem non seruat.

peterent,

petetent, vel efficerent, vt aliquo pacto Sicardi vesania eiusdem auctoritate reprimeretur. Lotharius Contardum quendam (bellica eum virtute fuisse insignem arbitror) Neapolim misit, qui cum Sicardo ageret, vt à Neapolitanorum iniuria abstineret. Quod si id eum non esse facturum animaduertisset, & Neapolim vexare perseueraret, eius ipse furori & audaciæ resisteret. Contardus licet celeriter venisset, Sicardum nihilominus mortuum reperit. Is enim ob insolentem imperandi libidinem omnibus erat inuisus. Accedit cò quod Naningonis Beneuentani vxorem stuprare tentauerat, quapropter iniuria viri animum, eiusdemq. apud plebem querelæ, ciuium animos contrà Sicardum subleuarunt. Fuerant prætereà Beneuentanæ mulieres maxima iniuria ab eius vxore Adelchisia affectæ. Etenim quòd eam quidam in tentorio casu nudam viderat, conuocatis omnibus mulieribus quasi ludum editura, vestes ad crura concidit, vt nudas eas quilibet conspiceret. Tanta exarsit vniuersus populus ira, vt Sicardum occiderint, suos omnes si licuisset, occisuri. Ea cùm comperisset Contardus, ad Imperatorem sibi redeundum statuit. Andreas verò Longobardos obstinatè Neapolitanos insequentes pertimescens, ne ciuitatem ferro atque igni traditam lugeret, Contardum cuius præsentia hostibus terrori fuerat, multis precibus apud se retinere studuit; vtq. libentiori animo Neapoli conquiesceret, Eupraxiam filiam quæ Leoni anteà nupserat, spopondit. At quoniam quos nobis amicos adsciscimus, hostes sæpenumerò retinemus, Contardus regnandi cupiditate accensus, nulla Andreæ beneuolentiæ habita ratione, facta cum soceri æmulis coniuratione, ad S. Laurentij basilicam eum trucidauit, & Eupraxiam vxorem accepit. Atque huiusmodi pœnas ipse luere visus est, qui socero Leoni Consulatum vi eripuerat. Id cùm alijs Neapolitanis qui Andream amabant vehementer displicuisset, triduò post eius necem impetu facto in Contardi domum, ipsum, coniugem, & familiares occiderunt; & Sergium Marini & Eupraxiæ filium elegere. Ex genere Amalfitanorum Ducum hanc existimo, atque hoc tempore Ducatum Neapolita-

Contardus à Lothario Neapolim mittitur.

Sicardus occiditur à Beneuentanis.

Anno 839. Contardus Andream occidit.

Eupraxia filia Andreæ.

Sergius Dux eligitur.

litanum cum Amalfitano coniunctum arbitror tùm ex pacis verbis quæ suprà Sicardus dixerat, tùm quòd in illorum chronicis, Leonem, Marinum, Sergiumq. habemus. Erat tunc Sergius Cumis, nàm mortuo Andrea, ad Sichenolphum Salernitanorum Principem legatus missus est, & è Suessulano agro Cumas aduenerat, vt vera de Andreæ morte rescirèt. Quæ ità in Neapolitanorum veteribus fragmentis explicantur; *Mox autem Andreas Consul Franciam direxit deprecans Dominum Lotharium, vt saltem eius præceptione à tantis malis sopiretur Sicardus, quapropter misit ille Contardum fidelem suum, vt si nollet cessare persequi Parthenopensem populum, vesanum eius furorem ipse medicaretur. Hic autem Contardus cùm Neapolim peruenisset, audiens Sicardum peremptum à suis conciuibus, ad suum seniorem reuerti voluit, quem Andreas Magister militum propter ingruentem Longobardorum inimicitiam tenere curauit, promittens ei Eupraxiam filiam suam dare in matrimonium, quæ vxor fuerat prædicti Leonis filij Boni Ducis. Qua sponsione accepta, consistens repedare contempsit. Sed vbi cognouit idem Contardus huiusmodi copulam illudendo prolatari, coniurauit cum inimicis Andreæ Consulis, & eum in loco basilicæ S. Laurentij qui ad Fontes dicitur, gladio percussit, & Consulatu suscepto, eandem duxit Eupraxiam. Neapolitani siquidem commoti de morte turpissima sui Ducis, post tres dies vnanimes irruunt Episcopium quo ipse manebat, & confecto feroci bello, Contardum, suamq. coniugem, & homines eius trucidauerunt, ac deindè inito consilio, Sergium filium Marini & Eupraxiæ libenti animo Ducem statueutes, beredarios Cumas præmiserunt, qui eum festinarent Consulem fieri profiguum. Nam diluculo ipsius diei quo peremptus est Andreas Dux, direxerat eum legatum ad Sichenolphum Salernitanum Principem obsidentem tunc Beneuentum (enimuerò in ipsis diebus diuisus est Principatus Longobardorum) qui cùm reuerteretur, in Suessulano territorio audiuit occisum Contardum. Vt autem exindè veritatem resciret, perrexit ad Cumanum castellum. Hinc*

S. Laurêtius ad Fontes.

Sichenolfus Salernitanorum Princeps.

ergò

ergò reuocato illo, Magistrum militium præfecerunt. Interim Tiberius Episcopus moriens sermonem habuit quo Ioannem Episcopum Neapolitanis commendauit. Tiberius Episcopus mo.i tur.

CONTARDVS. DVX. XXI.

Meritas pœnas rependere visus est sceleftus homo, qui Andream de se optimè meritum occidere voluit, vt Ducatus insignibus decoraretur, & violata fide amico euasit hostis. Neque Gallus Dux, inter Græcos debuerat adnumerari. 836.

SERGIVS. DVX. XXII.

Longobardorum ingruens furor in Italicas vrbes, in Neapolitanos præcipuè sæuiebat, quamobrem multis proelijs lacessiti, belli & fortunæ vicissitudines pro viribus perferebant. Emicuit belli fulmen inter eos Sergius nobilissimo loco natus, qui tantum sibi gloriæ pugnando comparauit, vt hostibus maximò terrori esset; & adeò metuebatur, vt in eum solum inter pugnandum tela contorquerent, eo enim mortuo facilem sibi victoriam fore sperabant. Quocircà summo Pontifici Gregorio IIII. & Imperatoribus Ludouico, & Lothario charus, & Neapolitanis maximè acceptus quòd litterarum studia vehementer sectaretur, quòd viribus animi & corporis maximè polleret, quòdq. patriæ miserijs neminem opportuniùs prouidere posse existimabant, mortuis Andrea & Contardo, ex Legato ad Siconolphum, Ducem sibi elegerunt. Eius elogia, sic sunt explicata. *Anno igitur Incarnationis Iesu CHRISTI Domini nostri octingentesimo trigesimo quincto Ind. xiij. Sergius quidam vir per omnia strenuus Neapolitùm de prosapia procerum ortus, ab ipsis cunabulis gemino de germine nobilis, sed longè nobiliori mente, gratus parentibus, sed Deo non ingratus. Quo videlicet tempore sustinebat sæpè dicta vrbs à Bardodorum agminibus persequutionem, ità vt singularis hic quæreretur ab his interimendus, veluti Moyses famulus Dei ab Ae-* Sergius bello clarus.

 gyptijs,

gyptijs, metuentes proculdubio ne sicut ille illis ad ruinam, ità iste istis ad perniciem daretur aliquo modo, ideòq. innumerabilia probra, dispendiaq, non parua pertulit pro sua suorumq. optata ciuium commoditate. Cùm autem ad virilem peruenisset ætatem, litteris tàm Græcis quàm Latinis fauorabiliter eruditus est, ità vt si casu librum Græcis exaratum elementis in manibus sumeret, Latinè hunc inoffensè cursimq. legeret; & Latinos libros Græco expedito sermone rimaret. Tantæ namque prudentiæ & modestiæ, tantæq. patientiæ bonitate decoratus est, vt penès Gregorium Romanæ sedis Pontificem, ergàq. serenissimos viros Ludouicum pijssimum cognomento Almum, eiusq. Sobolem Lotharium inuictissimos Cæsares familiarissimus esset, maximumq. obtineret honoris locum, quoniam frequentiùs eorum iura Regalia adibat ob infestationem iam dictarum gentium suam gentem vrbemq. impugnantium. Hinc ergò non ab re saluator propriæ gentis nuncupari potest, per quem populus & ciuitas ab obsessione immunis efficitur. Huius rei gratia etiam suæ gentis primas tum obtinere promeruit. Nam Rectore obeunte iam dictæ ciuitatis, dùm hic absens esset, ciues affinesq. illius omnes Ducem sibi illum statuerunt pari consensu & petitione. Mox Dei opitulante misericordia quieuit persequutio sinistræ immissionis. Accepit coniugem dignam generis sui Drosu nomine principali propagine satam, quibus coniunctis turba sobolum prosequuta est Domino largiente, ex quibus vnus ex illis adhuc Gregorius nomine Militum magister constituitur, vir per omnia strenuus vt genitor, & in Græca Latinaq. lingua peritissimus. Eius filios commemorat Herempertus, Gregorium, Athanasium Episcopum, Stephanum Episcopum Surrentinum, atque Cæsarium. Eius Ducis ætate maxima Neapolitanorum fides atque obseruantia cognita est ergà summos Pontifices, maximaq. in Relligionem pietas qua semper floruere; & iàm cognita fuerat Adriano Pontifici cùm inter alios Campanos Neapolitani ad Vrbis præsidium accersiti, Desiderio Longobardorum Regi Vrbis aditum intercluserunt. Et sub Leone IV. Pontifice, & Lothario & Michaele

Drosu vxor Sergij.

Sergij filij.

Neapolitanorum summa fides in Pontificem.

Leo IV.

chaele III. Imperatoribus, Sarraceni diabolico hortatu Ecclesiarum caput Romam sanguine obruere deliberarũt; & ad eam rem perficiendam ex Africa in Sardiniam, indè Ostiam nauigantes, tantum timoris Romanorum animis intulerunt, vt in maximam omnium rerum miseriam se adductos viderent, cùm interim incredibili celeritate intrà vrbem acies ordinesq. constituerint, & sese Pontificis verbis, atque orationibus confirmarint. Ea re permoti Neapolitani, & ægrè ferentes Romam, & Pontificem in summis esse positos angustijs, iunctis suis cum Amalfitanorum, & Caietanorum nauibus, ijsq. optimo milite instructis, cum Cæsario Sergij filio classis præfecto, Romam nauigarunt, dùm interim Sarraceni per maria illa vagarentur. Verebatur Pontifex appulsu nauium audito, ne Sarracenorum partes sequutæ Vrbem fuissent inuasuræ, non quòd Neapolitanos amicos & socios, hostes haberet; sed quòd barbarorum metu saltem illis fauere velle viderentur. Aliquot igitur ex ijs Romam accersiuit, vt ancipitis opinionis timorem abijceret. Profectus est ad Pontificem Cæsarius. Ex quo cum amicorum beneuolentiam, & studium, nauium numerum, militum multitudinem atque alacritatem ad hostium insolẽtiam opprimendam cognouisset, & addidisset Cæsarius Neapolitanos sociosq. paratissimo animo, maiorum instituto ad Sedis Apostolicæ decus & Maiestatem tuendam, pro Pontificis & Romanæ vrbis commodo sanguinem libentissimè profusuros venisse, à lacrimis bonus Pontifex, Romani, militesq. non abstinuere. Summis laudibus Cæsarium Sergiumq. patrem, & commilitones omnes summus Pontifex prosequutus est, mox hilariter summa cum benignitate in æde Lateranensi eos accepit. Ostiam deindè cum omnibus copiis properantes, alios qui naues custodiebant ad sollemnia euocarunt. Tanta vtrinque lætitia coorta est, tantusque piorum animorum plausus, vt omnis oppressorum timor sublatus videretur. Pontifex Romani Præsulis clementia vsus est. Cæsarius, militesq. humi prostrati, pedes tanti Pastoris deosculantes certam sibi victoriam pollicebantur. Et multis precibus contendentes, vt sacra eos Communione

Sarraceni.

Neapolitani, Amalfitani, & Caietani.

Caesarius Sergij filius.

Ad Ostiam Pontifex descendit.

Celebrantur sollemnia.

Pontificis oratio pro Neapolitanis & socijs.

munione cibaret, *cum hymnis & canticis ad Ecclesiam Beatæ Aureæ profecti* (vt Anastasii Bibliothecarii verbis vtar) *Pontifex Missam decantauit, atque vniuersi ex illius manibus Communionem sumpserunt. Tunc Summus Pontifex hanc Orationem obtulit; Deus cuius dextera B. Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, atque B. Paulum tertiò naufragantem de profundo pelago liberauit, exaudi nos propitius, & concede, vt amborum meritis horum fidelium vestrorum brachia contrà inimicos sanctæ tuæ Ecclesiæ dimicantia, omnipotenti dextera tua corroborentur, & conualescant, vt de perceptò triumpho, nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. Per Dominum nostrum, &c.* Quid gloriosius vnquam Neapolitani adipisci potuere, quàm pro tantæ victoriæ trophæo, huius orationis memoria in Ecclesia Dei celebrari? Postera die Pontifex Romam reuersus est, milites naues conscenderunt. Vtq. in conspectum hostium venere, tanto imtu inuecti sunt, vt Victoriam non arma pugnasse visum fuerit; Deum ipsum, inquam, pugnasse crediderim. Inita enim pugna tanta ventorum exorta est tempestas, vt subitò hostium naues dissiparit, quæ miserabili naufragio pereuntes, diuinæ potentiæ virtutem sunt expertæ. Plerique qui in vicina littora sunt deiecti, aut fame, aut gladio perierunt. Captiui etiam Romam ducti, quos ad Ostiam mala cruce suspendi iusserant. Vix memorari potest res vel euentu, vel exemplo in tota antiquitate nobilior, inquit Sigonius. Gregorius quoque Pontifex de salute ciuitatis sollicitus in Agilulfi persecutione, dimissa expositione templi Ezechielis, sacro missarum canoni addidit, *Vt dies nostros in tua pace disponas.*

Neapolitani vincunt Saracenos.

GREGORIVS. DVX. XXII.

844. *Illustriss. Baronio.* 872.

Sergio patri de Neapoli, & Romana Ecclesia tàm benemerito, Gregorius filius successit. Generis in eo summa nobilitas, qui longam Ducum secum duceret seriem, & animi notatur splendor, cùm bonas amauerit litteras, & sacrarum rerum

rum fuerit studiosus. Sic enim Bonitus Subdiaconus Ecclesiæ Neapolitanæ in Actis (ipse *Passionem* appellat) Theodori Martyris sub Licinio, & Galerio quam puriori stylo Gregorij huius monitu, ab ipso conscriptam testatur his verbis; *Quidam inertes Sanctorum Martyrum passiones describentes tanta eas absurditate, tantaq. obscuritate sensuum repleuere, vt nec tempora passionis, agonumq. constantiam, vel contrà impios eorum victoriæ intelligi queant. Veruntamen cùm à solertissimis Chachigetis* (sic in antiquo exemplari) *talium figmenta fuerint deprehensa, cultro suæ sententiæ detruncantes solummodò ex ipsis ceu relliquias de naufragio sententias colligentes, ad liquidum ea conuertere student ingenium. Ex quibus igitur solertissimis ac studiosissimis viris Gregorius Parthenopensis loci seruator, non solum industriam, verùm etiam originem trahens, videlicet nepos ac proles, frater ac patruus extans Parthenopensium Ducum, cùm quorundam passiones Sanctorum Martyrum rustico Archiuorum stylo digestas legi in Ecclesia comperisset, & ex his populus audiens ridiculum potiùs quàm imitationem acquireret, CHRISTI æmulatione permotus, non est passus Dei opus ludibrium fieri populorum. Quapropter me Bonitum indiguum Subdiaconum Ecclesiæ Neapoleos compulit, quatenus S. Theodori gesta potiori serie pertractarem*, &c. Duos hic habuit filios, Sergium,& Athanasium. Sergium ipse viuens ad Ducatum euexit; sic enim Chronica; *Intereà Gregorius Dux habito cum suis germanis consilio, præsertim cum Domino Athanasio Episcopo, statuit Consulem Sergium filium suum, nec multò post diuturnitate ægritudinis spiritum exhalauit*. Sed quoniam puer cum fratre relictus fuerat, Athanasij fratris tutelæ commisit, sperabat enim sanctis illius viri moribus institutos, fore vt maiorum exempla sectarentur; idcircò, *Gregorius Dux* (in vita Athanasij legitur) *ægritudine captus, Sergium filium suum dudùm iàm Ducem constitutum, huic sancto viro tradere curauit*. Sed quàm diuersa successerunt?

Bonitus Subdiaconus Neapol.

Athanasius Episcopus.

Sergius traditur Athanasio Episcopo.

SER-

SERGIVS. DVX. XXIV.

Quidquid sibi maiores pietatis & gloriæ tùm in administranda Republica, tùm etiam in obseruantia ergà summos Pontifices comparauerunt, duo Gregorij filij Sergius, & Athanasius turpiter amiserunt. Sergius quem natura malorum morùm lue infecerat, mortuo patre, paternis legibus solutus, sancto viro non feroci quo opus erat commissus, solutam quoque stultitiam & intemperantiam exercens Neapolitanorum pacem, & tranquillitatem, in dissensiones atque tumultus, consilio, & exemplo conuertit. Et tales sub eius Consulatu redditi sunt, vt qui nunquã à Romana Ecclesia desciuerũt, & malos Duces superioribus temporibus eiecerunt, Sergio perfido viro adhærentes, cum Sarracenis fœdus ferierint, Pontificum comminationes aliquandò paruipenderint, & pulcram omnium oculis Neapolim deformarint. Hinc planè intelligimus quantùm intererit bonum Reipublicæ Rectorem habere, cùm sæpè Principum ad exemplar ciues instituantur. Idcircò à Ioanne VIII. in Epistolis Decretalibus Neapolitani eo tempore cæci appellati sunt, & Sergius Dux cæcorum. Cùm igitur Sergius haberet S. Athanasium commonitorem, & manifestorum scelerum testes continuò deprehenderentur, admonitiones, atque preces detestari non verebatur. Perfida coniux (socera, in vita Athanasij) hortabatur eum ad odia atque diffidia, nam ambitiosiùs illud inprimis optabat, vt solus vir principem locum in ciuitate obtineret, alios non haberet in administranda Rep. consortes. Quamobrem crebris sollicitabat Sergium illecebris, tùm muliebribus minis, vt Episcopum aliquò ablegaret. Qui tandem coniugis verbis adductus, non ex vrbe eijcere, sed in carceres cum fratribus detrudere deliberauit. Iactabant tota vrbe querimonias Neapolitani qui à Duce non erant, Sergii & coniugis indignitatem accusantes; maximisq. contendebant precibus, vt Pastorem suis redderet ouibus; non decere iustum piumq. Præsulem hisce malis affligi;

Sergius malis moribus imbutus.

Sergius & Neapolitani Sarracenis adhærent.

Athanasius à Sergio eijcitur.

ftigi; non decere Ducem, Neapolitanæ ciuitatis Rectorem, Ecclesiasticum virum, sanctum Antistitem iniurijs sine causa afficere; id quod clamitans Antonius Abbas (ex S. Benedicti monasterio) clero ad Prætorium comitatus diris execrationibus comminabatur. At Sergius eos qui eius partibus non fauebant metuens, simulatam ostentans pietatem, Episcopum tantùm post octo dies cum S. Saluatoris Abbate, retentis fratribus, liberauit. Ità verò Ducis creuit inuidia, quod profusam omnium hilaritatem ob eam rem cognouerat, vt omnibus ad sanctum virum prohibuerit aditum. Et quamuis nouum Saulem mitissimus hic Dauid humilitate placare studeret, de eius tamen commiseratione desperans, signato annuli sui symbolo Ecclesiæ thesauro, atque his scriptis appositis; *Anathema sit quid si fecerit, vel iusserit absque mea præsentia, vel iussione, hanc ianuam aperire, vel aliquid hic contingere*, in insulam Saluatoris, vel Castrum Lucullarum, in monasterium se abdidit quod ipse condiderat. Sed à persequutione non decedens Sergius, cum Neapolitanis qui sibi fauebant, & Sarracenorum copijs, ibi etiam eum obsidione tentauit, illud præsertim petens, vt Episcopatu se abdicaret, & monachalem habitum indueret, ipse interim Ecclesiam ordinaret. Ludouicus Imperator qui Beneuenti hæc impia resciuerat, Marinum Præfectum Amalfitanum cum vigini Sagenis (sic scribit Petrus Diaconus; erat vero nauigii genus) misit, qui Episcopum ex insula educeret. Neapolitani, & Sarraceni nauibus Marinum insequuti, diuina tandem prouidentia, profligati sunt, & occisi. Episcopus Beneuentum ad Ludouicum incolumis ductus est. Adrianus Pontifex de recipiendo Episcopo ad clerum & populum Neapolitanum scripsit. Quibus renuentibus. Anastasius Bibliothecarius, & Bertharius Abbas Pontificis & Imperatoris nomine Neapolim missi sunt, qui Anathemate ciuitatem obstrinxerunt. Romam deindè proficiscenti Episcopo, venenum ferox Dalila, Sergij inquam vxor, per nefarios homines molita est. Quod cum animaduertisset Athanasius, Surrentum diuertit, & cum fratre Stephano Surrentinæ ciuita-

Antonius Abbas.

Athanasius in Insulam Saluatoris se abdit.

Ludouicus Imperator.

Marinus Dux Amalfitanus.

Athanasius Beneuentum incolumis ducitur.

Neapolitani excommunicantur.

Stephanus Ep. Surrentinorum.

tis Episcopo commoratus, suarum miseriarum oblitus, Anathematis indignationem contrà patriam deplorabat. Dùm hæc gererentur, mortuo Adriano Ioannes VIII. successit, qui ægrè ferens Neapolitanos, Caietanos, Salernitanos cum Sarracenis familiariter viuere, à quibus occupato Tarento & Barulo, ager quoque Romanus vastabatur, cnm Duce Lamberto, & Guidone fratre quos Carolus II. cognomento Caluus miserat, Neapolim, deindè Salernum se contulit. A Guaiferio Salernitano facilè impetrauit, vt fœdus dissolueret, & sumeret arma contrà Sarracenos. Sergium Neapolitanum Ducem nunquam à sententia potuit dimouere, quocirca excommunicatione eum percussit, Romamq. reuersus est. Athanasius Romam petiit, tantumq. precibus apud Pontificem valuit, vt indignationem à ciuitate Neapolitana auerterit, curante id Dominico Episcopo, à Ioanne misso. Neapolim repetens, post Missæ sacrificium in itinere febre correptus est, & in Oratorio S. Quirici, quod non longè à Casinati Monasterio abest, ad beatiores sedes euolauit idib. Iulij: Ind. v. sub Basilio Constantinopolitano. Sedit annos xxij. In monte Casino summa cum veneratione sepultus est, Ibiq. multis miraculis claruit. Fœdus noluisse Sergium dissoluere, his verbis exprobrat Ioannes Pontifex Decret. 3. tomo; *Semel te tuosq. admonere non abnuo, vt ab infidelium consortio declinetis, & à tam prophano tandem aliquando fœdere recedatis. Quod si nos audieritis, non solum bona quæ capitis affluentiùs ex nobis habebitis, sed & magna premia cœlitùs assequemini. Sin autem; non solum nos spirituali vos iterato gladio percellemus, sed & hi qui non sine causa materiales gladios portant, cùm sint sanctæ Ecclesiæ validi defensores, & feruidi zelatores, cunctis aduersis & prosperis conculcatis aduersus nos protinùs arma corripient, & vindices contrà vos impugnatores eius celeriùs properabunt.* Atque vt ostenderet quantum detrimenti in eo fœdere intulerint, quasi ingemiscens ait; *Ceterùm miramur quando vos in litteris vestris quas in Paschali festiuitate suscepimus inculpabiles tentetis astruere, cùm piaculum vestrum totus qui desertus*

Ioannes viij. Neapolim venit.

Dux excommunicatur.

Athanasius Pontificem placat.

Moritur.

In Monte Casino sepelitur.

Pontificis querela.

tus est mundus, & sanguis qui de terra effusus est clamet.

ATHANASIVS. DVX. XXV.

Neapolitani cùm ad se redijssent, Pontificis comminationibus perterriti, qui & facinorosi Ducis insaniam diutiùs perferre noluerunt, eiecto Sergio Athanasij Episcopi fratris opera, ipsum Episcopum Ducem subrogarunt. Hic quietam initio vitam ducere cupiens regnante Ludouico III. quem Carolus habuit successorem, & Salerni commorabatur, sibi ipsi potiùs quàm fratri consulens cuius vindex à Deo electus videbatur, vt ait Leo Ostiensis, Sergium captum excæcauit, & Romam ad Pontificem misit. Laudatus idcircò est à Ioanne VIII. hac epistola; *Reuerendissimo ac sanctissimo Athanasio Episcopo sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ confratri nostro Ioannes, &c. Innumeras gratiarum actiones vestræ Deo dilectæ agimus Almitati, dignisq. Apostolico vos ore laudibus præ ceteris meritò collaudamus, quoniam secundum Domini vocem dicentis, Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & projce à te, fratrem tuum erga Ecclesiam Dei impiè agentem, & circà Dominum non recto itinere gradientem velut secundum Holofernem sanctam* CHRISTI *Dei nostri ausu temerario impugnantem, & hæreditatem patriam more sacrilego persequentem, tanti honoris regimine indignum iudicans vltionis diuinæ percutere iaculo studuisti, nec pepercisti carni tuæ propter Dominum dicentem, Qui diligit patrem, aut matrem, aut fratrem plusquàm me, non est me dignus. In quo nimirum vos Deo per omnia dignos fore cognoscimus, quia membrum corporis sui multo contagio fœtens libenter abscindere, proculq. abjcere Sanctitas tua fideli deuotione curauit. Et quia nunc vsque viris secundum se, non secundum Deum in vrbe Neapolitana principantibus multa scandala, & perturbationes multas, homicidia, & oculorum erutiones, intrà eam & foris peragentibus dignum Deo de his iustè iudicante peractum est, vt iniqua iam cesset dominatio, finem haberet peccatum, & cognosceret*

880.

Athanasius Dux eligitur.

Sergium fratrem excæcat.

vir. de domo Domini qui timorem Dei præ oculis habens regat populum CHRISTI *in omni iustitia & sanctitate, in omni veritate & mansuetudine, & pastor idoneus, non velut mercenarius deserat & disperdat. Et ideo ad ea quæ vestræ digniti, vel honori congrua & necessaria sunt, perpetua nihilominus stabilitate confirmamus, tanto ampliori nunc studio curaq. multiplici pro defensione sanctæ Ecclesiæ Dei tibi commissæ stare ac desudare quatenus salua securaq. consistat, vt procures his nostris Apostolicis prudentiam vestram exhortamur apicibus. Nos namque alijs omnibus Mancosis datis* (pecuniæ genus) *mille quadringentos vobis dare debemus quos vestræ dilectioni aut initio Quadragesimæ, aut in die sanctæ Resurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Porrò hunc Petrum venerabilem Diaconum vestrum, quia eum vestræ Ecclesiæ & ciuitati Neapolitanæ in omnibus fidelem cognoscimus, vobis in omnibus commendamus, vt pro nostro eum amore benignè semper retinere dignemini. Data vt suprà mense Nouemb. Ind. xi.*

Mancosi pecuniæ genus.

Non esse accusandum Pontificem scribit Illustrissimus Baronius quòd indecens Episcopo factum laudauerit, quippè & Moyses Leuitas laudauit qui à cæde fratruum & filiorum reuertebantur. Et Petrus spiritu oris sui Ananiam & Sapphiram interemit. Zelus præcipuus est contrà Ecclesiam Dei vexantes. Scripsit etiam idem Põtifex ad Neapolitanos quòd Athanasio tanquàm iustissimè operanti cooperati etiam ipsi fuerint, monens, vt quem Pastoré elegerunt, veneratione amplecterentur. Appellatq. Sergium, Hominem peccati, Dei inimicum, populi sui Tyrannum, atque Romanæ Ecclesiæ perduellem. Landulfus Capuanus Episcopus Pontificis monitu Athanasium in ea re maximè inuit.

Athanasius ob fratris excæcationem non est incusandus.

Rerum deindè vicissitudo cuncta permutauit. Quid? mala mens, malus animus semper mala cogitat. Athanasius Episcopus & Dux, Tyrannus est effectus. Quis credat, omnes Pontificis laudes, in anathemata esse conuersas? Si quidem auaritia ductus, firmata cum Sarracenis pace, propè Neapolim ijs sedes concessit, nec tantùm ab hostili præda contrà Beneuen-

Athanasius tyrannus efficitur.

Sarraceni Neapoli.

neuentanos, Capuanos, Salernitanos, sed etiam contrà Romanos ipsos voluit abstinere. Hortatur eum Pontifex vt pactum cum Sarracenis frangat; *Quod siue ruperint Amalfitani pactum cum Sarracenis, siue non, vos omnino frangatis; volumus, vt indesinenter vos id agere studeatis*; & subdit Dominicum Episcopum misisse, vt eos sententiam cogeret mutare. Dennò vt animarum saluti consuleret ad eundem Ducem scribit lactantium sanctæ Matris Ecclesiæ vberum esse oblitũ, cùm tot damna Christianis inferre conetur; meminerit quæso quid sit; quid si non resipuerit sit futurus. Monet vt iudiciorum Domini sit memor, nec pro ijs rationem Deo reddere cogatur, qui per eius desidiam interempti fuere, & captiui ducti varias angustias atque mortes sustinuere, & vt maiori studio commoueat, inquit; *De quorum crudelitate quid dicere possumus? cùm tanta hic flenda sint, & lugenda, vt si scribere velimus, & lacrimarum riuuli crescent, & primùm charta quàm verba deficient.*

Pontifex monet Athanasium.

Miserat tamen Athanasius Legatos ad Põtificem, per quos pollicebatur, triginta dierum spacio, & cum Agarenis fœdus soluturum, & captiuos Romam transmissurum. Quæ promissa cùm nec certa, nec rata haberentur, optimus Pontifex auari animi cupidus explere voracitatem qua omnia infesta reddebantur, Neapolim se contulit cum argenti pondere quo odiosum illam cupiditatem satiaret, rogans vt tandem aliquando resipisceret, vt animæ lucrum mundanis diuitijs anteponeret; non decere Episcopum & Ducem cui Romana semper fauit Ecclesia, eidem esse inimicum; non decere bonum virum humano sanguine delectari; sumeret exemplum ab aliis Neapolitanorum Ducibus quos semper sedes Apostolica habuit auxiliatores; sumeret exemplum ab Athanasio patruo qui tanta sanctitate gloriam decusq. familiæ adiunxit. Tantum Pontificis verba apud Athanasium valuerunt, vt se pœnitentem subiecerit, & quæ vellet facturum pollicitus fuerit; sin autem, sacerdocio priuari & anathemati subiacere voluisset. Videbatur Pontifici rem difficilem perfecisse, eiusq. sibi animum

Athanasius pollicetur fœdus Sarracenorum soluturum.

Pontifex Neapolim venit.

Athanasius ad vomitum redit.

mum conciliasse, hac de causa Romam sibi redeundum. At cum primùm Neapoli discessit, Athanasius rerum quæ promiserat oblitus, ad pristina facinora mentem conuertit. Quod vbi intellexit Pontifex, conuocata Synodo, anathemati eum obligauit. Hoc verò fuit excommunicationis exemplar quod omnibus circùm Episcopis scriptum est; *Athanasium Neapolitanum Episcopum sæpissimè admonitionibus. & multis argenti ponderibus datis vt pactum cum Sarracenis habitum disrumperet, admonuimus. Ille autem idem pactum se omnimodò soluturum, & ab eorum societate separaturum esse promittens, sub ea conditione, vt si denuò cum illis quolibet modo fœdus habuisset, omni esset Sacerdotali honore priuatus, & anathematizatus. Sed hæc omnia paruipendentem, & ad perditionem Christianorum cum eis pactum habentem, & nos sæpissimè deludentem, & de præda eorum partem recipientem, iudicio & auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, simul & nostra, cum omnibus sequacibus suis, & omni Ecclesiastica communione priuamus, & quousque ab ipsis Sarracenis penitùs separauerit, vel totius Christianitatis inimicum anathematizamus. Datum mense Aprili. Ind. xiiij.*

Excommunicationis in Athanasium exemplar.

Athanasius ad se redit.

Diuini postea spiritus fulgore tenebris discussis, ne diuturnius deuius fieret, & Sacerdotale decus ex quo deciderat nequiter amisisse iudicaretur, excommunicationis iram timens, Petro Diacono deprecatore ad Pontificem confugit, petijtq. vt Apostolicam ipsi restitueret benedictionem, quam optimus Pastor non denegauit, hac tamen conditione, vt pactum cum barbaris perfringeret, & Marino Sanctæ Sedis Arcario, & Sicone egregio viro præsentibus, maiores Sarracenorum quos nominaret ad eũ misisset, alijs iugulatis. Quæ sequuta fuerint ignoramus. Pietatẽ amplexũ esse ex ea re arbitror, quòd Athanasii patrui corpus ex Monte Casino in Neapolitanã Cathedralẽ Ecclesiam transferendum curauit, & sepulcro propè Laurentij Neapolitani quoque Episcopi tumulũ honestauit. Ad hos Gregorios atque Athanasios & Stephanos refero Eufemiã quæ in D. Ioannis Maioris condita est, in cuius sepulcro hæc legũtur;

Marinus Arcarius.

S. Athanasii corpus Neapolim transfertur.

Eufemia.

Quisquis

Quisquis ad hæc sancti festinas templa Ioannis
Obsecro subsistens carmina cerne mea.
Hic quoque cognosces pereant quod regna potentum,
Prædia, diuitiæ, vmbra velut tenuis.
Hic EVPHEMIAE requiescunt membra benigna
Nurus Gregorij quæ Ducis alta fuit.
Namque viro iuncta Stephano dùm vixit in orbe
Semper amando Deum ad bona prompta fuit.
Orphanus & pauper huius solamine vixit,
Tristis & afflictus commoda sentit ouans.
Semper erat vigilans meditando gaudia CHRISTI,
Qualiter in cœlo possit habere locum.
Tandem post multum famulando ritè tonanti
Debita persoluens pergit ad astra poli.
Inclite Præcursor Domini & Baptista Ioannes
Digito deuotè sæpè precando Deum.
CHRISTE salus mundi, hominum plasmator opimus
Dona Euphemiæ gaudia sancta tuæ.

Hæc nos Gregorius Præfectus, Athanasiusq. Leuita tristes mater amanda.

GREGORIVS. DVX. XXVI.

Gregorio, quem Hieronymum miror ab Ammirato appellari, plurimum debet Neapolis, tota Campania, ipsa inquam Italia, cùm eius ætate Sarracenorum pestis quæ plurimorum animos infecerat, fuerit auersa. Is cum Atenolfo Capuano Gastaldeo, deindè Comite, mox Principe, & cum Amalfitanis inito fœdere, non esse diutiùs Sarracenos ferendos deliberarunt. Copijs nauigiisq. coniunctis ad Lirim amnem profecti, ad cuius ripas hostes consederant, constructo ex nauibus pontè propè Minturnas, castrisq. positis acies instruebant. Barbari in nostros cùm eorum aduentum animaduertissent noctu repentè impetu facto, tàm ferociter adorti sunt, vt hæsitare ali-

915.

Atenolfus Capuanus Princeps.

Neapolitani cõtra Sarracenos.

quillitatem & quietem recuperauit. Antequàm id contigeret, Sarraceni classe Neapolim occupare velle minabãtur. At Neapolitani ne hostes arcem paratam haberent, castrum scilicet Lucullanum, illud destituere ac deijcere cum Gregorio Duce, & Stephano Episcopo statuerunt. Id cùm resciſſet Ioannes Abbas Monasterij S. Seuerini Neapolitani Episcopi, petijt vt corpus alterius Seuerini quod Barbara illustris femina ex Pannonia, annuente Pontifice transtulerat, ex eo Castro Neapolim traducere liceret, ne in barbarorum manus deueniret; quod facillè impetrauit. Quo translato etiam S. Sosij corpore ex Miseni promontorio, inscriptum est hoc epigramma, *Sancti Sosius & Seuerinus.*

Hic duo sancta simul diuinaq. corpora iacent,
Sosius vnanimes & Seuerinus habent

IOANNES. DVX. XXVII.

Hunc Ducem Leo Ostiensis commemorat qui Adelperto Abbati Caſſinensi Ecclesiam S. Cæciliæ Neapoli confirmauit. *944. Aedes S. Palma Neapoli.* Pertinuerat olim is locus (qui & Palmarum dicitur, hodiè S. Palma) ad Caſſinense Monasterium. Præcepit etiam ne eius familiæ Monachi vectigal aliquod Neapoli soluerent. Et quoniam ab eodem Duce Sancti Seueri ædes Surrenti ijsdem permiſſa est, Surrentini eo Duci paruiſſe visi sunt. Leonis verba habemus; *S. Seueri ędes Surrenti. Lib. 1. c. 59.* *Huic Abbati Ioannes Neapoleos Consul & Dux præcepto suo confirmauit Ecclesiam S. Cæciliæ intrà Neapolim sitam in platea quæ dicitur Palmarum, olim ad monasterium nostrum pertinẽtem, cum omnibus omnino iuribus eius. Cellam quoque S. Seueri in Surrento, cum omni pariter substantia, & pertinentia ipsius*, Et paulo post; *Et vt in tota ciuitate Neapoli nullum omninò vectigal monachi aliquando persoluerent, iuſſit.* *Aedes S. Cæciliæ.* Et quoniam huius Relligionis amatorem hunc Ioannem reperio, hic fortaſsè est qui Petro Abbati S. Seuerini molendinum quoddam concedit, vt ex diplomate cognoscimus, quod libenter adscribam, vt sciant Neapolitani aliqua ex parte qua vtebantur Duces auctoritate. Barbariem *Ioannes Dux molendinum concedit monasterio S. Seuerini.*

Diploma Ioãnis Ducis. illorum temporum, atque inscitiam relinquamus. Sic igitur scriptum est; *In nomine Domini Dei Saluatoris nostri IESV CHRISTI, Imperante Constantino Magno Imperatore anno xli, sedente Romano Magno Imperatore eius filio* (vide quàm Magni epithetum omnibus tribuebant) *anno iv. Die octaua decima mensis Iulij Ind. septima Neapoli. Visus namque fui ego Ioannes Domini gratia Consul & Dux, facere chartulam concessionis vobis Petro Præsbytero & Abbati Monasterij Sanctorum Seuerini & Sosij, vbi eorum venerabilia quiescunt corpora, situm in Vico missi; vt aqua quæ pertinet ex iure publici nostri decurrisse per terram vestram positam in Tertium; & faceretis ibidem molina ad possessionem supradicti Monasterij vestri, ad habendum in sempiternum quantum volueritis, sicut ipsa firmissima concessio vestra continet quam vos exindè habetis*. Deinde subsequitur; *Iterùm præcastis nos, vt darem & redderem vobis ipsum molinum cum sua pertinentia, & vos daretis nobis campum vestrum positum ad Arcora, pro eum in vicem & in cambium, & à præsenti die & tempore, promptissima voluntate commutauimus, & tradidimus nos supradictus Ioannes Domini gratia Consul & Dux vobis denique supradicto Petro humili Præsbytero, & Abbati supradicti monasterij, & in cuncta congregatione monachorum*. & paulo post; *De quibus nihil nobis exindè aliquod remansit, aut reseruauimus in integrum sicut superiùs legitur, à nobis vobis sit commutatum, & traditum in vestra, posterisq. vestris, sanctiq. vestri Monasterij sit potestate, quæcunque exindè facere volueritis, liberam semper habeatis potestatem, absque cuiuslibet anteparatione, aut inuasione, etiam si vos & ipsum Monasterium ibidẽ plus molina facere voluerit, licentiam & potestatem habere, & neque à nobis supradicto Ioanne Domini gratia Consule & Duce, neque à nostris heredibus, nec à nobis personis submissis nullo tempore vnquam*, & quæ sequuntur; quæ omnia commutationis inter ipsos mentionem faciunt. Quod extremum est notatum profectò dignũ existimaui, subscribit enim Græco charactere prægrandi, latino idiomate loquutus;

quutus; sic, IOANNEC KONCOTA ET ΔΟΤΞ COTB; Ioannes Consul & Dux subscripsi. Alij quoque, ΕΓΟ ΓΡΕΓΟΡΙΟΤC ΛΟΙCIC ΦΙΛΙΟΤC ΔΝΙ. ΙΩ. ΔΟΤCΙ ΡΟΓΑΤΟΤC Α CCΤΟ. ΔΝΩ ΔΟΤΙCΙ ΤΕCΤΙC COTB; *Ego Gregorius Loisis filius Domini Ioannis Ducis rogatus à supradicto Domino testis subscripsi.* Duces subscribunt Græco Charactere.

OLIGAMVS. STELLA. DVX.

Nullam huius Ducis memoriam haberemus, nisi Aelius Marchesius in familia Capiciorum seruasset; ait enim huiusmodi se Diploma à Pomponio Laeto habuisse; *Nos Oligamus stella Dux, Ginellus Capicius, Baldaxar Iuuanus, & Burrus Brancacius Consules Magnificæ Ciuitatis Neapolis; Quæ in præsentia est in magna penuria tritici, olei, casei, & hordei; promittimus quibuscunque salmarijs Vallis Beneuētanæ, Auellini, & aliorum locorum, qui venerabili in CHRISTO patri Mundo Præsuli Beneuentano subiecti sunt, pro qualibet salma farinæ, vel tritici, tarenos duos; pro qualibet salma hordei, tarenum vnum; pro qualibet salma olei, & casei tarenos tres; qui ipsis introitu portarum soluentur vltrà pretium quod pro illis rebus accipient. Et ideò vobis venerabili Antistiti præsentes scripsimus, vt ciuitati nostræ gratum faciatis; ad vocem præconis bandire faciatis per omnes terras nobis obedientes, quod vobis promittimus & ratum habebimus. Data Neap. Die xi. Maij tert. Ind. sedente Sanctiss. Papa nostro Sergio Quarto.* Mundus Episcopus Beneuentanus. Quod scriptum, si Diploma est, miror aliorum Diplomatum stylum prætermisisse, in quibus Dux initio cum eius ætatis Imperatoris anno ponitur, atque ijs in extremis Consules subscribūt. Et si anno 1009. commemoratur, quid de Ducum meorum serie dicam, quàm ferè perpetuam habeo, & quæ inter patres & filios ferè semper intercedit, cùm præcipuè anno 1014. Ioannes ille recenseatur quo Puteolos occupante, Seuerus Episcopus miraculo claruit quando ex Capuani militis oculo sagittam illicò extrusit? Sed quòd Marchesium vera produxisse

mihi persuadeo; ne docto viro aduersari velle videar, hoc tempore huiusmodi hunc Ducem colloco, vt & Marchesius me docuit.

SERGIVS. DVX. XXVIII.

1025. *Pandolfus Guaimarius.* *Boianus Boianò, Catapanus.*

Henrico Imperatore mortuo Conradus filius ad Imperij fastigium euectus est. Pandolfus Capuanus Princeps qui apud Germanos carceribus detinebatur, Guaimarij Salernitani Principis opera liberatus in Italiam veniens, Nortmannorum, Marsorum Comitum (Rainolfi scilicet & Arnolini) & Imperatoris Ducis Boiani (vel Baianò, qui etiam Catapanus dicebatur, quoniam super omnia constitutus fuerat, id enim κατὰ πᾶν) ope & auxilio excitatus, Capuam obsedit. Et dùm eam oppugnare contendit, Pandolfus Theani Princeps in quem Capuæ Principatum Henricus transtulerat, Boiano curante, Neapolim se incolumen recepit. Sequenti anno ab eodem Capuano Principe Neapolis capta est, Sergio Duce indè expulso. Tunc Paldolfus Romam aufugit. Trium annorum spacio à Capuano Principe Neapolis possessa est. Sergius tandem ea recuperata, Rainolfum sibi affinitate coniunxit, Auersæ Comitem creauit, & tunc primùm cum sociis Nortmannis Auersa habitari cœpta est.

Neapolis capitur à Capuæ Principe. *Neapolis recuperatur.* *Auersa habitatur.*

Theobaldus Abbas. *Sergius Theobaldum liberat.* *Lib. 2. c. 59.* *Narratur rei memorabilis.*

Cum Theobaldus Abbas in Capuano Monasterio quasi captiuus haberetur, nec liceret extrà vrbem absque custodia progredi, idq. quadriennio passus esset, cum Sergio Duce per internuncios clàm egit, vt ad diem locumq. constitutum cum militibus accederet, & ab ea seruitute miserum liberaret. Profectus est Sergius ad S. Agathæ montis radices; is locus destinatus fuerat. ibi S. Marci Ecclesia est, ad quam cùm diuertisset Abbas animi causa, intelligens Neapolitanos venisse, ad eos confugit, & Neapolim ductus est, plurimum Sergio se debere ratus. Animaduertuntur hæc à Leone Cardinali, qui sub hoc Duce rem profectò dignam narrat. Cùm ad venationem Paschali Sabato siluam esset ingressus, capta præda domum rediens,

diens, vni ex pueris cui nomen Protagoras retia colligenda iussit. Is tardior dominum est insequutus. In itinere obuiam habuit spectra quædam, à quibus percunctatus qui nam gentium essent? Ne metueret, responderunt, sed hilari animo eos sequeretur. Per siluæ calles ductus, in cœnoso & fœtido quodam lacu atque visu horrendo Pandulfum Capuanum Principem ostenderunt, qui paulo antè obierat ferreis nexibus vinctum, & in lacu miserrimè demersum, ligato gutture à spiritibus extractum. Rogauit puer, vt diceret cur in tanta calamitate iaceret? Hæc respondentem audiuit; Licet ob multa scelera maximi sibi cruciatus imminerent, nullam sibi tamen maiorem pœnam luendam, quàm ob sacrilegium quod commiserat quando aureum calicem ex Monasterio S. Benedicti abstulit. Quamobrem obtestatus puerum est, vt ad vxorem Capuam pergeret, eiusque proposita miseria obsecraret, vt calicem restitueret. Tantum timoris ex ea res accepit, vt cum primùm domum peruenerit, morbo correptus decesserit. Antè verò eius obitum Pandolfus Gualæ filius qui calicem pignoris loco à Pandolfo Principe acceperat, Neapolim venit, atque ex Protagoræ ore omnia accepisse retulit Leoni Cardinali, vt ipse in Chronicis scribit. Quibus vxori communicatis, neque calicem, neque pretium restituit viri cruciatibus nullo pacto consulens. Regnabat tunc Basilius II. Porphyrogenitus, cum Constantino X. fratre, exactus à Nicephoro, restitutus à Ioanne Zymisce, coronatus ab Antonio Studitè Patriarcha. Idcircò eius anno quinquagesimo qui extremus erat Imperij, Sergius cœnobium S. Gregorii Mariæ Abbatissæ concedit, his verbis; *In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu CHRISTI Imperante Domino nostro Basilio Magno Imperatore anno Quinquagesimo, sed & Constantino fratre eius Magno Imperatore anno Quadragesimo septimo, die secunda mẽsis Septemb. Ind. octaua Neapoli. Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux, concessimus & tradidimus tibi, Maria Vener. Abbatissa, filia quondam Stephani parentis nostri, idest, integrum Monasterium & cœnobium, vocabulo beatissimi Gregorij*

Panduifus Capuanus Princeps.

Diploma Sergij Ducis.

Monasterium S. Gregorij & Sebastiani & Pantaleonis.

Platea Nustriana. gorij & Sebastiani, atque Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, & beati Pantaleonis Christi Martyris, quæ in vnum aggregauimus, & copulauimus constitutum intus Parthenope & ad protecta nostræ ciuitatis Neapolis, in platea qua Nustriana, cum omnibus Casalibus, Ecclesiis, & domibus, & habitationibus, seu hortuis, & cum omnibus casalibus & terris cultis, & incultis, intus & foris montibus & collibus, riuis, aquis, pratis, pascuis, seu oliuetis, & cerquetis, seu castanietis, & padulis & excatoriјs, & infusarias quamque, & omnibus hospitibus & commenditis fundatis & exfundatis viuorum & mortuorum, omnia cum celpitibus & consuetudinibus, & regulis, vel omnibus adiacentibus & pertinentibus eis simul & cum omnibus seruis, ancillis, & defisis de intus & foris, & omnibus mobilibus rebus, mobilium & immobilium seseq. mouentibus omnibus ad supradictum Monasterium quod in vnum aggregauimus, & copulauimus, vt superiùs diximus generaliter, & integro pertinentibus omnia, & in omnibus quantum & quomodo ibidem pertinuit, & pertinet, vel pertinens fuerit .... christianissimis viris & mulieribus offertum, aut datum, vel sublugatum est aut fuerit per qualemcumque modum, vt diximus intus & foris in integro à nobis tibi iàm dicta Maria Ven. Abbatissa sit concessum & traditum, hac videlicet ratione quatenus à nunc, & omnibus diebus vitæ tuæ in tua sit potestate tenendi, & dominandi, seu frugiandi, & de ipsis refrugijs faciendi omnia quæ volueritis, & sanctam eius congregationem Monachorum cum Dei adiutorio & timore regulariter regere, & gubernare debeatis sub castitate & Monachili disciplina, vt *Regula Beati Benedicti.* regula Beati Benedicti docet; & incessanter vos, & prædicta vestra Congregatio Monacharum die noctuq. ibidem Vesperos & Matutinos, seu Missarum sollemnia, & oris laudibus, & luminariorum concinnatione sine mora regulariter offerre; siquidem ex hoc ordine prædicto Monasterio quæ in vnum aggregauimus, & copulauimus ab omni seruitutis conditione pro Dei amore, & Beati Benedicti, cuius regulam tenere videmini, ità soluere curauimus, vt à modo & deinceps, & semper, tu præfata

præfata Maria Abb. in vita tua quam & vestra Congregatio post tuum obitum licentiam & potestatem habeatis absque omni contradictione Abbatissam ibidem eligere, & ordinare secundum Dominum, & secundum regulam S. Benedicti; & neque à nobis supradictus Sergius Domini gratia Consul & Dux, neque à nostris successoribus liceat ex rebus præfati Monasterij &c. vbi quomodolibet subtrahere, aut populari, nec alterius ordinis Monachas, aut Sacerdotes ibidem eligere aut ordinare, vel pro tali ordine pretium, aut munus suscipere, &c. Ideò hoc fieri decreuimus, vt à modo & deinceps, & semper prædicta Congregatio in Dei laudibus alacrior & deuotior existat quatenus pro vita nostra, & salute patriæ liberiori animo omnipotenti Domino sedulam offerant precem. Et post alia quæ huiusmodi etiam connectuntur, subscribit, *Ego Sergius Consul & Dux subscripsi.* In quibus quàm relligiosi nostri Duces fuerint facilè cognoscimus, quibus hæc Monialium præcipuè Monasteria plurimùm se debere existiment, eorumq. memoriam pijs orationibus esse celebrandam.

IOANNES. DVX XXX.

Magistrum militum recenset Petrus Damianus ad Dominicum Loricatum scribens, & commemorat visionem quam à Desiderio Abbate Cassinensi acceperat, qui Pontifex posteà effectus Vrbanus II. dictus est; Dei scilicet seruum cùm vidisset veluti nigros Aethyopes iumentorum pabula portantes, & sarcinarijs comminantes, interrogasse quidnam rei illud esset, quodue genus hominum, & quò pergerent? eosque respondisse, Malignos esse spiritus qui ad Principem Capuæ Pandulfum, & Ioannem Neapolitanæ ciuitatis Magistrum militum properarent; fomenta ignium ferre hominibus comburendis. Hæc enim inter alia scribit; *Præstolamur in proximo Principem Capuæ Pandulfum qui iam decumbit, & Ioannem Magistrum militum Neapolitanæ ciuitatis qui adhuc viuit incolumis.* Quæ cùm audisset Ioannes, ait; *Modò necesse est nos*

1010. Epist. 5. cap. 13.

Visio Desiderij Abbatis.

Pandulfus Capuanus Princeps.

Impe-

Pandulfus et Ioannes moriuntur. *Imperatori occurrere, & cum eo simul de huius terræ statu prouida consideratione tractare. Porrò post Imperatoris abscessum spondeo, quia & sæculum deseram, & monachicum habitum sumam. Vt autem probaret vtrum verum esset quod ille narrabat, nuntium protinus ad Capuana mœnia direxit. Qui veniens Pandulfum iàm mortuum reperit. Ipse quoque Magister militum Ioãnes, antequàm Imperator istas partes attingeret, vix quindecim dies superuixit.* Eoq. mortuo, Vesuuius mons in

Vesuuius. Lib. 2. c. 84. flammas erupit (inquit Leo Ostiensis) tantaq. resinæ sulphureæ congeries ex eo protinus fluxit, vt torrentem faceret, atque decurrente impetu in mare descenderet.

SERGIVS. DVX. XXXI.

1071. *Cassinensis Ecclesia dedicatio.* Desiderius Abbas summa celebritate Cassinẽsem Ecclesiam dedicauit. Cõuenere cum Alexandro Pontifice Hildebrandus Romanus Archidiaconus, aliiq. Cardinales, multi intereà ex Romanis proceribus, tùm Campaniæ, Apuliæ, & Calabriæ Episcopi, qui cum ceteris qui aliundè conuenerant ad xliii. numerati fuerunt. Adfuere Riccardus Capuanus, Gisulfus Salernitanus, Landulfus Beneuentanus Principes, & Sergius Dux Neapolitanus, cum Sergio Duce Surrentino.

SERGIVS. DVX. XXXII.

1090. *Alia concessio Monasterij S. Gregorij.* Sub Alexio Imperatore administrauit Rempublicam hic Sergius. Placet plerisque eundem esse cum superiore, atque ita oportuit eum diutiùs vixisse. Hic denuò concedit Stephaniæ, vel Stephanæ sibi affinitate coniunctæ Abbatissæ cœnobiorum S. Georgii, S. Sebastiani, & S. Pantaleonis, ædes, bona, priuilegia quibus superioris Sergii gratia vtebatur; qui Ioannem filium Ducem constituit, sic enim ait; *In nomine Dei Saluatoris nostri IESV CHRISTI, Imperante Domino nostro Alexio magno Imperante anno ix. die 15. Mensis Maij, ind. 23. Neapoli. Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux,*

atque

atque Domini gratia Magister militum. Nos autem pro vice nostra, & pro vice Ioannis Ducis filij nostri qui infrà ætatem esse videtur, & reliqua, quæ cum superiori diplomate ferè ad verbum conueniunt. Et subscribit, *Ego Sergius Consul & Dux Protosebastos subscripsi*. Is fortassè est, qui in aliis Diplomatibus subscribit, *Sergius olim Consul, nunc autem Monachus*. Qui Satimalis filium dicunt, & Satimalem etiam Ducem faciunt, velim scripta ostendant quæ negari non possint.

IOANNES DVX. XXXIII.

Hic patri succedens, Abbati S. Saluatoris in Castro Lucullano, agrum ad ad mare concedit in quo Mariæ Magdalenæ templum ædificatum fuit extrà ciuitatem. Eius iura ad D. Petri ad Castellum translata fuerunt, quod cœnobium antè Arcem nouam erat positum, cum D. Sebastiani cœnobio deindè coniunctum. Huius vxorem Ebam reperio Losfridi Caietanum Ducis filiam, vt in Diplomate sub Ioanne & Alexio porphyrogenitis.

Aedes D. Mariæ Magdalenæ.

S. Petri ad Castellum.

Eba Ducissa.

SERGIVS DVX. XXXIV.

Calamitoso Neapolitanæ Reip. tempore quæ iàm senescens 1130. amissis Imperatorum viribus barbaris Regibus obtemperare cogebatur, multas fortunę vicissitudines postremus hic Sergius pertulit. De Apuliæ dominatu certabatur inter Innocentium II. Pontificem, qui Ranulfo Comiti fauebat, & Rogerium Rogerii Siciliæ Comitis filium. Pontifex Pisis vbi Concilium conuocauerat egressus, Lotharium Saxonem Imperatorem conuenit cui ob dominandi cupiditatem Rogerius erat inuisus qui Henricum generum cum tribus millibus equitum apud Pontificem destinauit, vt Romanos fines tueretur, & Roberto Capuanum Principatum restitueret. Cæsariani in Apuliam ingressi eam prouinciam in suam potestatem redegerunt dùm Pontifex subacta S. Germani ciuitate Capuam profectus Robertum in

Rogerius Siciliæ Rex.

pristinum locum restituit. Interim cum Beneuentanis à Pontifice & Henrico Duce pugnatum est. Beneuentanis victis multa Pontifex condonauit. Arcem Barensem à Rogerio ædificatam expugnarunt, & Melfim ceperunt. Pisanorum classis ab Imperatore accersita Neapolim venit, & eiusdem iussu Amalfim missa, vt eam igne ferroq. absumerent; ciues tamen accepta pecunia in Imperatoris & Pisanorum fide perstiterunt, cùm alijs in eo maris tractu Scalensibus, & Rauellensibus magnam cladem intulissent. Deuicta quoque Apulia est. Pisanos ad Salernum obsidendum Imperator misit, Roberto Principi Capuano, & Sergio Magistro militum Neapolitanorum præcipiens, vt Pisanos ad eam rem perficiendam iunctis copijs adiuuarent. Captum est Salernum 15. Calend. Aug. cùm ciues pactis deditionem fecissent, multis Siculis Rogerij militibus occisis. Erat Orientis Imperator Ioannes Porphyrogenitus qui Coloioannes dicebatur, qui ad Lotharium gratulatum misit quòd Rogerium ex Apulia expulisset. Abelliuum quoque captum est, itemque Beneuentum quod iterum defecerat. Romam deindè profecti sunt. Haud multò post redintegratis viribus Rogerius Salernum & Nuceriam occupauit, æquauit solo Capuam, Abellino potitus est, Beneuentum obtinuit. In quo cum & vires & animos creuisse animaduerteret Sergius, Imperatoriæ fidei oblitus, vltrò Rogerium adijt, atque se ipsum & Neapolim dedidit; cuius vel amore, vel timore (quod potius credo) indignum facinus perpetrare non contempsit, vt a legitimo Pontifice deficeret ad Petrum Leonē qui Anacletus dictus est, & qui schismate Ecclesiam Dei turbauerat. Prauæ fidei hominem hunc fuisse illud etiam ostendit, quòd cum primùm Ranulfus Apuliæ Comes aliquid roboris sumpsit, & ad Vallem Caudinam contrà Rogerium equites peditesq. conscripsit, & à Neapolitanis, ipsoq. auxilium petijt, nullam de libera deditione quam fecerat rationem habuit. Quapropter in Neapolitanos Regis indignationem concitauit, qui deuicta Apulia, Beneuentum, Capuam, Comitem Apuliæ Ranulfum, & Neapolim subigere cupiebat. Deuictis alijs, Sergium minis perterruit, affirmans, nisi

Pisani euocantur.

Pisani Salernum obsidēt.

Coloiannes.

Abellinum capitur.

Salernum & Nuceria occupantur.

Petrus Leo Pontifex, Anacletus.

Vallis Caudina.

nisi continuò deditionem faceret, Neapolim inuasurum, & in ipsum grauiter animaduersurum. At perfidus mox iterùm flexis genibus deditione facta, Neapolim eius imperiò subiecit, atque huiusmodi ea ciuitas quæ à Græcis condita, post liberum Reipublicæ statum, post Romanorum iuga, Græcorum Imperatorum leges, atque interim barbararum nationum Imperia, tandem ad Nortmannos peruenit. Ingrauescente eodem anno morbo Alberiæ, vel Albiræ Rogerij vxoris, tanto dolore affectus est, vt cùm sese per multos dies in cubiculum abdidisset, fama percrebruit vxorem atque virum esse mortuos. Quapropter Robertus Capuæ Princeps qui Pisas aufugerat à clientibus obæratisq. sollicitatus, cum Pisanorum nauigiis à Neapolitanis exceptus est fauente Sergio qui iàm anteà contrà Regem conspirauerat, & accersito Ranulfo Comite, inter ipsum, & Robertum, Sergiumq. fœdus ictum est, vt cuique sua restituerentur post victoriam. Cum Pisano exercitu in quo ad octo millia militum erant, fœderati Auersam oppugnarunt, & in Capuam mouentes, famis necessitate reuocati Neapolim rediere, Auersæ custodiæ præfectò Ranulfo. Rogerius verò contrà omnium opinionem viuens ex improuiso adortus hostium copias, perduellibus non esse ignoscendum deliberauit. Auersam capit, & diruit. Neapolitanum agrum incendit. Perterriti fœderati, nec ex porta quidam egredi ausi sunt; & cùm iræ ardorem quauis iniuria Rogerius non posset extinguere, quicquid agri inter Auersam & Neapolim esset, comburendum iussit, vt frugibus omninò vacuum esset solum. Relicto ad Capuam exercitu, Neapolim obsidet, erecta super aggerem turri; quam cùm paulatim labantem cerneret propterea quòd ex arido coemento terra labilis facta erat; cùmq. ob calorum molestias morbus in exercitu inualesceret, taboq. correpti ex cadauerum foetore milites caderent, obsidionem soluit, ità tamen, vt in statione non longiùs à ciuitate dispositi milites explorarent quo pacto Sergius & factionis principes in eius manus deuenirent. Quòd cùm iidem intelligerent, seq. annona interclusos ægrè ferrent, & à militibus se iam deseri conspicerent,

Neapolis ad Nortmannos peruenit.

Albira.

Robertus Pisas aufugit.

Pisani occupant Auersã.

Pisani vastat Amalfiam. rent, in Pisanorum auxilio spem reliquam habuere. Pisas ad implorandam opem Robertus missus est. Qui comparata classe antequàm Neapolim accederent, Amalfim, & Scalam oppida expugnarunt. Sed à Rogerio circumuenti, magna accepta clade relictis aliquot Pisanis Neapoli Pisas Robertus reuersus est. Rogerius in Neapolitanum agrum irrupit, dùm ciuitati defendendæ Sergius, & Ranulfus præerant, & succissis arboribus, vitibusq. Auersam contendit. Sergius fame obsessus, timens ne Rogerius obsidionem repeteret, omni spe destitutus, Pisas quoque profectus est. Nulla huius Ducis alia fit mentio. Scribunt aliqui cum Rogerio contrà Imperatorem pugnasse, atque ità occubuisse.

ROGERIVS. DVX. XXXIV.

1130. Ad Neapolitanorum Ducum gloriam amplificandam, Ducatus excellentia cum Regio dominatu in Rogerio primo Neapolis Rege fuit coniuncta. Accuratè enim Petri Diaconi verba in Chronicis Cassinensibus consideraui, qui ait; *Defuncto Honorio electos esse Gregorium Cardinalem S. Angeli in Papam Innocentium II. & Petrum Præsbyterum Cardinalem S. Calisti in Anacletum*. Dein subdidit; *Petrus autem Cardinalis Rogerio Duci Apuliæ coronam tribuens, & per priuilegium Capuanum Principatum, & Ducatum Neapolitanum cum Apulia & Calabria & Sicilia illi confirmans*; Sed de Rogerio, in suo loco.

Aliernus Consonus. 1190. Quamuis in Rogerio Ducatus Neapolitanæ Reipublicæ finem conspiciamus, posterioribus tamẽ temporibus anno 1190. obijcitur se nobis Aliernus ille, qui nobilissimum Amalfitanis; & Scalensibus priuilegium concessit, cuiusq. diploma in Actis Neapolitanis habemus, qui cum Consulibus, Comestabulis, militibus, & populo Neapolitano recensetur. Quid de eo statuam, prorsus ignoro. Ducem, superiorum instituto non iudico. Et si Dux erit iudicandus, quo pacto post tot annos quibus Rogerio regnum est adeptum, & Tancredus regnabat Du-

ces

ces Neapoli commemorabuntur? Dices fortasse aliquam post Rogerium per aliquot annos Neapoli antiquæ administrationis imaginem reliquam fuisse, cùm præcipuè Siciliæ Reges Panhormi ad Sarracenorum audaciam compescendam resederint cùm tumultus sub Tancredo excitati, antiquam administrationem aliqua ex parte retinuerint? An verò aliud administrationis genus eo tempore permittentibus Regibus, Neapolitanos fuisse amplexos, quod à primis illis Reipublicæ generibus, & à Republica sub Ducibus esset alienum, & vt hodiè Beneuentum, eo Consulum genere gubernaretur? Quid in tanta temporum calamitate decernemus? Hoc vnum non negabimus, esse Alierni diploma adeò verum ac sincerum, vt eius auctoritati plurimùm nitantur Amalfitani. Multa indè elicimus quæ ad Res Neapolitanas faciunt. Illud est huiusmodi;

In nomine Dei æterni anno Incarn. Dominicæ M.C.XC. die nono mensis Maij viij. Ind. Quia gloria & corona illustrium ciuitatum est diuersorum officiorum concors populi multitudo, & quanto in diuersis mercimonijs, & varijs vtilitatibus viuendi sibi inuicem, & alijs hominibus quorum frequentatur accessus, iustiùs copiosiùsq. ministratur, eò celebrioris nominis ciuitates ipsæ, & maioris opinionis diuulgatione clarescunt. Idcircò nos Aliernus Cutonus, Consules, Comestabuli, Milites, & vniuersus populus egregiæ ciuitatis Neapolis, prouida & salubri deliberatione Concilij, attendentes quid honoris, quid commodi nobilissimæ Ciuitati vos viri prudentissimi Scalenses, Rauellenses, & ceteri negociatores, & campsores de Ducatu Amalfiæ confertis, nobis vestrisq. hæredibus & successoribus in prædicta ciuitate Neapoli habitantibus, saluo in omnibus generali priuilegio Neapolis, quod est inter Nobiles, & populum eiusdem ciuitatis, concedimus, auctorizamus, & in perpetuum hoc speciali priuilegio confirmamus, vt sicut ista ciuitas Neapolis priuilegio libertatis præfulget, ità & vos negociatores, campsores, siue apothecarij de præfato Ducatu Amalfiæ, vt negociatores exerceant in hac eadem ciuitate ad habitandum, seu ad apothecas tenendum

Scalenses, Rauellenses,

nendum


nendum venerit, eadem omninò libertate in perpetuum gaudeatis, vt nulla condicio de personis; vel rebus vestris, siue hæredum, vel successorum vestrorum negotiatorum in Neapoli habitantium requiratur, sicut non requiritur de ciuibus Neapolitanis saluo honore ipsius ciuitatis in libero & franco vsu vestrorum negociorum.

Habes Amalfitanorum priuilegium qui ciuitate donati videbantur, semper enim inter Neapolitanos, & Amalfitanos, vt ex superiorum Ducum gestis conijcere licet, iura necessitudinis intercesserant. Libertas etiam Neapolitana proponitur, quæ ab ædificationis primordijs secum vixit. Habes commune Nobilium & populi Concilium. Sed Consules præficiendi potestas huc pacto conceditur;

Insuper hoc eodem priuilegio concedimus & confirmamus vobis vestrisq. hæredibus & successoribus, negociatoribus, campsoribus, apothecarijs de memorato Ducatu Amalfiæ in Neapoli habitantibus, vel habitaturis ad negociationes exercendas, vt liceat vobis, vel eis in perpetuum de gente vestra inter vos Consules statuere, ac mutare in ciuitate Neapoli, de illis qui Neapoli manserint, sicut vobis vestrisq. hæredibus & successoribus in ciuitate ista negociationes exercentibus paruerit expedire, quorum arbitrio & iudicio secundum veteres bonos vsus, vestras causas siue lites, quæ inter vos, vel eos emerserint, terminentur, nec liceat ciuitati, vel alteri pro ea vobis seu hæredibus, & successoribus vestris, vos seu hæredes, vel successores vestros de prædicto Ducatu Amalfiæ in ciuitate ista manentes, sua negocia exercentes, de veteri & bono vsu vestro, seù consuetudine trahere, vel mutare; sed debeamus nos in omnibus bonis vsibus vestris in Consulatu vestro iu perpetuum conseruare, & vos gubernatione & iudicio vestrorum Consulum tantùm in perpetuũ viuere debeatis. Et hoc priuilegium nostræ concessionis, omnimodo, & perpetua firmitate signetur sigillo Ciuitatis, & Consulum, & subscriptione plurium de nobis communi Concilio, & voluntate ciuitatis Neapolis est roboratum, ac tùm Neapoli per Maurum Clericum Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ Notarium Domini Ser-

ni Sergij venerabilis Neapolitani Archiepiſcopi. Anno, die, menſe, & Inditione ſuperiùs prænotatis. Sic deinde ſubſcribunt. *Ego Aliernus Cutonus ſubſcripſi. Ego Ioannes de Griffis ſubſcripſi. Iacobus Falconarius Conſul. B. Domini boni Coſ. Ioannes Criſpanus Coſ. M. de Licio Coſ. Ioannes Baccatortus Coſ. Douodeus Mermil Coſ. Stephanus Stelmarius Coſ. Ioannes Pignatellus Coſ. Ioannes Comina Coſ. Ioannes Theophilus Coſ. Sergius Matula Coſ. Petrus Fracozza Coſ. Petrus Arbata Coſ. Bernardus Gizzo Coſ. Iordanus Imperator Coſ. Gregorius Bais Coſ. Stephanus Spada, Coſ. Ioannes Ioannis Radicelli Coſ.* Conſules igitur in Neapolitana Republica, qui & Duces. Conſules, qui & Decuriones, & Conſules qui iiſdem ferè comparabantur, quos eadem Reſpublica priuilegio eligebat. Ab Innocentio III. Pontifice Epiſtola ad Anſelmum Neapolitanum Archiepiſcopum, *de pluritate beneficiorum reſtringenda*, hic Aliernus, Comes appellatur, ait enim, *Vndè Ioannes filius quondam Comitis Alierni Eccleſiæ tuæ clericus, plus potentia patris ſui, quàm prædeceſſoris tui ſpontanea voluntate vltrà viginti Eccleſias in ciuitate Neapolitana, & in maiori Eccleſia beneficium maximum proponitur obtinere.* *Decret. ep. 1.*

DE DVCIBVS AMALFITANIS. Cap. XIII.



ABSVRDVM fortaſſe aliquibus videbitur in Neapolitanis rebus Amalfitanas admiſcere. Sed qui hiſtoriarum curioſitate detinentur, nec omnia prorſus ex re tàm curioſa quàm Ducum ſeriem arbitramur, huiuſmodi elicere queunt, vt exactam habeant temporum, locorum, dignitatum cognitionem, ex aliquo ſaltem veſtigio aliqua poſſe cognoſcere ſibi perſuadent. Quamobrem nec vanos noſtros labores proponimus, nec omninò aſpernandos. Multa in his Ducibus enunciamus, quæ ad Neapolitanos pertinere iudicabũtur. Diſplicet verò quòd in ijs quoque laterna opus

eſt,

est, renebras enim inopia scriptorum obduxit; sed non erat Amalfitanorum amplitudo prætermittenda, qui eandem fortunam cum Neapolitanis pertulerunt, cùm præcipuè inter se Neapolitani, & Amalfitani Duces affines semper fuerint, & cùm aliquandò Amalfitanos Neapolitanus etiam Dux gubernarit.

Antiqua Amalfitanorum Chronica narrant, cùm à Constantino noua *R*oma Byzantium fuit appellatum anno 339.*R*omanos Proceres vrbis nouitate, & Imperatoris muneribus allectos, comparatis nauibus,vxoribus, liberisq. & suppellectili impositis, eò profectos esse, sed tempestate coorta, ex naufragio duas tantum naues incolumes euasisse, & *R*agusium appulisse,eorumq. calamitate & squalore permotos accolas, concessisse ijs agrum quem incolerent, ijsdemq. vterentur legibus, *R*omano nomini se plurimùm debere dictitantes. Paucos post annos,*R*omanos cùm intelligerent se in *R*agusianorum inuidiã adductos, vel quòd angustis finibus interclusi latiùs eos patere desiderarent, vel quòd *R*omanus animus seruitutis insolitus dominandi cupiditate accendebatur, naues conscendisse,petijsse Italiam, in loco qui Melfetus dicebatur consedisse, Melfim ædificasse, & *R*omano nomine relicto Melfitanos (vel Amalfitanos) esse dictos. Indè aliquorum Principum bella metuentes, Ebulum, posteà Scalam, & Vallem quæ non longiùs abest & maritimo littori ad Occidentem subiacet incoluisse,ibiq. condidisse Amalfiam. Loci habitationem describunt, vsque ad Sicardi Principis Beneuenti & Salerni, filii Siconis tempora; nondùm enim Beneuentanus Principatus à Salernitano diuisus fuerat. Mixtum eo temporis spacio fuisse Amalfitanorum genus cum Longobardis & Neapolitanis, quapropter tantùm creuit, vt Sicardo eorum vires timorem incuterent. Egisse ideò Pontificem cum aliquibus ex ea ciuitate, vt occupatam Amalfiam diriperent atque vastarent;multosq. largitionibus corruptos per litteras affinibus illud persuadere conatos esse. Eos tamen ne locorum delicias desererent,& ne impietatis in patriam accusarentur, recusasse. Intereà Principem constan-

constantes eorum animos animaduertentem, cum Longobardis,& ijs Amalfitanis quos apud se aluerat, in Amalfiam nocte quadam irruisse, & omnes ferè ciues Salernum duxisse captiuos. Sed clàm inito consilio Amalfitanos, vt illatam iniuriam vlciscerentur, Salernitanos fuisse adortos, vineas, domos incendisse, & Amalfiam summo cum honore esse reuersos anno salutis 829. diuisis Salerni, & Beneuenti Principatibus, cùm Siginolfo Beneuentum, Rodulfo Salernum obtigisset. Ea ætate Bartholomæi Apostoli corpus ex Lipara insula Beneuentum fuisse translatum anno 925. & Virginis & Martyris Thriphomeæ corpus ex Minorum Relligione in Amalfiam, indè Beneuentum. Aliqua in iis profectò aprocrypha videntur; sed quem nam ea de re veriora scribentem legimus?

Cùm igitur Salerno Amalfiam Amalfitani regressi sunt, instituendam vrbis administrationem curarunt, Præfectos præficientes, ne sine capite viuerent; & Calendis Decemb. iij. Ind. primum Præfectum elegerunt, Petrum. Sequenti anno Scripum Constantij Comitis filium; deindè, Maurum. Post hos singulis annis binos sibi Præfectos crearunt, quorum seriem ignoramus. Mox ad vnum Præfectum ventum est. & habuere Marinum, post quem, Vrsum. Rediere bini Præfecti, habueruntq. Vrsum Comitem, & Sergium Comitem, quos subsequuti sunt, Leo Comes, & Taurus Comes. Adlecti anno proximo, Lupinus Comes, &....... Comes. Iterum Vrsus Comes, & Sergius Comes qui de Marina dicebatur. Duos deinceps reliquisse videntur, & vni tantùm Præfectò adhæsisse. Sergium enim elegerunt Gregorij Magistri militum filium. Ecce tibi Neapolitanos Duces. Post multos annos ijdem Amalfitani cum Atranensibus Marinum Luciani Pulcharij filii filium (quem Seniorem dixere) elegerunt, regnauitq. cum Sergio filio annos 14. quem excæcatum Amalfitanus populus de Magistratu deiecit, & Neapolim extrusit. Habes adhuc eorum Ducum affinitates. Habes prætereà populi potētiam qui facilè cogebat Præfectos, vt se Magistratu abdicarent; nam idem euenit post Sergium Mauro Marii filio Cunnacii Marci nepoti, & Sergio Petri Comitis

Petrus. Scripus. Maurus. Marinus. Vrsus, Sergius. Leo. Taurus. Lupinus. Sergius. Marinus. Maurus. Sergius.

mitis filio, Marci Antiocheni Vicarii nepoti, (ad Græcos clariùs accessimus) qui in suo Magistratu, eiecto Sergio, quinque annis præfuit. Marinus item quatuor annos Rempublicam administrauit, & eiectus est. Subrogatum Vrsum filium Marini Comitis de Pantaleone Comite, filio Cunnacij Marci, post sex menses quoque eiecerunt. Successit Vrsus Galastantis, Ioannis Salui Romani Vitalis filius. Post sex menses item eiectus. Redijt Marinus, cæcusq. cum filio Pulcharo septem annos administrauit. Cui mortuo successor datus est Sergius filius Sergii de Leonato, vnà cum Petro Episcopo Vrsi filio; & vno tantùm anno præterito, Petro dimisso, Sergius solus annis quinque præfuit. Quàm similiter cum Ducibus Neapolitanis, Episcopi quoque præficiuntur? Creatus deindè Mansus eius nepos, Lupini filius, qui Marci Vicarij Antiochensis nepos erat, & post decem annos & octo dies depositus est. Præfecerunt sibi Leonem Neapolitanum Marini filium, Leonis nepotem (en tibi Neapolitanorum Ducum seriem) qui nauali prœlio à Surrentinis captiuus ductus est. Nullum huc vsque perpetuum ordinem reperio. Subdunt eadem Chronica annos, & Duces, à nobilitate & populo electos. Anno 892. Mansum Fusulum commemorant, Vrsi filium, qui Ducatum 16. annos obtinuit; & post eam administrationem Monachalem habitum induit Benedictinorum de Monte. Anno 908. successit Mastalus Mansonis Fusuli filius, Excellentissimus Imperialis (nota titulum) & Magistratu functus est xl. annos. Anno 948. Mastalus minor eius filius, post quatuor administrationis annos cū Androsa matre occisus est. Anno 952. Dux eligitur Sergius, Imperialis Patricius, filius D. Comitis, qui post septem annos & sex menses obijt. Anno 959. Manso Imperialis Patricius, & Antipatus. Gloriosus & Perfectissimus Dux appellatus est, & viginti quatuor annos præfuit; qui in carcerem ab Alfeno fratre coniectus, obijt; & Manso qui eiectus fuerat, dominio recuperato, 16. annos Magistratu potitus est. Anno 1001. successit Ioannes Perella Mãsonis filius in quem Imperator Patriciatum contulit, decessitq. post annos tres. Anno 1004. Sergius Ioannis

Marinus. Vrsus. Vrsus Galastantis. Pulcharus. Sergius. Petrus Episcopus. Mansus. Leo Neapolitanus. Mansus Fusulus. Mastalus. Mastalus minor. Sergius. Manso. Alfenus. Ioannes Perella. Sergius.

nis filius, & cum Ioanne filio 13. annos Ducatum obtinuit. Anno 1019. alterum Sergium reperio, sed adeò confusè cum superiori, vt nihil certi elicere possim. Anno 1035. Manso Sergii filius, cum Maria matre quam Ducissam & Patricissam in diplomatibus dictam reperio; regnauitq. annis 4. & mens. 3. Quo regnante, Ioannes frater Neapoli quò eiectus fuerat, Amalfiam redijt, & Ducatu recuperato Mansonem fratrem ad Sirenusas insulas (Gallos vocant) duxit, atque oculis priuauit, & Constantinopolim profectus est. Anno 1039. Guaimarius Salernitanorum Princeps mense Aprili Ind. vii. Amalfitanus Dux creatus est; & quinque annorum, & sex mensium spacio peracto, Manso Ducatum obtinuit, atque huiusmodi cæcus alios decem annos imperauit. Sed anno 1054. cùm Ioannes Constantinopoli rediisset, Amalfitani, & Atranenses debellantes, Mansonem expulerunt, & mense Octob. vi. Ind. Ioannes in pristinam dignitatem euectus est, regnauitq. 16. annos. Quo mortuo, eius filius Sergius anno 1070. electus est, vixitq. annos quinque. Successit Ioannes filius, qui antequàm dominium exerceret, modico interiecto interuallo Ducatu spoliatus est, & adscriptus anno 1075. Robertus Guiscardus Nortmannus qui vndecim præfuit annos, & menses octo, obiitq. anno 1086. Cal. Aug. viii. Ind. Neque pacificè Ducatum obtinere visus est quandò anno 1080. Amalfiam occupauit, & Gandalonem nepotem captum oculis perduellem accusauit.

Sergius. *Manso.* *Ioannes.* *Guaimarius.* *Manso.* *Sergius.* *Robertus. Guiscardus.*

In Ducatu patres cum filiis fuisse positos, hęc item nobis declarant. Aliquandò Ioannem et Sergium legimus. In nomine Domini, etc. *Temporibus Domini Ioannis gloriosi Ducis & Imperialis Patricij, Antipati, & Vestis, & Domini Sergij gloriosi Ducis filij eius anno septimo post eorum recuperationem, &c.* Aliquandò Sergium et Ioannem; *Temporibus Domini Sergij gloriosi Ducis & Imperialis Patricij anno octabodecimo, & sexto anno Domini Ioannis gloriosi Ducis filij eius.* Sæpè Mansonem, et Ioannem; *Temporibus Domini Mansonis gloriosi Ducis & Imperialis Patricij anno trigesimo quarto, & sextodecimo anno Domini Ioannis gloriosi Ducis filij eius.* Mansonis affini-

tates huiusmodi explicatas reperi; *In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, anno ab Incarnatione eius millesimo nonagesimo, temporibus Domini Rogerij gloriosi Ducis anno secundo Ducatus illius Amalfiæ die 5. mensis Octobris. Ind. 14. Amalfi. Certum est, me Ioannes fili, quod bonæ recordationis Domini Sergij filij, bonæ memoriæ Domini Mansonis gloriosi Ducis & Imperialis Patricij Antipati istius ciuitatis, à præsenti die promptissima voluntate scribere & firmare pro redemptionis vnione nostræ, & de supradicto Domino Sergio germano nostro, quàm & de Domna Monda genitrice mea, & de domino Mansone vero germano meo, trado, & firmo atque offero, visus sum in Monasterio puellarum beati Laurentij, qui constructus est & dedicatus intùs præfata ciuitate Amalfiæ, &c.* Hæc quoque cum nostris Ducibus conueniunt qui Virginum Monasteria summa cum voluntate ædificabant. Alibi seriem habemus ampliorem, sed ferè inextricabilem; *Gaytelgrima relicta Domini Mansonis, filia domini Mansonis filia bonæ memoriæ domini Mansonis gloriosi Ducis, & Ioannis fili supradicti domini Mansonis Comite, distributoris testamenti dicti domini Mansonis viri dicta Gaytelgrimæ, spoponderunt dominæ Mariæ Abbatissæ Monasterij S. Laurentij de Amalfia modia sex de leguminibus, &c.* Vbi etiam hæc leguntur, *Nos Gaytelgrima relicta domini Mansonis filij bonæ memoriæ domini Mansonis gloriosi Ducis & Imperialis Patricij, Antipati, & Ioannis filij supradicti domini Mansonis filij bonæ memoriæ supradicti domini Mansonis Ducis & Antipati, Patricij qui sumus ambo vere cognati; & nos Manso filius domini Mastali, filij domini Mansonis de Leone, de Marsone Comite qui sumus distributores, &c.* Et sub Tancredo anno eius 2. Ind. 10. Neap. diploma; *Antica & Aduisa genitrix & filia; filia naturalis seu nepote quondam Domini Malfreda filij quondam domini Bernardi, qui fuit filius quondam domini Ioannis, qui fuit filius quondam domini Sergij olim Dux ciuitatis Amalfiæ, & relicta & filia quondam Gregorij qui nominatur Stoscimilitum, &c.* In qua barbara & abstrusa rerum memoria, quamuis quæ volumus

Monda.

Monaster. S. Laurentij.

Gayltegrima.

Antica Aduisa.

lumus distincta & plana cognoscere non licet, nihil tamen est & si inconditum & insulsum, ex quo aliquid non gustemus. Dictionē quæ legitur, *Vasti* corruptam esse nō dubitamus à σεβαςῶ. Et quemadmodum Duces Amalfitani, Imperiales Patricij,& Vasti,sic Neapolitani, Protosebasti dicebantur. Sed inter eos Duces affinitatem in hac etiam summa barbarie consideremus; *Temporibus domini Mastali Imperialis Patricij,& domini Ioannis eius filij anno tricesimo nono,&c.Certum est nos Sergius Comes, filius quondam Ioannis Comes Neapolitanus, seu & Drosu Comes iugalium vnà cum præsente nobiscum stante Marino filio & filiastro nostro, quàm & Leone seu Sergio, & Marino germanis nepotibus nostris fili Ioan. Comes, filio & filiastro nostro,seu & cum adstante nobiscum Ioanna Comes Norua, &c.* Sergius deindè Amalfitanus Pardi filius Neapoli obiturus testamentum condidit in quo cauit, vt bona quæ Neapoli, & extrà eam vrbem possideret, distribuerentur à Sergio filio quondam Marini Surrentini,et Sergij Hypati,eius patruis,et Leone eius filio, & si Mansonem & Manalum alios filios habuerit. Legauit Monasterio S. Mariæ de Donna Romata solidum vnum. Monasterio & Cœnobio S. Gregorij maioris, solidum vnum, Monasterio S. Sumonæ,tarenos Duos. Monasterio S. Martini, tarenos duos. Ecclesiæ maiori S. Ioannis Catholicæ maioris,tarenos duos.Ecclesiæ S. Mariæ à Præsepe, tarenos duos. Idq. factum Basilio Magno Imperatore, anno sexagesimo quincto, & Constantino Magno fratre anno sexagesimo secundo. Exemplum eius testamenti datum Ioanni filio Leonis, Romano & Michaele, seu Andronico & Constantio Porphyrogenito.


Monasterii Donna Rometa.

Ducatus Amalfitanus ab Imperiali Patriciatu ad Regulos deductus est. Si quidem Alfonsi Regis anno 1437. aduentus in hoc Regnum,abdicata libertate, oppida Regulis subiugauit. Ducatus Amalfia honorem non amisit. Raimundo Vrsino Salernitanorum Principi in feudum concessit.Quem Ferdinandus Alfonsi filius, in Antonium Piccolomineum Pii Pontificis II. nepotem contulit, quòd Regi in Sicilia contrà Ducem Ioannem

Duces Amalfitani iuniores.

nem fuit auxilio, eidemq. in matrimonium dedit Mariam eius naturalem filiam, ex quibus ortæ sunt, Victoria Plumbini Domino nupta; & Isabella Bitonti Marchioni collocata; & altera Maria, cuius mater in partu obijt, ideòq. eius nomine appellata quæ Grauinensium Duci è familia Vrsina nupsit. Qua mortua vxorem duxit Mariam Marzanam Rossani Principis filiam, & Ferdinandi Regis neptem. Ex iis Alfonsus natus est, qui mortuo patre Amalfiæ Dux effectus est, Ioannes Marchio de Licito, Franciscus Episcopus Bisignani, Ferdinandus qui puerili ætate decessit, Eleonora Bisignani Princeps, & Ioanna Nicastri Comes. Alfonsus Piccolomineus de Aragonia Dux Amalfiæ duxit vxorem Ioannam de Aragonia, Henrici Ferdinandi primi naturalis filii filiam, ex quibus orta fuit Catherina quæ octauo ætatis anno obiit. Decessit deindè Alfonsus pater anno 1498. relicta vxore quæ vterum ferebat; ex qua postumus natus est Alfonsus II. Amalfiæ Dux, qui octauo ætatis anno matrimonio coniunctus est cum Constantia Dauala de Aquino Marchionis Vasti filia anno anno 1503. Quanto Neapolitanorum Ducatus nobilior extitit, qui ad Reges deuenit?

DE NEAPOLITANORVM ANTIQVA Relligione. Cap. XIV.



NIHIL superstitiosæ Relligionis à superstitiosa, & secreta vrbe alienum fuisse mihi persuadeo, quandò & eius rei monumenta plurima testantur, & Græcum ipsum nomen ostētat quo Neapolitani Græcis oriundi, Græcanicæ viuendi rationi studentes, vigere inter alios mortales sacrificiorum ritibus, Numinum varietate, Idolorum cultus conabantur. Et quamuis coniectura consequi possimus, quos nam Deos peculiares coluerint, cùm Græcorum Reipublicæ moribus instituti, recondita potuerint habuisse sacraria, & omnium Deorum quos in Theatro, in Foro, in Gymnasiis, in templis omnibus curiosa nimis Græcia habuit, relli-

gionem

gionem esse veneratos; quis tamen in planè diruta,& igne consumpta, tot bellorum ac dominorum calamitate afflicta vrbe, reperiet Apollines illos Acritas, Agræos, Parnopios; quis Ioues illos Epidotas, Seruatores, Ambulios? quis Herculis stadia & spectra, Iunonis Equestris aras, Mineruæ Apaturiæ lucos, Neptuni aut Regis aut Equestris delubra, Nympharum antra & speluncas, quis Bacchum Patroum, Cererem Chaminam, Dioscuros hospites, Martem Gynæcothœnam, Hermatenas, Mercurios, Deos Terminales, quibus Græcorum ciuitates ornabantur, quibusq. Neapolim celeberrimam ciuitatem, doctissimorum hominum consuetudine, Imperatorum præsentia florentem, studiorum matrem, spectaculorum assiduam spectatricem ornatam fuisse non dubitamus? An verò inter maximas iacturas quas Neapolis fecit, non vna hæc maxima est iudicanda, quod ciuitatum ornamenta, Statuas omnes amisit, quibus veluti in antiqua illa ætate decorabatur, hac recenti antiquitatis nobilitate contenderet, quemadmodum alijs in rebus nihil cuique cedit ciuitati? Quod si in multis Græciæ ciuitatibus ob ludorum agones gymnici certaminis victorum statuæ, doctissimorum sculptorum industria elaboratæ commemorantur, quàm maximus in Xystis,& Gymnasijs Neapolitanis in quibus certamē illud nobilissimum erat, Athletarum qui vicissent numerus esse debebat? An verò cuique Numini quæ plurima Neapolitani colebant, cuique Reipublicæ patrono, vt moris erat, cuique singulari viro statuas nō fuisse dedicatas dicemus? Nonne id ob loquuntur passim marmorei cippi in quibus nomina tantummodò reliqua sunt signis ablatis? Quicquid præclaræ vrbes sibi gloriæ compararunt, ex Relligione veluti fonte emanauit, magisq. Romam, Ioues Herculesq. quàm Augustorum extulit potentia; & magis floruit in Lupercis ac Potitijs, quàm in Furiis & Camillis, cùm ipsi maximi Duces, labores, itinera, exercitus, omnem dignitatem ad Relligionem retulerint. Elicere pauca licuit è tenebris, quæ ad antiquæ huius vrbis Relligionis ordinem pertinent, eaq. ex lapidibus atque Nummis quæ Neapolitanæ amplitudinis fragmenta aliquot

quot seruarunt. Lapides qui inter petrarum obstructiones ignoti sordescebant in lucem reuocauimus. Nummorum copiam, praeter eam quam ipse congesseram, obtulit Ioannes Baptista Macedonius Neapolitanus eques, qui semper iuuandae patriae incumbens, bonarum artium studia sectatus est, & omnem antiquitatem perlustrauit. Idcircò antiquitas ipsa inter officinas & rusticorum operas qui ex terrae glebis hos thesauros à nobis plurimi faciendos promunt, impensè elaborantem eum veneratur; vt quicquid ferè indè eruere poterimus, illi viro curiosissimo referamus. Obtulit praetereà Ioannes Simon Moccia qui nobilitatis insignibus, virtutis ornamentis, antiquarum rerum & picturae studio praeclarissimo nemini hac aetate cedit, dùm maiorum splendores sua virtute illustrauit. Alios eius generis homines habere, maiori Neapolitanis esset gloriae & emolumento, quàm aliis diuitiarum generibus abundare. Eos enim qui Reipublicae memoriae prodesse conantur, demortuae Reipublicae vitam afferre velle non dubitamus.

Ioannes Baptista Macedonius.

Ioannes Simõ Moccia.

APOLLO.



Abantii.

Apollinis praecipuè Relligioni Neapolitanos fuisse addictos, Simulacrum illud ostendit, quod ex Papinii auctoritate Abantiae

tiæ Claſsis aduentum in has regiones ex Græcia demonſtrauit, columbam enim in humero habebat, cuius volatum Euboeorum claſsis ſequuta fuerat,

Tu ductor populi longè emigrantis Apollo.








Et Nummi in quibus Apollinis caput, & Tripos. Quod confirmat Cumis Apollinis templum quod in Arce erat collocatum de quo Virgilius, *Arces quibus altus Apollo Præſidet*, quam profectò illam exiſtimo quæ à vulgo dicitur, Arcus felix, à quo ad Cumanorum ſecuritatem duo montes circumcluduntur, tanta altitudine, vt admirationem aſpicientibus afferat.

Quem, cum Sol eſſet, alijs quoque nominibus quæ ſoli tribuuntur colere voluerunt, idcircò enim Hebonem Mithram, & Serapidem in noſtris lapidimus habemus.

HEBO.

Hic Deus ille Neapolitanorum eſt cui Iunius Aquila Demarchus ciuitatis vouerat, cuius hæc memoria extabat in ædibus Sanctinorum, in lapide quem iam ablatum cerno,

ΗΒΟΝΙ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩΙ. ΘΕΩΙ
Γ. ΙΟΥΝΙΟΣ ΑΚΥΛΑΣ ΝΕΩΤΕΡΟΣ.
ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ.
ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΣ.

Heboni clarissimo Deo L. Iunius Aquila
Iunior, miles, procurator, Tribunus plebis.

Vocem, λαυκελαρχήσας, nemo quod sciam interpretabitur. Corruptè legi arbitrarer nisi diligẽtissimè ipse descripsissem. Hebonem verò barbatum, demissa & longiore barba, humana facie, sed taurino corpore depictum videmus in argenteis æreisq. nummis quam plurimis, quos in eo debet Neapolis pretio habere, quo suos habuit Roma Imperatores; atque is erat huiusmodi. Quem etiam dimidium sic pingebant.







Vbi



Vbi stellam Castoribus tribuo.





Barba, ad Solem referenda est quem huiusmodi Hieropolitani apud Assyrios depingebant, vt prolixa in acutum barba pingeretur, eminete super caput calatho (vt inquit *Macrobius*) qui tamen dextera hastam teneret, florem sinistra porrigeret, Gorgoneo velamento indutus. Femineam habebat ante pedes imaginem, quam flexuoso volumine Draco cingebat. Demissa barba, radios significabat; Calathas, aetheris summum; Hasta, eundem cum *Marte* esse solem innuebat; Floris species, res omnes quas Sol progenerat; Feminea imago, terram ipsam quæ foecundatur à Sole, Gorgonea vestis, solis virt tem, quam Mineruam Porphyrius esse testatur; Draconis verò effigies, flexuosum Solis iter quo terram coelumq. circumplectitur. Eandem Solis efficaciam & virtutem Neapolitani in suis Hebone, Mithra, & Serapide, non vulgares & communes disciplinarum locos, sed reconditos sequuti, & Aegyptios in rebus Arcanis imitati à Pythagora edocti, varijs symbolis demonstrare conati sunt. Hebo quidem Neapolitanorum tutela- *Solis barba.* *Lib. 1. Satur.* *Draco cum Sole.*

Aa 2 tis,

ris,ac vnus ex Penatibus, & præcipuus censebatur,sic enim Macrobius, *Prætereà barbam specie senili quoque, vti Græci eius quem Bacchapeam, item quem Brissaea appellant,& vt in Campania Neapolitani celebrant, Hebona cognominantes;* qui cùm quatuor effigiebus figuretur, puer scilicet,adolescens,iuuenis & senex, puerum hiemali Solstitio Aegyptii proferunt, vbi infans ob diei breuitatem cernitur; Adolescentem vernali æquinoctio, augeri quodammodo & vires acquirere cognoscimus, hinc Hebo, quasi hebes, prima lanugine decoratus; Iuuenem ætate plenissima, æstiuum Solstitium quo viribus valet,in medium profert,& tunc sic in Vrania eius meminit Pontanus, vt Dei Napolitani,

Hæc annis florentem, oculisq. & crine decentem
HEBONEM venerata suos ritus patriumq.
Instituit morem, & sacris iàm ritè peractis.
Vrbs HEBONA salutat,agriq. HEBONA frequentant,
HEBONA & referunt simul antra,& littora, & amnes,

Et Senem veluti senescenti quarta forma,eius diminutiones constituunt,quem Brissæa,vt Liberum patrem antiqui appellabant,ita Neapolitani venerabantur, quem eundem cum Sole esse declarat Euripides in Licinio.

Δέσποτα φιλόδαφνε Βάκχε Παιὰν Ἄπολλον εὔλυρε

Qua ratione etiam Ceres Luna dicitur,cùm pariter fertilitatibus terræ,& maturandis frugibus,vel nocturno temperamento, vel diurno moderentur. ideoq. sic coniungit Virgilius.

---------- vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista

Atque hæc de Hebonis barba dicta sint. Quod verò ad taurinam,vel baccinam formam spectat, aut maiorum stemma, Theseum scilicet Napolitani illam referent, cuius animal illud erat insigne. atque Neapolitani eo vti poterant, vt Chalcidenses Eubociq. referebant Thesei Bouem ad Minotaurum ab eo occisum, aut ad Taurum Marathonium ab eo superatum, vel, vt

vt inquit Plutarchus, ad agriculturam quam suis ciuibus persuadere cupiebat, ideoq. Pollux monetæ meminit quæ Bos dicebatur apud Athenienses, quoniam Bouem sculptum habebat. Alij Bouem populare animal dixerunt, quoniam Theseus Democratiam Atheniensibus dedit apud quos ità depictus erat, (inquit Pausanias) vt pópularem haberet ciuitatis statum, & populum; θησεὺς ἐστι γεγραμμένος, καὶ δημοκρατία τε καὶ δῆμος, æquabilem enim Reip. administrationem iis constituit, aut ad Campanos labores deducamus, vt meritò laboris terra dicatur, quam Sol huiusmodi fœcundat, vt nihil illo solo vberius esse cognoscamus, quapropter insigni corona decoratur Hebo, & fertilitatis monumenta, aut copiæ cornu, aut frumenti spicis huiusmodi patefaciunt, *Moneta Bos.*



Et ea quoque de causa ob agrorum fertilitatem eundem Hebonē inuenimus Puteolanorū Ποντεολίτων, Atellanorū Ατελλάνων, Nolanorū Νωλαίων, inueniuntur etiā, Καλεντίνων. Nec excludo Suessanos, Theanenses, Capuanos. Quid autem Campaniam commemoro? tanta erat Hebonis Relligio, vt etiam in Sicilia viguerit, Hebo enim Γέλας est. Nisi malimus dicere Bouem multiplici ratione ad Solem referri. Vel quia Heliopolitani, taurum Soli consecratum, quem Netrion dicebant, venerabantur. Vel quia Apis apud Memphiticos Solis instar accipiebatur. Vel quia in oppido Herminthi, taurum Bacchim nomine, in Apollinis templo dicauerant, quem per singulas horas colores mutare affirmabant. Et ab Aegyptiis Græcos mutuatos ea forma Apollinem coluisse. *Hebo variarum gētium.*

Sed vt sciamus quàm variè Hebo ad Solem significandum à Neapolitanis fuerit depictus, non tantùm eius imaginem, sed

Iero-

Ieroglyphica etiam quibus Solares ostendere virtutes conaban tur, vt rem valdè curiosam, & nouam studiosis proponere volui, vt ex doctis rerum inuolucris, antiquorum Neapolitanorum ingenia cognoscant. Sunt autem huiusmodi.



Cytharam, non tàm ad Musicos ludos Neapoli receptos, quàm ad cœlestium spherarum motum & harmoniam quàm Princeps Sol moderatur, referendam existimarem. GALLVM solare

solare dicimus animal, Norunt enim sidera (inquit Plinius) & ternas distingunt horas interdiu cantu. Cum Sole eunt cubitum, quartaq. castrensi vigilia ad curas laboremq. reuocant. Nunquam Sol oriens Gallum fallit. Lucretius, *Gallus.*

Quin etiam Gallum noctem explaudentibus alis
Auroram clara consuetum voce vocare.

Et Plutarchus de Pythiæ oraculis, ἑωθινὴν (inquit) ὑποδήλωσε ὥραν καὶ καιρὸν ἐπιούσης ἀνατολῆς; *Matutinum tempus, & Solis ortum instantem significasse eum qui in manu Apollinis pinxit Gallum.* SERPENTEM maximè Soli conuenire illud prædicat, quòd totius orbis moles eo symbolo ab Aegyptijs demonstratur, inter circulum aëreum, & igneum circumducto, vt scribit Petrus Crinitus, quod etiam θ Græcus character repræsentat, & in antiquo lapide Serpens est cum hac inscriptione, DEO INVICTO MITHRAE SECVNDINVS DAT. Mithram Solem esse, infrà dicemus. Hinc Sol, Loxias dictus, qui obliquum circulum ab occasu ad Orientem pergit, vel qui transuersos ad nos mittit radios, vt ait Cleantes. CADVCEVS; aut eloquentiam denotat qua Neapolitani ceteris antecellere existimabantur; aut Gymnasiarcharum potestatem qua in Athletas animaduertebant. Sed ne à Sole discedamus, Apollinem, & Mercurium eundem esse Macrobius hoc argumento ostendit, quòd apud multas gentes stella Mercurij ad Apollinis nomen refertur, quòdque Apollo Musis præsidet, dùm sermonem, hoc est Musarũ munus Mercurius impartit. Nec aliud in Mercurio alarum pennæ significare videntur quàm Solis velocitatem, quæ & Menti tribuitur, Mercuriusq. ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν dicitur, quod est interpretari (idq. Mentis munus est) & Solem mundi esse mentem Platonici dixerunt. Quod si Mercurius ad superos inferosq. Deos mittitur, inferi nomen Soli datur cùm superiori hemisphærio cursum peragit signis hiemalibus; superi autem, cùm Zodiaci partem ambit æstiuam, quocircà cœruleo & claro colore Aegyptios Solem pinxisse, idem auctor affirmat. Neque Mercurij simulacrum quadrato statu, solo capite insignitum, & virilibus erectis, aliùd quàm Solem osten-

Serpens. *Caduceus.* *Mercurius idem cum Apolline.*

ostendebat,mundi caput,rerumq. satorem,cui quatuor tribuuntur latera, quasi quatuor mundi plagas custodienti, qua ratione & Mercurio & Soli tetrachordum creditur attributum, qui numerus etiam quatuor temporis vices,quatuorq. solstitia poterat significare, id quod in nostris nummis,cythara,vel tetracordum significare non vereor. Sed cùm Mercurium ità describit Homerus,vt sapientem & excitantem oculos dicat,

Solis tetrachordum.

Odyss.lib.5.

Εἵλετο δὲ ῥάβδον τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ὧν ἐθέλει. τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει,
Cepit autem virgam qua virorum oculos demulcet
Quorumcunque vult; eos autem ipsos sopitos excitat,

Quid nisi Solem exprimit qui mortalium oculos noctu sopit ad somnum, manè verò excitat ad labores? Eccui nam nisi Soli conueniunt καλὰ πέδιλα, ἀμβρόσια, χρύσεια, pulchra talaria, immortalia, aurea? cuius radij aurum, & omnem pulcritudinem præseferunt? Consideranda item sunt quæ idem Homerus scripsit in hymno in Mercurium, in quo Apollo neminem sibi in concordia & amicitia chariorem Mercurio asserit,ideoq. virgam tribuit felicitatis, & diuitiarum symbolum,

Virga Mercurij.

ὄλβου καὶ πλούτου δώσω περικαλλέα ῥάβδον

Trium foliorum virga erat, τριπέτηλος, propterea quòd Solaris radius, calorem, lucem,rerumq. habet incrementum.Diuitiarum prætereà procreatrix, cùm Plutus in terræ viscerum mineris vigeat Solis virtute qua procreantur. In Caduceo prætereà Dracones marem & feminam constituebant Mystæ, quo symbolo hominum genituram Aegyptij significare voluerunt quatuor Deos homini nascenti adesse contendentes, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, Ἀνάγκην, Dæmonem, Fortunam,Amorem, Necessitatem, quorum duo priores Lunam & Solem denotabant; Solem, quòd caloris auctor & genitor, & custos, ideoq. Δαίμων; Lunam, vt corporibus præsidentem,quæ fortuitorum varietate iactari arbitrabantur. Dracones mutuo se accipientes osculo, Ἔρωτα; Nodus, quo circumplexi erant, Necessitatis vinculum explicarunt, quam melior lex ablegauit. Non prætermittendum, Mercurium Argi occisorem fuisse dictum, Argumq.

gumq. cœlum esse oculorum multiplici varietate, quibus cœlum ipsum tũc carere videtur, cùm Oriens Solis lumine illustratur. Quod si Inachi filia, in Bouis formam conuersa est, Sol terram desuper videtur obseruare, & cùm Terram Aegyptij voluissent significare, Bouem pinxisse leges, quæ etiam ad Hebonem mirificè faciunt. Si quis tamen Caduceum, ad pacem & ad Relligionem traduxerit, quas duas res Neapolitani maximè profitebantur, non improbarem. Et Apollini pacem & Relligionem fuisse tributas, antiquus lapis docet,

DEO. SANCTO. APOLLINI. PACIFERO. C. AELIVS......
COHORT. X. PRAEF. CENTVRIA. BASILIBES.
VOTVM. REDDIDIT.

Sed Relligionem VAS illud suprà Hebonem significare, quis dubitabit? Atque fortasse vnum ex 360. Vasibus denotabat quæ quotidie Osiridis Sacerdotes lacte implebant, per quæ totidem dies intelligebant in quos annus diuiditur per Zodiaci gradus quos permeat Sol qui Osiris quoque dicitur, de quibus Vasibus libro primo loquitur Diodorus Siculus. Eandem significat Relligionem TRIPOS, ex quo Oracula Apollo reddebat, Ὁς θεσπίωδῶ τρίποδος ἐκ χρυσιλάτου, *Qui ex aureo Tripode vaticinatur*. In TRIDENTE Neptunum cognoscimus, in eoq. Solem, cùm significet apud Platonicos eam virtutem quæ generationibus præest, vt scribit in Heptalo Picus Mirandulanus; licet illud symbolum ad ludos Neapolitanos reijcio; de quibus infrà agemus. Quid verò propiùs ad Solem accedit, quàm LOCVSTA? hæc siquidem, vel in imo iacet, vel saltu cœlum petere videtur. Quod si eam ad agriculturam retuleris, in qua noctu illud animal excitat ad labores, & interdiù fessis agricolis quietem cantu pronunciat, à Campaniæ operibus non recedes. Et quid apertius quàm DELPHINVS Solem denotat, cùm Apollo in Delphinum mutatus adnauerit ad Delphos? Sed maritimæ rei Neapolitanæ feracitatem etiam significare non nego. En tibi secretiora Solis symbola explicata, vt nummos Neapolitanos posthàc maiori honore custodiendos curemus. Sępissimè cum hisce symbolis eosdẽ insculptos cernimus.

Vas. *Tripos.* *Tridens.* *Locusta.* *Delphinus.*



In quibus Cythara, ad Apollinem, & ad Musica Neapolitana certamina refertur, quæ aliquando coronæ subiacet, denotatq. ea in re Neapolitanos plurimùm excelluisse, ideòq. Bacchum eundem esse cum Apolline dicebant, & Bacchum Canétem eadem de causa Athenienses dicebant, apud Pausaniam in Atticis, qua Musarum ducem Apollinem. Aliud illud quod ad pingitur, rete aliquando existimaui, quo athleticis ludis vtebantur, vt infrà dicemus, quod vt crederem effecit fuscina, vel tridens qui etiam in multis pictus est, gymnica enim ea erant instrumenta. Sed cum sæpè in ijs pictura à rete videatur recedere, & Pileum significare, sic enim differre à rete cognoscimus,

Castorum








Castorum Pileum significare mihi persuadeo; Pileati enim Dioscuri dicebantur. Catullus,

A pileatis nona fratribus pila.

dùm Contubernales alloquitur qui tabernam haberent ad pilam nonam à Castorum templo. Et Pileati appellabantur, quoniam eis veluti Laconibus statuæ ponebantur, & pilea arundineis folijs septa fuisse scribũt. Pausaniasq. in Laconicis apud Brasios in promontorio quodam duo Sigilla pileata ex aere describit; dubitat verò fuerint ne Castorum, an Corybantum. Sigilla verò nihilo pedalibus maiora dicit, & tria in ea figura esse, quartumq. accedere Mineruæ simulacrum. Castores præcipuè stellas suprà Pileum ostendere non vereor, licet alio pileorum genere ornentur, & cum lorica, & hasta, equos tenentes in vrna quam Ioannes Baptista Macedonius seruat, in ea Castorum regione inuenta, quo etiam infrà ornauimus in eorum imaginibus.

Quòd si aliquandò supra Hebonem Stellam & Lunam inuenerimus, in Augusti honorem positas non dubitarem,



vt Luna Octauiam sororem, vel Seruiliam vxorem, & Stella Iulium ostenderet; multa enim Neapolitanos in Augusti honorem instituisse, non est quod multis exemplis pro-

bem; & seruant hæc tempore cippum ad Pelliones, in quo hæ notæ leguntur, AVGVSTO. SACRVM. Vidi alium Neapolitanum nummum in quo sphynx est, quã ad Augustum reijcio, & Sphynges Triumuiri Monetales in nummis figurabant. Reperi quoque in eius armato pectore Medusam, nuper in agro Cumano vbi eius Statua, cum alijs Deorum statuis in templo ab Agrippa erecto inuenta sunt, de quibus in Puteolanis fusiùs agam.

MITHRAS.

Mithram Neapolitanum (eo nomine voce Persica Solem appellabant) in media crypta Pausilypana dùm instauraretur fuisse inuentum dictitant. Ipse nunquam tantæ relligioni me addixi, vt omnia credam. Illud certè scio, Patriùm Mithram à Statio fuisse celebratum, *Lib. 1. Theb.*

Adsis ò memor hospicij, Iunoniaq. arua
Dexter ames; seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemeniæ ritu, seu præstat Osyrim
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram,

Quibus verbis eundem Mithram, & Titana, & Osirim dicit. Scio etiam duos à Neapolitanis custodiri lapides in quibus Mithras conspicitur; sed vbi nam reperti fuerint, non audeo affirmare. In antris tamen eum Deum fuisse cultum, multa declarant. In altero nostro lapide qui antè D. Antonij fores extrà vrbem cernitur, hoc est scriptum epigramma,



OMNIPOTENTI· DEO. MITHRAE
APPIVS. CLAVDIVS. TERRONIVS. DEXTER
V. C. DICAVIT.

Et quoniam Statius dixit, *Dexter ames*; & Claudianus de Mithra etiam loquens,

------- Rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretaq. pelli
Et vaga testatur voluentem sidera Mithram,

arbitrati aliqui sunt, Terronium Dextrum in lapide dictum, quasi dextris auspicijs Mithræ antrum dicantem. Sed ecce tibi alium lapidem,

SIVE. DEO. SIVE. DEAE
C. TER. DEXTER. EX. VOTO.

Quis Dextri cognomen negabit? Sed cur in Crypta Pausilypana,& non alibi in antro ei dicato constitutus debuit Mithras Neapoli honorari? In locis subterraneis fuisse cultum, Iulius Firmicus confirmat; confirmat etiam eius figura, quæ semper sub antro depingitur. Nonnulli secretam Solis vim eo Ieroglyphico significant, quòd radijs in terram penetrans in eius visceribus omnia generat.

Μίθρας quidem & Μίθρης, Sol à Persis dicebatur (El quoque dictus) & eorum primus Deus, vt ait Hesichius, quem ex spermate in terram deiecto, natum fabulantur. Equus ei albus & sacer offerebatur. Eius currus albis equis, aureo iugo coronatus Regi sacrificaturo præmittebatur. Eius imago chrystallo incensa suprà tabernaculum Regis fulgebat. Sed eius simulacrum sic depingitur à Lactantio Grammatico; *Colebatur in antro, fingebaturq. Leonis vultu, habitu Persico, cum thyara, & ambabus manibus reluctantis bouis cornua retentare. Quo simulacro innuebant, Lunam ab eo lumen accipere cùm incipit ab eius radijs segregari; ipsa enim indignata sequi fratrem occurrit illi, & lumen subtexit obscuratq. ideoq. in antro esse dicitur, quia Eclypsim patitur, idest Mithras. Ideò Leonis vultu, quia Sol Leonem signum principale habet; vel quòd vt Leo inter animalia,*

animalia, ità Sol sidera excellit. Luna verò quòd tauro propiùs adhæreat, Vacca, id est Boue figurabatur. In montibus Persidis à Zoroastre antrum templi loco cõstitutum fuerat. Porphyrius omnium rerum auctorem & parentem Mithram nominat, & per speluncam, mundum à Deo fabricatum intelligit, & Arietis gladio qui Martium animal est, armatum, inuehentem tauro Venereo asserere voluit, quòd scilicet vt taurus, sic Mithra generationis dominus est. Xenophon in Oeconomico inducit Cyrum iurantem per Mythram quem omnium Deorum maximum habebat. Mithriacum sacrorum in vita Commodi meminit Lampridius. Et Suidas addit multas victimas huic Persas immolasse, & neminem initiari potuisse, qui per quosdam suppliciorum gradus se sanctum non probasset. Tertullianus idem significare videtur, scribens; *Mithræ miles cùm initiatur in speleo, in castris verè tenebrarum coronam interposito gladio sibi oblatam quasi munus martyrij.* & quæ sequuntur. Gregorius Nazianzenus duodecim dicit esse hæc supplicia, sed verbera, calorem, & frigus tantùm nominat. Apud Athenæum Persarum Regibus vno solùm die permittitur vt ebrij fiant, quo Mithræ Deo sacra faciunt; παρὰ δὲ Πέρσαις τῷ βασιλεῖ ἐφίεται μεθύσκεσθαι μιᾷ ἡμέρᾳ, ἐν ᾗ θύουσι τῷ Μίθρᾳ; contrà apud Indos non esse permissam temulentiam scribit Ctesias. Ex Epicharmo colligimus non modò à Persis, sed ab alijs quoque nationibus fuisse cultum, nàm Cretenses etiam mendaces appellat, quoniam Mithræ sacerdotes haberent. Hinc, apud Græcos omnes. In antiquis lapidibus cum varijs encomijs Mithræ mentio fit;

Mithras in Perside.

Mithriaca sacra.

Ebrietas Persarum.

ΗΛΙΩ. ΜΙΘΡΑ. ΑΝΙΚΗΤΩ.

Item,

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRAE
FL. SEPTIMIVS. ZOSIMVS. V. P.
SACERDOS. DEI. BRONTONTIS
ET. HECATE. HOC. SPELEVM. CONSTITVIT.

Alibi, Ordo Sacerdotum dedicat Deo soli inuicto Mithræ; & præ-

& præter sacerdotium quod floruisse apud antiquos ex his, cognoscimus, sacrificia etiam habemus,

PETRONIVS APOLLODORVS. V. C. PONTIF. MAIOR.
XV. VIR. SAC. FAC. PATER. SACRORVM. DEI. INVICTI
MITHRAE. TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ. PERCEPTO
VNA. CVM. RVF. VOLVSIANA. C. F. CONIVGE. &c.

Et sunt Romæ Græci versus hæc sacrificia significantes, quos sic transtulere,

Cunctorum Cybele genitrici hominumq. Deumq.
Excelsoq; Atti quem nihil orbe latet;
Qui facit vt pura celebremus mente quotannis
Crioboli festos Tauroboliq. dies. *Crioboliũ & Taurobolium.*
Qui cognomen habet de munere Apollinis, aram
Sacrorum Antistes marmoream hanc statuit.

Ideoq. Attidem, Mithram arbitror, qui excelsus in ijs carminibus dicitur, & quem nihil latet, quoniam Sol ex alto omnia intuetur. In alijs lapidibus Tauropolium, & Tauripolium legitur. In ea tamen pulcra antiquitate sacrificia Cybeli, Attidi, Hecati, Libero, & Mithræ dicata, hoc nos docet epigramma, quod tamen non integrum recitabimus,

PATER. PATRVM. DEI. SOLIS. INVICTI
MITHRAE. HIEROPHANTA. HECATE. DEI.
LIBERI. ARCHIBVCOLVS. TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ.
IN. AETERNVM. RENATVS.

Quæ sub Valente, & Valentiniano commemorantur. Habes *Patrem Patrum*, Mithræ sacerdotem, qui *Pater Sacrorum*, superiori lapide dictus est. Habes Hierophantã, quo nomine sacrorum Aegyptiorum peritus dicebatur, & Serapidis Sacerdos. *Hierophãta.* Habes item Archibucolum, bubulcorum principem, vt mactandis bobus Sacerdos haberet imperium. *Archibucolus.* *Tauropolia*, Dianæ sacrificia dicebantur, quamobrem *Tauropolos* ipsa dicta est; & *Taurobolos* apud Suidam & Eustathium, à taurorum sacrificiis. Sic enim in argenteo nummo,

in cu-



in cuius altera facie, Dianæ caput est. Taurouolium, Tauropolum, & Tauropobulum, idem fuere. Lapis Romæ extat in quo Cybeles est turrita, Leonibus aduecta, cum tympano & spicis (Crotalum & tympanum Catullus Cybeli tribuit, cymbala Lucretius; Fistulæ, & Pedi quoque reperiuntur) qua cum Attis pinui adnixus Cybeli sacro, quo arbore mons Ida abundat, in quo illi Numini sacra faciunt; in eoq. Taurobolium & Criobolium reperitur. In altero Cybeles, Mithras, Minotaurus in ijs mysteriis coniunguntur,

M. D. M. IDAE. ATTIDI. MINOTAVRO.

Antiqua generose domo cui regia Vesta
Pontifici felix sacrato militat igne,
Idem Augur triplicis cultor venerande Dianæ
Persidiciq. Mithræ Antistes Babilonie templi
Tauroboliq. simul magni Dux mystice sacri.

Alibi, *Ideæ Matri*. alibi, *Matri Deum Tauropolium*. Nec erit inutile Minotaurum ad Hebonem, & Mithram adijcere, & Tauropolium ad eorum imagines. Sed legendus est Giraldus in Syntagmatibus. De Atys, vel Actis, aut Attidis pastoris castratione, Diodorus, Eusebius, & Augustinus. De eius lacte hircino (nam Phryges hircos Atagos dixere) disputat Arnobius. A Macrobio Attines dictus, idcirco in lapidibus M. D. M. I. ET ATTINIS. Taurobolitam quoque Deam, cum Isiaca coniunctam in antiquo lapide Beneuenti legimus. Quæ omnia ad Mithræ arcana referuntur. Nec omittendum Tauropolium fieri solitum pro salute domus Imperatorum, & pro ciuitatum statu, vt pro Gordiano factum scribunt; & pro salute ordinis

Lecto-

Lectoratensium, in lapidibus. Narbone Tauropolium fit pro Septimio Seuero, & pro Aureliano. & Tauropolium accepisse dicebatur hostijs suis, qui sacra fecisset.

At quàm variè Mithræ simulacrum insculpserint, quatuor Romanæ tabulæ, duæ Neapolitanæ, patefaciunt. In vno Romano, in rupe excauata Mithras est dextra qui dùm cultrum monstrat, nescio quid sinistra proferat. Taurum substratum calcat, dextro pede inter cornua posito, sinistro autem in tergo. Sub tauro serpens, aliudq. animal cani simile. Ad dextram Sol sub quo Leo, Palma, Coruus, Scorpius, & puer mithratus facem erectam tenens. Ad sinistram Luna cornua in humeris gerens, sub qua Gallus, Palma, Aquila fulmen tenens, & virgo cubito innixa, in antro dormiens.

In alio, Mithras tauri vtrique genu innititur quem naribus tenet, cultrum in scapula manu dextra figens. Cancer tauri testiculos apprehendit, cui adest Scorpio. Animal cani non absimile adsilit. Serpens, Leoq. subiacent. Tauri cauda in aristas desinit. Coruus adsidet. Sol Oriens à dextra iuuenili facie, sub quo puer facem erigit. Ad latus Natura rerum stat eius comes. A sinistra Luna, additis fronti cornibus, sub qua puer facem demissam tenet; & rerum Natura alata, Lunæ præcipitis comes. Duo adsunt arbores, altera diurna cum bouis capite, & face; altera nocturna cum Scorpione.

In tertio, in ea Capitolij parte quæ Aquilonem spectat, templum subterraneum est in quo Mithræ simulacrum perelegans. Stant vtrinque duo viri suprà quos stellæ singulæ Oriens, & Occidens; & in tauri collo hæc leguntur, NAMA SEBESIO, lingua Persica. in ventre, DEO SOLI INVICTO MITHRAE.

In quarto, Mithras fuso chlamyde, succinctus veste breuiori, curua thiara, coruum respiciens, taurum cultro figit; altera manu nares tenet, cum hoc epigrammate,

D. DEO. INVICTO. D. MARCI. MATTI
FORTVNATVS. ET. ALEXANDER
ET. PARDVS. ET. EFFICAX
LIB. FLA. ALEXANDRO. PATR.

Neapoli, præter tabulam Terronij quam hoc tempore in D. Antonij habemus vt diximus, altera quoque est in regione D. Annunciatæ, quæ hoc tantùm ab ea differt, quod inscriptione caret. Romanis lapidibus similes. Ea tamen simulacra q æ in ijs extant, nullo pacto sacrificia sunt, sed Solis symbola, & agriculturæ Ieroglyphica. Si quidem sacrificia sic describit Petrus Crinitus; *Mithriaca verò sacra, ità ferè habita sunt, vt in sacrum antrum Sacerdotes conuenirent, atque Apollinem magna veneratione prosequentes, Mithram appellarent. Tùm bouem ex antro correptis cornibus educerent, eumq. sacerdotes veluti Mithræ victimam immolarent, simul & hymnos aliaq. cantica decantarent.* Quid ergò ea symbolorum varietas ad hæc sacrificia? Mystæ sic ea interpretati sunt, vt Taurus terram, Gladius laborem, Scorpius generationem, Cancer creationem, Canis agricolarum fidem, Serpens prouidentiam, Coruus diligentiam, Arbor nocturna quoque generationem, diurna cum bouis capite assiduitatem, Leo in sustinendo labore fortitudinem & robur, Faces diem ac noctem, significarent; quamobrem tandem cauda in aristas desinit, quòd terra fœcunda Sole fructuum producit vbertatem. Coruus medijs æstiuis caloribus Solis beneficio pullos excludit, itàq. aliquid peculiare cum Sole habere docti voluerunt. Petronius,

Lib. 5. c. vlt.

Si contrà rerum Naturæ munera notæ
Coruus maturis frugibus oua refert.

Lib. de Iside & Osiride.

Nam Græci rectè loquuntur, & sentiunt (inquit Plutarchus) sacram Veneri animantem esse Columbam, Draconem Mineruæ, Coruum Apollini, Canem Dianæ; quamobrem quæ de Canis fide diximus, ad venationes etiam quæ in terra fiunt possent referri. Palma verò in Romano lapide, Solem & annum maximè decet, cùm sola omnium arborum per ortus Lunæ singulos, ramos singulos progeneret; totidemq. menses per Palmæ surculos obseruarũt. Apud Homerũ in Apollinis hymno Diana mensis & anni arbitros paritura Palmã amplexata describitur,

Palma Soli tribuitur.

Αμφὶ δ' ἐ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισε,

Circà autem Palmam eiecit manus, genua fixit.

Præter-

Præterquamquòd in Plutarcho, tercentas & sexaginta vtilitates mortalibus elargitur, ex Babyloniorum doctrina, qui numerus anni dierum est, ideòq. Palma Mithræ dicata, qui totidem circulos ambit in Zodiaco. In eodem auctore, Apollini ea arbor sacra est, quippè plurimum is Deus ad vincendum & superandum confert, quamobrem Manubiarum dedicationes in eius templo Delphis conspiciuntur. Vitæ quoque symbolum dicemus esse Palmam, & vitam Soli præter generationem tribui. Hinc Orpheus,

Quæst. com. lib. 8. c. 4.

Palma vtilitates.

Ζῶον δ' ἴσον ἀκροκόμοισι φοινίκων ἔρνεσι.

Ramis animans Palmarum æqualis editis.

Quid quod Apollinis oracula in Palmarum folijs Sibylla pronunciabat? Nostis Auernales voces, *Tantùm folijs ne carmina manda*. Sunt qui in Mithræ symbolis Taurum fœcunditatem portendere dicant. Idq. ex tumulo Zethi & Amphionis, cuius in Bœoticis meminit Pausanias; cùm enim Sol Taurũ permeat si ex tumulo terram surreptam ad Antiopes monimentum adiecissent Tithorenses, eorum ager fœcundior redditus esset quàm Thebanorum ager. Quare ad fertilitatis & sterilitatis vaticinium Taurum retulere ex fatidicis Bacidis carminibus,

Sibylla oracula canebat in folijs palmarum.

Tauri vaticinium.

Inferias quando à Tithorensi plebe, precesq.
Et vota accipiet cum fratre Amphione Zethus,
Phœbus Agenoreum irradiat cum lumine Taurum,
Tùm noxam ingentem vitato quæ ingruit vrbi;
Namque suos fœtus olim terra ægra negabit,
Et Phoci donec scindatur gleba sepulcro.

Cum omnibus tamẽ hisce mysterijs Campanos boues admisce. Eos tantùm dicam terræ generationi prodesse, & Terræ laboris titulo videntur præclaro encomio insigniri. Felixq. Hebo in Campanis bobus quibuscum suæ virtutis in Mithra ostendit fœcunditatem. Cedant laude Campanis bobus Epirotici, antecellit enim Solis virtus, quibus nostri vigent boues, Pyrrhi Regis industriæ. Cedant Carici tubere super armos in Asia armati, fœdi enim sunt visu, quorum forma nunquam Hebo, Mitrasue fuisset indutus; nihilq. Campano boue pulchrius Ceres


Campani boues.

nullo in campo proſpexit, ſi quandò in Campania, nitidos, robuſtos, prægrandes corollis floribuſq. ornatos accliues celeri curſu vias ſubeuntes, iugo veluti coronæ ſubmiſſos.

SERAPIS.

Serapis templi Neapoli.

Quæ in barbato Hebone, in Mithrato boue occultiùs demonſtrarunt, in Serapi ſimpliciùs demonſtrantes, ab Aegyptiorum arcanis recedere non potuerunt. Neapolitanum Serapim Græcum teſtatur epigramma, ΔΙΙ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ; teſtatur tabula marmorea in qua perbellè depictus eſt in ædibus Ducis Matalunenſium, quam tamen aliqui ſibi perſuaſerunt Neapolim Puteolis aductã, vbi eius tẽpli dicatio legitur.



teſtatur etiam Sannazarij auctoritas in Eclogis,

Aequoreus Platamon, ſacrumq. Serapidis antrum
Cum fonte & nymphis adſultauere marinis.

& licet extrà pomerium ad Platamonias eius ædem conſtituat, nàm extrà pomerium Iſidem & Serapim antiqui collocarunt, vbi Embem prophetam colebant, vt in antiquo lapide,

Embes propheta.

Ιερὰ τάξις τῶν Παιανιςῶν τῶν ἐν Ρώμῃ διὸς Ηλίου μεγάλου
Σεραπίδος καὶ θεῶν σεβαςῶν ἐτείμησαν Ἔμβην προφήτην.
Sacer ordo Paaniſtarum Romæ Dei magni Solis Serapidis,
& Deorum Auguſtorum bonorarunt Embem Prophetam.

in eo tamen antro fuiſſe cultum quem innuit Sannazarius, & quem

quem in Cappellæ hortis conſpicimus, in quo nec templi, nec cultioris Relligionis imago eſt, ſed potiùs ad eruendos lapides ad ædificationes rupes accommodata, prorſus reijcio. Quamuis enim antequàm templa fuiſſent excogitata in antris Dij colerentur, nihilominùs non in eo antiquiſſimæ vetuſtatis ordine Neapolis poſita eſt, vt templorum loco antra coluerit, quæ Græcorum cultu inſtituta, omni pulchritudinis amplitudine templa decorabat, veluti & omnis vicinia à Græcis ædificata, ædificiorum vndique veſtigijs præclariſſimè oſtentat. Quin etiam illud in primis affirmare audeo, Mithram non in antris ſubterraneis, ſed in antris in marmore ſculptis coluiſſe. Quod ſi Mithræ aliquo pacto antra conueniſſe dicemus, non potuiſſe Serapi conuenire illud oſtendit, quòd magnificentiſſima templa fuerint Serapea. Sic deſcribit Ammianus Marcellinus; *Altis ſuffulta veſtigijs templa inter quæ eminet Serapeum, atrijs columnarum ampliſſimis, & ſpirantibus Signorum figmentis, & reliqua operum multitudine, ità eſt exornatum, vt poſt Capitolium quo ſe venerabilis Roma in æternū attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat.* Et Dio affirmat anno ab V.C.707. Aruſpices iuſſiſſe omnia templa (non ſpecus) Iſidis & Serapis demoliri. *Iſium & Serapium* (inquit Lampridius) *decenter ornauit, additis Signis & Deliacis, & omnibus myſticis.* Et clariſſimum eius Numinis templum apud Alexandrinos nominat Pauſanias in Atticis, aitq. Athenienſes à Ptolemæo Serapis relligionem accepiſſe, & Memphiticos antiquiſſimum Fanum habuiſſe, quo neque exteris hominibus, neque Sacerdotibus ipſis aditus pateret priuſquàm Apim bouem humarent. Romæ in ædibus Colotianis columna eſt, cuius Græcam inſcriptionem his verbis verterunt,

Serapeum magnificum templum.

Sublimi imperio miranda Serapidis alti
Deq. auro miris templa ſuperba modis;
Aedituus ſtatuere Dioſcurus, atque Cyrilli
Coniux, quæ memori numina mente colit.
Ambo ætate pares, concordi lege tuentur,
Fana pij ſummo ſemper honore Deum.

Neque

Neque minore cultu hoc Numen apud Neapolitanos in honore fuisse, quàm apud Puteolanos, antiquissimus lapis ostendit in quo ædificij lex descripta est, quem Puteolos reiecimus. A Piatamonijs id templũ excludo, licet enim extrà pomerium sæpè reperies, propè Theatrũ tamen semper Serapi templa condita fuere, & propè Dioscuros vt in superioribus carminibus; idcircò Vitruuius Serapi & Isidi in Foro templa ædificanda docet, & in Messenijs huiusmodi condita sese obtulere Pausaniæ.

Serapis templum in Foro

Lib. 1. c. 25.

Serapis & Sol.

Fuisse Serapim eundem cum Sole, sic docet Macrobius; *Eidem Aegypto adiacens ciuitas quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Serapim atque Isim cultu penè attonitæ venerationis obseruat*. Omnem illam venerationem Soli se sub illius nomine testatur impendere. Calatho insigniri quoque dixit, vt Mithras, quo altitudinem siderum & potentiam capacitatis ostenderent. Bouis quoque Serapi imago est, nam fabulantur Apim ex Niobe filium Phoronei fuisse, quam primo omnium mortalium iniuit Rex Argiuorum. Hic relicto in regno Aegialco fratre in Aegyptum concessit, ibiq. vini vsum patefecit, & Io, vel Isidem vxorem duxit, ac Memphim cõdidit. Mortuus ibidem est, dictusq. Serapis, quasi diuinus Apis, vt ait Augustinus. Post mortem sub forma bouis viui eius numen est honoratum, nam hoc animal humano generi ceterorum omnium est vtilissimum. Varro Serapim dictum ait ab arca in qua post mortem collocatus est, quam Sarcophagum vocant, & Græci σορὸν, vndè Sorapis anteà dicebatur. Idolum Aegyptiorum Serapim sub Theodosio destructum esse narrat Historia Ecclesiastica.

Apis.

De ciuit. Dei.

Sarcophagus.

B A C C H V S.

Bacchus & Sol, idem.

En tibi itidem Solem. Vini vsus Serapis apud Aegyptios illustrauit; hinc Solare numen habitum. Eadem Bacchum decent cuius relligionem Neapoli nummus ostendit in quo post Bacchi vel Apollinis caput (ijdem enim censentur) vuæ botrus

pendet,

pendet, & Pampinus in alio suprà Hebonem, quem etiam Solem dicimus, non modò quòd Bacchapæam suum Hebonem





Neapolitani dixerunt, sed etiam quòd Herodotus in Euterpe Apollinem & Dianam ex Iside & Osiri quem Liberum Patrem dicunt, natos esse scribit. Tùm quòd scribit Aristoteles apud Ligyræos in Thracia adytum Libero Patri cõsecratum, ex quo Oracula reddebantur. Apud Lacedæmonios etiam in sacris quæ Apollini celebrant Hyacinthia vocantes, hedera coronantur Bacchico ritu, quo factum vt pampinum hederæ frondem arbitrentur, vt vtrumque significent. Et in Bœotijs in Parnasso monte Apollini & Baccho speluncas consecrarunt. Orphæus in Apollinis hymno inter alia epitheta hæc collocat, *Sacra Hyacinthia.*

Βάκχιε καὶ διδυμεῦ ———

Et πυρίσπορον, *seminum viuificatorem*, & πυρφόρον; & vt Bacchum vel Solem cum Hebone coniungeret, ταυρομέτωπον dixit; *taurina facie decorum*. Sed Solis cursum & splendorem de Baccho περικιονίῳ sic explicat,

Ἡνίκα πυρφόρος αὐγὴ ἐνίκησε χθόνα πᾶσαν.

Cùm ignifer splendòr vicit terram omnem.

Reliqua sunt, Ταυρόκερος, πυρίπολος, & πυριφεγγὴς. Prima illa ad taurum referuntur, vt Hebo & Bacchus ijdem sint. Orgia idcircò Neapoli decernimus qualia Puteolis cum Orgiophantis Sacerdotibus. Erat id festum Bacchi triumphus qui sic exprimitur, in Traiani nummo; Sublimi currui Bacchus insidet hedera coronatus, seminudus, dextra tyrsum, sinistra velamenti genus suprà caput tenet. Victoria aduolans cum corona donat; currus duabus tygribus trahitur; pompa varia currum

præcedit;

præcedit; Silenus & Satyrus belluas ad Deum adducunt; cyathi præcipuè conspiciuntur. Quod si ob vini vsum Neapolis Campaniæ caput coluit Bacchum, Hebonem, Solemq. celebremus necesse est cuius virtus in amœnissimo illo solo huiusmodi viget, vt semper præstantiora vina profuderit. Nouimus celeberrima Cæcuba in sinu Amyclano, & cum Falermis Faustiana à vico propè Cedias, qui à Sinuessa sex millia passuum aberat, àustera, vel dulcia, & tenuia fuerint. Nouimus Surrentina ad confirmandam salutem conualescentibus probata, tanta in ijs commendabatur tenuitas & salubritas. Nouimus Massica, & Statana quæ ad principatum venerant, & Calena, & Fundana. Excitauerat prætereà, vt ait Plinius, Campania nouis nominibus auctoritatem, ad IV. à Neapoli lapidem Trebellicis, iuxtà Capuam Caulinis, & in suo agro Trebulanis, alioqui semper inter plebeia, & Trifolinis gloriata. Quæ verò deinceps ex Campaniæ agro vina promuntur, non tantùm principatum obtinere dicam, sed laudatissimis Thasio, Chio, Lesbio, Clazomenio, Tyrio, Sebennitico alijsq. à Græcis vinosis celebratis antecellere audaciùs affirmabo. Et si Græci hoc tempore generosissimos liquores in Campania degustarent, Bacchum ibi triumphare existimarent. Quid Campania? sola ipsa Neapolis Baccho triumphat. Pausilypana quantùm ad animi corporisq. lætitiam conferunt? Quantùm Antiniana desiderantur? Sed ne ad Vesuuina aliquantò longius progrediaris, quid vinis quæ in proximis collibus promuntur poterit tota Italia amabilius iudicari? In ipsis vina pergulis quæ in suburbijs, quæ antè fores ex pendentibus pampinis eliciuntur, omnem cuiuscunque vini suauitatem, salubritatemque superant.

Vina Campana. *Lib. 14. c. 6.* *Alia vina.* *Pausilypana.* *Antiniana.* *Vesuuina.*

APOLLO SANATOR.

Apollinem Sanatorem tota ferè Græcia coluit, vt ex Pausaniæ pluribus locis colligimus. In magna Græcia Hyeletani, & Mamertini coluere. At Neapolitani præcipuè in Italia, vt ex

vt ex Pentagono quod cum Hebone pinxerunt, & aliquandò cum Diana, *Pentagon.*



Triplici eo triangulo mutuo nexu coniuncto Pythagoras cum amicis vtebatur, & Sanitatem nuncupabat, vt ait Cœlius Calcagninus. Qui & quaternarium numerum principium quoque sanitatis dictum à Pythagoricis dicit. Idem Symbolum pro Tessera militibus datum est ab Antiocho, vt scribit Dio, cùm adversus Galatas pugnaret, eratq. in triplici nexu scriptum, ὑγίεια, quam vocem in Antiochi nummo scriptam reperimus. De Apolline Sanatore, & Medico, hæc Strabo; Ἰατρικὸς γὰρ ὁ Ἀπόλλων, καὶ ἡ Ἄρτεμις, ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν; *Sanator quidē Apollo est, & Artemis quod integros partus facit.* Hospitalem idcircò dictum & Medicum, ait Macrobius, & in sacris virgines Vestales ità indigitare solitas, *Apollo Medice, Apollo Pæan*; dictumq. Ἰήιον ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, *à sanando*; & quòd salubribus causis præstaret, οὔλιον, Sanitatis auctorem. Hinc qui sanitatem precabantur dicebant, *Medere Paan*. quam vocem regnante Theseo Athenienses docuit Oraculum contrà Amazones. Hinc etiam pro salute Apollini immolabant, & reddebant vota, quod fecisse Milesios scribit Menandrus, & multi lapides ostendunt.

Tractatu de salute.

Lib. 34.

Apollo Sanator & Medicus.

Lib. 14.

SOLI. SACR.
PRO. SALVTE. CL. IVLIANI. P. V. PRAEF. ANNONAE
TI. IVLIVS. BARBILIVS. S. SOLI. DED. ANNIO. FABIANO
M. NONNIO. MVCIANO. COS.

item,

SERAPI. PRO. SALVTE. HERENN....

aliud,

SERAPI. SERVATORI. D. IVNIVS. D. F. PAPIR.
VAEGLAENVS. AENEATOR. LEG. VII. C. L. GEM. P. FIDEL.
NVMINI. TVO. VOTO. SVSCEPTO. D. D.

præterea,

SOLI. IVVANTI
L. VOLVMNIVS. MVNATIANVS
SODAL. AVG. PRAEF. VRBI.

Habes Seruatorem, Iuuantemq. Solem. Et refertur à Pherecide, Thesea cùm in Cretam ad Minotaurum duceretur pro salute & reditu vouisse Ἀπόλλωνι οὐλίῳ, καὶ Ἀρτέμιδι οὐλίᾳ. Quapropter Plautus,

Theseus vouit Apollini.

Apollo quæso subueni mihi, atque adiuua.

Et Horatius, ------ *sic me seruauit Apollo.*

Lib. 1. Saty. 9. lib. 1. Od. 21.

Ad cuius auxilia idem respexit cùm ait,

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemq. à populo, & principe Cæsare, in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Illud etiam Horatianum de Apolline Seruatore iam indè ab Ilij temporibus non reijciam, Apollinis ope Aeneam hostibus ereptum fuisse. Opinio viguit, eius Dei officium, inquit Turnebus, auerruncandis & depellendis malis mortales iuuare. Hinc malorum depulsor dictus est, & ἀλεξίκακος. Inde Asclepij & Hygiæ relligio apud Neapolitanos. Neapoli ab Appiano citatur lapis,

Asclepius & Hygia.

AELIA. NICE. ET. CALLISTVS. MEDICVS
ASCLEPIO. ET. HYGIAE. DONVM. POSVER.

Et

Et vbique apud Græcos eidem (quem cum Aesculapio eundem faciunt) & Hygiæ templa condita reperies; Apollinis tamen Sanatoris nomen illud apertè ostendit; & Aesculapium aërem existimabant, ex quo, Bona valetudo, ὑγίεια, & homini, & cunctis animantibus esset. Ideo Titano Sicyoniorum oppido Aesculapij signum, Salubritatis, dicebatur. Et Apollinem idcircò Aesculapij filium appellabant. Et apud Arcades Aesculapius & Salus coniungebantur, tùm Proserpina Sospita (quam Artemidem esse non vereor) & Sol cognomine Seruator. Hygiæ numen Pausanias in Corinthiacis velatum vndique describit partim comis, partim Babyloniæ vestis lacinijs. Hippocratem ab Asclepio natum Pætus ad Artaxersem scribens confirmat, & ab Atheniensibus Herculem & Asclepium ijsdem honoribus dignum fuisse habitum. Salutem ab Apolline Neapolitani precabantur; sed & saluberrimam semper regionem incoluerũt. *Aesculapius.*

ARTEMIS.

Artemidem Ουλίαν, Dianam Sanatricem, Seruatricem, vel Lucinam cum Apolline coluisse Neapolitanos, eorum nummus argenteus demonstrat cum salutis signo, præter alios qui ad Dianam Apollinemq. pertinent, quos mihi Goltzius in sua Campania proposuit. *Diana sanatrix.*



In Salutis Nummo legitur, ΑΡΤΕΜ. Quas notas, Artemisiam, aliqui legunt, quoniam Αρτεμίσιον templum Dianæ dictum est apud Ephesios, in Hispania quoque summa relligione cultum,

quo Sertorius ad res maximas vsus est. In alio tamen planè legitur, ΑΡΤΕΜΙΣ. atque ità omnis dubitatio tollitur; cùm prætereà alium habeant nummum in quo Dianæ caput & pharetra, tùm Tripos & Elephas, qui Lunam veneratur, cum Apolline Medico à Strabone coniungitur. ΣΩΤΕΙΡΑΝ Dianam Siculi venerabantur, & Agathocli Regi nummus cusus est in quo Dianæ caput cum his notis, ΣΩΤΕΙΡΑ, in altera facie Iouis fulmen. De Dianæ salute sic Orpheus in Hymnis,

Ἐλθὲ θεὰ σώτειρα ——

& vt ad Salutis signum in Pentagono cum Apolline accederet,

Εἰρλώλυθ' ἱερατὴν καλλιπλόκαμον θ' Ὑγίειαν.

Iunonem quoque eandem dixere Lucinam quæ puerperijs proderat, vt inquit Catullus, cui adstipulatur Horatius apud quem maturos Ilithia, & Lucina aperit partus, id enim, Artemidem suprà significare diximus. Plutarchus in Αἰτίοις, hæc de Artemide scribit, ἐπὶ πᾶσι δὲ Ἀρτέμιδος ἣν ταῖς λοχίαις καὶ ταῖς ὠδῖσιν αἱ γυναῖκες ἐπικαλοῦνται. eademq. de Lucina subiungit & Macrobius; *Dianam quæ Luna est, Lucina à parturientibus inuocatur, quòd proprium munus eius est, distendere rimas corporis, & meatibus viam dare.* Ἥραν φωσφόρον, dicit appellari Halicarnasseus; sed apud Macrobium Nigidius, Ianam Dianam interpretatur. Solis & Lunæ simul numina in antiqua Neapolitana relligione, adhuc vicus ostendit qui ea nomina retinet. Artemisios tamen tribules quoque in nostris lapidibus legimus, quod ad Artemisios Rhodios posse referri non negamus, qui Neapoli cum alijs exteris habitarunt.

Cur Diana in partibus inuocabatur.

Lib.7.c.vlt.

CERES.

In Cereris cultu & relligione, Neapolitana ciuitas redundat. Testis nummus in quo Parthenopis caput (fortasse etiam alicuius ex Gratijs) & parua Ceres cum falce conspicitur. Testis Papinius qui de patrijs rebus loquens, cum Apolline & Castoribus Dijs patrijs coniunxit,

Tuq.



Tuq. Actæa Ceres cursu cui semper anhelo
Votiuam taciti quassamus lampada mystæ.

Fiebant enim sacra Eleusinia (quippè quæ in ea regione ab Eumolpo initium habuere, in quibus facibus, & tædis accensis mysteria peragebantur) Cererem repræsentantes, & cum ea Bacchum, quæ raptam filiam Proserpinam facibus per orbem quæsisset accensis, imposito Calatho cum sacris abditis in curru, Cistophoris, vel Canistriphoris simul virginibus prodeuntibus, quæ in Neapolitanis tabulis marmoreis significantur, altera in ædibus Matalunensibus, altera in altiori parte turris sacræ D.Ioannis Euãgelistæ, quæ inter præcipua antiquitatis Neapolitanæ monumẽta sunt recensenda. Vtraque verò hæc continet, *Sacra Eleusinia.* *Cistophori.*



Sacerdotes in eo festo, inter quos se adnumerat Statius, luto & furfure obliti (inquit Brodæus) faces gestabant, & lymphatico

cursu

cursu debacchabantur. Crinagoras Epigrammatarius eam celebritatem, Δήμητρος μεγάλας νύκτας, *Cereris magnas noctes*, appellat. Et nocturna fuisse sacra declarat Euripides, quoniam reuerentiam nox habet. Adeas tamen Plutarchum lib. de Iside & Osiride, & Tertullianum aduersus Valentinianos. Tædifera ea de causa, Δαδοῦχος, Ceres appellata est, vndè Lampadum dies ipsi dicatus, ea scilicet ratione vt ait Fulgentius in Mythologico, quod cum Solis feruore seges ad metendum cum gaudio requiratur. Virgilius,

Lampadum dies sacer Cereri.

Et per tædifera mystica sacra Deæ.

Faces in nuptijs.

Et facem in nuptijs in Cereris honorem prælatam scribit Seruius, & aqua aspersam nouã nuptam, vt aquam & ignem cum viro communicaret. Sed Actæa ἀπὸ τοῦ ἄχους Ceres dicta est, ab ebrietate quæ fuit imbuta dùm Proserpinam quæreret. Cistiferas eas dicimus, quas Græci Canæphoras dixerunt, de quibus Propertius,

Pars obscura canis celebrabant Orgia cistis.

Nummus Cistophorus.

Hinc Cistophorum habebant antiqui nummum, in quo depictæ imagines erant cistas arcanorum ferentes. Cistigeros appellat Martialis, qui pro contemptissimis habebantur,

lib. 5. ep. 17.

Dùm te posse negas nisi lato Gellia clauo
Nubere, nupsisti Gellia Cistigero.

Sacra huiusmodi describit Claudianus,

Iàm mihi cernuntur trepidis delubra moueri
Sedibus, & claram dispergere lumine lucem
Aduentum testata Dei, iàm magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumq. remugit
Cecropidum, sanctasq. faces extollit Eleusis.

Et sacra dicebantur mysteria, quoniam ea publicare fas erat, vt in Pythagoræ symbolis inuenimus; ideoq. Aristophanes in Nebulis Græco epitheto ἀῤῥηταίερα dicit, & Iustinus Historicus, Mysteria Cereris Actica, nulla re magis quàm silentio sacra constare scribit. Pausanias sibi in somnis vulgata asserit. In agone hisce sacris celebrato victores corona hordeacea coronabantur; pinea quoque & laurea, scribit Papinius,

lib. 5.

------ quid Achea mereri
Premia nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Atamantæa protectum tempora pinu.

Et dùm Græcorum insaniam irridet Arnobius, in his sacris Baubonis obscœnitatem detestatur quæ Eleusini pagi incola fuerat, quæ quoniam Cereri quam hospicio acceperat sitienti aggerit potionem (vt ipse loquitur) Cynum, Cyceonem quam nuncupat Grauia, arcana Elusiniorum mysteriorum patefecit. Hæc esse ille scribit; *Eleusiniorum vestrorum notas & origines producunt turpis, & antiquarum elogia litterarum; ipsa denique symbola quæ rogati sacrorum in acceptionibus, respondetis; Ieiunaui atque ebibi Cyceonem, excita sumpsi, & in Calathum misi; accepi rursus, in cistulam transtuli*, &c. Idem Cereris & Proserpinæ fabulam sic dilucidat; *Sic & ille qui raptam Dite à patre Proserpinam dicit, non vt Cereris in turpissimos appetitus viraginem dicit raptam, sed quia glebis occulimus semina, isse sub terra Deam, & cum Orco significat fœdera genitalis conciliare fœturæ.* Ithyophallos quoque lasciuientes cum Cerere ostendisse turpissimum sacri genus, idem auctor commemorat. *lib. 1. aduers. gent.* *Ithyophalli.*

Sacerdotium Cereris in feminis, Neapolitanus lapis obijcit quem ex sordium calamitate aliquis pius vir antiquitatis amator in pariete quodam ad D. Pauli seruauit, *Feminæ Sacerdotes.*

ΚΟΜΙΝΙΑΙ. ΠΛΟΥΤΟΓΕΝΙΑΙ. ΙΕΡΙΑΙ ΔΗΜΗΤΡΟΣ ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥΣΑ
ΘΥΓΑΤΡΙ. ΓΙΝΑΙΚΙ. ΠΑΚΚΙΟΥΚΑ. ΑΗΔΟΥ ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΥ ΚΑΙ. ΜΗΤΡΙ
ΠΑΚΚΙΟΥΚΑ. ΑΗΔΙΑΝΟΥ. ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΚΟΥ ΜΑΜΜΗ. ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΥ
ΠΟΛΑΙΩΝΟΣ ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΥ. ΕΙ. ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΣ. ΚΑΛΗΔΙΑΝΟΣ. ΔΗ
ΜΑΡΧΗΣΑΣ. ΤΗ. ΠΡΟΜΑΜΜΗ. ΕΥΣΕΒΙΑΣ. ΕΝΕΚΑ
ΔΟΓΜΑΤΙ. ΣΥΓΚΛΙΤΟΥ.

Cominiæ Plutogeniæ Sacerdoti Cereris Legislatricis filiæ optimæ Pacciuca Aëdiani viri Archontici, & matri, Pacciuca Aëdiani Aedilitij Auæ Castricij Polaonis Archontici, & Castricius Caladianis Tribunus plebis Proauæ, pietatis ergo. Ex Senatus consulto.

Vt Ma-

Vt Magistratus Neapolitanos in Sacerdotijs versatos, & Archontes, Demarchos, & Aediles affinitate aliquandò coniunctos sciamus. Omnes Cereris cerimonias è Græcia assumptas asserit Cicero in oratione pro M. Cœlio, & per Græcas semper curatas esse Sacerdotes, & Græca nomina imposita (Claudius quoque Imperator ex Attica Romam Eleusinia transferre conatus est, vt scribit Suetonius) easq. Sacerdotes aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse fœderatarum ciuitatum (erat autem Velia in sinu Pæstano) & de Sacerdote Calliphana Veliense C. Valerium Flaccum Prætorem Vrbanum tulisse ad populum vt ea ciuis Romana esset. Ideòq. Neapolitanas & Velienses dicit, ne quis de Sicula Neapoli loquutum aliqui arbitrarentur. Habeant hoc laudis Neapolitani quòd in antiqua relligione relligiosissimis Romanis in honore fuerint. In Sicula Neapoli, Cereris quoque relligio maxima erat, ait enim; *Quarta autem est vrbs quæ quia postrema ædificata est, Neapolis nominatur, quam ad summam Theatrum est maximum; præterea duo templa sunt egregia, Cereris vnum, alterum Liberæ, signumq. Apollinis qui Tinnites vocatur, pulcherrimum & maximum.* Sacerdotium huiusmodi ibidem explicat; *Sacrarium Cereris est apud Catinenses, eadem relligione qua Romæ, qua in ceteris locis, qua propè in toto orbe terrarum. In eo sacrario intimo fuit Signum Cereris perantiquum quod viri non modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant. Aditus enim in id sacrarium non est viris. Sacra per mulieres ac virgines confici solent.* Dionysius Halicarnasseus scribit ab Arcadibus templum Cereri ædificatum, ipsosq. per feminas Sacerdotes sacra abstemia fecisse more Græco, in quorum ritu eius ætate nihil mutasse confirmat. Et Pausanias scribit apud Sycionios in luco cui nomen Piræ esset, templum Cereris & Proserpinæ fuisse in quo viri seorsum à feminis festos dies agitarent, æde Nympharum concessa feminis quam Nymphonem appellabant, ibiq. Liberi patris, Cereris, & Proserpinæ signa fuisse os tantùm ostendentia. In ædibus Matalunensibus Neapoli statua prægrandis cernitur Cereris Sacerdotem referens Augusto à plerisque tributa.

Sacerdotes Neapolitanæ

In eius vita cap. 5.

Act. 6. in Ver.

Cereris

Cereris ſignum Puteolis repertum habet Fabricius Sanctaſides illuſtris Neapolitanus pictor, in cuius ſiniſtra cornucopiæ eſt, optimi ſculptoris opus.



Quod verò ad noſtram Cominiam ſpectat, ſcimus cum Cerere Liberam quoque fuiſſe cultam, quam eandem cum Proſerpina eſſe Cicero ſcribit,& nuptias Cereris(vt Seruius & Macrobius tradunt) ſine viro celebrantes, Orci nuptias dixiſſe. ideoq. Πλουτογενεῖαν, habet lapis. Vel ſic dicta, quòd nigra vterentur veſte Sacerdotes, cùm feſtus Cereris dies diceretur Δήμητρος μελαίνης,ob indignationem contrà Iouem de rapta Proſerpina. Narratq. Pauſanias in Arcadicis eo feſto ſingulis annis à Phigalenſibus cultam ad aram quæ antè ſpeluncam extructa erat,poſitis hortenſibus fructibus,vuis, & apum fauis, lanis quoque adhuc ſordibus plenis, oleo perfuſis, tribus adhibitis Sacerdotibus è ciuium numero. Idem in Atticis commemorat apud Halimuſios, Cereris Legiferæ, & Proſerpinæ fanum. Hinc θεσμοφορέσαν legimus, proprium Cereris epithetum, nam inuento frumento, prima leges inueniſſe, & dediſſe mortalibus legitur. Hinc ſacra etiam θεσμοφόρια vocantur,quæ à Plutarcho dicta ſunt Αδώνια. Et ſi quid fortaſſe ad Cominiam cõfert quod

Cerei & Libera.

Cerei nigra.

Cerei Legifera.

Pausanias in Eliacis refert, ædes condita est Cereri Chamynæ; subdiditq. aliquos putasse priscum id nomen esse, cùm in eo aggere in quo Deæ templum describit, putauerit terram discessisse, & ad se statim redijsse recepto Plutonis curru. Ibidem tamen eam portam describens quæ Occulta ab Eleis dicebatur, ait in Stadio ludis Præfectorum sessionem fuisse constructam, & è regione aram è candido lapide fuisse eminentem, & in ea sedetem Olympicos ludos spectasse mulierem Sacerdotem Cereris cognomento Chamynem. Cereris templum Neapoli non longè à theatro fuisse dicerem. sic Græcis erat, & sic describit Pausanias; mox Forum. Sæpè existimaui illud fuisse, in quo D. Gregorij Armeniæ Episcopi templum hoc tempore conditum est, cuius ædiculæ nulla ferè antiquitatis formam immutarunt, in quo adhùc antiquum in foueis antiquum conspicitur pauimentum, murus adhuc integer. Statuas ibi plurimas repertas nescio quò transtulerint.

Cereris templũ Neapoli.

CASTOR, ET POLLVX.

Licet Castoris & Pollucis templum non inter antiquissima Neapolitana monumenta se offerant cùm Augusti ætate à Tiberio Iulio Tarso Liberto ex inscriptione liqueat, eorum tamen relligionem cum ipsius Neapolis primordijs viguisse non vereor, semper enim Græcis Castores penates habiti sunt, & cum theatris & Circis ob decursiones, & pugilatus eorum templa coniunxerunt. Præter nummos in quibus pileus Castorum cum Stella depictus est, quos suprà retulimus, alios huiusmodi habemus in quibus decursionem & Stellam cernimus,

Castores Dij penates.








Statius

Statius Deos Penates Neapolitanorum facit;

Et vos Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taigeta, vmbrosæq. magis coluere Therapne,
Hos cum plebe sua patrij seruate Penates.

Atqui, cùm perantiquum sit Neapoli Theatrum, perantiqua Castorum relligio existimanda est, templumq. à Tiberio potius restitutum cùm Dij illi Circo & ludis propriè voueantur, tùm quòd in ea ciuitate Græcorum erat institutum, & Athenis templum commemorat Pausanias, & Castorum res gestas quas Polygnotus pinxerat. Hos veteres præstanti forma iuuenes apparere solitos boni auspicij causa arbitrabantur; neque bonum auspicium absque Castore & Polluce; ideò enim Helena apud Euripidem varijs de rebus conquesta, eos abesse dicit, & idcircò calamitates irruisse. Apparuere Romano equitatui præcedentes bello Latino A. Postumio Dictatore anno ab V. C. 257. quo admonente ea de re Senatum, in Foro Romano templum ijs est ædificatum. Fortasse ea de causa à Tarso in Foro Neapoli conditum. Et Cicero oratione pro P. Sextio; *Captum est Forum anno superiore, æde Castoris tanquam arce aliqua à fugitiuis occupata.* Et addidit, cùm arma ad ædem Castoris essent comportata, Forum etiam ab armatis teneri. In medio Colle ferè arx id templum cōditum conspicimus, quod quamquam temporum ac barbarorum iniuria labefactauerit, ea tamen vestigia quæ supersunt, & loci magnitudinem, & operis splendorem ostendunt, & quantum Corinthiæ structuræ ornamentum valeat prospectu, imposito columnis fastigio, declarāt. In eius triangulari tympano plura sunt Deorum simulacra, optimi sculptoris opus. Apollinis imago stat ad tripodem. Tellus ad dexteram copiæ cornu tenet. Aquæ elementum dolio incumbit. Adsunt in angulis Vertumni buccinis concinentes; cuiusmodi in antiqua templi parte (πρόναον appellant) quod in Isthmo fuerat Neptuno dicatum, in quo maris etiam collocatum fuerat simulacrum, & cellam (quod penetrale appellabant) ad quam aditus erat subterraneus, quæ huiusmodi in Neapolitano templo cernitur. de quibus omnibus agemus in Circo.

Vestigia templi Castorum Neapoli.

Castoris imagines.

Iacent in solo Castoris & Pollucis busta ex eiusdem templi aggestionibus eruta anno 1591. nuda & chlamydata, in quibus eius loci dignitas inest;





In templi trabeatione Græca hæc inscriptio pulcherrimis characteribus legitur,

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΤΑΡΣΟΣ. ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ. ΚΑΙ. ΤΗ. ΠΟΛΕΙ
ΤΟΝ. ΝΑΟΝ. ΚΑΙ. ΤΑ. ΕΝ. ΤΩΙ. ΝΑΩΙ. ΠΕΛΑΓΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ. ΚΑΙ. ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ. ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ. ΕΚ. ΤΩΝ
ΙΔΙΩΝ. ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ.

Tiberius Iulius Tarsus Iouis filijs & Ciuitati templum, & quæ sunt in templo marium Augusti libertus & procurator ex proprijs condidit.

Sunt qui ità legunt, vt, *Marium Augusti procuratorem*, contendant esse legendum. Quis tamen legendi modus apud Græcos, *Marium Augusti libertus & procurator* ἢ ἐπίτροπος, huius modo procedere debuerat, ἀπελεύθερω. Sic enim Præfectos oræ maritimæ legimus, *Procuratores Augusti*, Lapis in Tarracone, L. CORNELIO. PRAEFECTO. ORAE. MARITIMAE. PROCVRATORI AVGVSTI.

Cæsa & Procuratores.

Et quamuis Cæsarum Procuratores passim habeamus,

mus, & seruorum erat procuratio in domo Augusta, hinc *Procurator Bibliothecæ, Procurator prægustatorum, seruus & Procurator balnei, Procurator patrimonij, Procurator Aurariarum, Procurator monimentum terra imaginum, & Procurator Augusti*, habemus tamen *Libertum Procuratorem Augusti*. ideòq. legerem, ἐν τῷ ναῷ Πελάγων, *In templo marium*; omnis enim nauigatio illis credebatur Numinibus. Horatius, Od. 3. lib. 1.

Sic te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sidera,
Ventorumq. regat pater
Obstrictis alijs præter Iapyga.
Nauis ———

idemq. alibi albam eorum stellam nautis refulgere dixit, quorum alter nobilis erat equis, alter superando pugnis. Quocircà φαέσφορον, Castorem appellat Oppianus in Cynegeticis, quippè sidus nautis amicissimum est & salutare. Anachæ quoque, & Anaces appellati sunt fratres, quoniam tempestates depellunt, & stellæ illæ apparentes ἄνω καὶ ἑκὰς, *suprà, & longè*, nauigantes seruare credebantur. Σωτῆρες ideò appellati, ad quod allusit Horatius, Castorum epitheta.

——— *Tyndaridæ sidus ab infimis*
Quassas eripiunt æquoribus rates.

& Orpheus, Καὶ μεγάλους σωτῆρας ὁμοῦ Διὸς ἄφθιτα τέκνα.
Et magnos Seruatores, Iouis optima proles.

Diodorus Siculus scribit Orpheum cùm maris æstu agitaretur vnà cum alijs Argonautis, Samothracibus vota pro salute fecisse; mox tranquillo mari suprà Pollucis & Castoris capita stellam cecidisse, quo factu vt eorum se prudentia seruatos existimarent. Licet Orpheus in Argonautica scribat cùm procellis Argonautæ iactarētur, arrepta lyra eum canere cœpisse, & cantu placatos esse fluctus, igneumq. splendorem in Castore & Polluce effulxisse. Quod Valerius Flaccus huiusmodi transtulit, lib. 4.

Dixit, & ingenti flammantem nubila Iulio
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum discessit iter, fratresq. petiuit

Tynda-

Tyndareos, placida & medijs in frontibus hæsit
Protinus amborum, lumenq. innoxia fudit
Purpureum, miseris olim implorabile nautis.

Idyll. 17. Theocritus multa de ijs cecinit; *Seruatores, auxiliatores, amicos, equites, cytharistas, athletas, poetas* nominat; & ἱππῆες vocat, quoniam ijs equos distributos à Mercurio docet Stesichorus citatus à Tertulliano. Sed ad salutem pertinet lapis qui Murciæ est in Hispania. (libro de Spectac.)

CASTORI. ET. POLLVCI. DIS. MAGNIS. SVLPICIAE. Q. SVLPICI. F.
VOTVM. OB. FILIVM. SALVTI. RESTITVTVM.

Et ob salutem in terris ea numina detineri videtur innuere Homerus,

Καστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα.
Τοὺς ἄμφω ζωοὺς κατέχει φυσίζοος αἶα.

Castoremq. equorum domitorem, & pugnis valentem Pollucem,
Hos ambo viuentes detinet fertilis terra.

Dioscuri. A Græcis Dioscuri dicuntur, *Iouis filij*, de quibus sic Cicero de nat. Deorum; *Dioscuri apud Græcos multis modis nominantur. Primi tres qui appellantur Ἄνακες Athenis ex Ioue Rege antiquissimo & Proserpina nati Tritopatres, Eubuleus, Dionysius. Secundi Ioue tertio nati ex Leda Castor & Pollux. Tertij dicuntur à nonnullis Alco, Melampus, & Eumelus Atrei filij qui* lib. 1. Argon. *Pelope natus fuit*. Apollonius eos peperisse ait Ledam in ædibus Tyndari, quare Tyndarides dicti. Plerique Pollucem & Helenam ex Ioue, Castorem & Clytemnestram ex Tyndaro esse dicunt. Pausanias in Corinthiacis Castorum templum describens, præter ipsorum ibi simulacra posita, liberorum quoque Anaxidis, & Mnasinoi, tùm eorum matrum Hilairæ & Phebes Dipœni & Scyllidis arte facta è ligno ebeni asserit. Sed Hilairam & Phebem Castoris, Dipœnum & Scyllidem Pollucis matres facit. Omnes in ea re conueniunt, Castorem equorum domitorem, Pollucem pugilem fuisse. Et Castoris equum Cyllarum dictum scribit Suidas, παρὰ τὸ κέλλειν ὅτι ταχὺς, ideòq. Seneca Hyppolito, (Tyndarides.)

Sic

Sic dorso libeat cornipedis vehi
Frenis Castorea nobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllarum.

Et Claudianus,

--- seruietq. tuis, contempto Castore, frenis
Cyllarus ------

Deridet eos Deos Arnobius, vocatq. Deastores, equos vnum domitare consuetum, alterum pugillatorem bonum, & erudo inexuperabilem Cestutisianem, & Bucurem Mauri, & ouorum progeniem. A Varrone dicuntur, θεοὶ δυνατοί, & Diuipotes; & hi, mas, & femina. Qui verò Diuus Fidius dicebatur, Castor scilicet, Sanctum quoque dici Sabina lingua, & Herculem Græca scribit. Magnos tamen dictos à Cephalensibus, scribit Pausanias. Pileatos suprà diximus dictos à Catullo. Idcircò dùm Lacedæmonij per festos Castoris & Pollucis dies post sollemne epulum in ipsis castris compotationibus & lusibus se oblectarent, Gonippus & Panhormus in albis tunicis, & purpureis lacernis, equis pulcherrimis insidentes, pilea capite gestantes, hastas manibus tenentes, de improuiso se Lacedæmonijs ostendere; quapropter illi Castores rati, eorum sibi numen precibus implorabant. Habes Castorum simulacra. Aelianus adolescentes prægrandes describit, imberbes, forma similes, chlamydibus supra humeros ornatos, & chlamydes alibi pendentes dicit; & enses ferre alligatos. Licuit mihi de ea re scribenti eius simulacrum videre inter multa Cumanorum vetera signa & monumenta, quæ in Hispaniã mittere cogitat Alfonsus Pigmentellus Regni Vicarius, cui fortunatissimum illud obtigit vt ad viginti statuas vno loco hoc anno repererit, in quibus tota antiquorum relligio elucet. Castor ibi nudus, humero chlamydatus, pileum capite gestans, quod quidem simplex, non pictum & reticulatum est, quale in nostris nummis proposuimus. per mentum barbula floret, sub naso nulli pili conspiciuntur.

lib. 1. contra gentes.
Diuipotes.
Diuus Fidius.
Castorum simulacra.

Pindarus in Olympicis vocat φιλοξένους, *hospitum amantes*. in Pythijs, χρυσαρμάτων Castorem dicit, *Currum aureum habentem*: & in Nemeis, χαλκομίτρην, aëreo baltheo cinctum.

Alia Castorum epubeta

Theocritus

Theocritus alibi, βοηθόυς *opem ferentes;* & αἰολωπώλους, *multos pullos equuleos habentes*. Iidem Gemini dicti sunt, & δίδυμοι. Ambulij à Laconicis. Laperſæ à Sophocle. Amyclei ab Amyclis notiſſimo Laconiæ oppido. Apherethrij etiam dicuntur, quòd quaſi in carceribus templum haberent. Locus ſubterraneus ſub eorum templi columnis Neapoli reliquus eſt, in quo eorum duo ſigna reperta ſunt. Per gradus tamen anteà aſcendebatur ad templum. Et dùm eo pacto mirabar templum conditum, obtulit ſeſe mihi Ciceronis locus oratione pro P.Sextio qui eiuſmodi ea templa ædificata fuiſſe declarat; ait enim; *Gradus in templo Caſtorum* *Arma in templum Caſtoris palàm comportabantur, gradus eiuſdem templi tollebantur, armati homines forum & concionem tenebant*. Caſtorum Oua reperiuntur in Circis; reperiuntur etiam in nummis,





Oua Caſtoru. & ex ouo natos fabulantur, qui Phœnicum Theologiam non aſſequuntur, quæ à Saturno & Salecco apud Philonem & Euſebium natos prædicat. Sed triplex ouum narrat Auſonius,

------ *triplex Helenæ cum fratribus ouum.*

Et, *Iſtos tergemino quos naſci cernis ab ouo.*

Locum fabulæ dare potuit vocis ſignificatio. ὠὸν enim, Ouum & ſuperiorem domus partem ſignificat. Et ὤϊα, à veteribus nuncupata ſuperiora ædium tabulata ſcribit Athenæus, quæ ipſos ὑπερῷα appellare affirmat. Aitq. Clearchum in Amatorijs narrare, quoniam Helena in huiuſmodi cœnaculis educata fuit, exiſtimaſſe multos illam ex Ouo natam. Sunt itaque hac de cauſa Oua Caſtorum in Circo, vt in antiquis lapidibus cernimus. Nautæ numen illud tempeſtatibus ſalutare Caſtores vocant;

vocant; Hermi lucem, vulgus. Nabaruali à Tacito commemorati antiquæ relligionis lucum habent; præsidet Sacerdos muliebri ornatu. Deos Romani, Castorem Pollucemq. nominant. Numinis nomen, Alcis. Habent Neapolitani in huiusce templi relliquijs illustre antiquitatis, & relligionis testimonium. Seruandum sibi studeant; quid enim nobilius exteris ostendunt? optimèq. factum vt in noui templi ædificio antiqua facies reliqua sit, & maximè accusandi qui abolendam eam memoriam impiè censebant.

HERCVLES.



E' Samothracibus Herculis numen Neapoli fuisse affirmarem, quòd pro Sole aliquandò est habitum, vt Neapolitanos se totos Soli traditos dicamus; *Herculis ea est potestas* (inquit Macrobius) *quæ humano generi virtutem quæ ad similitudinem præstat Deorum.* Atque hũc esse aiunt τὸν ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων Ἥλιον, *in omnibus & per omnia Solem.* vt cum Hebone, Mithras Serapi, Baccho, Hercules quoque veluti Sol coleretur. Sed huiusmodi nũmi Neapolitani Herculem ostendũt. Vidi Herculem Cumanum non tantùm clauam, sed etiam coronam ex claua

 gestantem,




gestantem,nihilq. frequentius in agro Neapolitano quàm Hercules vel ex ære,vel ex marmore reperitur. sic etiam in tota vicinia. In Herculanio frequentissimè. Surrenti,à Nouio Vindice Statius cœna exceptus inter alia vasa ex ære Herculem reperit à Leucippo effictum,dextera pateram tenentem, sinistra clauã, ipsumq. sedentem supino ore in cœlum,substrata Leonis pelle, isq. appellabatur Epitrapezius, quippe qui mensis erat ordinatus. *Iam Vindicis nostri Herculem Epitrapezium* (inquit in epist. ad Marcellum) *secundum honorem quem de me & de ipsis studijs meretur,imputare etiam tibi possum.* Diodorus aliquos Herculis filios profectos in Campaniam iuxtà Cumas consedisse scribit, dùm Sardus, Cyrnus, & Thespiades eiusdem filij Sardiniam occupassent. Pontanus scribit transeuntem in Italiam Herculem post Cacum impotentem hominem in Latio domitum,liberatamq. ab eius dominatu regionem,Campani maris oram cùm peruagaretur, reliquisse monumenta perpetua ad Auernum lacum sita, & Neapolim venisse paulò suprà Palæpolim, qui sua quoque ætate locus Hercules dicebatur, hinc Echiam dictum ἀπὸ τοῦ Ἡρακλέος, affirmauit Falcus qui Græcam linguam non callebat; qui tamen cùm dixerit Ircim appellatum, confirmat quæ inuenimus in Diplomatibus in quibus est, Ecclesia S.Mariæ ad Hirculem. Regionis Herculensis Neapoli, meminit D. Gregorius ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum scribés, ijsdemq. litteris vicum describit in quo à Lampadio Virginibus seruandis cœnobium fuerat institutũ. Nec eius rei memoriam temporum vicissitudo valuit euertere, quandò reliquus locus est qui Diua Maria ad Herculem dicitur, & Herculeum compitum est ad D. Augustini ædem, licet alij,

Hercules Epitrapezius.
lib. 4. silu.
Herculis filij ad Cumas.
Hercules Neapolim venit.

alij; Herculis familiæ quæ sub Rogerio floruit, tribuant, à qua ædes condita est. Vidi in Loffredorum ædibus suprà Eglam Herculis signum tanta artis & gratiæ venustate effictum, vt Græcos omnes artifex in eo opere superauerit; quod cùm se obtulisset Ioanni Austriaco dùm ea loca inuiseret, imposito pileo dixit, Loquere; quasi verò vox tantùm statuæ deesset. In Hispanias translatus est. Vidi in Alfonsi Pigmentelli Proregis Musæo sexcentos paruos Hercules ex ære, quos cum alijs quoque rebus ad antiquitatem spectantibus cum maximo splendore coegit.

ORION.

Antiqui Neapolitani portus, siue nauium stationis locum, vt vocat Pontanus; præter ipsius nominis significationem quæ vulgò retinetur, Ormum enim dicunt, & ὅρμον portum significare diximus, tabula marmorea præcipuè notat, quam Portus Sedilis equites in pariete collocandam decreuerunt, & qua ferè proprio symbolo vtuntur. Orionis in ea imago sculpta est à qua quòd pilis horrida videatur, & ensem gerat, siluestris cuiuspiam hominis effigiem repræsentari vulgus credidit, nec quod sciam anteà ab aliquo cognita est. Ibi lapis repertus est, ibi nauium statio (ad cuius rei memoriam cymba singulis annis Dominicæ natiuitatis nocte comburitur, eiusq. loci Magistratus maritimarum rerum custodiam ad se spectare contendunt) ibi templum illi Deo conditum facilè existimo. Et huic Numini nautæ vota suscipiebant, cùm tempestates atque æstus illud excitare crederent. Quamobrem Polybius lib. 1. commemorans maximam illam calamitatem, qua Romanorum classis affecta est cùm ex quatuor & sexaginta suprà trecentas naues vix octuaginta superfuere, scribit id factum temeritate Consulum; nautæ enim sæpè monuerant vitandum esse extremum Siciliæ latus quòd importuosum & infestum esset, eo præsertim tempore quo inter Orionis & Canis signa nauigabant. Hæc Stella penitùs occidit v. Cal. Nouembris tum enim aëris tumul

Cymba comburitur Neapoli.

Nautæ Orioni vouebant.

Classis Romanorum calamitas.

tus est, vt docet Aristoteles, Aphrodisæus, & Theophrastus περὶ ἀνέμων. Hesiodus Hygini auctoritate, Orionem Neptuni filium dicit, & Euryales Minois filiæ. Ister apud eundem hanc fabulam narrat, Oriona à Diana esse dilectum, & penè factum vt ei nupsisse existimaretur. Quod cùm Apollo ægrè ferret, & sæpè eam frustra obiurgasset, Orionis longiùs caput conspicatus, cum Diana contendit eam non posse ad id quod nigrum in mari videretur, sagittam mittere; quæ vt in sagittando peritissimam se ostenderet, missa sagitta, caput Orionis traiecit. Et ad littus ferè moriens eiectus, plurimum cum Diana conquestus est, quæ multis eius obitum prosequuta lacrimis inter sidera eum statuisse existimatur. Sic igitur depictus cernitur,



Pilos aliquandò radios, pluuias aliquandò significasse Hieroglyphicorum scriptores docent. Ensem huiusmodi tribuunt. Aratus in Phænomenis,

Subtrahit obliquo quà sese circulus orbe
Signifer, in Boream australes egerit vmbras;
Vt medij iàm mole polifera pectora Tauri
Suscipit Orion; neque quisquam nocte serena
Transierit, celso latè se cardine pandit,
Auratumq. rubens demittit baltheus ensem.

Quem

Quem sic etiam describit Manilius, lib. 1.

Cernere vicinum Geminis licet Oriona
In magnam cœli tendentem brachia partem,
Nec minus extento surgentem ad sidera passu;
Singula fulgentes humeros cui lumina signant,
Et tribus obliquis demissus ducitur ensis.

Petrarcha idcircò lyricis suis lusibus, *Armatum* appellat.

FORTVNA. PANTHEVM.



Inter publicas Fortunas quas in Fastis veteres collocarunt, Neapolitana Fortuna elucet, cuius relligionem duo ostendunt lapides, Latinus alter in promontorio Pausilypano inuẽtus, vbi & Fortunæ templum fuisse commemorant in Villa nobilis cuiusdam viri Græci, quem Græcorum Fortunam lugentem, coëmpta villa, inter Græcorum relliquias libentissimè commorantem, & antiqua ædificia instaurantem, sæpè sum admiratus; in quo hæc leguntur,

VESORIVS. ZELOIVS
POST. ASSIGNATIONEM. AEDIS
FORTVNAE. SIGNVM. PANTHEVM. SVA
PECVNIA. DD.

alter

Fortuna tutelaris Neapolitanorum. alter Grecus in quo Fortunam Neapolitanam tutelarem habes in ædibus Marij Altimaris Iurisconsulti rerum antiquarum studiosi, & de omnibus litterarum generibus optimè meriti,

M. ΜΑΡΙΟΣ. ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ
ΤΗΙ. ΤΥΧΗΙ
ΝΕΑΣΠΟΛΕΟΣ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

M. Marius Epictetus, Fortunæ Neapolis gratias agens donum dicauit. Exemplum χαριστηρίου quod Fortunæ fiebat habemus in lapidea basi Præneste,

Tu quoque Tarpeio coleris vicina tonanti
Votorum vindex semper, Fortuna, meorum,
Accipe quæ pietas donat tibi vota merenti
Effigiem nostri conseruatura parentis,
Cuius ne taceat memorandum littera nomen
Cæsius hic idemq. Titus, Primusq. vocatur,
Qui largæ Cereris messes fructusq. renatos
Digerit in pretium, cui constat fama fidesq.
Et qui diuitias vincit pudor ire per illos
Consuetos portus, cura studioq. laboris
Littora qui præstant fessis tutissima nautis.
Notus in Vrbe sacra, notus quoque finibus illis
Quos Vmber sulcare solet, quos Tuscus arator.
Omnibus hic annis votorum more suorum
Centenas addicit numero crescente coronas,
Fortunæ simulacra colens, & Apollinis aras,
Aegeriumq. locum, quorum consentit in illo
Maiestas, longæ promittens tempora vitæ.
Accipe posteritas quod post tua sæcula narres,
Taurinus chari iussus pietate parentis
Hoc posuit donum, quod nec sententia mortis
Vincere, nec poterit fatorum summa potestas,
Sed populi saluo semper rumore manebit.

Dona

Dona si quidem dicebantur quęcunque placandorum Deorum causa inferebantur Aris. Hinc Cicero, *Impius ne audeto placare donis iram Deorum*. & Plautus, lib. 2. de legib.

Iouem se placare posse donis, hostijs.

Et Virgilius, -------- *hæc dona Sacerdos*

Contulit --------

quæ etiam munera dicta sunt,

----- *pingues centum cum matribus agnas*

Munera, lætitiamq. Dei.

Herculis quoque donum, ANNEVS. PLACIDIVS. HERCVLI DONVM. D DI. Et Asclepij atque Salutis, ASCLEPIO. ET SALVTI. COMMILITONVM. ALEXANDER. MEDICVS DONVM. DEDIT. Erant quoque Χαριστήρια Festum Atheniensibus duodecima dies Boedromionis, quòd agendarum gratiarum causam ob receptam libertatem significarent, Plutarcho teste lib. Bello ne an pace clariores fuerint Athenienses. Et Χαρίστια, Festum Romanorum, quod xi. Cal. Martias celebrabatur, quo cognati & affines conueniebant ad mutuum seruandum amorem. Ouidius, *Athenie*nsium *Festum*. *lib. 2. Fast.*

Proxima cognati dixere Charistia chari,

Et venit ad socios turba propinqua Deos.

Χαριστηρίῳ vocabulo vsus est Theophanes Confessor in sacris Hymnis,

Χαριστήριον ᾠδὴν τῷ εὐεργέτῃ θεῷ τῶν ὅλων.

Canamus o fideles cantum pro gratiarum actione vniuersorum Deo.

Omnis ora maritima Fortunæ templis ab Antio ad magnam Græciam colebatur. At Campaniæ Felicis proprium videbatur Numen. Et Strabo in eius descriptione Caletum, & Theanum Sidicinum duabus Fortunis distingui scribit, quarum templa in vtraque Viæ Latinæ parte erant posita. Et quemadmodum τύχην Νεαπόλεως legimus, sic περὶ τύχης Ῥωμαίων scribit Plutarchus, quæ Fortuna Publica dicebatur, de qua Ouidius, *Fortunæ templa*. *Fortuna Publica*.

Nec te prætereo populi Fortuna potentis

Publica, cui templum luce sequente datum est.

Et

Et Pausanias in Messenicis Pindarum de Fortuna scripsisse versus ait, eamq. appellasse φερέπολιν, *Ciuitatum tutricem*. Parum abfuit quin hæc Fortuna Neapolitana efficeret vt crederem à Cumanis primo Neapolim conditam in ea Pausilypi parte quæ ad Euplœam sita est, vbi dirutæ ciuitatis apparent vestigia, & in eo colle qui D.Basilij dicitur Circi ruinæ extant, numerusq. templorum, cum in ijs locis Fortunæ fuerit templum, Pantheumq. dicatum, aliusq. lapis Fortunam nominet Neapolitanam. Equidem non ædificia tantùm ibi habitantium animi causa cernuntur, sed benè constitutæ ciuitatis ambitum quæ me intuentem in admirationem semper adducit.

Pantheum signum omnium Deorum.

PANTHEVM, signum erat ea fortasse imaginis specie qua Veneris & Martis Imagines in Pantheone Romano templo (quod maximè cum Pacis templo ab Ammiano Marcellino laudatur) erant collocatæ, in quibus omnium Deorum simulacra erant efficta, vt scribit Dio Cassius; *lib. 54.* τότε Πάνθειον ὠνομασμένον ἐξετέλεσε, προσαγορεύεται δὲ οὕτω, τάχα μὲν ὅτι πολλῶν θεῶν εἰκόνας ἐν τοῖς ἀγάλμασι, τῷ τε τοῦ Ἄρεως καὶ τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἔλαβεν; *Pantheum quoque perfecit* (de Agrippa loquitur) *id sic dicitur fortassis, quòd in simulacris Martis & Veneris multas Deum imagines acciperet*. Suidas Πάνθειον dicit locum in Romanorum Campo, templum commune fuisse omnium Deorum. Dio aliam quoque tradidit nominis rationem, quòd scilicet rotundum,& ad cœli imaginem fuerit fastigiatum. Apud alios eius generis signum erat,vt Deos omnes,vel omnes Deas continere videretur. Potuit & sic dici ex communi Deorum sacro, de quo Festus, *Pandicularis dies dicebatur, & Communicarius, in quo omnibus Dijs communiter sacrificabatur*. Cum Hercule, Mercurio, & Siluano Mediolani illud signum est coniunctum,

HERCVLI. MERCVRIO. ET. SILVANO. SACRVM
ET. DIVO. PANTHEO.

Argenteum Pantheum in Hispania erectum Astigi inter Hispalim & Cordubam hoc epigramma ostendit,

P. NV-

P. NVMERIVS. MARTIALIS. ASTIGITANVS
SEVIRALIS. SIGNVM. PANTHEI
TESTAM. FIERI. PONIQ. EX. ARGENTI. LIBRIS. C.
SINE. VLLA. DEDVCTIONE. IVSSIT.

Ex quibus apparet Pantheum, vnam tantùm fuisse Statuam omnibus Dijs dicatam: Sed Fortunæ & Panthei simul ædes construi solitas fuisse, innuit Pausanias in Corinthiacis; ἐστὶ δὲ καὶ τύχης ναὸς, ἄγαλμα ὀρθὸν Παρίου λίθου· παρὰ δὲ αὐτὰ θεοῖς πᾶσιν ἐστὶν ἱερόν; *Est preterea Fortunæ ædes cuius signum recto statu è Pario marmore. Templum adiunctum est Dijs omnibus dicatum.* Apud Ausonium, Pantheus, Bacchus est. *Pantheus Bacchus.*

GENIVS.



Cuiusque loci aut rei Deus GENIVS erat, ideòq. in lapidibus antiquis, Genio Coloniæ legimus, Genio Numinis fontis, Genio Centuriæ, Genio Municipi, Genio horreorum, Genio exercitus, Genio loci, Genio conuentus, Genio lauacrorum, Genio Theatri, & Sosipolim patrium Eleorum Genium certis celebratum honoribus scribit Pausanias in Eliacis; & *Genij variarum rerum.*

Viperas quoque Arabes Balsami Genios existimarunt. Genium Coloniæ Puteolani habuere. Neapolitanos quoque habuisse certum est. Et Genio Augustorum dicationem habemus in lapide in Teducia villa reperto in quo palmares characteres,

Genius Puteolanus.

GENIO. CAESARVM
DIOGNETVS. VILLICVS. FECIT.

Villicorum proprium videbatur esse munus rem hortorum rusticam dominis sacrare. sic etiam Romæ,

GENIO. CAEL. HERODIAN. PRAEGVSTATOR
DIVI. AVG. IDEM. POSTEA. VILLICVS
IN. HORTIS. SALLVSTIANIS
DECESSIT. NON. AVG.
M. COCCEIO. NERVA. C. VIBIO. RVFINO. COSS.

Hoc Numen vel nascentibus dari credebant veteres, vt ait Seruius; vel rerum gerendarum vim obtinere, vt ait Festus; vel vt ait Prudentius,

Cont. Symm. lib. 2.

Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis vnum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios, perq. omnia membra
Vrbis, perq. locos Geniorum millia multa
Fingere? ——

Hominum parentem vocat Aufustius, & hominum tutelam Plutarchus. Apuleius eosdem & Genios, & Dæmones, & Lares esse scribit. Genium in vitam introeuntibus præcipere vt bono sint animo, & Fortunæ fidem non esse adhibendam, scribit Cebes Thebanus, vocatq. Δαιμόνιον. Virorum bonorum Genio primos dicasse Athenienses scribit Pausanias, & Chemarchum Atheniẽsium primum Anteroti aram dedicasse, eundemq. Genium esse effectum, & Timagoræ amoris vindicem. Censorinus Genium nobis assiduum obseruatorẽ datum dicit. Philo apud Suidam Genios dicit animæ facultates, easq. salutarem, & perniciosam constituit. Seruius duos item Genios dicit, vnum qui ad bona, alterum qui ad mala hortatur. Medioximos Latini hos Dæmones dixerunt, quippè minus lucidæ naturæ

Genij, Dæmones, Lares.

Genij animæ facultates.

Medioximi.

turæ sunt quàm cœlestes. Genialis deindè lectus dictus, quòd Genius Naturæ Deus fingebatur; & in lectis generandis liberis opera datur. In Adriani, & Diocletiani nummis, legitur GEN. P. R. & militaris viri imago est cum veste ad crura circumuoluta, dextera pateram porrigens quasi sacrificatura, & sinistra Copiæ cornu amplectens. In eum qui per Genium Principis peieraret, fustibus animaduertebant. A Genio Ingenium separat Isidorus, quippè Genium vigorem, potentiam, opinionem, honorem vel ordinationem dicit, quibus homines inter se pares esse possunt; Ingenium verò in studiorum & actionum similitudine & dissimilitudine constituit. Hinc Sidonius in carminibus, *Genialis lectus.* *Genij imago.*

Qui non ingenio, fors placuit Genij.

& Rutilius itiner.

Siue loci Genio, seu domini ingenio.

Qui Diognetum in superiori lapide eum fuisse putant qui proscriptus dixit (vt refert Appianus) Albanum meum me prosequitur, quòd fundum optimum possideret, & à Cæsare desideratum, non longiùs aberrare videtur ab historia, eundemq. villis delectatum, aliam quoque ad Neapolim ad Cæsarum lætitiam extruxisse.

G R A T I AE.

Vrbis Neapolitanæ felicitatem Gratiæ referunt, quas à Sirenibus diuellere nefas est. Eas nobis nummi & lapides proponunt. In nummis Hebo est, & ex alia facie ex aliqua Gratiarum caput cum inscriptione χάριτες, quas huiusmodi appellatas *Charites, vnde dicta.*





 esse

esse ait Phornutus ἀπὸ τῆς χαρᾶς, à lætitia; & Græcorum adagio dicitur, ταῖς χάρισιν σπένδειν, *Gratijs sacrificare*; quod facere dicuntur ij qui tristes & solliciti sunt. In marmorea tabula in ædibus Matalunensibus, trium Gratiarum simulacrum habemus veluti antiqui effinxerunt, nudas scilicet. Cuius rei



Pausanias rationem reddere nequit, & nusquam comperisse ait, quis primus Gratias vel finxerit nudas, vel pingendo nudas ostenderit, cùm apud priscos homines vestitu pictas nouerit in Smyrnæis in Nemesium fano, vbi Gratiæ aureæ dicatæ fuerant quas Bupalus fecerat; in Cantorum statione, Apellis opus; Pergameni Gratias quas pinxit Pythagoras Parius; & Athenis Gratias è marmore quas Socrates Sophronici filius fecit, veste circumductas. Quod autem nuditatem ad beneficiorum promptitudinem & simplicitatem referant, non ex antiquitate, sed ex aliquorum ingenijs habemus. Bœtos primos omnium Gratijs sacrificasse, idem refert. Lacedæmonij duas tantùm coluere, Clitam & Phaënnam. Athenienses, Auxò, & Hegemonem. Iidem posteà ab Orchomenio Eteocle accepto ritu, tribus Gratijs sacrificarunt. Pasitheam Gratiam nominauit Homerus.

Gratiarum simulacrum.

Gratiarum nomina.

Euphro-

Euphrosynem, Aglaiam, & Thaliam Hesiodus, & Onomacritus in carminibus de Gratijs. Hermesianactes, Pithò, Suadelam.

DII TRIBVLES, SODALICIVM, DAEMON.

Phratriorum Deorum, & Sodalitatis ritus relligionem in Græcis lapidibus Neapoli celebrem fuisse cognoscimus. In antiquo lapide hæc scripta sunt,

ΘΕΟΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ. ΚΑΙ

ΘΕΟΙΣ. ΦΡΗΤΡΙΟΙΣ. ΘΕΩΤΕ. ΔΑΙΜ.

Dijs Augustis, Dijs tribulibus, & Deo Dæmoni. Augustos veluti Deos venerabantur; & Deum perpetuò Ouidius nominat Augustum. & Virgilius,

Namque erit ille mihi semper Deus ——

Et à Neapolitanis id non fuisse alienum docet Statius epistola ad librum tertium ad Pollium; *Eatenus præterea Germanici Dei nostri libertus scit quàm diù desiderium eius moratus sim.* Post mortem Deo Dæmoni, vel Genio vouit. Ipse ad Deorum relligionẽ deduco, nam vt scribit Halicarnasseus, sacra cuique *lib.1.* Curiæ Romulus partitus est, assignatis in singulas Dijs & Dæmonibus quos semper colerent. Deos profectò TRIBVLES & *Dij Tribules & Patrij.* PATRIOS eosdem esse scimus, nam Iouem φράτριον reperio, qui φρήτριος dicitur; veluti & φρήτρη pro φρατρία; cuius dies cele- *Iuppiter Phratrius.* bris à Suida habetur secunda Apaturiorum, quæ ab effluxu cruoris bestiarum Ἀνάρρυσις dicebatur. Trium autem dierum *Festum Apaturiorum.* erat Festum publicum quod mense Pynepsione (vel Iulio, aut Octobri) triduo fiebat ab Atheniensibus quo in ciuitatem fuit adscriptus Sitalcæ Thracum Regis filius. Primus dies Δόρπια erat, quòd Curiales vnà vesperi conuiuarentur; secundus ἀνάρρυσις, à sacrificando, nam Ioui Sodali & Palladi sacra fiebant; *Iuppiter Sodalis.* tertius, κυρεῶτις, *Puellaris*; quoniam pueros & puellas κύρυς & κύρας sodalitati adscribebant. Quartus etiam à multis additur, ἐπίβδη nuncupatus. Historiam idem Suidas narrat, Xanthum Bœotium ad singulare certamen Thymœtem Atheniensium

Regem

Regem prouocasse; cùmq. ille recusaret, Melanthium Messenium, qui aderat, pugnæ condicionem accepisse. Et cùm inter se dimicarent, apparuisse Melanthio post Xanthi tergus quendam virum nigra caprina pelle indutum, eumq. iniustè facere dixisse, qui comitatus ad contentionem veniret; atque ità dum Xanthus laruam respiceret, ab eo interfectum. Phauorinus eundem facit φράτριον & πάτριον Διά. Plato, non item. Nam in Eutydemo (non in Eutyphone vt à Giraldo citatur) ait; Ζεὺς δ' ἡμῖν πατρῷος μὲν οὐ καλεῖται, Ἕρκιος δὲ καὶ φράτριος, καὶ Ἀθηνᾶ φρατρία; *Iuppiter verò nobis minimè vocatur Patrius, sed Herceus, & Phratrius, & Minerua Phratria.* Intelligebant Phratrium Iouem, Vrbis septorem, tribuumq. Præsidem. Apud Athenæum

Iuppiter Socialis. Iuppiter est Etæaridius, quem Socialem, & Sodalicium dicunt, cui sacrificasse ait Iasonem collectis Argonautis. Et vt Phratriorum Deorum sacrificia Neapoli cognoscamus, Surrentina etiam affero, hæc enim legũtur in eius ciuitatis quodam lapide.

ΚΙΔΙΜΙΑ . . . . . ΘΗΓΑΘΡ. ΦΡΗΤΟΡCΙ. ΘΕΟΙC.

Sed Sodalitatis sacrificium ob oculos ponam, in lapide peruetusto qui anteà in ædibus Adriani Spataphori locatus fuerat, in quo Aristæorum Phratria quæ Neapoli florebat epulum huiusmodi constituit,

. . . . Αριϛωνος . . . . . Ουαλερίας

Μύσης τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς μὴ ἐξουσίαν δὲ ἐχέτωσαν ὁ φρήταρχος ἢ οἱ χαλκολόγοι ἢ ὁ φροντιστὴς ἢ οἱ Διοικηταὶ, ἢ ἄλλος τις τῆς φρητρίας τῆς Αρισταίων τὴν θυσίαν ἢ τὸ δεῖπνον ὑπερτιθέσθαι παρὰ τὰς τεταγμένας

Epulum cognationum. ἡμέρας καὶ τὰ χίλια καὶ διακόσια δηνάρια δανειζέσθω μηδενὶ ὁ φρήταρχος εἰ μὴ, ὑπὲρ τῶν ονομάτων δηνάρια διακόσια πεντήκοντα καὶ τῇ πόλει μὴ ἐξουσίαν ἐχέτω ὁ φρήταρχος ἢ οἱ χαλκολόγοι, & quæ sequuntur quæ corrupta & mutila legi non possunt. Habes eos Magistratus quos in Republica proposui; habes epulandi in cognationibus modum. Simile quodam est in tabula marmorea quæ Venetijs à Iano Grutero citatur, in qua in communitate cognationis tria millia drachmarum impenduntur; Sacrificium fit Musis & Heroibus; cœna prætereà exhibetur. Quod si quis ad Festum non conueniat, mulctæ nomine det cœtui drachmas centum.

centum. Sic Græci huiusmodi sollemnibus incumbebant.
Romani morem ex Græcis accepere. Sacra cuique Curiæ Romulus partitus est, sumptusque ex ærario publico decreuit. *Epulum Romanorum ex Græcis.* Sacris aderant Curiæ suis vicibus, epulumq. diebus festis præbebatur. Curialibus in aula cuique Curiæ propria. Halicarnasseus à Græcis illud Romulum institutum accepisse tradit, à Lacedæmonijs præcipuè quorum disciplina eo tempore florebat in Sodalitijs, quam ipse Lycurgus à Cretensibus edoctus introduxit, quod Reipublicæ plurimum profecisse visum est; nam pacis tempore ciues ad frugalitatem & temperantiam quotidiani victus assuefecit, & in bello vnicuique pudorem iniecit ne sociũ desereret cum quo libasset, & sacra fecisset. Lex tamen Licinia aduersus Sodalicia lata est ad vitandam popularium suffragiorum corruptelam. Et Tertullianus de mulierum periculo; *lib. 2. ad vxorem.* *Discumbit cum marito sæpè in Sodalicijs, sæpè in popinis.* Apud Plutarchum de decem Oratorum vitis Lycophron Lycurgi Butades promulgatione proscripta postulat sibi ius epulandi in Prytaneo sciscì quod donatum à populo fuit, Lycurgo Butade, Anaxicrate Archonte ex tribu Antiochide. *Ius epulandi.* Hac de causa singulis Curijs cœnaculũ erat extructum (vt apud alios, Prytanea) domus communis omnibus Curijs, ipsaq. Cænacula Curiæ vocabantur. *Cænaculum.* Interdum Epulum populo à defuncti hæredibus dabatur, & dicebatur, Visceratio, cruda carne. *Visceratio.* Plutoni & Proserpinæ idem Epulum sacrum; vt omittam Epulum natalium quale Iulum Antonij filium dedicasse in natali Augusti, scribit Dio, & de quo scripsit Cornelius Tacitus de Cotta Messalino; *lib 54.* *Et cùm die Natali Augustus inter Sacerdotes epularetur, Nouendialem eam cœnam dixit.* De qua cùm scripserit Iustinianus in Nouella quadam, in nonum diem fieri μνήμας defunctorum, Glossa ait, ἔννατα ἐπὶ νεκρῶν ἀγόμενα. Eam vocat Apuleius *Cœnam Feralem.* Et Iuuenalis,

—— dimidio constrictus Gammarus ouo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.

Nonius Marcellus, Festus, & Tertullianus, Silicernium hanc cœnam vocant. *Silicernium.* Nonius verò senibus exhiberi ait; citatq.

Varro-

Varronem Meleagris. Tertullianus Apologetico aduersus gentes, Silicernium non differre à Iouis epulo (de quo infrà) scribit, cùm gentes simulatè Deos credere arguit, propterea quòd eximiam Dei naturam non alijs prosequuntur honoribus, quàm quibus defunctis parentare soleant. Quæ omnia ad Neapolitanorum epulum maximè conferunt, qui vt alij Italiæ Græci conuiuia exercebant. Constat enim ex Theopompo lib. 10. Philippicorum (citatur ab Athenæo) Tarentinorum ciuitatem singulis mensibus boues immolasse, & conuiuia populo exhibuisse, dùm coiret, turmatim vulgus & assiduè compotaret, & dictitare solitos Tarentinos, alios quidem homines industria & laboriosa sedulitate in posterum sibi vitam comparare; se verò, quia conuenirent, & voluptatem indè perciperent, iàm viuere, nec expectare dùm olim viuant. Id quod Epicureum sapit.

lib. 4.

Tarētinorum conuiuia.

LECTISTERNIA.


In D. Ioannis Maioris æde, Vrna marmorea quæ Archiepiscopi cuiusdam Neapolitani sepultura est, Lectisternia sculpta seruat. Erat quidem Iouis epulum quod in publicis ludis edebatur, Natalitijs & Circensibus quotannis Idib. Nouembris: licet & conuiuia quæ in aliorum Deorum ædibus habebantur, Lectisternij nomen consequuta fuissent. Hinc Dapalis Iuppiter dictus, & à Græcis εἰλαπιναστής, quòd Dapali epulo ei sacra fierent. Huius Epuli meminit Liuius, & cum epulo Iouem irridet Arnobius. Erant siquidem Lectisternia, conuiuia ex victimis immolatis in Deorum templo, à stratis lectis quibus ordine discumbebatur. Cùm pestis vrbem inuaderet, Lectisternijs Deos placabant. Octo diebus Romani & Duumuiri sacris faciendis Apollinem, Dianam, Herculem, Mercurium, & Neptunum Lectisternio placauerunt. Ad eam rem primo loco tres Epulones creati bello Macedonico. Duo posteà tribus additi. vltimo loco, Septem viri epulonum appellati. Nihil commune cum hoc Epulo habebant φαγήσια, & Phagesiposia, Festa in quibus ad societatem cibo exhilarabantur. Citat Athenæus locum ex Clearcho in quo indicat Græcos hoc festū excoluisse.

Iuppiter Dapalis.

VE-

VESTA.

D. Mariæ Rotundæ templum in Nili regione, Vestæ antiquitùs fuisse dicatum duas ob causas docti viri existimarunt. Primum ob monumenta marmorea quæ hoc quoque tempore ibi



cernuntur, alterum in quo mactabantur hostiæ, & quod quasi bestiarum cruore suffusum, quotidiè incruentū sacrificium prospicit Christianorum quandò ex ea Parochia Eucharistiæ Sacramentum ad ciues reficiendos prodit; & in quo feruet ferè sanguis quo superstitiosa Neapolis delectabatur, & animalium vestigia ob frequentem sacrificiorum vsum in cauato marmore conspiciuntur; alterum quod vel tripos est, vel in quo Vestalibus ignis fuerat custoditus. Aquæ lustralis commodo, in eo templo est positum. Deinde ob rotunditatem quam aliquot præclaræ columnæ suffulciunt. In antiquis profectò nummis Vestæ templum rotundum est, quòd scilicet terram, quæ rotunda est, Vesta significat. Sed Plutarchus de Numa loquens, ait rotundum ab eo conditum templum non vt terræ, sed vt vniuersi figuram explicaret, in cuius medio ignem collocatum Pythagorici arbitrantur, quem Vestam, & Vnitatem appellabant. Et Festus scribit rotundum esse ædificatum, vt sui simili templo Dea coleretur. Vittatum ibi signum repertum fuisse asserebat Adrianus Spataphorus, quod ad Vestalium sacrificium *Cur Vesta templum rotundum.*

 perti-

lib.5.c.12. pertinebat, de quo hæc Alexander ab Alexãdro; *Vestæ si quandò Vestales Virgines sacra libarent, vel rem diuinam facerent, eo cultu ornatuq. vt erant, & Vittatæ peragebant. Album tamen præterea vestimentum quod suffibulum vocabatur, oblongum, & prætextum, & quadrangulum in capite sumebant, fibulaq. subnectebant; tùm casta mola, & sale tuso in ollam fictilem misso, mox in aquam iniecto, sacra faciebant, calicibusq. fictilibus quos Culullos dicebant Vestæ & Dijs libabant.*



Simulacrum Vestæ Puteolis. Pulcrum Vestæ simulacrum Puteolis repertum in hortis Scipionis Loffredi Aequam transtulit Matthæus è Capua Conchanorum Princeps, illudq. Virginis formam habet puerulum in sinu fouens; is Iuppiter est. de quo Albricus Philosophus in lib. de Imaginibus Deorum; *Suprà pinnaculum templi depicta erat ipsa Vesta in formam Virginis infantem ipsum Iouem in sinu fouens. Iouis nutricem fuisse antiqui dixerunt.* At verò Vittatæ Vestis simulacrum inter Cumana signa nuper reperta vidimus.

IVP-

IVPPITER EIAZIVS.

Iouis Eiazij relligionem Neapolitanus lapis proponit in quo hæc leguntur,

T. FLAVIVS. ANTIPATER
VNA. CVM. FLAVIA. ARTEMISIA. VXORE
ET. ALCIDE. LIB.
ASCLEPIVM. ET. HYGIAM. IOVI. EIAZIO. VOTVM.

& in altera eiuſdem baſis parte,

T. FLAVIVS. ANTIPATER
VNA. CVM. FLAVIA. ARTEMISIA. VXORE
IOVI. EIAZIO. VOTVM. LIBENS. SOLVIT.

Quis tamen Iuppiter hic ſit Eiazius, licet omnem antiquitatem perluſtrauerim, ſcire haud potui. Græcæ linguæ periti corruptam vocem arbitrantur, & Sabazium, fortaſſe legendum, in Romanis enim lapidibus, DONVM DEDIT IOVI SABAZIO, quo nomine Bacchum appellarunt veteres à tripudijs & ſaltationibus quæ à Bacchantibus fieri ſolebant in ſacris. Id ſignificat σαβάζειν. Vel legendum ἀβάζω, Taciturno. Sacra Abazea commemorantur à Cicerone, à taciturnitate qua ſacra colebantur, à Dionyſio Rege inſtituta. Fortaſſe, Ioui Permittenti, παρὰ τὸ ἐάω; vel Stabilienti, παρὰ τὸ ἑδράζειν. In incertis rebus diuinamus. *Iuppiter Sabazius.*

PRIAPVS.

Eius relligionem Ithyophalli oſtendunt qui laſciuientes cum Cerere in eius Feſto perferebantur, & tabella plumbea quam Ioannes Vincentius Porta antiquarum rerum obſeruator ad D. Antonij teſtabatur inuētam, in qua Græca hæc legebantur, *Ioannes Vincentius Port.*

ΑΦΡΟΝΤΙΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΤΙΜΙΑΣ ΑΝΕΥ Ο ΕΝ ΥΛΑΙΣ ΒΙΟΣ ΕΝ ΤΑΙΣ ΥΛΑΙΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ ΠΕΡΙΠΟΙΗΤΑΙ ΚΑΙ ΑΝΑΠΑΥΛΑ ΕΤΟΜΑΖΕΤΑΙ; ex quibus intelligimus ruſticam vitam abſque curis & ambitione degi, & in

ea libertatem atque quietem comparari. Ara in media tabella est, addita Falce. Vas sub Ara, quod Baccho tribuitur. A Græcis hoc fœdissimum Romani quoque mutuati sunt, qui, φαλλαγωγίαν, vel περιφαλλίαν (apud Hesychium) habebant, matronarum Festum Augusto mense. In pompa Bacchanalium vltimo loco Phallum portabant. Melampum fuisse auctorem scribit Herodotus narrandi Phallum Dionysio missum. φαλλόφοροι portatores dicebantur. Ea tamen mihi tabula suspecta est. Cum Cerere quidem Phallum accipio; & de Cerere Neapolitana quis dubitat? Quæ insulsissima ab imperitis habentur, summa sapientia in honorem venerunt. Turpe ac fœdum Relligionis genus, Ithyophalli, sed ob fœcunditatem memorabile. Et quoniam inter culta, fœcundiores horti existimantur, ideò hortorum Deus vocatus. Extat apud me antiquus nummus in quo Panis numen inter quatuor elementa, fœdum illud ex altera facie cum epigrammate se rerum factorem affirmante. Apud Sanctafidem Priapus marmoreus extat perbellè effictus, cuius crinitum caput fascia cingit, suprà fasciam rotunda corolla ex floribus est, quam altera fascia ambit. longa barba, lasciuienti affectu pudenda respiciens. Hæc ferè habui quæ de antiqua Neapolitanorum relligione narrarem. Ea addenda arbitror, quæ cum omnibus Græcorum ritibus conuenire arbitrabimur. Multa quoque addenda quæ Neapoli reperta varijs in locis ignoramus. Quantum enim relligionis inerat in ædibus Cæsaris Frezzæ Regij Consiliarij, in qua excauanda plura marmoris genera, quæ ipse quotidiè secanda curat, plures quoque inuenit statuas, & Cereris, & Mercurij, cui verò templum dicatum fuerit non nouimus? Quantum in alijs quoque locis quorum memoriam non seruarunt possessores?

Phallogogia festum.

DE

DE ANTIQVIS NEAPOLITANORVM LVDIS. Cap. XV.

QVINQVENNALES.



RATORIVM, Muſicum, Gymnicum certamina illis æmula quæ in Græcia fuerant, Neapolis ſumma cum laude celebrauit. Verſu, proſa, oratione, dicendi arte, Græcè Latinèq. tùm Muſica per Cytharædos ac Cythariſtas, luĉta & pancratio certabatur, quæ ludicra Nero Cæſar primus ad morem Græci certaminis è Græcia Romam anteà deduxerat, Iouiq. Capitolino dicarat iàm intermiſſa cc. annis à L. Memmij triumpho, qui primus hoc ſpectaculi genus in Vrbe præſtiterat inquit Alexander ab Alex. lib.6. c.19. Quinquennales ludi dicti ſunt ab Olympiade, extrema ætate celebrari ſoliti, & ineunte Autumno: initium conſtituebatur ſimul anni, & Olympiadum. Ideò Quinquennale & Luſtrum idem exiſtimarunt, etſi in Luſtris ſola Taurilia fierent, & in Quinquennalibus omnia quæ à Græcis fiebant in Olympiadibus. Diciturq. Luſtrum à delectu, & luſtratione ciuium Romæ habita, & Quinquennalia à temporis ſpacio. Statius ſic confundit, *Luſtrum*

Huc me poſt patrij lætum Quinquennia luſtri.

et, *Cum ſtata laudato cerneret Quinquennia verſu.*

alio tamen modo Luſtrum à Lucano dicitur,

Mox iubet vt totam pauidis à ciuibus vrbem
Ambiri, & feſto purgantes mœnia luſtro
Longa per extremos pomeria cingere fines.

cuius auctorem primum fuiſſe Seruium Tullum ſcribit Cenſorinus, vt habito ciuium cenſu, quincto quoque anno Luſtrum conderetur. Ergò luſtrum quoque à temporis ſpacio.

Quinquennales ludi in Auguſti honorem dicati fuerunt. Sic enim Suetonius; *Mox Neapolim traiecit, quamquam* *Ludi in Auguſti honorē.*

& tùm

& tùm infirmis intestinis morbo variante, tamen & Quinquennale certamen honori suo institutum perspectauit. Et Strabo, qui illustrissimis Græcorum ludis comparat; Νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται (de Neapolitanis loquitur) Μουσικός τε καὶ Γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα; *Nunc autem Quinquennale sacrum certamen apud eos celebratur Musicum, & Gymnicum in plures dies, quod æmulum esse potest illustrissimis Græcorum ludis.* Et Paterculus; (*lib. 2.*) *Prosequens eum simul interfuturus, Athletarum certaminis ludicro, quod eius honori sacratum à Neapolitanis est, processit in Campaniam.* Nec tantùm Neapoli, sed oppidatim eosdem ludos dicatos tanquam Heroi, scribit Suetonius; & de Iulio notat Dio qui in prouincijs etiam, & Pergameni celebratos asserit, quos imitatus Herodes Hierosolymis etiam eundem summo Imperatori honorem tribuit, vt affirmat Iosephus.

Quinquennales varijs in prouincijs. *lib. 44.* *lib. 15. c. 11.*

Sed Neapoli ludis peractis Augustus Nolæ mortuus est Sex. Asculeio, & Sex. Pompeio Coss. Qui tamen vt Actiacæ victoriæ memoria celebratior esset, vrbem Nicopolim apud Actium condidit, ludosq. illic Quinquennales instituit, & ampliato vetere Apollinis templo locum castrorũ quibus fuerat vsus exornatum naualibus spolijs Neptuno & Marti consecrauit. Auctor is qui de Spectaculis scripsit Quinquennalia Neapoli in Actijs celebrat, cùm Nicopolis eum deceperit. Actium, Quinquennale sacrum, in ea victoria dictum est.

Nicopolis. *Actium sacrum quinquennale.*

De Claudio sic scribit Suetonius; (*Cap. 2.*) *Ad fratris memoriam per omnem occasionem celebratam Comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de sententia Iudicum coronauit.* Vbi docere Comœdiam (*Docere Comœdiam.*) dixit more Græco, διδάσκειν δρᾶμα; idcircò Horatius,

Et qui prætextas, & qui docuere togatas.

Idem, quod edere. Et *coronauit*, nouo dicendi genere, pro, *Coronatus est.* Ideòq. priuatus Neapoli viuens, in musicis ludis pallium, & Soleas, in Gymnicis purpuram, & auream coronam ferebât, vt scribit Dio. Eloquentiam præcipuè profitebantur, vt quantum quisque facundia & ingenio enituisset, facilè appareret. Ideò Pausanias in Eliacis scribit Gorgiam Leontinum

in

in Quinquennali Olympiæ celebritate, magnum eloquentiæ specimen dedisse, atque hac de causa dedicatum ab Eumolpo Deieratis pronepote. C. Caligula horum ludorum instar Miscellos Lugduni fecit, qui ferè miscellanei ad nullam ludendi certam normam erant inuenti, Græcæ tantùm & Latinæ facundiæ experimento. Idq. in hoc certamine lege sancitum erat, vt victi victoribus hoc primum darent, vt ipsorum laudes iàm victi scriberent, & carmine celebrarent. Eos qui maximè displicuissent, scribunt spongia sua scripta lingua'ue delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent. Pallebant hac de causa dicturi, quod innuit Iuuenalis,

Misceļli ludi. *Ludorum Quinquennalium lex.* *Saty. 1.*

Palleat vt nudis pressit qui calcibus anguem,
Ad Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Quid mirum si tunc litterarum studia floruerint? Deinceps à Domitiano triplex Quinquennale effectum, Musicum, Equestre, Gymnicum. Proprium tamen ludicri genus Neapolitanis tribuitur, & Agon Neapolitanus dicebatur, de quo Philostratus in proemio ad Iconas; ἦν μὲν ὁ παρὰ τοῖς Νεαπολίταις ἀγών; veluti, ἀγῶνα τῶν μεγάλων Καπιτολέων, appellarunt. Fortasse Agonis signum habebant quale in Eliacis inter Smycithi dona recensetur, Halteres portans. sunt autem Halteres Athletarum libramenta circuli oblongiore figura, & qua parte manibus prensantur, ansulas habent intrà quas digiti immittuntur. Quinquetria autem, vel Quinquatria qui cum Quinquẽnalibus eadem faciunt, non fortasse memoria tenuerunt Suetonium qui in Domiciano scribit; *Celebrata in Albano quotannis Quinquetria, Mineruæ cui collegium instituerat.* Et licet subdat; *Sorte ducti magisterio fungerentur, redderentq. eximias venationes, & scenicos ludos, superq. Poëtarum, & Oratorum certamina;* quod in Albano Festum celebrabatur à Domiciano iussum, ad quod allusit Statius,

Agon Neapolitanus. *Agonis signũ* *Halteres.* *Quinquatria* *lib. 4. silu.*

Lux mihi Romanæ qualis sub collibus Albæ
Cùm modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

Ceteros in eo certamine Poëtas innuens superasse; nihilominus

ad

ad Quinquennales ludos accedere non poterant, quamuis
Munus Mineruale. Oratores quoque & Poëtæ ibi certarent, & *Munus Mineruale*
dictum. Quinquennales prætereà quincto quoque anno cele-
brabantur, & Quinquatria quæ à quinque dierum numero no-
men habent, singulis annis xiij. Cal. Aprilis. Nisi cum Suidæ
Panathenaea. auctoritate dicere maluerimus Panathenæa (sic enim Quin-
quennales & Olympiades nuncupatæ sunt) duplicia fuisse, al-
tera singulis annis celebrata, altera lustris peractis quæ Magna
vocabantur; διττὰ Παναθήναια ἤγετο Ἀθήνησι. τὰ μὲν καθ᾽ ἕκαστον
ἐνιαυτὸν, τὰ δὲ διὰ πενταετηρίδος, ἃ καὶ μεγάλα ἐκάλουν. Suprà
dixerat, ἄγεται δὲ ὁ ἀγὼν διὰ πέντε ἐτῶν; *celebrantur hi ludi quin-
cto quoque anno*. Et in argumento Demosthenicæ Orationis
contrà Midam indicatur solita, τελεῖσθαι κατὰ πενταετηρίδα,
annuis longè celebriora, & propptereà, μεγάλα nuncupata.
Parua autem, μικρὰ (alij ludi hi videntur) solita τελεῖσθαι κατὰ
τριετηρίδα; *tertio quoque anno*.

Disceptationes adolescentium. In hisce ludis, disceptationes esse factas asserit Epicrates Co-
micus citatus ab Athenæo,

lib. 2. Παναθηναίοις γὰρ ἰδὼν ἀγέλην μειρακίων
Ἐν γυμνασίοις Ἀκαδημίας. ἤκουσα
Λόγων ἀφάτων, ἀτόπων ———
Panathenæis adolescentulorum gregem conspexi
In Gymnasij Academiæ. audiui
Absurdos, & inexplicabiles sermones.

In mentem mihi aliquandò venit antiquitatis vsum ad no-
stram ferè ætatem seruatum, quandò pueri disceptaturi ad
D. Pauli se conferebant, quo in loco Gymnasia antiqua Nea-
politana floruerunt.

Triplicis Neapolitani certaminis imaginem antiquus Num-
mus seruat qui meo quidem iudicio veneratione dignus est.
Habes in eo Caduceum, Cytharam, Rete, nisi pileum dixeris,
quem suprà retulimus; & quidem ob ludorum genera Rete non
esse prætermissum in nummis, liceat coniectura præuidere.
Caduceus, Cythara, Rete in ludis. In Caduceo, litterarum certamen; in Cythara, Musices; in Re-
te, gladiatorum munus significatur. De Caduceo, in Gymna-
sijs





ſijs dicam. Sed vt Retis figuram dilucidiùs explicemus, illud præcipuè notandum, Gladiatorum claſſem in Sequutores, Retiarios, Threces, Myrmillones, Hoplomachos, Samnites, Eſſedarios, Andabatas, Laquearios fuiſſe diuiſam, præter Beſtiarios, Rudiarios, Athletas, Crupellares, Pancratiaſtas, qui & armorum, & pugnæ varietate certabant. Sequutores ab inſequendo Retiarios dictos eſſe ſcribit Iſidorus, quamuis ij quoque qui loco Apparitorum Tribunos comitabantur, Sequutores dicerentur, vt in noſtro lapide apud Spathaphorum, TAVRO SECVTORI CAESARIS. & Romæ, SECVTORI TRIBVNI. eorumq. Lampridius in Alexandro meminit. De Sequutoribus verò gladiatoribus Iuuenalis, *Gladiatorum genera.* *Retiarij, Secutores.*

—— cum Graccho iuſſus pugnare Secutor.

& Lapis, AEDONI SECVTORI PVGN. quorum arma, inquit Lampridius, Cuſpis, Maſſa plumbea, quæ aduerſarij iaculum impediret, & antequàm Retiarius feriret Rete, is ſuperaret. Iſidorus addidit; *Hæc armatura ſacra erat Vulcano, ignis enim ſemper inſequitur. ideòq. cum Retiario componebatur, quia ignis & aqua ſemper inter ſe inimica ſunt. Secutor cum Retiario commiſſus. Retiariuſq. Rete ferebat, vt aduerſarium cuſpide inſiſtentem ſuperaret.* quam ſic habemus in nummo, *Arma Secutorum.*





Eius armaturæ origo à Pittaco sapiente pugnante cum Phrynone, qui vt ait Strabo, ἀλιευτικὴν ἀναλαβὼν σκευὴν; *cum piscatoria schema in eum pugnauit*. Et eius vsus,

——— mouet ecce Tridentem
Postquàm vibrata pendentia Retia dextra
Nequicquam effudit.

Operto vultu pugnabant, cùm solis patricijs ex gladiatoribus nuda facie pugnare licuisset. Claudij sæuitiam Tranquillus narrans; *Gladiatores etiam fortè prolapsos iugulari iubebat, maximè Retiarios, vt expirantium faciem videret*. Et in Caligula; *Retiarij tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine vllo, totidem Secutoribus succubuerunt, cùm occidi iuberentur, vnus resumpta fuscina omnes victores interemit*. Decorati Retiarij mentionem faciunt antiqui Lapides, qui Cæruleum peremerat Rude extinctum.

Cap. 30.

PANCRATIVM.

Inter Gymnicos ludos, Pancratium, nobilissimus extollitur, in quo tùm adolescentuli, tùm viri pugnabant, ἀνδρῶν Παγκράτιον, καὶ Αγενείων; veluti in Isthmijs quoque inquit Suidas, ἀγωνίζεται παῖς Ἴσθμια ἢ πρεσβύτερος, καὶ ἀγένειος, καὶ ἀνὴρ. *puer & senex, imberbis & vir*. sic enim lego, non οὐ, vt in vulgatis. Gentile Neapolitanum sacrum appellat Statius,

——— ridetq. benigna
Parthenope gentile sacrum, nudosq. virorum
Certatus, & parua suæ simulacra coronæ.

& alibi,

Nec pudet occultè nudas spectare Palæstras.

Eius ludicri monumentum ad ædes Grauinensium Ducis, diù iacuit. Cùm ex me audiuere quàm bonæ antiquitatis esset, aliò transtulerunt. Caueat ne ad secationem ad gradus conficiendos sit damnatum. In ædibus Gasparis Ricchi Græcus lapis hæc habet,

T. ΦΛΑ-

Τ. ΦΛΑΥΙΟΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΡΟΥ. ΥΙΟΣ. Κ. ΤΡΕΙΝΑ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ
ΑΔΑΝΕΥΣ. ΚΑΙ. ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ. ΝΙΚΗΣΑΣ. ΤΟΝ. ΑΓΩΝΑ. ΤΩΝ
ΜΕΓΑΛΩΝ. ΚΑΠΙΤΩΛΕΙΩΝ. ΤΟΝ. ΠΡΩΤΟΣ. ΑΧΘΕΝΤΑ
ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΟΛΥΜΠΙΑ. Β. ΠΥΘΙΑ. Β.
ΕΝ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΙΣΘΜΙΑ. ΑΓΕΝΕΙΩΝ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΕΞΗΣ. ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΙ. ΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΛΙΝ. ΚΑΙ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΚΑΙ. ΠΑΛΙΝ. ΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΠΡΩΤΟΣ. ΑΝΘΡΟΠΩΝ. ΚΟΙΝΟΝΙΑΣ
ΕΝ. ΠΕΡΓΑΜΩ. ΑΝΔΡΩΝ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ . . . . . .

T. Flauius Artemidori filius; & Trina, Artemidorus Adanaeus & Antiochensis qui vicit certamen Magnorum Capitolinorum, primo actum virorum Pancratium, Olympia bis, Pythia bis, Nemea bis. Neapoli virorum Pancratium. Commune Asiae adolescentum Pancratium. Et sequenti Quinquennio luctam & Pancratium. Et iterum virorum Pancratium. primus commune Pergami virorum Pancratium. Confirmat quae de Pergamenis in Augusti honorem dicta sunt. Et Pythia Neapoli celebrata fuisse, testis lapis Graecus est in aedibus Ioannis Francisci Ristaldi iurisconsultissimi, in ijs locis effossus in quibus Neapolis maximè vigebat, in quo haec leguntur,

ΖΩΙΛΟΣ. ΖΩΙΛΟΥ
ΠΥΘΙΑ. ΝΙΚΙΣΑΣ. ΘΕΟΙΣ.

Zoilus Zoili filius victor in Pythijs Dijs sacrauit. Et Neapolitanos Graecos omnibus in Graecorum ludis sese exercuisse planè affirmare possumus, cùm maximè de athleticis loquimur agonibus.

Ad Athletas refertur Pancratium, qui licet pluribus certaminum generibus contenderint vt robur & celeritatem compararent, quinque tamen praecipuis certarunt, lucta, pugilatu, cursu, saltu, & disco, vndè luctatores, pugiles, cursores, saltatores, discoboli nuncupabantur. Quod fusiùs digerit Hieronymus Mercurialis in Gymnicis. Sed Stratonem Alexandrinum scribit Pausanias, de Pancratio & lucta fuisse coronatum. *Pancratium multos ludos continebat.*

Aliquandò & lucta & pugilatu Pancratiasta dicebatur, & qui toto corpore certaret, vt idem auctor scribit in Eliacis. Qui verò cunctis quinque ludis certabat, vocabatur Pentathlus, & Romano vocabulo, Quinquertio. De quibus sic Aristoteles; Ἀγωνιστικὴ δὲ σώματος ἀρετὴ σύγκειται ἐκ μεγέθους καὶ ἰσχύος καὶ τάχους, καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν, ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη καὶ ῥιπτεῖν πῶς καὶ κινεῖν ταχὺ καὶ πόῤῥω δρομικός. ὁ δὲ θλίβειν, καὶ κατέχειν, παλαιστικὸς, ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πυκτικὸς. ὁ δὲ ἀμφοτέροις τούτοις, παγκρατιαστικὸς, ὁ δὲ πᾶσι τούτοις, πένταθλος; *Agonistica autem corporis virtus ex magnitudine, & robore, & celeritate proponitur; nam & celer, fortis est. qui enim quodammodo crura proijcere, & velociter, ac longè mouere potest, Cursor; qui comprimere & continere, Luctator; qui percussione impellere, Pugil; qui autem vtrisque his, Pancratiastes; qui verò omnibus his, Quinquertio est.* Et si Quinquertiones apud Liuium Andronicum Athletas significare scribat Festus, à quo etiam Perihodon vicisse dicebatur qui in præcipuis quinque Græcorum ludis vicisset, accepto nomine à circuitu eorum spectaculorum. Locus vbi pugilum & luctatorum pugnæ exercebantur, Pancratium appellabatur; & censuit Vlpianus ad legem Aquiliam, illum qui dùm exercetur in colluctatione, vel Pancratio, vel pugilatu aliquem occidit, vel oppressit, Aquilia teneri.

lib. 1. Rhet. c. 5.

Quinquertio.

Cursor. Luctator. Pugil. Pancratiastes

Perihodos.

Pausanias lib. 5. Eliacorum cùm διαύλους meminisset (erat inter Græcos ludos) qui erat duplicati stadij cursus, & ex Oleastro corona victoribus dabatur, mox Quinquertij meminit, atque quo tempore fuerit institutum; ἐπὶ δὲ τῆς ὀγδόης καὶ δεκάτης Ὀλυμπιάδος πεντάθλου καὶ πάλης ἀφίκοντο ἐς μνήμην; *A decima octaua Olympiade quæ iam exoleuerant certamina Quinquertij & luctæ restituta sunt.*

Laudat prætereà Dromeum patria Mantinensem quòd primus sine puluere Pancratij palmam tulerit, & Theogenem qui huiusmodi etiam vicerit ea quæ sequuta est Olympiade. Autolycum item & Hermolycum laudat Pancratiastas in Atticis; & in Corinthiacis Granianum Sicyonium qui in Olympicis palmas

Dromeus.

Autolycus. Hermolycus. Granianus.

palmas tulerit de Quinquertio duas, de Stadio vnam, de iterato Stadio (Diaulo scilicet) duplicem. Vt autem Neapolitanæ Statuæ nexum & complicationem in duobus luctantibus cognoscamus, quantumq. laboris Athletæ in Pancratio pertulerint, sculpturam nobilissimam ab ipso Pausania in Arcadicis explicatam, & in foro Phigalensium positam videndam & considerandam obijcio. Statua hæc Arrachionis erat Pancratiastæ, cuius pedes modico distabant interuallo, manus lateribus hærebant, & ad coxendices demissæ erant, cui etiam erat adscriptum elogium; at vetustas aboleuerat. En tibi ad viuum Pancratij pugnam; Ὁ μὲν προέλαβεν ὅστις δὴ ἀνταγωνιζόμενος καὶ τοῖς ποσὶ τὸν Ἀρραχίονα εἶχεν ἐζωκώς, καὶ τὸν τράχηλον ἐπίεζεν ἅμα αὐτοῦ ταῖς χερσίν. ὁ δὲ Ἀρραχίων τε τὴν ψυχὴν ἀφίησιν ἀγχόμενος, καὶ ὁ ἄγχων τὸν Ἀρραχίονα ὑπὸ τοῦ δακτύλου τῆς ὀδύνης κατὰ τὸν καιρὸν ἀπαγορεύει τὸν αὐτόν; *Ille eodem impetu & pedibus præuentum Arrachionem incinxit, & manibus collum obstrinxit. Eius digitum Arrachion pedis infregit; & dùm strangulatus iàm animam ageret, præ digiti dolore, aduersarius eodem temporis momento corruit.* Nonne nostrum lapidem oculis videtur subijcere? Ex digitorum robore à Pugilibus Pancratiastæ differebant, nàm illi pugnis strictis, hi verò digitis inflexis pugnabant. Idq. Galenus explicauit; εἰ δὲ ἕκαστος τῶν δακτύλων καμφθῇ, τὸ σχῆμα τῆς χειρὸς, γένοιτο μάλιστα τοῖς ἐν Παγκρατίῳ προτετακόσιν αὐτὴν ὅμοιον; *Sin autem vnusquisque digitus flectatur, manus figura ijs maximè similis euadet qui ipsam in Pancratio protenderint.* Idcircò difficile certamen habetur, & παμμάχιον vocatum. sic Propertius,

Arrbachion. *Pancratij simulacrum.* *lib. 1. de motu musc.*

Et patitur duro vulnera Pancratio.

Et Panetius apud Agellium; *Ad ea cauenda* (inquit) *atque declinanda* (de vitandis periculis loquitur) *perindè esse oportet animo semper prompto, vt sunt Athletarum, qui Pancratiastæ vocantur. Nam sicuti illi ad certandum vocati, proiectis altè brachijs consistunt, caputq. & os suum manibus oppositis quasi vallo præmuniunt, membraq. eorũ omnia, priusquàm pugna mota est, aut ad vitãdos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata, sic* &c. *lib. 13. c. 26.*

Plerique

Pancratium duplex.

Plerique duplex constituere Pancratium, alterum ex lucta & pugilatu; alterum, Volutatorium, & luctæ species erat. Neque stantes certabant, sed prosternebantur humi, atque inuicem complicabantur, & alter alterum sibi supponere nitebatur; cuiusmodi nostrum simulacrum. Ad hos ludos allusit Martialis,

Non amo qui vincit, sed qui succumbere nouit,
Et didicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

Nisi malueris exponere, ἀνακλινοπάλην, *reflexionem* qua Palæstritæ reducto pectore aduersarium retrahebat, & illius ictus deuitabant. Tortuosos illos Pancratiastarum motus Græci ἀναμίγνυσιν καὶ συμπλοκὴν dixere. D. Ambrosius *ligaturam* est interpretratus. *Nexus*, vocat Lucanus in lucta Herculis cum Antheo. Obscœnas tamen complicationes Virga Gymnasiarcha dissoluebat, vt in Theatro referemus. Papinius patriarum rerum gnarus Agyllei cum Tydeo luctam describit, & Pancratium perbellè proponit,

Gymnasiarcha obscœnos motus coercebat.

Circuit errantem, & tergo, nec opinus inhæret,
Mox latus, & firmo celer implicat ilia nexu
Poplitibus genua indè premens euadere nodos
Nequicquàm, & lateri dextram insertare parantem
Improbus horrendum visu ac miserabile pondus
Sustulit ———

Catenatas palæstras, dixit Epicedio in Glauciam Melioris,
Siue catenatis curuatus membra Palæstris
Staret Amyclæa conceptum matre putares.

Pancratiastam cunctorum ludorum, & cœteros Gymnasij ministros notat antiquus lapis Romæ in Foro Traiani, in quo legitur Demetrius Hermopolites Pancratij peritus; omnis luctæ victor; luctator admirabilis, indefessus; Princeps vniuersæ palæstræ; ad vitam palæstræ præfectus; & pater à Balneis Augusti. Habes ibi ἀρχιερέα τοῦ σύμπαντος ξυστοῦ, & ξυστάρχην. Quæ plurimùm lucis ad Gymnicos Neapolitanorum ludos poterunt afferre, & ad ea quæ infrà de Gymnasijs dicentur.

LVDI

LVDI AVGVSTALES.

Augustales ludos, siue Augustea, & Sebasta certamina habuisse Neapolitanos, & Pios in Antonini honorem Puteolanos, qui cùm esset ab Adriano adoptatus, Pij nomen consequutus est, lapis Romæ in ædibus Cardinalis Farnesij declarat. Integrum in antiquarum inscriptionum Auctario videre licet; huc tantùm retuli quæ ad nos faciunt, *Augustea & Sebasta certamina.*

ΝΕΙΚΗΣΑΣ. ΑΓΩΝΑΣ. ΤΟΥΣ. ΥΠΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΥΣ
ΠΑΝΤΑΣ. ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΤΑ. ΕΝ. ΠΕΙΣΗ. &c.
ΕΥΣΕΒΙΑ. ΕΝ. ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ. ΔΙΣ. ΤΟ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ
ΜΕΤΑ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ. ΚΛΗΡΟΝ. ΣΤΗΣΑΣ. ΤΟΥΣ
ΑΝΤΑΓΩΝΙΣΤΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΑ. ΕΝ. ΝΕΑΠΟΛΙ.

& quæ sequuntur. Quinquennales fortasse hos ludos arbitraris? Audi Cornelium Tacitum; *Inter quæ Tribuni plebeij petiuere vt proprio sumptu ederent ludos qui de nomine Augusti Fastis additi, Augustales vocarentur. Sed decreta pecunia ex ærario, vtq. per Circum triumphali veste vterentur. Curru vehi haud permissum.* *lib. 1.* Mox celebratio annua ad Prætorem translata. In Calendario veteri legitur, IV. ID. OCTOB. AVGVST. hoc est, *Augustalia*. Fortunæ Reduci vouerat Augustus ex Sicula peregrinatione, voluitq. τύχῃ τε ἐπαναγώγῳ βωμὸν ἱδρυθῆναι, καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἀφίξοιτο, ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι; Fortunæ Reduci Aram sacrari, & diem qua redierat in Fastis scribi, & Augustalia dici. *Fortuna Redux.* *Dio lib. 54.* Tantum abest vt cum Quinquennalibus coniungantur. A Senatu posteà ludi instituti sunt octennio posteriùs Aelio Tuberone, & Paulo Fabio Coss. Fortasè id à Suida dicitur, idibus Octobris Præfectos Regionum, & Augusti obseruatores saltare solitos. Non tamen Augustales appellandi sunt ij ludi quos die natali Augusti celebrabant in Circo. Tacitus eodem libro sic scribit, *Ludos Augustales tunc primùm cœptos turbauit discordia & certamine histrionum* (de Tiberio loquitur) *Indulserat ei ludicro Augustus*

dum

dum Mæcenati obtemperaret effuso in amorem Batylli. Neque ipse abhorrebat à talibus studijs, & ciuile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Alia Tiberio morum via. Locus superiori contradicit. De Tiberio ait; *Tunc primùm cœptos ludos*; qui tamen multos annos antè in Fastos erant adscripti. Lipsius lectionem emendat, *Ludos Augustales, tunc primum cœpta discordia.* Doctè.

LVDI EPHEBORVM.

Ephebeum. Pyrrhichia. Ephori. Bidiæi. Plataneutum.

Ephebonum cœtus quos Neapoli fuisse Strabo scribit, ad corporis exercitationē refero, cùm dicat Suetonius Augustum in insula Caprearum triduum ad ocium impendisse, & exercentes Ephebos assiduè spectasse, quorum adhuc aliqua copia ex veteri instituto Capreis erat. Et apud Vitruuiū Ephebeum ea Palæstræ pars dicitur, in qua sese Ephebi exercebant, vocabatur. Et in Nerone idem Suetonius; *Idem Pirrichias quasdam è numero Ephebonum.* Atque ea exercitatio tantæ auctoritatis erat in Græcia, vt à Pelleneis in Achaicis ad Remp. nemo admitteretur, nisi anteà puberum exercitationes obijsset. Et Pausanias in Laconicis scribit Lacedæmonios inter alios duos Magistratus habuisse, Ephoros, & Bidiæos. Ephoros grauioribus præfuisse negocijs, & Bidiæos curasse πλατανιςᾶ, & alia Ephebonum ludicra. ibidemq. paulò post regiunculam describit, Platanistus, appellatam. Campus scilicet is in quo Ephebi certabant, Euripo veluti insula mari circumfluus. Ad eum per pontem aditus patebat, & in altera pontium parte Herculis erat signum, in altera Licurgi effigies, qui non tantùm vniuersæ Reipublicæ leges tulerat, sed etiam Ephebonum exercitationibus & pugnis. Addidit item in Ephebeo antè pugnam pueros sacrificare solitos. Tùm Ephebonum classem caninum catulum Marti Euyalio mactasse, fortissimo nempè Deorum; & inter Colophonios & Spartanos illud præcipuè conuenisse, vt inter Ephebos sacra fierent, in quibus ad pugnam apros duos irritarent, atque vsu euenisse vt vtrius classis aper victor discesserit, & de iuuenum ludis in Plataneto palmam abstulerit. Postero die

die solitos esse pueros antè meridiem per pontes in Circum Euripo circundatum transire, & superiore nocte qua aditus parte alterum agmen esset ingressurum, sorte fuisse permissum. Pugnasse verò huiusmodi vt infestis manibus & calcibus insultarent, morsibus etiam fœdarent corpora, atque oculos plerumque sibi inuicem eruerent. Binos congredi solitos, confertim deindè iunctis agminibus vnam alteram aciem in aquam detrudere consueuisse. Ephebeum, Dromumq. locum appellabant, in quo etiam Gymnasia erant; De Dromo idem auctor; Dromus.
καλοῦσι δὲ Λακεδαιμόνιοι Δρόμον. ἔνθα τοῖς νέοις καὶ ἐφ' ἡμῶν ἔτι δρόμου μελέτη καθέστηκεν; *Est apud eosdem Dromus dictus. qui locus mea quoque ætate adolescentibus ad cursus meditationes est attributus.* Hinc Chorus, & Gymnopedia. Sic enim; χορὸς δὲ τοῦτος ὁ τόπος καλεῖται πᾶς, ὅτι ἐν ταῖς γυμνοπαιδίαις (ἑορτὴ δὲ εἴτις ἄλλη καὶ αἱ γυμνοπαιδίαι διὰ σπουδῆς Λακεδαιμονίοις εἰσιν) ἐν ταύταις οὖν οἱ ἔφηβοι χορὸς ἱστᾶσι τῷ Ἀπόλλωνι; *Chorus autem tota ea Fori pars dicitur ob eam causam quod Gymnicis puerorum ludis (Gymnopædias ipsi vocant) qui maximè sollemnes sunt, puberes Apollini Choros agitant.* Nec procul à Therapne Ephebeum esse dicit, & in eo Castorum delubrum, vt huiusmodi etiã Neapoli ædificatum conijciamus. A Sparta Arcadiam versus Achillis Fanum positum erat, quod recludi relligio erat; at puberibus omnibus quicunque ad Platanetum pugnaturi descendebãt, sollemne erat antè pugnam Achilli rem diuinam facere. Chori.
Alia pueris de cursu & lucta proposita fuere premia septima & tricesima Olympiade apud Eleos, cùm nulla certamina puerorum anteà instituerint, vt idem Pausanias scribit asserens Phidiæ ætate nulla puerorum ludicra fuisse instituta; & Cratinum Achæum omnium ea ætate fortissimum, cùm luctandi arte omnes vicisset, pueris in palæstra deiectis obtinuisse ab Eleis vt exercitationis Magister statueretur; & Lysandrum Ephesium pugilem de puerorum certamine victoriam consequutum, & Gnathonem Dipæensem, & Lycinum Eleum puerorum pugilatu victores ex Olympia discessisse; quibus addit Euanoridem Eleum, puerilis luctæ Olympiæ & Nemeæ victoriã esse adeptũ. Puerorum premia. Victores ephaborum.

Maximè tamen extollit Rhodium palæſtritam, qui cùm tener admodum Pancratium puerile iniſſet Olympiæ, amiſſa ob ætatis imbecillitatem palma, mox in Ioniam ad Smyrnæos venit. tantùm verò roboris ei acceſſerat vt eodē die,& quos in Olympia aduerſarios habuerat,& in puerili ludicro, & tertio loco virorum quemque optimum Pancratio ſuperarit; vbi his verbis vtitur, παγκρατιάζοντι ἐν παισίν; & paulò poſt; καὶ ἐπὶ τοῖς παισίν, ὡς ἀγενείους καλοῦσι. Equeſtre item commemorat puerorum curſum,& id eſſe duo iterata curricula ſcribit, quem currendi morē Nemiacis,& Iſthmiacis ludis intermiſſum reſtituit Adrianus Imperator. Quamobrem non ad libidinem vt malè ſenſerunt aliqui, ſed ad luctæ,pugilatus,pancratij, aliorumq. ludicrorum certamina Ephebos traducamus neceſſe eſt. & explodendi ij ſunt qui Chalcidenſium amores ex Plutarcho in Diſputatione amatoria huc transferunt, apud quos canebatur,

Veneres pueri patreſq. ſortiti bonos
Formæ ne conſuetudinem abnuite probis.
Nam fortitudo & amor per Chalcidenſium
Viget vrbes ———

Quod ſi virtutis exercitatio illa nō fuiſſet,non eſſent ab Ariſtodemo, qui effeminato animo erat, adepta Cumanorū tyrannide,Gymnaſia & Ephebi ſublati,vt ſcribit lib.7.Halicarnaſſeus.

Non tamen negabo Ephebiam apud Machabæos reprehenſam,quam more Gentilium Hebræi introduxerant. Aliqui ἐφηβ-τήρια & Ephebia, non lupanaria, ſed popinas & ganeas intelligunt Neroniano Gymnaſio adiunctas,in quibus illum cantaſſe refert Philoſtratus.Alij cellas Epheborum arbitrãtur,in quibus commorantes legibus Athleticis viuebant, & vnguentis vacabant ad comparandū robur. Alij eum locum eſſe dicunt quem veteres τὸ παρασίτιον dixere, in quo primitias ſacri frumenti Gymnicorum ſumptibus recondebant ludorum Curatores, excipiendis epulis ijs qui in Paraſitorum Herculis numerū eſſent adſciti, de quibus lib.6.loquitur Athenæus. Libidinoſæ Ephebiæ exemplum à Bongijs apud Indos, quæ tamen Euangelicæ prædicationis cultu eſt antiquata. Neapoli Ephebeum Gymnaſio

nasio quoque fuisse coniunctum, animaduerti ex Strabone; πλῆστα δὲ ἴχνη Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐν ταῦτα σώζεται γυμνασιά τε καὶ ἐφηβιακὰ φρατρία, καὶ ὀνόματα; *Ritus, & educationis Graecorum hoc in loco plurima seruantur, Gymnasia, Ephebeorum coetus*; Et quae sequuntur. *lib. 5.*

LVDVS LAMPADODRONICVS. ἐλλαίτια.

In Callimacho (Siculum Timacum citat Rhodiginus) Diotimus Atheniēsium classis praefectus, bellum cum Siculis gerens, Neapolim ad Parthenopes oraculum venit, & peractis sacris, festum indixit, in quo iuuenes ardentibus facibus concurrerent antiquo Atheniensium more, quem profecto memoria dignum effecerunt Neapolitani nummi in quibus huiusmodi fax depicta est, *lib. 11. cap. 7.* *Diotimus Dux Atheniensium.*





















& Lycophron qui de Neapoli loquens, ait,

Οὗ σῆμα δωμήσαντες ἔγχωροι κόρης
Λοιβαῖσι καὶ θύσθλοισι Παρθενόπην βοῶν
Ἔτεια κυδανοῦσιν οἰωνὸν θεάν.

Vbi templum indigenæ extruentes puellæ
Libaminibus Parthenopen ex sacrificijs boum
Quotannis honorabant volucrem Deam.

Vt iam tùm ab initio scias Sirenis imagine pennata Parthenopem à Neapolitanis fuisse cultam. Deindè Diotimum celebrat qui sacrificium eo pacto quo in Ceramico ab Atheniensibus institutum fuit, ediderat, & aliarum Sirenum Parthenopem sororem facit,

Πρώτη δὲ καὶ ποτ᾽ ἄνθι συγγόνων θεᾷ
Κραίνων ἁπάσης μόψοπος ναυαρχίας
Πλωτῆρσι λαμπαδοῦχον ἐντυνεῖ δρόμον
Χρησμοῖς πιθήσας. ὅν ποτ᾽ αὐξήσει λεὼς
Νεαπολιτῶν. οἳ παρ᾽ ἄκλυστον σκέπας
Ὅρμων Μισηνοῦ στύφλα νάσσονται κλιτη,

Prima porrò quondam sororum Deæ
Imperator totius Atticæ classis
Vectoribus Lampadiferum instituit cursum
Oraculis obtemperans; quem augebit populus
Neapolitæ, qui propè tranquillum tegmen
Miseni portuum saxosa habitabit promontoria.

Græci, Ἀγῶνας λαμπαδοῦχους, id vocabant ludicrum; & Ἑλλώτια, dictum ab Hellotide Virgine. Pindari Scholiastes in illud in Olympicis,

——— τρία μὲν
ἔργα ποδαρκὴς ἁμέρα θῆκε κάλλιστ᾽ ἀμφὶ κόμαις
Ἑλλώτια δ᾽ ἑπτάκις ———

Tria certamina celeripes dies
Posuit pulcherrimas circùm comas,
Hellotia autem septies vicit,

scribit, nomen hoc habuisse Mineruam ab ea quæ est in Marathone, palude, in qua colitur. Et festum diem Mineruæ celebratum


tum in Corintho, in quo etiam certamen fiebat, λαμπαδοδρομικὸς appellatū,in quo currebant iuuenes Lampades habentes. Id festum tunc primum celebrari cœptum,cùm Bellorophontis equo Dea fræna imposuit,atque eum interfecit. Vel quoniam Dorienses cum Heraclidis inuadentes Peloponnesum, Corinthum subiecere, igni eam vrbem tradentes. Quamobrem mulieribus in deprædatione fugientibus, quædam ipsarum vnà cum Eurithione & Hellotide in Mineruæ ingressæ templum, periculum effugere sibi persuaserunt. Quod cùm accepissent Dorienses,contrà eas ignem miserunt.Equidem aliæ effugerūt. Sed Eurithione & Hellotis sorores existentes in campo, combustæ sunt. Peste verò incidente, non priùs morbum defecturum dixit oraculum,quàm placarent Virginum animas,& Hellotidis Mineruæ templum conderent, & festum Hellotia publicarent.Cur igitur hac de causa Mineruæ quoque habuisse templum Neapolitanos non existimabimus? Et cur virginis Parthenopis animam hisce ludis placari potuisse ob deserta pestis labe loca, conijcere non licebit?

Lampadodromici occasio.

Ludi speciem sic proponit Pausanias in Atticis; Ἐν Ἀκαδημίᾳ δέ ἐστι Προμηθέως βωμός. καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. τὸ δὲ ἀγώνισμα, ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾷδα ἔτι καιομένην ἐστίν. ἀποσβεσθείσης δὲ οὐδὲν ἔτι τῆς νίκης τῷ πρώτῳ, δευτέρῳ δὲ ἀντ' αὐτοῦ μέτεστιν. εἰ δὲ μηδὲ τούτῳ καίοιτο, ὁ τρίτος ἐστὶν ὁ κρατῶν. εἰ δὲ καὶ πᾶσιν ἀποσβεσθείη, οὐδείς ἐστιν ὅτῳ καταλείπεται ἡ νίκη; *In Academia Promethei ara est, à qua homines in vrbem accensas lampades proferentes decurrunt. In eo enim certamen est,vt in cursu accensæ conseruentur. Cuius enim fax extincta fuerit, is victoria successori cedit; eademq. ratione ille tertiò. Quod si nulli ardentem perferre licitum fuerit, palma in medio relinquitur.* Quæ his verbis videtur velle elucidare; Certaminis lex erat toto cursu inextinctam seruasse facem. Si quidem cùm flamma perit primò, & victoriæ spes. Præstò autem secundus est; cui si itidem extinguatur, eo deiecto subit tertius, ac ità deinceps. Nemini prorsum victoria relicta, si omnibus lampadum interextincta flamma euanuerit.

Lampadum certaminis ratio.

Higinus



Lampadum iactatio. Higinus ex Promethei consuetudine factum scribit, vt cursores in Palæstra lampada iactarent quam primus cursu defatigatus secundo integro tradebat. Meminit auctor ad Herennium, non illum in Palæstra qui tædas ardentes accipit celeriorem esse in *lib. 4.* cursu continuo, quàm sit ille qui tradit. Herodotus de Persarum cursoribus loquutus, subdidit alium alio mandata tradere solitos, quemadmodum apud Græcos fax traditur, quam Vulcano per vices ferre cursores perseuerant. Hunc ludum Plato ad hominum vitam transtulit. Sic enim scribit lib. 6. de Legibus; τικνοῦντες καὶ ἐκτρέφοντες παῖδας; καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντες ἄλλοις ἐξ ἄλλων; *Gignentes & alentes liberos, vitam* *Lampadum cursus refertur ad vitã.* *tanquã lampada alijs ex alijs tradentes.* Ideoq. Persius Saty. 6.

Qui prior es, cur me de cursu lampada poscis?

lib. 3. de re rust. Quò pertinet illud Varronis; *Sed o Merula, Axius noster dùm hæc audit, physicam addiscat, quòd de fructu nihil dixi; Cursu lampada tibi trado.* Quare & Lucretius,

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Neque tantùm vitæ cursum, sed etiam ciuium inertiam hoc adagio notarunt. Aristophanes in Ranis,

λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν;

Iam nemo queat gestare facem.

Quæ

Quæ de Prometheo & Vulcano diximus, confirmat Harpocratio qui in lexico decem Rhetorum ſcribit in dictione λαμπάς, Lyſiam ſcribere, Athenienſes tria ludicra Lampadum celebraſſe, Παναθηναίοις, καὶ Ηφαιστείοις, καὶ Προμηθείοις. Apud Pelleneos Liberi Patris templum eſt, quem λαμπτῆρα dicunt à luminibus. Diem feſtum Lampteriam dicarunt illatis noctu intrà ædem accenſis facibus, paſſimq. per vrbem diſpoſitis vini cadis. Aliud Facis feſtum illud eſt quod Argiui ad Hypermneſtræ honorem inuenerant. Conuenit illa cum Lynceo vt cùm Danai inſidias effugiens in tutum ſe locum recepiſſet, indè facem oſtenderet. Quod factum eſt dùm eſſet in oppido Lyrcea Lyncus de quinquaginta fratribus vnus necis periculo liberatus. idemq. fecit Hypermneſtra quæ à Lariſſa facem protulit, periculum euaſiſſe ſignificans. Ab Argiuis dies feſtus quotannis hac de cauſa celebratus, qui *Fax*, dicebatur. Ad ſuperiora Neapolis ludicra reieci Facem illam quæ in cippo marmoreo Figulorum eſt in Regione Nili. Nec ab ijs hac tempeſtate Neapolitani abhorrent qui Facium choreas, Bacchanalibus præſertim exercere ſolent. Habebant itaque facium Sacra cum Cerere, Lampadodronicum cum Parthenope, eademq. in palæſtra.

Tria Lampadum ludicra.

Lampteria.

Aliud Facis feſtum.

LVDI GLADIATORII.

Gladiatorij muneris teſtem habemus illuſtriſſimum, lapidem quem legiſſe memini, & citat Neapoli Lipſius, & Coloniam quoque Neapolitanam renouat.

L. EGNATIO. INVENTO. PATRI
L. EGNATII. POLLII. RVFI
HONORATI. EQVO. PVB.
AB. IMPERATORIBVS. ANTONINO. ET. VERO. AVG.
HIC. OBLITERATO MVNERIS. SPECTACVLO
IMPERATA. EDITIONE. AB. INDVLG. MAX. PRINCIPIS
DIEM. GLADIATORVM. ET. OMNEM. APPARATVM
PECVNIA. SVA. EDIDIT. COLONI. ET. INCOLAE
OB. MVNIFICENTIAM. EIVS
L. D. D. D.

Aliud

Aliud in D. Mariæ Liberæ,

M. BASSAEO. M. F. PAL. AXIO. PATRONO. COLONIAE
CVR. R. P. II. VIR. MVNIFI. PROC. AVG.
VIAE. OST. ET. CAMP. TRIB. MIL. LEG. XIII.
GEM. PROCOS. CALABRIAE
OMNIBVS. HONORIBVS. CAPVAE. FVN.
PATRONO. COL. LVPIENSIVM. PATR. MVNICIPI
HYDRENTINORVM. VNIVERSVS. ORDO. MVNICIPI
OB. REMP. BENE. AC. FIDELITER. GESTAM
HIC. PRIMVS. ET. SOLVS. VICTORES. CAMPANIAE
PRETIS. ET. AESTIM. PARIA
GLADIATORIA. EDIDIT
L. D. D. D.

Reliquus Neapoli vſus muneris fuit, qui à Franciſco Petrarcha ad Ioannem Columnam deſcribitur, qui ad Carbonariam emanauit. *Quid autem* (inquit) *miri eſt, ſi quid per vmbram noctis, nullo teſte petulantiùs audeant, cùm luce media inſpectantibus Regibus ac populo, infamis ille Gladiatorius ludus in vrbe Itala celebretur barbarica feritate? Vbi more pecudum ſanguis humanus funditur, & ſæpè plaudentibus inſanorum cuneis, ſub oculis miſerorum parentum infelices filij iugulantur, iuguloq. gladium cunctantiùs excepiſſe, infamia ſumma eſt, quaſi pro Republica, aut pro æternæ vitæ premijs certetur? Illuc ego pridem ignarus omnium ductus ſum ad locum vrbi contiguum, quem Carbonariam vocant, non indigno vocabulo, vbi ſcilicet ad mortis incudem cruentos fabros denigrat tantorum ſcelerum officina. Aderat Regina, & Andreas Regulus* &c. Quamobrem ingemuit,

Carbonaria ludi.

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.

Baldus etiam Neapoli Carbonariam refert, in qua ciuilia odia gladijs decernebantur. & miror Paridem de Puteo ſcripſiſſe monomachias illas emolumento Neapoli fuiſſe, quando inter milites & nobiles odia gladio extinguebātur, & pleroſque formidine pœnæ ceſſaſſe ab offenſis. Iudicum copiam aſtitiſſe affirmat;

affirmat; & Longobardorum fuisse institutum. Ibi hasti ludia postea fuisse instituta scribit, & domum habuisse Robertum Regem ad videnda spectacula. Mediolani locum describit Sigonius qui *Campi*, & *Carbonaria* dicebatur, in quo Landulfus Mediolanensis Archiepiscopus ab hostibus victus est; & in quo multos Gallos à Romanis deuictos fuisse asserit Gregorius Turonensis. Sigebertus ad Lotharingiam Carbonariam siluam esse dicit in qua prodere Hungaros Conradus Rex desiderabat anno 953. Quod si humanis gladiatoria spectacula prohibentur legibus, ait enim Constantinus in Codice, *Cruenta Spectacula, in ocio ciuili, & domestica quiete non placent, quapropter omnino Gladiatores esse prohibemus*; maximè etiam decuit μονομαχίας à Romana Ecclesia explodi. Theodoretus narrat sublatas esse ab Honorio Telemachi cuiusdam monachi occasione, qui Gladiatores Romæ pugnantes pio quodam ardore diducere conatus, à populo lapidibus obrutus fuit. Neque hoc tempore precibus illis opus est à Prudentio explicatis,

libro 7. de Regn. Ital.

Monomachia explodi tur.

Quod genus & sceleris iam nesciat aurea Roma
Te precor Ausonij dux augustissime Regni
Et tam triste sacrum iubeas, vt cetera, tolli.

DE THEATRO NEAPOLITANO.
Cap. XVI.



ARVA Neapolitani Theatri vestigia seruantur apud Iulij Cæsaris Iannetasij domum; sed Senecæ, Suetonij, Taciti, & Papinij testimonia ob oculos ponunt. Seneca huius modi describit; *Quotiens scholam intraui præter ipsum Theatrum Neapolitanum (vt scis) transeundum est Metronactis petentibus domum. Illud quidem Sartum est; & hoc ingenti studio quis sit Pythaules bonus iudicatur. Habet tibicen quoque Græcus & præco concursum. At in loco*

Schola, & Theatrum.

in quo vir bonus discitur, paucissimi sedent, & hi plerisque videntur nihil boni negocij habere quod agant, inepti, & inertes vocantur. Habes itaque Scholam & Theatrum, fines ad Metronactis ædes, Neapolitanam desidiam, plures enim ad tibicinem concurrebant, quàm ad Scholam in qua disciplinæ ediscebantur.

Pithaules. Quid verò Pithaules? Turnebus explicat, qui Pythaulas legit, & eorum ornamentum musicum ait dolium, quemadmodum Camptaularum (quorum meminit Vopiscus) imitabatur vtriculum;

Tibicen. eosq. tibicines esse qui Pythia canebant, nàm Higinus in Fabulis; *His quoque ludis Pythaulæ qui Pythia cantauerunt.* In epistolà ad Pisones Horatius,

------ *qui Pythia cantat*

Tibicen, dedicit priùs, extimuitq. magistrum.

Varro Triotide; *Priusquàm in Orchestra Pythaulis inflet tibias, domi suæ ramices rumpit.* Laudat Eleatherem Pausanias qui Pythiam palmam tulerit vocis causa. Huc fortasse idem respexit in pictura quadam apud Eleos; ἐν μέσῳ δὲ αὐτῶν ἀνὴρ ἑστηκὼς ἐπαυλεῖ, καθ' ὅτι ἐφ' ἡμῶν ἐπὶ τῷ ἅλματι αὐλεῖν τῶν πενθάθλων νομίζουσιν; *Inter eos tibicen eo ritu tibijs canens quo solent ætate nostra qui modos saltantibus præcinunt Quinquertionibus.*

Præcones. Pithaulæ verò, tibicines, & præcones, in theatro decertabant. Et Præcones omnibus in ludis silentium imperabant, & indicebant cursum, vt in Sophoclis Electra, deindè in Theatrum citharœdos & tibicines inducebant. Omnesque ludos tibicines habuisse scimus quòd Hyperides in oratione contrà Patroclem, Nemeadis tibicinæ meminit, quæ quoniam sic appellabatur ludorum nomine qui Magni erant, eius nomen Athenienses præteribant, vt auctor est Athe

lib. 13. næus. Consulendus autem Vitruuius est qui doceat quæ de Neapolitano theatro innuit Seneca, quod Sarctum erat, vbi ingenti studio iudicabatur quis bonus esset Pythaules; quippè maxima in huiusmodi theatris extruendis ratio habebatur, vt

Musica in theatris. per harmonicem ad augendam vocem essent ædificata. Mathematicis rationibus vasa proponit pro ratione magnitudinis theatri, vt sonitum inter se facere possent Diatesseron, & Diapente.

pente. Quæ omnia planè patefaciunt quàm fuerint Neapolitani Musices studiosi. Aliud indè prodit huius theatri testimonium. Suetonius enim scribit Neronem vt ostenderet quid cum Cap 20. Terpno Citharœdo profecisset in theatri nostri scena cantasse; Vbi ne cōcusso quidem motu terræ antè cantare destitit, quàm inchoatum absolueret νόμον. Ibidem sæpius, & complures cantauit dies. Tertio vtimur Taciti testimonio, qui labefactatum lib. 15. scribit theatrū cùm indè populus abijsset, quod Nero ad suam ipsius felicitatem reuocauit; atque per compositos cantus grates dijs celebrauit. atque tanta canendi ambitione captus est, vt cùm modulatas Alexandrinorum, qui Neapolim confluxerant, laudationes audiuisset, plures Alexandria euocauit se ità canentem non nisi Græcis placere posse, eosq. se & studijs suis dignos affirmans, cùm in Achaia Legati rogasſent vt super cœnam cantaret. Quamobrem ex eo theatro gloriam sibi comparaturum credidisse affirmat. Indè enim initium ferè vt transgressus in Achaiam, insignesq. & antiquitùs sacras coronas adeptus, maiore fama studia ciuium eliceret. Indè etiam contractum oppidanorum vulgus, è proximis Colonijs & Municipijs, quos eius fama acciuerat. Quare ob theatrum frequentissimam redditam esse Neapolim intelligimus, & sibi persuasisse Neronem, magnos honores Neapoli esse adeptum, ex antiquis sacrorum ritibus, in quibus coronas ipse acquisiuerat. Militum quoque manipulos theatrum complesse, idem Tacitus affirmat. Et cùm Neapolitano, Beneuentanum eo tempore habes Theatrum, vbi idem consedit ad munus gladiatorium visendum, quod celebre à Vatinio edebatur. Hinc fortasse huiusmodi numisma cernimus ob canendi victoriam,





Gallo. Romæ quoque Gallionis voce incitatus Citharœdico habitu fuit in theatro; sorteq. cum Citharœdis contendere voluit vt parem cum ijs sortiretur condicionem, sic enim Suetonius; In Ner. c. 21. *Nero nomen suum in albo Citharœdorum profitentium ascripsit, sorticula cum ceteris demissa in vrnam intrauit ordine suo, puta vt omnium par esset condicio*. At non tantum laudis, quantum dedecoris theatrum Neapolitanum accepit à Nerone qui Græcanica ibi voluptate vsus est. An verò ciuis hac de causa effectus? Quid de Archia obseruatum scribit Cicero in oratione quam pro ipso dixit? *Etenim cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditis gratuitò ciuitatem in Græcia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quòd scenicis artificibus largiri solebant, id huic summa ingenij prædito gloria noluisse?* Quartò testatur Statius,

> *Quid nunc magnificas species, cultusq. locorum*
> *Templaq. & innumeris spacia interstincta columnis,*
> *Et geminam molem nudi tectiq. Theatri,*
> *Et Capitolinis Quinquennia proxima lustris?*

Habes ex his testibus Theatrum. Sed ambigua dixit verba Statius, quid enim sibi vult, *Moles gemina nudi tectiq. theatri?* Gemina moles theatri. Explicat Lipsius in suo Amphitheatro, Nudum theatrum, arenam, siue caueam, & aream intelligi, quæ aperta est. Tectum theatrum illud esse quod porticibus continetur, quò spectatores se recipiebant ingruente pluuia. Tectum alio pacto theatrum non legi, nisi aliquo id artificio factum fuisset. Plinius Lib 19. c. 1. enim, Quinctum Catulum in theatris vmbram fecisse scribit, cùm Capitolium dedicaret, velis purpureis; de quo Valerius Vela in theatris. Maximus; *Quinctus Catulus Campanam luxuriam imitatus, primus spectantium consessum velorum vmbraculis texit.* Xyphilinus scribit vela purpurea fuisse, & in ijs medijs Neronem acu pictum, currum agitantem instar Solis, & circumpositas aureas stellas. Et Lentulus Spinther Apollinaribus ludis carbasina vela primus in theatra duxisse traditur. Et Suetonius de Caligula, *Ductis interdum in flagranti Sole velis, emitti quem-*

quemquam vetabat. Hinc Martialis de Hermogene fure,

Quamuis non modico caleant ſpectacula Sole,
Vela reducuntur cum venit Hermogenes.

Et Lucretius lib. 4.

Et vulgò faciunt id lutea, ruſaq. vela
Et ferruginea cum magnis intenta theatris
Per malos vulgata, trabeſq. trementia pendent. &c.

Spectatores quoque colore ferientibus radijs infectos adiungit. Nudum prætereà theatrum id fuit, in quo ſedebãt ſpectatores, & ſubſellia geminam molem conſtituerunt, quandò duo iuncta theatra Amphitheatrum efficiebãt; abſque tamen ſcena quæ in theatro erat. Dio; θέατρόν τι κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον, ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν προσερρήθη; *Theatrum quoque ad venationes aptum ædificauit; quod quia vndequaque habet ſedes, ſcenaq. caret, Amphitheatrum cognominatum eſt*. Sed ſi Senecæ verba animaduertemus cui Sartum theatrum eſt, quid nudam aream hac proferimus? Quid prætereà moles appellanda eſt nuda pars theatri? quam mole Caueam aëre circumfuſam, dicemus ædificatam? Dicerem ſanè, Neapolitanum theatrum huiuſmodi Amphitheatrum conſtituiſſe, vt vna pars cum Orcheſtra & Scena, theatrum efficeret, idq. ſartum ad Muſices numeros; altera nuda Amphitheatri caueam oſtenderet; atque huiuſmodi, nudum, tectumq. theatrum. Vt in theatro ludos à pace & ocio non alienos exercerent, Poëtices, Muſices, Rhetorices, Comœdiarum oblectamenta; Et in cauea venationes, ludos gladiatorios, & huiuſmodi cetera celebrarent. Sed ſi aliquem offendat quod Statius Amphitheatri mentionem non fecit; omnem offenſionem depellat eius vocis ratio, confunduntur enim theatrum, & amphitheatrum. Scimus etiam Geminum theatrum amphitheatrum dici in Oui ſpeciem, ait enim Calpurnius,


Et geminis medium ſe molibus alligat ouum.

Sunt qui de Amphitheatro Neapolitano ambigant, gladiatorum & ferarum loco in ea vrbe Cupidines Venereſq. pugnaſſe contendentes; ſed in memoriam reuocent Cumanas Baianaſq.

volup-

voluptates Amphitheatrorum ſpectaculis non fuiſſe deperditas; quod gladiatoria munera in noſtris lapidibus nos docent. Et huiuſmodi ludos Græcorum fuiſſe proprios,& ab Athenienſibus ortos, teſtatur Caſſiodorus qui lib.5.ep.42.ſcribit, *Hunc ludum crudelem Athenienſes primum ad ciuitatis ſuæ perduxere culturam,iuſtitia permittente diuina*. Et Lucianus Beſtiarios Athenis datos confirmat: præter Ariſtidis teſtimonium in Panathenaico.

DE CIRCO NEAPOLITANO. Cap. XVII.



CVM Theatro Circum coniungit Statius,

------ certè laſciuia cordi
Nulla,nec aut rapidi mulcent te prœlia Circi,
Aut intrat ſenſus clamoſi turba Theatri

de Neapoli loquitur.Gyrum etiam nominat,

----- vbi marmore picto
Candida purpureo diſtinguitur area gyro.

Et alibi de patre loquens,

------ non toties victorem Caſtora gyrò
Nec fratrem ceſtu virides plauſere Terapne.

Quapropter ad Caſtoris ædem Circus erat. Gyri vocem Circo conuenire,verba Suetonij in Iulio declarant; *Circenſibus ſpacio Circi ab vtraque parte producto & in gyrum Euripo addito* &c. & Tibullus Panegyrico ad Meſſalam,

Seu libeat curuo melius contendere gyro.

Colores in Circo. Quod ad colores ſpectat, vel illud innuit quod à Caſſiodoro ſcriptum eſt; *Biſſena oſtia ad xij. ſigna in Circo poſita, & colores inuicem temporum quadrifaria diuiſione fuſos, Praſinum virenti Verno; Venetum, nubilæ hyemi; Roſeum Aeſtati flammeæ; Album, pruinoſo Autumno dicatum*. Vel potius illud Lib.2. Sidonij Apollinaris ad Domicium; *Neque per ſcopulos Aethiopicos,*

picos,& abrupta purpurea gemino furata Conchylio sparsa mihi saxa furfurem mentiuntur. Plinius, ramentis lapidis candidi Circum sterni solitum scribit. Nero Chrysocolla arenam sparsit. Caligula, minio & Chrysocolla, auctore Suetonio. Heliogabalus pauimentum scobe auri, & argenti ornauit, dolens quod non posset Electri, vt ait Lampridius. lib. 36.

Circo præterea nunquam Græci caruere. Huiusmodi ædificia Constantini. Alij opinantur Seueri. Manasses in Politicis (mihi nouus auctor) citatur à Bulengero in Circo;

Τοῦτον ἀκούω δ' ἐρίμασθαι λουτρὸν τὸ τοῦ Ζευξίππου
Τὸ μέγα καὶ περίπυστον τῆς Βυζαντίδος θαῦμα
Καὶ τοῦτο δὴ τὸ θέατρον τῆς ψυχαγωγίας
Τὸ πόλεις ὅλας ἱκανὸν στέγειν καὶ γυναρχίαν
Ἐν ᾧ πρὸς τέρψιν θέουσιν ἁμιλλητῆρες ἵπποι.
Hunc audio extruxisse Balneas Zeuxippi
Ex magnis & celeberrimis Byzantij miraculis,
Et hoc Theatrum oblectationis
Quod integras vrbes & earum familias continere potest,
In quo ad lætitiam currunt equi certatores.

Ex cursu Theatri nomine Circum intelligit. Et theatrum quoque Circum appellatum fuisse quis ignorat? Doceant id in Circo Amphitheatrales ludi. Qui tamen ἱππόδρομος dictus est. Et is qui Romæ à Plutarcho dicitur μέγιστος τῶν ἱπποδρόμων. Cedrenus in Seuero, ait cum Imperatorẽ Zeusippum Balneum Byzantij condidisse, Circum inchoasse, sed venationem & theatrum ædificasse.

Sed quis nam luculentior testis quàm Castor & Pollux? aut imagines quæ in eorum templo cernuntur, quas quoniam in vehiculis thensarum non conspicimus, in tympano sculptus contemplamur. Si quidem in Circi pompa, non modo thensæ, Victoriolæ, & alia ornamenta inducebãtur, de quibus Ouidius, lib. 3. amor. eleg. 2.

Sed iam pompa venit, linguisq. animisq. fauete,
Tempus adest plausus, aurea pompa venit.

& thensarum vehicula quibus exuuiæ Deorum in Circum ferebantur ex ebore erant & argento, vt ait Festus ex Sinnio Capitone, Exuuiæ vehebantur in Circu.

pitone, & Titinnio in Barbato, thensasq. dicit Asconius à diuinitate dici, δφέτον Glossæ appellant; sed etiam Imagines Deorum Neptuni, Martis, Apollinis, Dianæ, Mineruæ, Cereris, Bacchi, Pollucis, Castoris,

Deorum Imagines.

Plaudite Neptuno nimium qui creditis vndis,
Plaude tuo Marti miles, nos odimus arma,
Auguribus Phebus, Phebe venantibus adsis,
Artifices in te verte Minerua manus.
Agricolæ Cereri, teneroq. assurgite Baccho,
Pollucem pugiles, Castora placet eques.

quæ omnes imagines in Castoris æde cernerentur ni diruta vetustate fuisset. Nihil à Græcorum more alienum. Scribit Pausanias in Phocicis, Lacedæmonios Atheniensibus superatis, Castores, Iouem, Dianam, Apollinem, & cum his Neptunum dicasse. Colebatur Neptunus in Circo, veluti Venus in theatro, Mercurius in palæstra, Minerua in Gymnasijs, Mars in arenis inquit Arnobius. Tertullianus tamen ait Gymnicas artes Castorum, & Herculum, & Mercuriorum disciplina prodijsse. Sed præcipuè Circenses ludi Neptuno dicabantur. Consus hic dicebatur, cui Deo Romulus Consualia, & in Circo aram posuit ob Sabinas raptas. Ara subterranea erat, propterea quòd Neptunus terram possidet; sed cùm ludicrum in Circo dabatur, in lucem exibat. Hæc notatur inscriptio à Tertulliano, CONSVS CONSILIO, MARS DVELLO, LARES COMITIO POTENTES. Sed Castori, Polluci, Soli, & Pollentiæ (quæ Potentiæ) pluribusq. alijs Circus sacer erat, vt ait Isidorus. Idemq. ex Varrone, Neptuno Equestri, Castori, & Polluci, Ioui, Marti, & maximo Deorum Vertumno equos Circensibus fuisse consecratos scribit. Quid dilucidiùs expectas? Vertumnos in angulis conspicies, caudarum voluminibus doctissimè effictos. Cicero Vertumnum Circo adijcit Castoremq. Sunt qui Vertumnum in illa æde, ad aquæ referant elementum. Nam in quatuor elementorum honorem ludicrum Equestre, & in Festum Solis, vt ait Cedrinus in Chronicis à Bulengero citatis, fiebat; Καὶ ἐπετέλεσε πρῶτος ἱπποδρομίαν ἐν Ῥώμῃ (de Romulo loquitur) εἰς ἑορτὴν

Neptunus in Circo. lib. 3. Consus. Consualia. Pollentia. lib 18. Vertumnus. Quatuor elementa.

τλώ φασι τῦ ἡλίυ, καὶ εἰ τιμλώ τῶν τεσσάρων στοιχείων. Et quatuor ibi cernes elementa, ignem in Vesta, aërem in Ioue, terram in Cerere, aquam in Vertumno; tùm etiam Apollinem cum tripode. Sed Deorum illam seriem in Circensibus numerat Halicarnasseus, qui & Græcis eius rei gloriam tribuit; scribitq. finito equestri certamine, eos qui iuxtà aurigas eodem curru vehebantur, quos Poëtæ προβάτας, vel, παραβάτας, Athenienses ἀποβάτας dicunt, de curru desilientes, in Stadio inter sese certasse, & peracto equestri cursu, Athletas, Cursores, Pugiles, & Luctatores stadium ingredi solitos. Quamobrem quàm benè Circum Neapoli ostendit Pancratium? Optimè Decursio in nummis. Omnemq. dubitationem tollit Stadium. Statius, *lib. 2. Silu.*

Cum Stadio iam pigra quies canusq. sederet
Puluis ad Ambracius conuersa gymnade frondes
Trans gentile fretum ------

Magis Circo Castor & Pollux egebant quàm Theatro; nam si ludi Equestres in curriculo agitabantur, Pugiles quoque erant in Circo, vt ait Liuius; *Tunc primùm Circo qui nunc Maximus dicitur locus designatus est, loca diuisa Patribus Equitibusq. vbi spectacula sibi quisque facerent, Fori appellati, spectauere furus duodenos ab terra spectacula alta substinentibus pedes. Ludicrum fuit Equi, pugilesq. ex Etruria maximè acciti sollemnes. Deindè annui mansere ludi, Magniq. variè appellati.* *lib. 1.* En tibi Circensis ædificij humilitatem, quæ ad tantam amplitudinem aucta est vt etiam colorum luxum propagarit. Ipsa etiam ludorum ratio postulat, quippe ludi publici Cauea & Circo diuiduntur, vt inquit Cicero; & Pollux ὀνομας. τῶν ἀγώνων, οἱ μὲν Γυμναστικοὶ, οἱ δὲ καλέμενοι Σκενικοὶ. χορία δὲ τῶν μὲν Σταδίων τ͂ δὲ θεάτρον; *Agonum, alij Gymnici, alij Scenici. Loca ludis, Stadium, & Theatrum.* *lib. 2. de leg. lib. 3. Cauea, & Circus.*

At præcipuum Circi argumentum Tripos, qui in eodem tympano cernitur. Et Constantinus in Circo non modò Tripodes Delphicos statuit, sed & Tripodem illum nobilem qui Mardonio victo à Græcis Apollini consecratus est. Zosimus de Διοσκύρων templo loquutus, subdidit, ἔστησε δὲ κατὰ τὸ τῦ *Tripos.*

ἱπποδρόμου μέρος καὶ τὸν Τρίποδα τοῦ ἐν Δελφοῖς Ἀπόλλωνος ἄγαλμα. Et Eusebius serpentem additum Tripodi qui in spiras volueretur, ab eodem Constantino scribit. Habemus in marmorea basi pulcherrimè effictum, in ædibus Matalunensibus. Dedicatos in palæstris tripodes scribit Pausanias, & ἀπύρους dictos, quasi ignis expertes, ab Homero. Nazianzenus locum Circi ἱππικὸν βασίλειον, dicit. Ibi Equorum cursus. Exactè Circi figuram pinxit Pyrrhus Ligorius Neapolitanus quam Tertulliano typographi addiderunt.

GYMNASIA NEAPOLITANA.
Cap. XVIII.



IN omnibus Græcis oppidis Gymnasia fuisse in quibus agones Gymnici darentur, scribit ex Anacharsidis dicto Dio Chrisostomus ad Alexandrinos, qui ait in ijs locis cùm ad Gymnasia venissent exutis vestibus pharmaco vngi solitos, mox cursu mutuò se deiecisse. Alios manus extendentes pugnasse aduersus hominum neminem, dùm alij cædebantur. Abraso deindè pharmaco, amantes incedisse facto erubescentes. Præcipuæ ciuitates in quibus Gymnica florebant, Nicopolis, Neapolis, Antinoum, Mantinæa, Carthago. Neapolitana Gymnica magno Imperatoribus fuerunt oblectamento. Suetonius in Nerone; *Neapoli de motu Gallorum cognouit die ipso quo matrem occiderat. Statimq. in Gymnasium progressus certantes athletas effusissimo studio spectauit.* In Græco lapide ad D. Annuntiatæ posito Gymnasium nostrum elucet;

ΤΙΤΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ

ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ

. . . . . ΙΚΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. ΤΟ. Ι

. . ΟΣΥ-

.. ΟΣΤΠΑΤΟΣ. ΤΟ. Η. ΤΙΜΗΤΗΣ
ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ. ΤΟ. Γ. ΓΤΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ
... ΤΜΠΕΣΟΝΤΑ. ΑΠΟΚΑΤΕΣΤΗΣΕΝ.
.... NI. F. VESPASIANVS. AVG. COS. VIII.
CENSOR. P P.
TERRAEMOTIBVS. CONLAPSA. RESTITVIT.

Titus Cæsar Vespasianus Augustus, trib. potestatis Cos. VII. . . . . certaminum præses III. Gymnasij præfectus, Censor conlapsum restituit. Ex Græcis Latinisq. characteribus, Romanam dijudica Coloniam. Duplicem in eo Gymnasio exercitationem cognoscimus, litterariam vnam, Gymnicam alteram. Habes duas illas in lapide voces, Αγωνοθετήσας, & Γυμνασιαρχήσας. Ad litterariam alludit Plinius in epistolis; *Gymnasijs indulgent Græculi*. Et Cicero de sua Academia ad Atticum; *Minerua est singulare eius Gymnasij*. Idemq. *Tu velim si qua γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci sunt eius quem tu non ignoras, ne prætermittas*. Et Eleos Curiam in Gymnasio habuisse scribit Pausanias, & eò prodijsse qui subitæ, vel meditatæ orationis cuiusuis generis copiam profitebantur. Scholam appellat Seneca Gymnasium Neapolitanum, in quo Rhetores, Poëtæ, & docti viri explicandis auctoribus vacabãt. Quin ad causas orandas vtramque linguam Neapoli perdiscebant. Testatur Agellius cum Antonio Iuliano Rhetore per feriarum tempus æstiuarum decedere ex vrbis æstu volẽtes, Neapolim concessisse, vbi adolescens erat tunc quispiam ex ditioribus, cum vtriusque linguæ magistris meditans (en tibi Græcam Latinamq. Neapoli linguam) & exercens ad causas Romæ orandas eloquentiæ Latinæ facultatem. atque eum rogasse Iulianum vti se audiret declamantem. Introijsse adolescentem atque præfatum arrogantiùs & elatiùs quàm ætatem decebat; deindè iussisse exponi controuersias. Controuersiam parum consistentem, quod genus Græci ἄπορον, propositam. Hæc ea fuit; De reo septem iudices cognoscant; eaq. sententia sit rata, quàm plures ex eo numero dixerint. Cùm septem iudices co-

Duplex Neapoli Gymnasium.

lib. 1.

Schola.

lib. 9. c. 15.

Iulianus Rhetor cum Neapolitano adolescente certat.

gnouissent, duo censuerunt reum exilio mulctandum, duo alij pecunia, tres reliqui capite puniendos. Petitur ad supplicium ex sententia trium iudicum, & contradicitur. Hac à Neapolitano adolescente à Iuliano audita quæstione, verborum volumina, & vocum turbæ fusæ sunt, exultantibus ijs qui eum audire consueuerant. Rubuisse idcircò & miserè sudasse subdidit Iulianum, sed deblateratis versuum multis millibus finem fecisse; & interrogatum Iulianum quidnam existimaret? festiuissimè respondisse; Adolescens hic sine controuersia disertus est. atque huiusmodi eum laudasse, quod disertus esse sine controuersia, quòd scilicet propositæ controuersiæ non benè respondisset. Quamobrem Martialis doctam Neapolim dicit, *lib. 5.*

——— *& quas docta Neapolis*

Creauit ———

lib. 5. Silu. in Epicedio. Et Papinius vndique Neapolim se recepisse studiosos scribit vt patrem Græcos Poetas interpretantem audirent,

Quid mirum patria si te petiere relicta
Quos Lucanus ager, rigidi quos iugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectaq. tellus
Atridæ, vel quos è vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni speculatrix villa profundi?
Quos propiore sinu lituo remoq. notatus
Collis, & Ausonij pridem laris hospita Cyme?
Quosq. Dicharchæi portus, Baianaq. mittunt
Littora ———

Numerantur ea de causa docti viri qui ibi commorati sunt, Virgilius, Liuius, Horatius, Claudianus, Lucilius, Laurentius Valla, Porcellius Romanus, Agellius, Iulianus.

Nobilitarunt Neapolitana Gymnasia doctissimi viri, AESCHINES Philosophus quinctus inter eos qui eo nomine appellati sunt, cùm fuerint Aeschines primus, Socratis discipulus; secundus, qui artem Oratoriam conscripsit; tertius, Orator; quartus, Mitylenæus, quem flagellum Oratorum vocabant. Quinctus verò, Aeschines hic noster Neapolitanus, Academicus, Melandi Rhodij discipulus. MARINVS Philosophus, de quo *Aeschines philosophus.* *Marinus philosophus.*

sic

ſic loquitur Suidas, Μαρίνος Νεαπολίτης φιλόσοφος καὶ Ῥήτωρ. μαθητὴς Πρόκλου τοῦ φιλοσόφου καὶ διάδοχος. ἔγραψε βίον Πρόκλου τοῦ αὐτοῦ διδασκάλου, καὶ καταλογάδην, καὶ ἐπικῶς. καὶ ἄλλα τινὰ φιλοσόφων ζητάματα; *Marinus Neapolitanus Philoſophus, & Rhetor. Procli diſcipulus & ſucceſſor. Scripſit Procli vitam ſoluta oratione, & verſibus, & alias quaſdam phyſicas quaeſtiones.* Sub Adriano floruiſſe ſcribit Volaterranus. P. PAPINIVS STATIVS, qui Toloſanus ab alijs, ab alijs verò Sellis Epiri oppido ortus, à multis Neapolitanus dicitur. Qui Toloſanum arbitrati ſunt (inter quos Dantes Aligherius) facilè decepti ſunt alterius Statij Rhetoris patria, cuius meminit Euſebius. Contentio reliqua eſt inter Sellas & Neapolim. Aemula ſanè, & præclara virtutis cõtentio quæ patefacit quanto honore antiquitas doctos viros fuerit proſequuta. Id quidem & Homero contigiſſe ſcimus, quem ſi alia quàm vbi natus eſt patria adipiſci potuiſſet, maiorem quàm ex Imperatorio natali gloriam conſequuta fuiſſet. Epirus tamen à Neapolitano Regno Statij Poetæ natalibus antecelli patiatur. Et quamuis de patre quo ad Sellas attinet, aliquid aſſerere videatur in Epicedio, *Statius.* *Silu. lib. 5.*

Nec ſimplex patriæ decus & natalis origo
Pendet, & ambiguo geminæ certamine terræ
Te degente ſuum Latijs adſita colonis
Graia refert Selle ------

In multis tamen locis apertiùs loquitur, & ſe patremq. Neapolitanos profitetur,

At te naſcentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulciſq. ſolo tu gloria noſtro
Reptaſti ------

Et in Surrentino Pollij,

Huc me poſt patrij lætum Quinquennia luſtri

Et, *Trans gentile fretum* ------

Et in epiſtola ad Pollium; *Summa eſt Ecloga qua mecum ſecedere Neapolim Claudiam meam exhortor.* Et paulò poſt; *Huic præcipuè libello fauebis, & ſcias hanc deſtinationem quietis meæ tibi maximè intendere, meq. non tàm in patriam, quàm ad te ſecedere.*

secedere. Et eo nomine delectatos fuisse Neapolitanos ostendit cippus marmoreus apud Sanctinos, ΣΩΣΙΠΑΤΡΑ ΣΤΑΤΙΟΥ ΧΑΙΡΕ. Floruit sub Domitiano, à quo præacuto stilo confossum scribunt. Patrem quoque in Gymnasio Neapolitano idem laudat illustrem, dùm opusculo quod Epicedion dixit, eius funus celebrat. Ab eo poeticem didicisse affirmat,

Te sine Corycia quicquid modo Phebus in vmbra
Quicquid ab Ismariis monstrabat collibus Euan
Dedidici ——

Deindè Parthenopem alloquitur, & victorias in ludibus Quinquennalibus commemorat,

Ille tuis toties perstrinxit tempora sertis
Cùm stata laudato caneret Quinquennia versu.

Eundem prætereà non modò in Senatu valuisse, & à Secretis fuisse, sed publicè etiam Neapoli litteras professum innuit,

Hinc tibi vota patrum credi, generosaq. pubes
Te monitore regi ——

Romanos qui studiorum causa Neapolim se conferebant, quæ ad relligionem pertinent, docuisse,

Mox & Romuleam stirpem, proceresq. futuros
Instruis, inq. patrum vestigia ducere pergis.

Auguria enim Chalcidica, Salios, Flamines, Lupercos commemorat; ibidemq. Pontificis dignitate docuisse apparet, cui magisterium erat Vestalium. ostendit etiam Homeri, Ascraci, Theocriti, Pindari, Alcmani, Stesichori, Sapphus, Licophronis lectione fuisse delectatum, quos auctores in Neapolitano Gymnasio interpetrabatur; Quapropter vndique Neapolim studiosi confluebant vt diximus doctos illos viros audituri.

Scholæ meminerunt antiqui lapides,

SCHOLAM. CVM. STATVIS. ET. IMAGINIBVS
ORNAMENTISQ. OMNIB. SVA. IMPENSA. FECIT.

Imagines quæ in Gymnasijs collocabantur, huiusmodi refert Sidonius Apollinaris; *In Areopagis ex Gymnasijs curua ceruice Zeuxyppus, Aratus panda, Zenon fronte contracta, Epicurus cute distenta, Diogenes barba comante, Socrates coma candente,*

Aristo-

Aristoteles brachio exerto, Xenophanes crure collecto, Heraclitus fletu oculis clausis, Democritus risu labris apertis, Chrysippus digitis propter numerorum indicia constrictis, Eulides propter mensurarum spacia laxatis, Cleanthes propter vtrumque corrosis; Rem omnem litterariam quæ in Gymnasijs exercebatur, hoc pacto exornabant.

Quod verò ad alteram Gymnasij rationem attinet, stadia, vel amplis spacijs porticus circundatæ in Palestra Athletarum loca erant, in quorum interioribus cubiculis vngebantur & lauabantur, & in exædris propè sitis Philosophi disputabant, cùm enim nondum copiam librorum haberent, disputando se exercebant, vt ait Suidas. Pausanias in Gymnasio esse curricula, & athletarum palæstras esse scribit. Præficiebatur ijs Gymnasiarcha, qui ob res in Gymnasio benè gestas, oleagina, & aurea corona coronabantur, addita ad eius nominis gloriam pictura, vt ex antiquo lapide didicimus in Musæo Cardinalis Carpensis, in quo, ne verba Græca referam, hæc leguntur, *Batonem Philonis filium, quoniam per annos duos præses creatus est ex animi sui & Aliptarum sententia iustè ac dignè GYMNASIVM administrauit, eaq. de causa Collegium vniuersum per hosce duos annos ipsum Oleagina corona summa cum celebritate coronauit, nec non his de rebus memoriæ causa pro singulari eius honorificentia, omniq. in ipsos studiorum genere intrà Gymnasium inscriptionem concessit, porrò noua in xxvi. & xxvij. & xxviij. annum dignitate insignitus, Gymnasij Præfecturam subire non dubitauit, congruum item loci, & Aliptarum decorem conseruans, Mercurio & Herculi Gymnicos ludos qui pro Imperatoris salute celebrari consueuerunt pari cum laude pro virili sua exornans, suaq. pecunia conuenientia Athletis certamina proponens, ceteris & propensiùs & magnificentiùs imperauit. Quibus de rebus cuncti cùm animi eius alacritatem, & quòd etiam is ergà locum studium præseferebat inspectarent, non modò ipsum coronis aureis coronarunt, sed picta etiam imagine Bathonem Philonis filium Gymnasij Præfectura functū tertiùm quartùmq. & quinctùm deinceps quandò*

Gymnasia Athletarum.

Gymnasiarcha.

per

per temporis spacium templorum cura ornatè, eleganter, & decorè præfuit, honestarunt. Quin etiam ipsum in præsentia ob id laudum, & noua rursus aurea corona decorandum atque in oculatissimo Gymnasij loco reponendum; sed & ipsum præterea quòd eo munere omnibus rem gratissimam facturus esset, in annum quoque xxix. Gymnasij Præfectum reficiendum Alipta censuerunt.

Habes Gymnasiarchæ munus, honores, elogia, Præfecturam. *lib. 4. c. 15.* A Iulio Firmico, Præfectus Gymnicis agonibus nuncupatur. *lib. ad Martyr.* A Tertulliano, Xystarcha. Ab Ammiano Marcellino, Doctor, & palæstritarum athletarumq. Magister, tùm præcipuè *Agonotheta.* Agonotheta. Habes etiam Gymnasij ornamenta, Mercurium & *Gymnasij ornamenta.* Herculem. Addimus Theseum, tres enim hos præsides exercitationibus Græcas, & barbaras nationes habuisse in palæstris scribit Pausanias in Messenicis.

Gymnasiarcha ornatus. Ornabatur Gymnasiarcha, corona, toga purpurea, & virga; veluti præsedisse Titum certamini in Stadio, cursu virginum, purpurea amictum toga Græcanica, gestãtem capite coronam auream, notat Suetonius. Et Dio de Claudio Neapoli commorante loquens; ἐπὶ ἄγει τῇ Νεαπόλει ἑλληνικῶς &c. διὰ ταῦτα δὲ καὶ ἐν μὲν τῆς μουσικῆς θεωρίαι ἱμάτιον, καὶ κρηπῖδας. ἐν δὲ τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι πορφυρίδα καὶ στέφανον χρυσοῦν ἐλάμβανε; Neapoli Græcè &c. *Ac in musicis ipse ludis togam & solcas, Gymnicis* *Virga & Caduceus Gymnasiarcharũ.* *purpuram, & auream coronam tulit.* Virgam vel Caduceum quem in Neapolitanis nummis cernimus, huiusmodi tribuit idem Dio de Commodo scribens; ἐσιὼν δὲ ὁλοπόρφυρον χρυσῷ κατάσπαστον χλαμύδα τε ὁμίαν τὸν ἑλληνικὸν τρόπον λαμβάνων, καὶ στέφανον ἔκ τε λίθων Ἰνδικῶν, καὶ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένον, κηρυκεῖόν τε φέρων ὁποῖον ὁ Ἑρμῆς, & quæ sequuntur. Vides veste Græcanica indutum, aurea coronatum corona, & ex Indicis margaritis composita; virgam item gestantem qualis Mercurio tribuitur. Hyginus cùm de Mercurij virga loquitur, ait athletas ea vsos, *lib. 2. ep. 2.* vbi Athlothetas legendum existimo. Et Sidonius picturam quandam Agonis describens; *Absunt lubrici tortuosiq. pugilatu palæstritæ, quorum etiam viuentium luctus si inuoluantur*

obscœnius,

obscœnius, casta confestim Gymnasiarchorum virga dissoluit. Hinc Axiochus, Καὶ γυμνασιαρχία, καὶ ῥάβδοι, καὶ κακῶν ἀμετρίαι. Quapropter ad moderandas iuuenum exercitationes, & veluti imperij signo, motus immodestos ea reprimebat. Martialis,

Gymnasiarcha turpes motus reprimebat.

lib. 7. ep. 66.

Et putri lutulenta de palæstra
Vncti verbere vapulat Magistri.

Propterea quòd, *Quicquid immundiciarum est, hoc exercetur in Theatris; quicquid luxuriarum, in Palæstris*, ait Saluianus. Et hi Magistri quos Ἐπιστάτας Græci dicunt, ius Virgæ habebant. Epictetus cap. 26. ἔθ' ὅτι μαστιγωθῆναι πάντα ἐπισκεψάμενος ἐὰν ἔτι θέλῃς, ἔρχου ἐπὶ τὸ ἀθλεῖν. Idemq. ibidem ait, si quis Athleta esse voluerit, illud obseruaturum quod à Magistro fuerit præstitutum; idcircò sese Magistro tanquam medico tradat. Helladonicas apud Eleos scribit Pausanias, infligere Athletis solitas castigationes & verbera, veluti ab eisdem coronas fuisse tributas. Grammateia, vel Tabularia Gymnasijs adiuncta fuisse reperies in Athenæo, veluti publici commentarij, in quos Gymnasiarchæ, vel Curatoris, vel Sacerdotis nomen redigi solebat. Arrianus lib. 1. de Sermone Epicteti, narrat quendam Neapolitani Agonis Sacerdocium affectantem, nomen suum in Acta redactum iri à scribis publicis desiderasse; cùmq. Epictetus dixisset, satis futurum si viuus omnibus notus esset, respondisse, Mansurum suum nomen si coronam gestasset iure Agonothetico. Nam & apud Romanos Sacerdotes quoque ac Pontifices ludos curasse, iisq. præfuisse, ex Herodiano apparet. Plutarchus meminit in Antonio, Gymnasiarcham apud Athenienses processisse palliatum, & cùm Gymnasiarchum vel Pædotribam ageret, denudatos iuuenes esse verberatum.

lib. 6.

Helladonicæ.

Grammateia et Tabularia

cap. 25.

Sacerdotium agonis Neapolitani.

Pontifices & Sacerdotes ludos curabãt.

Pædotriba.

THERMAE NEAPOLITANAE BALNEVM. *Cap. XIX.*

Aqua calida Neapolitana



HERMAS Neapolitanas celebrat Strabo cùm ait; ἔχει δὲ καὶ ἡ Νεαπόλις θερμῶν ὑδάτων ἐκβολὰς καὶ κατασκευὰς λουτρῶν οὐ χείρους τῶν ἐν Βαΐαις; *Habet enim Neapolis calidarum aquarum ſcaturigines, & Balneorum apparatus Baianis non inferiores*. Scaturigines paſſim in Pauſilypano littore, tubi, fiſtulæ, ædificia, ceteraq. huiuſmodi adhuc reliqua oſtendunt. Bartholomæus Maranta in

Aqua Luculliana.

Luculliano varij generis fontes emanare ſcribit, qui cum puteis in illo colle prealtis communicare ex aquarum potu dignoſcuntur. Mineram ibi cineream ponit non abſque ſulphure, & aliqua ferri mixtura. Et tamen ex deſtillatione fæx illa quæ euaneſcente aqua remanſit (vt ipſe loquitur) non ſemper eundem ſaporem præſetulit; ſed quandoque inſipida, ſæpiùs ſalſa,

Neapolitanarũ aquarum mineræ.

nonnunquam etiam ſub amara viſa eſt. Per montis ſciſſuras, duas erupiſſe aquas ſcribit, quæ perenni fluxu in mare labebantur; alteram, colore nitidiſſimo, ſapore acerrimo, acidulo, pingui, odore tetro; alteram, eoſdem habuiſſe ſapores, non tamen vſque adeò intenſos, quæ acrimonia vincebatur, pinguedine vincebat, colorem ferè lacteum oſtendens. Alias quoque in eodem colle mineras, ſulphureas præſertim, ex igne enaſci declarat, quandò Cumis per Baias & Puteolos ad Veſuuium multæ extant incendiorum, igniumque eructationes quas κρατῆρας Græci dicunt, vt etiam ad Aenariam ignem vagari per profundiſſimos meatus cognoſcamus. Perierunt aquæ calidæ toto illo tractu, cùm mare ædificia ſuperauerit, & obrutæ hac de cauſa thermæ iaceant.

Balneum publicum Neapoli.

Præter priuata Balnea, BALNEI ad Theatrum & Gymnaſium apparatus Neapolitani oſtendunt. Nuſquã apud Græcos Theatra, atque Gymnaſia abſque Balneo. A Græcis ad Italos mos

defluxit

defluxit vt Palæstræ thermas haberent adiunctas,cùm anteà vt ait Vittruuius, Campus Martius Romæ,& Agonalis Circi præsertim ad eas exercitationes fuerint constituti., tota vrbe deinceps Balneis extructis. Græci verò luxuriæ dediti semper & calidis lauari,& vnguentis delibuti esse voluerunt. Græci lapidis apud Staiuanos fragmẽtum huiusmodi Balneum patefacit,

.... ΥΠΑΤΟΣ. ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. ΑΓΩΝΑΣ. ΠΙΟΥΣ
ΝΟΜΟΥ.... ΡΩΜΑΙΚΩΝ. ΔΙΚΑΙΩΝ.... ΚΑ....
ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΗΣΑΣ. ΤΟ. ΒΑΛΑΝΕΙΟΝ. ΑΝΕΘ....
ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ...... ΟΚΤ.......

Nomẽ ædificatoris summa iniuria obliterauit. Aliqui Puteolos hũc lapidẽ reijciunt. Papinius eius loci magnificentiã describit,

Vna quidem cunctis procul eminet vna Diætis
Quæ tibi Parthenopem directo limite ponti
Ingerit ——


Erant Diætæ latiores Basilicæ, inter Thermarum partes,præcipuæ,duplici columnarum ordine tripartitæ propè Atria, Porticus,& Ephebœa. Et dùm loci amplitudinem describere voluit addidit tot marmorum varietates. Eosq. marmoris & picturæ luxus ad Thermarum excellentiam fuisse inuentos, affirmat Martialis in Balneo Tuccæ, *Diæta.* *Balnei Neapolitani amplitudo.*

Idem beatas lautus extruit thermas
De marmore omni, quod Carystos inuenit,
Quod Phrygia, Sinas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lauat Eurotas.

Et Lucianus Βαλανείῳ, λακαίνην λίθον appellat, saxum Lacedæmonium & Porphyreticum, quo Heliogabalum strauisse plateas in Palatio scribit Lampridius. Balnei Neapolitani illustris memoria in Suetonio qui ait de Nerone; *Sumpto etiam ad reficiendam vocem breui tempore, impatiens secreti, à Balneis in Theatrum transijt, mediaq. in Orchestra frequente populo epulatus, si paulùm subbibisset aliquid se sufferti tinniturum Græco sermone promisit.* Balneorum quæ varijs in Neapolitanæ vrbis locis erant disposita, aliquorum adhuc nostra ætate memoria extat. *Cap. 20.*

DE ANTIQVIS NEAPOLITANORVM BELLIS. Cap. XX.

ROMANI.



NTIQVA ipse Neapolitanorum bella intelligo quæ vsque ad Reges ab ijs cum varijs gentibus gesta sunt. Et quamuis non omnia ex antiquitate describere liceat, ea tamen quæ aliquo pacto à veteribus scriptoribus sunt cõmemorata, huc breuiter congessimus.

Primum bellum cum Romanis gestum Olympiade 113. Glareano, vel ab V.C. anno 427. Sigonio 426. alijs, 429. Mundi verò 3644. Palæpolitani vel suis viribus, vel Samnitium societate freti, vel quòd pestis Romanam vrbem adorta nunciabatur, sumptis armis contrà Romanos multa hostilia aduersus eorum agros fecere, multaq. in suam potestatem redigere conati sunt, vt imperium in eos quodammodo exercere viderẽtur. Decreuit Senatus Fœciales mittere (quatuor hi erant viri penès quos faciundi potestas erat) qui res Romanæ Reipublicæ ablatas repeterent. Qui cùm Palæpolim venissent in concione ad Græcorum Senatum ea retulerunt quæ ad Reip. auctoritatem pertinere arbitrabantur, & quæ auctoritate Patrum sibi agenda proposuerant. Ferox responsum Palæpolitani dederunt (gentem idcircò lingua magis quàm factis strenuam appellauit Liuius) quo permoti Romani, bellum ijs indixerunt. Tumultus hac de causa toto Samnio excitati sunt; socijs ob mutua beneficia se deuinctos esse Samnites affirmantes, omnem opem ijs esse ferendam deliberarunt, nihil se quicquam insolentiùs acturos prædicantes, si aduersus Romanos pro Palæpolitanis qui secum omnem fortunam tulerant, arma sumerent. Ad eam rem gerendam vicinos Priuernates, Fundanos, Formianos sollicitare opportunum existimarunt. Quibus omnibus negocium in re bellica

Palæpolitani. *Fœciales.* *Palæpolitanis bellum indicitur. lib 8. Dec 1.* *Priuernates. Fundani. Formiani.*

bellica sibi facessi cùm Romani animaduertissent, antequàm bellum inferrent, Legatos ad Samnites miserunt, qui dicerent ne aliorum causa Romanorum in se conuerterent indignationem; nihil esse quòd pro Græcis pugnarent; quòd vicinos sollicitarent; in suo ipsi essent officio; res suas agerent; cum Palæpolitanis, non cum Samnitibus sua iura Romanos velle decernere. Ferociùs quoque à Samnitibus responsum est; Non pro Græcis se pugnaturos, nec vicinos populos à se fuisse sollicitatos, à quibus suis tantùm viribus bellum sustineri posse non verebantur; sed contumeliam Romanorum esse propulsaturos, atque iniuriam quam ab ipsis accepissent, viribus omnibus vindicaturos. Quid enim dirutas ex Volscis Fregellas populus Romanus restituit, Coloniamq. in Samnitium agro deduxit, atque patitur vt Fregellæ noster ager nuncupetur? Hanc nobis iniuriam Romanus intulit, hanc Samnis communi Marte vindicabit, bellumq. decernet Samnis'ne an Romanus Italiam imperio regat. Samnitium dictis ad Senatum perlatis, arma Romani decernunt. Belli prouincia L.Cornelio Lentulo,& Q.Publio (Publilio alia habent exemplaria) Philoni est demandata. Cornelio vt Samnitibus se opponeret; Publio vt Græcos debellaret. Publius inter Palæpolim & Neapolim loco opportuno capto (vt loquitur Liuius) auxilij mutui societatem quæ inter se vsi anteà fuerunt, hostibus diremit. Præsidio erant Palæpolitanæ vrbi Samnitium atque Nolanorum ad sex millia. A quibus cùm fœdiora paterentur quàm quæ ab hostibus pati posse sibi persuaderent, liberi enim, coniuges, atque fortunæ indigna ferrè in dies cogebantur, Tarentinorum auxilij spe destituti, inter tot mala quibus angebantur, leuissimum visum est deditio ad Romanos. Charilaus & Nymphius qui principem locum Palæpoli obtinebant, communicato inter se consilio, optimum fecisse rati si quisque pro viribus patriæ saluti cōsuleret, ne ipsi quoque Romanorum ferociam experirentur, qui prouocati omnia crudelitatis exempla in hostes edere consueuerant, illud potissimùm sibi faciundum statuerunt, vt alter Romanorum adiret Imperatorem, & de deditione ageret; alter ab vrbe non

Romanorum Legati ad Sānites.

Samnitium responsum.

Consules bello Neapolitano præficiuntur.

Palæpolitani deditionem faciunt.

Charilaus & Nymphius Neapolitani.

discederet, vt inita consilia exequi valeret. Charilaus ad Philonem transfugit, atque vrbis deditionem fecit, quod bonum, faustum, fœlixq. esset Palæpolitanis, populoq. Romano; ea tamen re maximè cōmouebatur, quòd opinio fortasse hominum decerneret ab eo non deditam, sed proditam esse patriam; quamobrem id ipse in Romanorum fide positum volebat, huiusmodi deditione non proditos, sed seruatos suos ciues existimans; ideòq. publicè à Romanis id petebat, quod priuatim pacisci tutum non erat. addidit quoque desiderare se vt populus Romanus intelligeret quanto studio, & qua animi propensione Palæpolitani in suam amicitiam rediissent; ne eosdē arguerent quanta temeritate de officio discessissent. Nullam proditionis notam Charilao inurendam Philo respondit; sed multis esse laudibus dignū eum virum, eum ciuem, qui suos in officio esse desiderabat, qui populi Romani dignitatem, ab armis discedendo, tuebatur. Constitutis rebus, quæ ad perficiendum negocium erant opportunæ, tria millia Romanorum militum Charilaus accepit, Tribuno militum L. Quintio præposito, qui eam Palæpolis partem occuparet, quam Samnites tenebant. Eodem tempore Nymphius qui in vrbe esse voluit, à Charilao de omnibus certior factus, Samnitiū Prætori persuasit, vt dùm Romanus exercitus totus occupandis Palæpoli & Samnio incumberet, sineret se classe circumuehi ad Romanum agrum, pollicitus vicina loca, & omnem maris oram depopulaturum; idq. vt hostes non præcauerint, noctu esse proficiscendum, & extemplo naues esse deducendas. Fidem præstitit eius verbis Prætor, iussitq. præsidio vrbi relicto, vt Samnites ad littus proficiscerentur. Vbi dùm Nymphius data opera multitudini imperando, impedimento erat, Charilaus à socijs dato signo intrà mœnia recipitur. Quod cùm animaduertissent Nolani, per auersam vrbis partem via Nolam ferente effugiūt; Samnitesq. turpiter exclusi ab omnibus ludibrio habiti, relicto apud hostes supellectili, spoliati egentesq. domos redierunt. Aliqui scripsere à Samnitibus proditionem esse factam. Huiusmodi Palæpolitanæ vrbi Romani potiti sunt. Publio triumphus decretus est, quamuis

Charilaus vetetur ne proditor dicatur.

Nymphij stratagemma.

Nolani effugiunt.

Samnites excluduntur.

quamuis enim manus non conferuerint, fatis credebatur hostes obsidione domitos in fidem venisse. Duo singularia illi contigisse scribit Liuius; Prorogationem Imperij non antè in vllo factam; & acto honore triumphum. Palæpolitani in ea calamitate, Neapolim se receperunt, vnoq. nomine Neapolitani appellati sunt. Tarentini qui Palæpolitanos destituerunt, cùm rescissent in Romanorum potestatē fuisse redactos, seipsos fuisse destitutos quærebant, ideòq. in summam Romanorum inuidiam sunt adducti, qui sociorum miseriam aliquo pacto leuare potuissent.

Palæpolitani & Neapolitani vno nomine appellati sunt.

Hæc ferè, alijs etiam additis, in quadam legatione explicauit Dionysius Halicarnasseus, cuius Græcis verbis omissis Latina referam, in quibus notatu profectò digna sunt, quæ inter Romanos, Campanos, Cumanosq. intercesserunt. Desunt aliqua,

Verum etiam quia Campanos amicos suos multis & magnis affecissent detrimentis Senatus Romanus, cùm Campani sæpius indicarent, & conquererentur de Neapolitanis, misit qui eos rogarent ne quid Romani Imperij subditis inferrent iniuriæ, sed quod ius postularet darent reciperentq. Et si qua inter eos existerent dissidia, verbis non armis litem componerent, ac porrò pacem colerent cum omnibus Tyrrheni maris accolis, & neque ipsi aliquid Græcis indignum admitterent, neque alios talia perpetrantes adiuuarent. Inprimis autem si fieri posset, de meritis potentiorum animis efficerent vt vrbs à Samnitibus descisceret, ac populi Romani amicitiam amplecterentur. Acciderat autem vt eodem tempore à Tarentinis quoque Legati ad Neapolitanos missi essent viri illustres, & Neapolitanorum acciti hospites, necnon alij à Nolanis populo finitimo, & Græcæ gentis studiosissimo, vt contrarium à Neapolitanis peterent, ne quos cum Romanis aut eorum subditis contractus inirent, ne à Samnitium amicitia discederent. Vndè si Romani belli occasionem captarent, ne metuerent, nec vires eorum veluti inuictas pertimescerent, sed constantes manerent, atque vt Græcos deceret bellum sustinerent, freti tùm suis ipsorum copijs, tùm Samnitium auxilijs.

Legati ad Campanos mittuntur.

Nolani Græcorū studiosi.

auxilijs. Ac si forte nauali quoque manu opus foret, nec domestica sufficeret, affuturas ipsis à Tarentinis numerosus fortesq. suppetias. Ibi coacto Senatu, multisq. coram eo habitis orationibus, partim à Legatis, partim ab eorum aduocatis, variarunt Senatorum sententiæ, & elegantissimi quique in Romanorum partes inclinare visi sunt. Cùm igitur eo die nullum Senatusconsultum factum esset, sed Legationum cognitio in alium consessum esset dilata, potentissimi Samnitium proceres frequentes Neapolim conuenere, ac Reipublicæ primoribus in partes suas pellectis, Senatui persuasere vt Populo potestatem faceret eligendi quod ex vsu futurum videretur. Mox in concionem progressi, primùm sua in Neapolitanos merita commemorarunt, deindè prolixè populum Romanum accusarunt vt infidum & fraudolentum. Demum sub finem orationis admirandas Neapolitanis promissiones fecerunt si bello implicarentur, missuros se quantiscunque copijs opus foret ad mœniorum custodiam, classiarios quoque milites, ac totum remigium præbituros, nec suis tantùm sumptibus ea missuros auxilia, sed ipsis quoque insuper suppeditaturos omnes belli impensas. Tùm profligato Romanorum exercitu Cumas recuperaturos quas Campani duabus ætatibus antè Cumanis expulsis occupauerant, sedibusq. suis instituturos Cumanorum exulum relliquias, quas Neapolitani è patria exactos receperant, omniumq. bonorum suorum participes fecerant, atque agri Cumani quem Campani vnà cum oppido ceperant, partem Neapolitanis additurus. His auditis, qui inter Neapolitanos sapientes habebantur, & calamitates vrbi è bello nasciturus longè prospicere poterant, pacem colendam censebant. At qui rebus nouis studebant, & quæstum è bellicis turbis faciebant, belli partes fouebant tanta animorum contentione, vt à mutuis increpationibus ad manuum consertiones, & lapidum iactus dissidium procederet. Ad extremum obtinuit pars deterior, vicitq. meliorem, ità vt Romanorum Legati re infecta discesserint. Quibus de causis Senatus contrà Neapolitanos expeditionem decreuit.

Samnitium proceres Neapolim conueniunt. Respublica Neap. Populus Neapolitanus.

Cumæ. Campani.

Apud eundem Halicarnasseum alia legitur Legatio Romanorum

norum ad Samnites qua eos arguunt quòd fœdus violauerint, monentq. vt auxilia Neapolitanis missa reuocanda iubeant ne eorum auxilio animos sibi Græci sumere viderentur. Subdit etiam;

Deindè anno præterito Neapolitanos bellum aduersus nos suscipere verentes omni studio ac promptitudine instigastis, vel potius coegistis, sumptusq. eam ad rem suppeditatis, vrbemq. nostram ipsi tenetis. Et nunc copias vndequaque contrahitis alio quidem prætextu &c. Romano autem Legato Samnitium Senatus huiusmodi respondit; *Ad Neapolim verò quod attinet, in qua nostrorum quidam sunt, tantùm abest vt aliquam vobis faciamus iniuriam, dùm periclitantibus ad tutandam Reip. salutem aliquid auxilij mittimus, vt ipsi nobis magnam à vobis iniuriam fieri arbitremur. Nam vrbem hanc cum qua nobis amicitia & societas est non recens contracta, neque ex eo tempore quo vobiscum fœdus icimus, sed duabus ætatibus antè* (ἀλλὰ δευτέρᾳ γενεᾷ πρότερον, habet Græca lectio) *ob multa & magna erga nos beneficia, vos nulla iniuria lacessiti, in seruitutem redegistis. Ac ne hoc ipso quidem facto tota Samnitium Respublica vos læsit; sed vt audimus, quidam priuati hospicij atque amicitiæ iure, quo Neapolitanis deuincti sunt, suopte impulsu opem eis ferunt, quidam etiam forsan ob fortunarum tenuitatem, stipendij gratia.*

Samnitiū & Neapolitanorum antiqua societas.

Neapolis in Romanorum potestate.

Antiquam conspicimus Samnitium cum Neapolitanis societatem & amicitiam; eosq. priùs cum Samnitibus quàm cum Romanis fuisse fœderatos. Constat etiam Neapolitanos per vim in seruitutem ea ætate fuisse redactos; semperq. Samnites Neapolim incoluisse.

P OE N I.

Neapolitanum bellum cum Annibale post Cannensem pugnam anno V.C. 538. gestum est. Tunc sanè barbarorum sæuitiam Neapolitana mœnia superarunt. Deuictis tot Romanorum millibus Pœnus ex Apulia in Samnium castra mouit,

Cossa oppidum. in Hirpinos à Statio quodam accersitus, pollicente se Cossam oppidum ei traditurum. Compsam Plinius appellat in regione Italiæ, vrbem ad Apennini radices sitam, in tumulo rotundo, quem Aufidus amnis à Septentrionibus alluit, & Consa dicitur, nomen antiquum retinens. *Cossanorum familia.* Ibi Trebius erat Cossanorum factione nobilis, quæ familia plurimum Romanorum gratia poterat. Is cùm Annibalem iàm aduentare dictitasset, Cossani vrbe excesserunt, quæ sine certamine hostibus tradita est, & prædæ & impedimentorum tutela à Pœnis habita. Mago Afer ad compescendam rebellium audaciam ibi relictus est. *Annibal ad Neapolit anã expugnationẽ proficiscitur. Liu. lib. 3. Dec. 3.* Annibal oppugnaturus Neapolim, vt maritimam vrbem haberet quò cursus nauibus tutus esset ex Africa, in Campaniam contendit. Vbi fines Neapolitanorum intrauit, Numidas partim in insidijs (reliquæ enim cauæ erant viæ sinusq. occulti) quacunque arte poterat disposuit, alios præ se actam prædam ex agris ostentantes obequitare portis iussit. Sperabat huiusmodi Neapolitanos abiecto animo deditionem facturos. Pœnos equites cùm nec multos, & incompositos ciues animaduertissent, vt eos nec consternari, nec perterreri hostes intelligerent, cum equitum turma audacter impetum fecerunt; quæ à cedentibus consulto tracta in insidias, tàm fœdè circumuenta est, vt nemo euasisset, nisi mare propinquum, & haud procul littore naues piscatoriæ peritis nandi dedisset effugium. Nobiles aliquot Neapolitani eo prœlio cæsi sunt, inter quos Hegeas Præfectus equitum intemperantiùs fugientes sequutus cecidit. *Hegeas Neapolitanus.* *Mœnia Neapolitana perterrent Annibalem.* Ab vrbe oppugnanda Annibalem absterruere conspecta mœnia haudquaquàm prompta oppugnanti; in accliui enim posita non facilem aditum præbebant; licet alij eorum altitudinem obijciant. Re igitur infecta, maritimæ vrbis omninò potiundæ cupidus, Cumas occupare tentauit, eoq. copias duxit ex monte Tifatis in quo consederat Campanorum precibus fatigatus, *Annibal Cumas occupat.* qui naturali quodam odio Cumanos prosequebantur. Nihil tamen profecit. Capta Capua, iterum Neapolitanorum animos *Capuam recipit.* allexit ad deditionem. Iterum operam perdidit. Nola discedens *Nola discedit.* ob Marcelli aduentum ad mare proximè Neapolim denuò consedit.

ſedit. Sed cùm comperiſſet eam vrbem à M. Iunio Sillano Præfecto Romano teneri à Neapolitanis accerſito, Nuceriam petijt. Cùm deindè Capuam redijſſet, & Cumanum agrum vaſtaſſet, perpetrato ſacro ad Auernum, ad populandum agrum Neapolitanum magis ira, quàm ſpe potiundæ vrbis progreſſus eſt; Pœnorum itaque crudelitatem Neapolis experta, eam laudem adepta eſt, vt nunquam barbaro ceſſerit. Eandem ferè cladem Neapolitanæ vrbi illatam crederem, cùm Amilcar, quem Barcam dixerunt, Carthaginenſium claſſi Præfectus, occupata Sicilia, totam quoque Italiæ oram vſque ad Cumas vaſtauit, vt ſcribit Polybius.

Ad Auernum ſacrificat.

Amilcar Italiæ oram vaſtat.

lib. 1.

P Y R R H V S.

Anno ab V. C. 464. Pyrrhus coniunctis ſibi Samnitibus, Lucanis, Brutijſq. Campaniam populatus eſt. Qua de re ſic Eutropius; *μετὰ ταῦτα συνάπτουσιν ἑαυτοὺς τῷ Πύῤῥῳ Σαμνῖται, καὶ Λυκανοὶ, καὶ Βρέττιοι, καὶ γὰρ δρόμος ἁπάντων ἐπὶ τὴν Ρ῾ώμην πάντε τὸ προστυχὸν ἢ πυρὸς ἦν ἔργον ἢ σιδήρου. καὶ τὴν μὲν Καμπανίαν ἐξεπολιόρκησαν; Poſteà Pyrrhus iunctis ſibi Samnitibus, Lucanis, Brutiſq. Romam perrexit, omniaq. ferro atque igne vaſtauit. Campaniam depopulatus eſt.* An verò negandum Neapolitanos eius calamitatis fuiſſe expertes, cùm præcipuè à Tarentinis in Italiam fuerit euocatus, quibuſcum in gerendis bellis Neapolitani eandem ſequuti ſunt fortunam? Oroſium anno erraſſe ſcribit Cuſpinianus, qui quadrageſimum ſeptuageſimum ſecundum dicit. Bellum autem Tarentinum indè ortum habuit, quòd cùm claſſis Romana frumentatum in Apuliam exijſſet, à Tarentinis capta eſt, occiſo Præfecto. Aliqui arbitrantur aliquam Campaniæ partem eſſe populatam ad Præneſte vſque, nam cùm Conſul Valerius Leuinus eum inſequeretur, in Campaniam quoque ſe recepit; in eius ſcilicet regionis partem quæ ab ipſo cladem non acceperat, & Neapolitanos tanquàm Græcos, veluti amicos recepiſſe.

Pyrrhus Campaniam diripit.

GOTTHI. VISIGOTTHI. ALARICVS.

Quamuis Constantinus ille Magnus Byzantium transtulerit
333. Imperium anno salutis 333. eius tamen dignitati per sexaginta
annos nihil detractum est. Mortuo autem Theodosio, distri-
Imperij diuisio. butisq. Arcadio Orientis, & Honorio Occidentis prouincijs,
tanta Imperij inclinatio facta est, vt dùm Honorij administra-
tores omnium rerum potiri posse sibi persuasissent, barbaros in-
Gotthi in Italiam. troducere conati sunt. Hinc Gotthorum irruptio in Italiam
406. anno 406. facta est. Hæc gens ex Europea Scythia oriunda
cum Vaglotthis, Scantigotthis, Fumaitis, Feruiris, Hallinis,
Pergionibus, Liothidis, Rauaricijs, Vinouilethis, Suctidis, Co-
genis, Ostrogotthis, Berigo Rege in littus Oceani quondam
egressa, superatis Vlmerugis, finitimos quoque Vandalos quos
pares virtute compererat, sibi conciliauit. Philomero Duce
posteà, interiectas paludes traiecit ex Scandinauia Insula; con-
sedit iuxtà Meotidem, & ad mare Ponticum. Indè Zamolxene
Duce in Daciam, Thraciam, & Messias transmigrauit. Alias
sub alijs Ducibus regiones subiecit. Tandem Alarico Duce
Rhadagasij successore in Italiam numeroso exercitu aduenit,
Alaricus Romam depopulatur, & Neapolim. in Galliam profectura. Sed cum Alaricus Romanam vrbem
triduò depopulatus esset, nec sexui nec ætati parcens, nisi ijs
qui in loca sacra se recepissent, Regnum Neapolitanum aggres-
sus, omnes Campaniæ ciuitates maxima calamitate affecit,
peiora moliturus, nisi in Siciliam cogitans Consentiæ obijsset.

VANDALI. GENSERICVS.

456 Eadem Neapolitana mœnia quæ Annibalem, Regem quo-
Sigeberto 457 que Vandalorum Gensericum perterruere. Hæc gens, vel quòd
è Septentrionali regione in alias effusa terras emerserit; vel
Vandali, vnde. quod Boëmi & Poloni à Vanda Poloniæ Regina fuerint appel-
lati, cum Alanis, Sueuis, Francis coniuncta circà annum salutis
400. Rhenum traiecit, & direpta Gallia, Pyrenæis montibus
supe-

superatis, Hispaniam occupauit, Asturgam, Toletanum agrum vastauit, Olysiponem cepit, atque indè accepta pecunia profecta est. Locus quem ad Beticam occuparunt, Vandalusia, dictus. A Constantio Constantini filio in Hispaniam admissa, vt eius fretus auxilio licentiùs potuisset desæuire. Atque ea quidem gesta sunt sub Genserico, vel Gunthario Rege, cui successit Gensericus, quorum Vandali anno 431. indè à Gotthis expulsi in Africam traiecerunt quam ferro, flamma, rapinis crudelissimè deuastarunt; Catholicam Fidem Arriana impietate subuerterunt, & tenuere subactam annis 96. alijs, 74. Ibi dùm degeret Gensericus, & dùm Maximus Patricius qui Valentiniano fuerat subrogatus, violenter Eudoxiam quæ Valentiniani fuerat vxor, ad matrimonium rapuisset, ab eadem animo percita ad Romam & Italiam subijciendam est euocatus. Lætus hoc nuncio barbarus, Afrorum, Maurorum, Vandalorumq. ad CCC. millia coegit. Et cùm naues conscendissent, in Italiam nauigarunt. Romana tunc ciuitas improuisi atque potentissimi exercitus aduentu perterrita, relicta vrbe (Senatus præcipuè & equestris ordinis viri) in siluas montesq. proximos sese abdiderunt. Maximus de fuga sibi consulens, ab Vrso Romano milite est occisus. Leo tantùm Sanctus Pontifex Fidei clypeo armatus, Genserico antequàm Vrbem ingrederetur, occurrit; quem cùm orasset vt ab Vrbis miseræ incendio abstineret, nullo pacto potuit imperrare, nec à flamma furoris Ducem Arriana heresi incensum coercere. Quatuordecim dierũ spacio in sacra atque prophana vesanus ignis exarsit. Mox Eudoxia & filia quam ex Valentiniano susceperat in Africam missis, Gensericus obsessa Capua & ad solum euersa, Campaniæ felicis, agro infelicissimam cladem intulit; in qua memorabili D. Paulini Nolani Episcopi factum, qui in vnius captiui redemptionem semetipsum dederit in Africam deferendum. Qui tantam apud barbaros gratiam consequutus est, vt omnibus Nolanæ vrbis captiuis libertatem acquisiuerit. Ad Neapolim ventum. Erat tunc ciuitas & mœniorum propugnaculis, & ciuium robore florens. Et licet nihil prætermiserint barbari ad eam obsidendam, nunquam

Vandali Hispaniam occupant.

Gensericus, & Maximus.

Eudoxia.

Gensericus in Italiã venit.

Leo Pontifex Genserico occurrit.

quam

quam tamen aut hostium multitudine, aut gentis ferocia exterrita est. Nihil sibi dulciùs ciues proposuere quàm famem & sitim perferre, laboribus sudoribusq. ad pericula obdurari; ciuitatem quæ Romanos Duces trucemq. Annibalem depulerat, defendere; corpora ipsa veluti confertos muros telis obijcere, quando & præclara mœnia corruissent. Quod cùm optimè animaduertisset Gensericus, de victoria desperans, soluta obsidione in Africam redijt. Memoria immortali recolat Eudoxiam Neapolis, cuius causa in ferocissimos Vandalos summa virtute sibi gloriam comparauit.

OSTROGOTTHI. THEODORICVS.

493 *Augustulus.* Antequàm Augustulus in Occidente imperaret, Romani quorum Principum iàm dignitas defecerat, Sciros, Alanos, Gotthos & huiusmodi barbaros in societatem adsciuerunt, non intelligentes quantùm detrimenti ab ijs essent accepturi, vt *Odoacer.* Augustulus ipse occupato per Odoacrem Orestis Augustuli patris armigerum Romano Imperio, adiuuantibus Gotthis quibus pollicitus fuerat se omnia pro eorũ arbitrio exequuturum si ad Romanum Principatum ipsum extulissent, priuatã vitam ducere coactus fuerit, tertia Italici agri parte barbaris tributa. *Zeno.* Interim Zeno Orientis Imperator qui permiserat Gotthis vt Thraciam incolerent, cùm animaduerteret barbaros aduersus Romanos facilè arma capturos, dato eis Duce Theodorico Patricio viro & Consulari, quem sibi filium adoptauerat, vt Italiam peterent hortatus est, captoq. Odoacre Tyranno, Hesperiæ Principatu potiretur. *Theodoricus.* Theodoricus Imperatoris monitu cum Gotthorum copijs in Italiam venit, Ostrogotthi dicebantur huiusmodi Gotthi qui Orientem versus habitabant; & huiusmodi esse dictos eos quoque Gotthos qui Venetiam captam possederunt, & cum Romanis confederatos, scribit Ioannes Cuspinianus. Cum Odoacre multis prœlijs contendit; qui tamen victus Rauennæ & in alijs munitissimis locis se continuit. Rauennam triennio obsidet. Sed diuturni temporis mora Ostro-

gotthi

gotthi pertæsi, & Romani rerum necessariarum inopia adducti, per Rauennatem Antistitem pacis condiciones proposuere, pactumq. est vt Theodoricus & Odoacer æqua sorte & pari in ea vrbe potirentur imperio. Sed fracta fide Theodoricus ad cœnam vocatum Odoacrem iugulauit, & hostium sibi animis conciliatis, Gotthis & Italis solus imperauit. sed ne in inuidiam adduceretur, Imperatoris insignibus reiectis, Rex maluit appellari, quo nomine suos barbari Duces appellabant. Iustitiæ se amatorem præbuit, legum obseruatorem, magnanimitati & sapientiæ studentem, Itali agri contrà hostes acerrimum defensorem, quamobrem licet Tyranni nomine appellaretur, veri tamen Imperatoris specimen rebus gerendis edebat. Sed tantus vir, cùm in omnibus se præclarissimum ostenderit, vna in re defecisse maximè notatur, quippè qui prudenter quælibet negocia gesserat, imprudenter delatoribus contrà Symmachum, & eius generum Boetium Philosophos excellẽtes, ad Senatorium ordinem euectos, ob adeptam nobilitatem multis inuisos, ijs præcipuè qui vitijs obruti nequeunt ex sordibus emergere, tantam fidem adhibuit, vt veluti nouarum rerum curiosos occiderit. Quid indigniùs Principe quàm quorumlibet verbis contrà aliorum dignitatem faciles aures præbere? Sub eo Duce calamitates quas tota Italia passa est, Neapolim esse passam non veremur, nec bella inter Ostrogotthos & Neapolitanos intercessisse dubitamus. Scimus eos & si non voluntate, vi tamen ab Imperatoribus Græcis quibus parebant defecisse, & nouimus quas Comitiuas in eam ciuitatem Gotthus Rex miserit, quas litteras ad Magistratus alias ob causas dederit; quid decreuerit de Iudicibus inter Romanos, & Gotthos Neapoli habitantes. Nec illud mihi persuadere possum, vt Gottho milite Neapolis absque prœlijs fuerit repleta, & Neapolitanos bellica virtute nobiles, eius Imperij iugum sine sanguine subijsse. Theodorici Statuam Neapoli positam legimus. cuius caput in terram decidens, mortis eius fuit præsagium.

Theodoricus fidem frangit.

Theodoricus Rex appellatur.

Neapolitani ab Ostrogotthis vexātur.

ATA-

ATALARICVS. AMALASVNTA. THEODAATVS.

Mortuo Theodorico, Atalaricus eius ex filia Amalaſunta (vel potiùs Amalaſuenta) nepos octo tantùm natus annos ad Imperium eſt euectus. Adminiſtrabat ſumma cum prudentia mater, quæ virilem cunctis in rebus animum oſtendebat, ad æquitatem adeò procliuis, vt nulla vnquàm Romanos pœna affecerit, Gotthos Romanorum inimicos ab eorum ſemper iniuria abſtinere iuſſerit. Senioribus Gotthis puerum inſtituendum tradidit, in quem cùm aliquandò leuiter ipſa animaduertiſſet, & puerum Gotthi gementem excepiſſent, occaſionem nacti vt virus euomerent, mulieris enim iuſtum non perferebant Imperium, & barbarorum more viuere deſiderabant, Amalaſuntam conuicijs & probris petentes illud exprobrabãt, velle eam litterarum moleſtijs puerum perdere; non decere Regem litteras ſcire quæ animos effeminatos reddunt, molles & eneruatos corporis vires ad bellorum labores efficiunt; conuenire puero à præceptoris metu eſſe liberum, qui alijs formidinem armis eſſet incuſſurus; conuenire vt patrem imitaretur, qui à litterarũ ſtudijs maximè alienus, tot gentium, tot vrbium domitor gloriam adeptus fuerit immortalem. Turbabatur anxia mulier barbarorum ſimultatibus, tùm maximè quòd illecebris puerum pellexerant, quamobrem timebat inſidias. Idcircò ſimulans ſe facturam quod peterent, voluptati ſibi fore pueri libertatem prædicabat. Interim quòd Seniores illi quibus Atalaricus traditus eſt, cum militibus conuenientes (nam puer ad pubertatem venerat) ebrietatem, feminarum concubitus, ludos, omnia libidinis genera permiſeraňt, eos longiſſimè ſeparatim ablegauit. Interficiendos poſteà iuſſit, dùm ipſa cum Iuſtiniano Imperatore familiaritate inita petijt, vt Byzantium adire liceret, ſimulatæ profectionis naue miſſa ad Epidamnum, vbi eam expectandam Imperator iuſſerat. Simulauerat profectionem Amalaſunta quòd tres illos Seniores qui in eam conſpirauerãt licet in exilio eſſent, non poſſe ſimul diuerſis in locis occidi ſuſpicabatur.

Amalaſuenta Imperium administrat.

Atalaricum ſenioribus inſtituendum tradit.

Turbatur Gotthorũ tumultibus.

Profectionem Conſtantinopolim ſimulat

ſpicabatur. At de eorum cæde certior facta, Rauenna diſcedere noluit. Mirabatur Iuſtinianus nauem Epidamnum appuliſſe, & Amalaſuntam adhuc in Italia eſſe. Dùm hæc gererentur, Theodaatus Theodorici ex ſorore Amalafreda nepos, litterarum gnarus, bellicæ rei ignarus, auaritia permotus quoniam grandem pecuniã à Iuſtiniano acceperat, & ambitione ductus ab eodem accepta Conſulari dignitate, Tuſciam Imperatori tradere deliberauit. Atalaricus verò cùm libidinibus ſe totum dediſſet, in morbum incidit. Amalaſunta ne mortuo filio in maximum Imperij & vitæ diſcrimen veniret, eidem Iuſtiniano Italorum & Gotthorum Imperium tradere cogitabat. Dùm dubias has res animo agitaret, Alexander & Demetrius Legati ab Imperatore miſſi Byzantio ad ipſam venere percunctaturi, cur ex Italia profecta non fuiſſet? Videbatur hæc iuſta Legationis cauſa; aliud tamen pectore offenſus Imperator ſeruabat; ideòq. Legatis edixit vt apud Reginam quererentur, acerbiſſimum ſibi videri, Gotthos tot iniurias ſuis inferre, inuita Amalaſunta decem ex Imperatorio exercitu transfugas accepiſſe, & non tantùm in Campaniã quæ ſub Imperatoria ditione eſſet ſe recepiſſe, ſed etiam Neapolitanæ vrbi cuſtodem quendam Vliarem præpoſuiſſe. Quidnam rei hoc eſſet? cur prouincias, ciuitateſq. quæ Gotthorũ non eſſent, tàm liberè perturbarent? Et quamuis Regina reſponderit Legatis, transfugas eſſe Neapolim receptos quæ Imperatoris amica erat, illud tamen huiuſmodi intelligo, vt Gotthi occupata Campania, Neapolim non ità promptè eius belli initio occupare potuiſſent. Valuit profectò plurimum Legatio, propter eaquòd, Iuſtinianum Regina per litteras monuit, ſe illud vnum præcipuè exoptare vt Italia in eius manus poteſtatemq. deueniret. Interim habito cum Theodaato colloquio propoſuit, quoniam ſolus ex Theodorici genere reliquus eſſet, cùm iàm in dies Atalaricus ad mortem properaret, ſi à præteritis vitijs abhorreret, & aliena ſurripere recuſaret, ſe illum ad Regiam dignitatem euecturum, dummodò grauiſſimo ſe iuramento obſtringeret, vt ipſe Regium modò nomen acciperet, ipſa verò totius rei ſummam obtineret.

Theodaatus Imperatori Tuſciam promittit.

Amalaſuenta Italiæ Regnum eidem pollicetur.

Subdolo nihilominus animo Theodaatus quæ voluit Amalasunta pollicitus est, atque ita Rex constitutus. Non seruata fide, euocatis Seniorũ qui occisi fuerant affinibus, occisis aliquot Reginæ propinquis, eam in carcerem detrusit. Theodaatus in Neapolitanos, vt in alios impetum fecisse, tunc credendum est, eosq. se viriliter à Gotthis defendisse, cuius rei testimonium affero, quòd eorum vxores & liberi obsides Rauennam missi sunt, relicto Neapoli firmo Gotthorum præsidio qui ad octingentos erant; cur enim obsides expostulasset, nisi eorum robur expertus esset? Legatus tunc mittebatur à Iustiniano in Italiam Petrus quidam, qui cum Theodaato ageret de Tusciæ rebus, & cum Amalasunta de Italia tradenda, nec dùm certa resciuerat de Atalarici morte, de Theodaati imperio, de Reginæ calamitate. Sed cùm à Petro de omnibus certior factus esset, ægrè ferens Theodaati perfidiam ad Amalasuntam scripsit vt ex ea Insula quam carceris loco habebat aufugere curaret, id quod difficilè factu erat cùm multi milites præsidio Insulæ essent. Scripsit prætereà Petro, vt nihil dissimularet, omnia Imperatori cognita esse diceret, Theodaato & Gotthis omnibus scelera quæ committebant iniurias quas acciperent exprobraret. Quæ dùm Petrus exequi decreuerat, Amalasunta à Gotthis, permittente Theodaato, occiditur. Occasionem hanc nactus Iustinianus bellum in Theodaatum inferre deliberat. Duobus Ducibus rem bellicam committit, Mundo Illyriorum præfecto vt in Dalmatia Gotthis subdita Salonas vrbem occuparet; & Belisario, vt in Siciliam contenderet, in Carthaginem tamen se profecturum dictitaret. Ad Francos scribit non iure, sed vi sibi ab impijs hominibus Italiæ ditionem esse ereptam, arma idcircò contrà eos sumere velle; ipsum bello iuuarent; qui propositis premijs, opem atque auxilium omni conatu laturos promiserunt. Mundus in Dalmatia Gotthorum victoriam consequutus est. Belisarius, in Sicilia capta Catania, celeriter Syracusas inuasit, qua in eius potestatem redacta, nullo negocio alijs vrbibus potitus est. Reliqua Panhormus erat quæ munitissima optimo Gotthorum præsidio, difficilem obsidionem habebat.

Neapolitani obsides Rauennam missi.

Mundus, & Belisarius.

Mundus in Dalmatiam.

Belisarius in Siciliam.

A vi-

A viribus ad ingenium Belisarius confugit. Classem in portum clàm subducit. ex ea parte ciuitatis murus defensoribus vacuus erat; cumq. animaduertisset nauium malos vrbis propugnacula superare, lembos sagittarijs implet, à quibus ad lembi fastigium suspensis hostes vulnerati, improuiso malo perterriti, deditionem Belisario fecerunt. *Belisarius Panhormum capit.* Petrus eo tempore cum Theodaato qui Imperatoris vires timebat, in colloquium venit. Hæc inter eos acta sunt. Vt Siciliam Theodaatus omnem traderet, & Imperatori auream coronam trecentarum librarum in singulos annos, & tria millia Gotthorum mitteret. *Conditiones inter Theodaatum, & Iustinianum.* Ne Theodaato liceret quemquam nolente Imperatore occidere. Patriciatus dignitatem solus conferret Imperator. Si quandò in Theatris, triuijsq. aut alibi, vt moris erat, acclamatione vel plausu opus fuisset, Imperatoris primò nomen, deindè Theodaati celebraretur. Si Statua quauis ex materia fuisset erigenda, Imperatori & Theodaato simul erigeretur. Hanc pacis condicionem nummus ostẽdit argenteus in cuius vna facie inscriptum, D. N. IVSTINIANVS. P. F. AVG. in altera, D. N. THEODAATVS REX; cuius nummi anteà sic cudebantur,





A bellorum autem curis longissimè alienus Theodaatus, cùm intelligeret maximos sibi tumultus imminere, hinc enim Mundus, hinc Belisarius pro Imperatoria dignitate multa præclara gerebant, & quòd etiam intelligeret Italiæ Tyrannum se esse effectum, scriptis ad Iustinianum litteris, eius tandem cedere Regno velle pronunciauit. quod cum summæ voluptati Imperatori fuisset, euocato è Sicilia Belisario, amico per quem de

Parthis magna ex parte Republica recuperare triumphauerat, & in Sicilia occiso Sunderat Duce Italiam commendauit.

BELISARIVS.

BELISARIVS ex Sicilia soluens, traductis in continentem copijs, per Brutios & Lucanos dùm classis eum subsequebatur, in Campaniam eiusq. caput Neapolim venit loci natura validam, & Gotthico præsidio munitam. Ea profectio ad Neapolitanam expeditionem spectabat, sciebat enim Belisarius quæ Iustinianus mente conceperat, quantum doloris optimo Imperatori Gotthorum temeritas intulerat, quàm perfidè secum Amalasunta,& Theodaatus omnia gessissent. Pati non poterat vt Neapolis Orientalium Imperatorum oculus, libertatis lumine, careret. Nihil antiquiùs Belisario faciundum iussisse arbitror, quàm Neapolim,totamq. Campaniam expulsis hostibus, in antiquam Imperatorij nominis dignitatem restituere. Cùm igitur ad Neapolim,ipse classisq. peruenisset castris positis,edixit vt naues ad sagittæ iactum è portu subducerentur. Ipse in suburbium impetu facto absque vllo negocio cepit. Mox vrbanis ipsum adeundi copiam fecit;ea quæ vellent liberè dicerent, atque simul quid agendum sit communicarent, hoc tamen sibi persuaderent se ex Sicilia eò profectum vt Neapolim in Imperatoris potestatem redigeret; non esse verbis opus, illicò Imperatori obedire deliberarent. Neapolitani miserunt Stephanum Catoldum qui apud ipsos plurimùm poterat, & qui diceret, Velle se profectò vrbis deditionem facere Imperatori, à quo nunquàm animo fuerant abalienato; duabus tamen difficultatibus in ea re peragenda impediri. Primùm quòd Theodaatus Rauennæ vxores liberosq. obsides detineret, quamobrem ab eorum nece non temperaturum sibi persuadebant,si aliquo pacto fidem violassent. Deindè quòd Gotthorum præsidium extimescerent, à quibus fore vt omnes ciues trucidarentur, quis vereri potuisset,si portas ciuitatis nouo Duci Gotthici nominis hosti acerrimo aperuissent? Mirari etiam Neapolitanos paruam

Stephanus Catoldus ad Belisarium.

ciuitatem

ciuitatem incolentes, magno exercitu à magno Duce oppugnari, cui Roma potiùs primo loco esset recuperanda, vt faciliùs Neapolim possideret. Belisarius ab eo non consilium, sed deditionem expetere, respondit. Si Neapolitani æquas conditiones proferrent, se eos in fidem recepturum, atque conseruaturum. Sin, pluris facerent barbarorum, quàm Romani Imperatoris obedientiam, maxima in eos crudelitatis exempla esse editurum. Quamobrem nollent indignitates atque contumelias perferre, neque efficerent vt à Neapolitanis aliæ Italiæ vrbes discant irati Principis euadere indignationem. Se pro ipsorum & totius Italiæ libertate venisse, Imperatorem nihil aliud desiderare quàm impiorum hominum securem ab omnium ceruicibus depellere. Contrà quos si quis seruitute obductus bellum gesserit, nauiterq. pugnarit, duplicem se felicitatem consequutum existimet; si enim victor euaserit, summo solatio esset illatas iniurias vindicare; si verò victus fuerit, illud maximæ sibi voluptati fore experietur, quòd vltrò deteriori fortunæ non occurrerit. Quòd si Neapolitani qui libertatem absque belli discrimine consequi poterunt, ad arma cupiunt deuenire, meminerint hoc pacto firmiorē, dutioremq. seruitutem paraturos. Hæc Neapolitanis Stephane dicito. Gotthis verò illud referto; Aut sub Imperatore nobiscum militent, & quę necessaria erunt, quo pacto voluerint, erogabuntur; aut impunes domos abeant. Sin secus, cùm veniam poscent, non impetrabunt.

Belisarij responsum.

Quæ cùm Stephanus suis retulisset, varij animorum motus sunt excitati; qui enim ab Imperatore erant Stephani faciebant opinioni qui dixerat bellum non sine maximo periculo ea se tempestate facturos, quid enim fractæ vires contrà potentem exercitū, vti à magno Imperatore magnus Dux præfectus erat? Accepisse à Belisario quanta benignitate essent accipiendi si Imperatoris exercitum introducerent; quanta clade & miseria afficiendi si posteà victi succumbere coacti fuissent. Cogitarent si resistere conati fuerint, quid pugnando adepti essent, si cecidissent; quantum detrimenti ex victoria immineret, cùm perpetuum calamitosum bellum essent in se suosq; reuocaturi,

Stephanus responsum refert.

propte-

proptereaquòd Neapoli potiri quauis ratione, quouis ſtudio Imperator ſibi in animum induxerat. Eadem confirmauit Antiochus quidam natione Syrus Neapolis inquilinus, qui maritimo incumbens operi prudentiæ laudem apud omnes ſibi comparauerat. Quorum verbis & hortationibus plebs permota, Romano Imperatori portas vrbis eſſe aperiēdas clamare cœpit.

Antiochus Syrus.

At Paſtor & Aſclepiodotus Neapolitani Rhetores, qui Gotthis familiariſſimè vtebantur, concitatæ multitudinis intemperantiam animaduertentes, vt à Gotthis cladem illam auerterent, rem tandiù differre conabantur, quoàd eorum animi ad vrbem defendendam inflammarentur. Differre viſi ſunt ſi perſuaſiſſent vt antequàm aliquid decernerent Stephanus cum ſcriptis condicionibus ad Beliſarium mitteretur, qui ſi iureiurando rata omnia habuiſſet, tunc deditionem facere potuiſſent. Narrant plerique Stephanum ea ſcripta cum Riuario Neapolitano Epiſcopo tuliſſe, qui Pontificijs veſtibus indutus iuramento Beliſarium adigeret, vt omnia vtrinque ſanctiſſimè obſeruarentur. Videbantur tamen ea petere Neapolitani quæ nunquam Dux eſſet admiſſurus. Quapropter, quòd omnia prudenter agere conſueuerat, cognita Neapolitanorum calliditate, omnia ſe iureiurando pollicitus eſt præſtiturum, & Stephanum remiſit, qui denuò quæ dixerat, quæ promiſerat, confirmaret. A quo cùm eius Ducis animi propenſionem in omnes cognouiſſent, & quòd ſcirent quàm feliciter cum Siculis actum eſſet, iterùm omnium coribus exercitum intrà mœnia eſſe accipiendum conclamatur.

Paſtor & Aſclepiodotus

Beliſarius iurat.

Riuarius Epiſcopus Neapolitanus.

Tunc Paſtor adhibito ſibi ſocio Aſclepiodoto, conuocata Neapolitanorum & Gotthorum concione ſic loquutus eſt; In rebus aduerſis (optimi viri ciueſq.) in quibus de omnium ſalute ac libertate agitur, liberam ſententiam dicendam ſemper exiſtimaui. Beliſarius Neapolitanam vrbem, vos ipſos, liberoſq. veſtros in ſeruitutem redigere cupiens, ea proponit quæ Dux victoriæ cupidus proponere debet. Omnia pollicentur Duces qui ſuis Imperatoribus ambicioſiùs rem gratam facere, non aliorum calamitati ſubuenire ſibi perſuaſerunt. Quæcun-

Paſtoris concio ad Neapolitanos.

que

que à Belisario expetitis, rata, atque facta in vestris manibus collocabit; sed quid præterea rerum euentus ferat,alio quoque eum ordine exequuturum in dubium ne reuocetis. Optat Neapolim; celeberrimum optat oppidum. Oræ maritimæ hæc vrbs videtur imperitare, ideòq. satis firmum præsidium Imperatoriæ classi reperisse, ea occupata, non ignorat. Expulsis ex hac vrbe Gotthis, ex alijs quoque Italiæ vrbibus aut expellentur, aut ipsi suæ sibi saluti consulent; in Theodaatum quouis pacto Imperator animaduertere studet. Multa iniqua Imperator atque Dux cogitant, atque vt consequantur quod exoptant, non modò pollicentur, sed sancto etiam iuramento obstringuntur; quæ si secus fecerint, quas, obsecro, pœnas luent? quò nobis prouocare licebit? quid in seruitute constituti contrà Imperatorem efficere posse vobis persuadetis? Animaduertite viri Neapolitani; si enim Gotthi Græcos deuicerint, proculdubio hostium loco nos erunt habituri, qui nulla necessitate coacti odio tantùm in Gotthos permoti, proditionem facere videbimini. Si verò ad Belisarium victoria inclinauerit, quis veretur nos perfidiæ ab eo esse arguendos, atque ab ipso Imperatore perpetuò proditores esse existimandos? & licet victoriæ initio quo exultat animus aliquam gratiam referret, quis tamen vestrum est qui non existimet,nunquam eum à suspicione cariturum, nunquam Neapolitanis fidem habiturum? An verò illud non intelligitis, cùm Imperator à vobis cùm se occasio offeret posse prodi omninò sibi persuaserit,nouarum rerum incommodo, militum molestiori custodia, legum nouitate, duriore tandem seruitute vos esse opprimendos? Quod si Gotthis fidem seruauerimus, Gotthi ipsi post susceptos labores, liberatam ciuitatem,eiectos hostes, partam victoriam,multis nos beneficijs in eorum amicitia perseuerantes afficient; ipsiq. hostes (tanta est fidei obseruantiæ sanctitas)veniam,seruatæ fidei monumentum, libenti ac generoso animo condonabunt; pertinax enim in quemquam studium, quamuis alicui nocere visum fuerit, nemo mortalium reprehendendum iudicabit. Nunc autem quid obsidionem timetis? in vestra estis vrbe, rebus victui ne-

cessarijs

cessarijs optimè munita, murorum tutela validissima, defensorum voluntate intrepida. Quid bono non estis animo? antiquæ vestræ virtutis vos nolim obliuisci, quæ fortissimos Duces perterrere consueuit; ijsdem nos mœnijs, eadem loci difficultate continemur; eodem seruandæ patriæ studio ad arma rapiamur. Hac vna tantùm re finem dicendi faciam; Si Belisarius per vim vrbe se potiturum speraret, nunquam ad propositas venisset conditiones. Quibus dictis, Iudæos in medium producit, qui defendendæ vrbi nunquam se defuturos, salutem fortunasq. profuturos tanta alacritate pollicebantur, vt in eorum auxilio spes omnis reliqua esse posse videretur. Tanti hæc verba ponderis fuerunt, vt Neapolitanorum mentem immutauerint, & qui Belisarium introducere exoptabant, omninò excludere deliberarint.

Iudæi.

Belisarius obsidionē parat.

Belisarius de his certior factus, seq. elusum ratus, cetera prætermittere, obsidionem parare decreuit. Tentauit sæpè muros, à quibus tamen tùm in continenti, tùm ad mare difficili loco positis, cum magna suorum militum iactura reijciebatur. Artes excogitauit; nec parum fecisse arbitratus est, si Aquæductu intercisо, ciues aqua priuaret. Erat autem Aquæductus ille non Labullæ quem Alfonsus Rex Aragoneus posterioribus temporibus perduxit, sed qui ad murum vsque perductus supernè integebatur (vt ait Procopius qui adfuit) mediamq. vrbem longiore spacio decocto ex latere celsiores fornices habens, peruadebat. Nunquam per altos latericios fornices Labulla defluxit. At quoniam perennium aquarum scaturigines in puteis Neapolitani habebant, nihili technas Belisarij fecere, cum interim non tantum sibi confiderent, vt ab alijs auxilium petere noluissent. Ad Theodaatum Romam misere Legatos, à quo celeriter auxilio esse iuuandos sperabant. At ignauus homo Hebræum quendam præstigiatorem ad se accersi iussit, vt ex eo sciret quinam huius belli euentus esset futurus. Ille verò (ridiculum profectò) ex quibusdam porcis quibus Gotthorum, Romanorum, & Ducum nomina imposuerat, superstitione sumpta, cùm porcos Gotthicos mortuos reperisset, belli

Aquæductū interrumpit.

Labulla.

Neapolitani opem à Theodaato petunt.

Theodaati ignauia.

belli exitum contrà Gotthos prædixit.

Dùm hæc gerebantur, & existimaret Belisarius Theodaatum quammaximis itineribus subsidio Neapolitanis venturum, spe deditionis abiecta, ne frustrà tempus terere videretur, obsidionem soluturum, & celerrimè abiturum exercitui nunciauit. Sed noua discessum occasio retardauit. Etenim Isaurus miles quidam Aquæductus molem videndi cupidus, vtque edisceret quo pacto indè in vrbem aqua deriuaretur, in eum ascendit cùm aqua iàm defluere desijsset. Vbi ad mœnia venit in maximam petram incidit, in qua supernè foramen ad aquam immittendam fuerat excauatum. Animaduertit Isaurus facilè potuisse milites intromitti, si laxiùs foramen efficeretur, vt militi clypeo & gladio armato aditum præberet. Rem aperit Pacari, qui apud Belisarium plurimùm poterat. Pacares Belisario denunciat. Belisarius iubet vt clàm eò accedant, foramen nullo edito sonitu acuminato ferro abradẽdo potiùs, quàm percutiendo aperirent. Eo confecto opere, quòd videbatur se nullo negocio vrbe posse potiri, Stephanum ad se iterum euocat. Hortatur vt nullam deditioni facerent moram; machinas ad expugnanda mœnia esse parata; militum animos ob diuturnos labores furore esse accẽsos; moneat Neapolitanos vt veluti in speculo aliarum vrbium calamitates conspiciant; nolint matrum familiarum luctum, puerorum clamorem, senum eiulatum experiri; metuant ignem quem sacra & prophana lambentem conspicient; cruoris riuos ab eorum compitis auertant; ne patiantur vetustissimam ciuitatem corruere, & Christianos incolas in miseram hanc extremam fortunam incidere; hæc omnia perfidiam sequi non esse in dubium reuocaturos; ne cunctetur ipse pro omnium bono & salute suis persuadere, vt tandem aliquandò à pertinacia desistant. Stephanus ad vrbem regressus, conuocatis Neapolitanis, Belisarij monita & minas multis cum lacrimis exponit. Tùm plebs ignara, nihil Romano Imperatori se debere clamitauit; liberos esse Neapolitanos, seruitutis iuga nũquã subituros; accedat Belisarius; ceruicem nostris mœnijs quatiat; Neapolitanorum egregię virtutis & fidei periculum faciat.

Isauri militi inventum.

Ad Pacarem defert.

Aquæductus foramen amplificatur.

Belisarius iterum Neapolitanos monet.

Neapolitani obdurantur.

Milites ingrediūtur Aquæductum. Cùm hæc resciſſet Beliſarius quadringentis lectis militibus præcepit vt Aquæductum ingrederentur, præfecto ijs Magno, & ſocio addito Enne Iſaurorum Duce. thoraces, clypeos, enſes ſumere iubet; ædificij partem oſtendit quam antea ruperat, vndè in aquæductū facilis patebat aſcenſus; ne lumina præferant, edicit; vtq. tubæ ſonitu, quæ iam geſta fuerint, ſignificarent. Ipſe interim quamplurimas parauit ſcalas quas muris admoueret cum primùm milites in vrbem eſſe introductos intelligeret. Metuebant primò milites, & Magnum ſequi renuebant; quibus probro affectis Beliſarius ducentos alios commilitones addidit, & Fotius filius foueam quoque quà eundū erat, eſſet ingreſſus, niſi pater prohibuiſſet. Sumptis eo pacto animis per foramen ingreſſi audacter incedebāt, dùm Beliſarius ad turrim aquæductus accedens, ne hoſtes qui ibi erant præſidio aliquo pacto facinus animaduerterent, iubet Beſſam vnum ex Ducibus Gotthicis verbis cum barbaris rixari, deindè inter ſe alloqui, & propoſita pecunia perſuaderent vt relicta cuſtodia, ſub Beliſario optimo Principe ſtipendia mererent. Milites qui cœco itinere permeabant, aquæductus enim, vt diximus, tecto fornice mediam vrbem alluebat, in locum tandem peruenerunt vbi aquæductus teſtudo retecta erat, cœlum, & domum in ſuperiori parte conſpicati, confeſtim manibus pedibuſq. enitendo, in cuiuſdam aniculæ domicilium miles quidam, cui nomen Traiano, venit, & ſilentium truculento vultu mulieri pauidæ indicens, reſtem validam ad oleæ truncum alligatam demiſit ad milites, per quam omnes incolumes euaſerunt. Quarta vigilia ad vrbis muros progreſſi, cuſtodes cum Arneſto, & Polyphæo Ducibus obtruncarunt, ſignoq. dato, Beliſarius illicò ſcalas admouit, atque in muros proſilijt. Vbi verò illuxit, qui intrauerant Iudæos, qui oram maritimam cuſtodiebant, à tergo adorti, repentè exterritos in fugam coniecerunt, portiſq. apertis Romanum exercitum introduxere. Qui ad portas Orientales diſpoſiti fuerant, cùm ſcalas non haberent, fores à cuſtodibus deſtitutas incenderunt, & in vrbem ſunt ingreſſi. Capta eſt vrbs, luctus & pauor improuiſus omnia compleuit, paſſim cædes & di-

Magnus, & Ennes.

Fotius Beliſarij filius.

Hoſtes Neapolim ingrediuntur.

Neapolitanorum cædes.

& direptiones factæ sunt. nulla ætatis aut conditionis habita ratio est, quod Paulus Diaconus, atque Iornandes confirmant, ignes domibus suppositi, pueri & matresfamilias in durissimam seruitutem subtracti, à Messagetis præcipuè qui tandiù abstinuere, quoàd Belisarius circumeundo suos à cæde continuit, quos habita concione placauit; fortunas tantùm diripiendas iussit, vxores liberosq. parentibus, atque viris restituendos. Gotthos benigniùs quàm par erat fuisse tractatos scribunt. Pastor repentina morte correptus est. Asclepiodotus fœdissimè à populo discerptus. Pastoris caput palo suffixum. Hunc exitum Neapolitana obsidio post diem vicesimum habuit; & vrbem, quæ summorum Ducum vires mœniorum amplitudine, propria fregit virtute, vilissimi militis astus superauit. Antoninam vxorem post ea tempora Belisarius Neapoli retinuit, vt ab Italico tumultu remotior esset. Quæ cum Procopio deindè classis curam habuit vt ipsemet scribit Procopius lib. 2. de bello Goth. A Siluerio Pontifice increpatum fuisse Belisarium Romam profectum, scribit Paulus Diaconus, quòd tanta crudelitate in Neapolitanos desæuiret. Qui ad se rediens rursum Neapolim profectus est, & quòd vacuam vrbem ciuibus reddidisset, ex proximis villis Cumanos, Puteolanos, eosq. qui in Plaia, Sola, Piscinola, Locotrocula, Summa, Stabijs, & Cimiterio habitabant, coegit vt Neapolim incolerent, & frequentem redderent. Addidit Campanos, Atellanos, Surrentinos Ioannes Villanus. Theodaatus tunc contrà Belisarium Vuitigem misit, qui ab exercitu Rex est denunciatus, & qui de se optimè meritum Theodaatum perfidè trucidauit vt Regnum in Italia confirmaret. Belisarius Romam cogitans, trecentos ex suis cohortibus delectos viros quibus Erodianum præfecit, Neapoli præsidio reliquit, missis quoque ad Cumas custodibus, quæ duo oppida in Campania munita habere satis esse existimabat. A Neapolitanis Romani exemplum sumpserunt, propterea quòd Imperatoris copias libentissimè excipere decreuerunt, & dùm Gotthi per Flaminiam portam excedentes Rauennam se contulere, Belisarius per Asinariam ingrediens, Romam

lib. 1.
lib. 16.

Antonina vxor Belisarij

Neapolim exteri aducuntur.

à Gotthis captam post sexagesimum annum, Iustiniani verò vndecimum, recuperauit.

SIPONTINI. BENEVENTANI.

492 Anno qui præcesserat, in Doctorum Homilijs, atque in antiquissimis Martyrologijs, Neapolitanorum bellum cum Sipontinis celebratur. Est autem in Apuliæ finibus inter sinum Adriaticum & Garganum montem Sipontus ciuitas constituta. Cùm à Gargano illo prædiuite viro locus in eo monte dùm taurum quæreret qui ab armento aufugerat, repertus esset, in quo Beati Michaëlis Archangeli facta est sub Gelasio Pontifice memorabilis illa apparitio Laurentio Episcopo Sipontino, Neapolitani paganis ritibus obnoxij (sic in ea relatione loquitur Laurentius Surius) Sipontinos & Beneuētanos bello lacessere conati sunt. At Sipontini Antistitis monitis edocti triduarum ab ijs petijt ieiunium, vt S. Michaëlis auxilium imploraret, dùm suis Samothracibus Neapolitani sacrificia libarent. Victoriam noctu per visionem pollicetur Sanctus Michael. Quapropter alacriter Sipontini hostibus occurrere non dubitarunt. Primo belli apparatu Garganus mons immenso tremore concussus est, crebris coruscauit fulgoribus, densa caligine obductus. Perterriti rei nouitate Neapolitani, terga verterunt, & ad ipsa Neapolitana mœnia ab insequentibus sunt cæsi.

Neapolitanorum causam agit Illustrissimus Baronius, cuius laboribus ea de causa plurimùm se debere existiment. Videbantur infidelitate notari, qui cumprimùm Fide initiati fuerunt à beatissimo Apostolorum Principe Petro ex Antiochia in Italiam adueniente, fideles (reiecto paganismo) in omnibus se præstiterunt. Docet id Episcoporum series ab Aspremo ab ipso Petro Episcopo constituto; Martyrum docent annales. Tùm Diuus Paulinus Nolanus Episcopus qui vsque ad annum 431. vixit, & qui in tertio natali S. Felicis refert, Neapolitanos singulis annis eiusdem Felicis sepulcrum inuisere solitos. Accedit Procopius qui anno superiore Belisarij obsidionem descri-

bens,

bens, inter alia quæ Stephano Neapolitanorum Legato commemorat à Belisario dicta, illud vnum est, Non debere Christianos eius vrbis incolas in illam calamitatem incidere. Quod eius ætatis nummi sub tot Græcis Imperatoribus confirmant, quandò & Constantini, & Basilij, & Leonis, Romaniq. & aliorum Imperio nihil nisi Saluatoris, cuius Imago in ædibus à Constantino ædificatis præcipuè colebatu r, & aliorum Sanctorum relligionem redolent, huiusmodi enim nummi sæpissimè in agro Neapolitano & in Græcorum antiquis templis extrà vrbem reperiuntur, qui non paganismum, sed Fidem relligionisq. præcipuum cultum apud Neapolitanos ostendunt, qui à beatissimo Apostolorum Petro initiati, ad id relligionis columen peruenerunt, vt Fidei cultu, templorum ædificio, Christianarum operũ amplitudine inter alias orbis vrbes extollitur.

















Illu-



Illuſtriſſimus, inquam, vir ille, non de Sipontinis & Neapolitanis illud eſſe dicendum ſcribit, ſed de Odoacre, & Theodorico, cùm Italia bello vexaretur, nec aliud ibidem priuatum gereretur bellum. Cùm enim Sipontini deditionem feciſſent Theodorici Ducibus, à Theodorico malè accepti fuere. Et occiſo Theodorico Odoacer vectigalia negociatoribus Sipontinis cōdonanda iuſſit, vt in epiſtola ad Fauſtum apud Caſſiodorum.

Lib.2. *Annal.t.6.* Cardinalis hæc verba ſunt; *Sub hoc eodem anno 2. Gelaſij Papæ facta ponitur inuentio cryptæ Gargani montis in Apulia, quæ ex apparitione S. Michaelis Archangeli reddita celeberrima, pio eſt cultui mancipata. Rei geſtæ extat hiſtoria, in eo tamen emendanda, dùm ibi dicitur bellum tunc viguiſſe inter Neapolitanos & Sipontinos, reſtituendumq. eſt, inter Odoacrem & Theodoricum; eiuſmodi enim bello & nō alio priuato tunc vexabatur in Italia.* Sed quoniam in hos relligionis nummos incidimus,

ani-



animaduertendus nummus ille eſt,in quo Ianuarij & Athanaſij quos ſanctiſſimos habuit Neapolis Epiſcopos, pietas elucet,atque hos, & ſuperiores in Sanctorum honorem potiùs cuſos, quàm vt per manus ad mercimonias traderentur.

TOTILAS.

Ex multis Italiæ locis Gotthis eiectis,Beliſarius à Iuſtiniano Conſtantinopolim eſt accerſitus,ad Perſarum furorem coercendum. Interim Totilas (qui & Badduilia dicebatur) Ildibaldi nepos, cùm in rebus gerendis maximam ſolertiam eſſet conſequutus, magni apud Gotthos nominis vir, Gotthorum Rex creatus, poſtquàm Beneuentum mœnibus exuit, ne munitiſſimam vrbem hoſtes incolerent, Neapolim obſedit, ciueſq. humaniter abſque ferocia qua in ſuos vtebatur, ad ſuam amicitiam recipiendos decreuit. Conon Iuſtiniani Dux, cum paucis militibus Iſauris & Romanis præſidio vrbi erat.Cùm verò conſtantes Neapolitanos cerneret, & à deditione alienos, arctiori eos obſidione opprimere, & claſſe cõmeatum prohibere cœpit. Iuſtinianus pro Imperij dignitate tuenda, Maximum Præfectum Prætorio cum claſſe & exercitu ex Thracibus Armeniſq. in Italiam miſit. Sed rei bellicæ imperitus, & ad pacis ocia natus,adeò negocium differre,vt rem Neapolitanam,quin & Italicam eſſe perituram Iuſtinianus arbitraretur.Quapropter Demetrium qui ſub Beliſario in Italia ſtipendia fecerat, altera claſſe comparata in Siciliam miſit ſubſidia Italiæ laturum. Is Neapolitanæ vrbis obſidione audita, quoniam ea claſſe,eoq. exercitu quem duxerat, hoſtium copijs reſiſtere non poſſe ſibi perſua-

539 à 542

persuadebat, alijs nauibus classem auxit, naualemq. apparatum ità formidabilem reddidit vt conspectu tantùm hostibus timorem incutere valeret, atque huiusmodi vt si tunc in eos impetum fecisset, proculdubio victoriam fuisset consequutus. Deterriti Gotthi de salute iàm desperarunt. Demetrius, quòd nouerat non nauibus, sed militibus esse decertandum, Romam ad delectum habendum traiecit. Noluit Romanus miles naues conscendere, duplici enim prœlio à Gotthis deuicti, eorum robur atque ferociam pertimescebant. Spe destitutũ Demetrium Neapolim redeuntem, paucis cum militibus, ijs scilicet quos ex Græcia duxerat, manus conserturum, Totilas classe quam semper in portu paratam habebat, inopinantem adortus, terga vertere coegit, atque velociter insequutus nauibus militibusq. potitus est, præter paucos qui in lembos prosilientes aufugerant, inter quos Demetrius fuit, quem ad pugnam impulerat alter Demetrius genere Cephallen, Neapolis procurator, celeri lembo aduectus.

Ex Epiro Maximus cum classe in Siciliam appulit, ibiq. segnes cunctando, opem ferre nesciebat. Tandem nec minis Iustiniani permotus, nauigationi se committere ausus est, sed Demetrio, Herodiano, & Phassæ classis præfecturam detulit. Hieme hi nauigare cœperunt, & tempestatis æstu in littora deiecti vbi Totilas castra posuerat, quasi vltrò in manus hostium deuenere. Demetrius captus est, & Herodianus occisus. Scribunt alij Herodianum & Phassam euasisse. Demetrio Cephalleni, ob intemperantem in Totilam verborum procacitatem, lingua & manus præcisæ fuerunt. Demetrium reste collo implicita ad muros vrbis ducendum iussit, ne vana spe auxilij Neapolitani detinerentur. Quem cùm obsessi lacerum, squalidumq. conspicerent, diutiùs famem sustinere non valentes, de auxilio desperantes, quòd Totilas eos blandis verbis alloqueretur, quòd decedendi ciuibus condiciones proponeret, quòd misericordiam polliceretur, sese flentes deditionem facere velle polliciti sunt. Vt fidem Imperatori seruarent, triginta dierum spacium ad deditionem faciendam postularunt.

Sed

Sed cùm ad constitutam diem nullum subsidium mitteretur, vrbem se tradituros dixerunt. Totilas verò tres menses se daturum dixit, dummodò pactis starent. quòd si fallerent, protinus se muris oppugnationem admoturum. Tandem obtinuit; ingressusq. Neapolim, à vindicta & iniuria temperauit, omnia humanitatis,& comitatis argumenta ostentans. Cononi & militibus qui decedere voluerũt,nauigia præbuit. Nihil cuiquam ademptum; omnes pari miseria laborantes,eadem misericordia sunt accepti.Illudq. profectò maximè notatu dignum est,quòd omnium salutis curam habuit, vt inediæ studendum iusserit, ne ob famem quam anteà pertulerant, auidiùs ingurgitando in morbos inciderent. Eandem seruauerat clementiam cum Romanis duabus vicibus quibus vrbem ceperat; prima enim dedentibus Isauris,exercitum ad portam continuit, vel vt ciuibus fugiendi potestas daretur, vel vt qui vellent se ad Basilicas reciperent. Et licet postridiè victor elatus è Lateranensi ad S. Petri Basilicam quos habuit obuios trucidauerit; rogatu tamen Pelagij statim a sæuitia se continuit. Altera, dedentibus vrbem Romanis,nec desæuijt, nec confugientes ad sacras ædes impediuit,quin ciues per Campaniam palantes & profugos reuocauit. Qua comitate adducti Neapolitani, paucis post obsidionem diebus, portas illi patefacere non dubitarunt. Nec multò post Theodoberti quoque Francorum Regis crudelitatem sustinuisse Neapolim arbitror,cùm *per Belisarium Italiam infestauit, ab Italia & Sicilia tributa reportans*, vt ait Sigebertus in Chronicis.

Totilas Neapolim capit. Ab iniuria abstinet. Cononem dimittit.

Totilæ clementia.

Theodebertus

LONGOBARDI. ALBOINVS.

Cùm Belisarius Constantinopolim esset reuocatus, rebus Italicis præfectus est Narses Eunuchus, genere Persa, vir summa prudentia & inuicto animo,qui in Italia Gotthicum nomen quod per septuaginta duos annos viguerat,summa virtute obliterauit, & post quem (vt inquit Nauclerus) nec Consules Roma habuit, nec Senatum legitimè coactum,sed Duce Græculo 568

Narses Eunuchus.

lib. 2.

homine, quem Exarchus ex Rauenna mittebat, res Romana (dic etiam, Neapolitana) per multa tempora administrata est; dùm in Italica administratione quietam vitam degeret, ob æmulorum innidiam, à Sophia Iustini vxore, qui Iustiniani Imperio successerat, Constantinopolim fuit accersitus, muliebribus enim exercitationibus quibus alij Eunuchi occupabantur, idoneum ab ipsa cognosci dictitabat. Et ad Gynæcium profectò molles & effeminatos milites relegabant. Hinc Iulianus desertores amictos veste muliebri per castra duxit distrahẽdos apud Eusebium in Constantini vita;& apud Zosimum Hesichius, sub Diocletiano colobio muliebri indutus in Gynæcium datus est. Ideòq. Vegetius Eunuchos à militari functione excipit. Et cùm in Albaniæ campis Romani Persas vicissent, Hormisda Persarum Rex ad Baram exercitus Ducem muliebrem misit vestem apud Paulum Diaconum, qui hac de causa perduellis Regi factus est, vt Biridoes diadema è capite Hormisdæ abstulerit,& in carcerem coniecerint, oculis priuauerint, vxorem liberosq. serra dissecuerint misero Rege inspectante. Qua re commotus vehementer Narses, Iustinum & Sophiam vlcisci, eosq. Italiæ possessione priuare desiderans, idq. per Longobardos opportunè faciundum ratus, nuntios litterasq. ad Alboinum Regem Andoini filium misit, vt relicta Pannonia, ad Italiæ diuitias atque delicias accederet. Anno 568. Indictione prima, Calend. Aprilis eos è Pannonia egressos, & secunda Indictione cœpisse prædari in Italia, & tertia dominari, scribit Paulus Diaconus; & mense Decembri Indictione sexta, vrbem Romanam,& Exarchatum Rauennæ depopulatos. Suam Narses suorumq. clientium operã in ea re perficienda pollicitus est. Terram aëris amœnitate, fructuum vbertate, agrorum fertilitate præstantem, proposuit. Fruges aliquot muneris loco misit, quibus imperitam illam gentem, & nouarum rerum cupidam, alliceret; certam denique victoriam in eorum manibus collocauit. Quod cùm intelligeret Ioannes III. Summus Pontifex Italiæ atque Ecclesiæ maximum detrimentum esse allaturum, Neapolim contendit; conatusq. Narsetis iratum animum

Gynæcium.

Milites amicti veste muliebri.

lib. 16.


sedare

ſedare, qui inter iniuriæ fluctus maximè æſtuabat, illud maximè obiecit, Ne liberatæ Italiæ gloriam barbarorum ſocietate amitteret; ne libertatis titulum, vindictæ macula deturparet. Ergo'ne (aiebat) Narſes per quem viuit Italia, cui fortunas, vxores, liberos, domeſticos parietes populi debent, Italiæ necem, populis calamitatem, Deo ipſo contumeliam es allaturus? Ergo'ne præclari Ducis animum quem nullæ vnquam hoſtium copiæ perterruere, feminæ inſipientis verba commouebunt? Indignationis furor nominis tui immortalitatem obruet, recuperatam perdet Italiam, Eccleſiam furioſæ gentis inundatione labefactabit? Obſecro, obteſtorq. Narſes, ne miſeriarum debellator, miſerias denuò reuoces; ne vulnus quod per te ſanatum eſt, recrudeſcat; ne barbarorum eiector, barbaros iterùm ad omnium perniciem introducas. Obſecro, vt iniuriam quam te accepiſſe arbitraris, populis omnibus, Eccleſiæ vniuerſæ, ſupplicanti, & afflictæ Italiæ condones. His Pontificis monitis pacatior Narſes effectus, cum eodem ſe Romam contulit, vbi dolore conſumptus interijt, corpus tamen in loculo plumbeo conditum Conſtantinopolim eſt translatum. Longinus ei ſucceſſor à Iuſtiniano datus eſt. Interim Alboinus victoriæ ſpe erectus, in hac feliciſſima Italiæ regione dominandi cupidus, relictis Hunnis, Pannonia poſt Paſchatis glorioſiſſimam diem ſe itineri commiſit. Ad ducentum millia capita in eo exercitu Germanicæ hiſtoriæ ſcriptores numerant, nō exceptis vxoribus liberiſq. Italiam aggreſſus, tandem in Campaniam ſe recepit vbi multis occupatis oppidis, Neapolim & Puteolos occupare non potuit; tanta enim virtute ciues ſeipſos & patria mœnia tueri conati ſunt, vt pluribus prœlijs initis, fruſtrà ſe id agere barbari intellexerint. Longobardos ait Aeneas Syluius in Epitome, à longitudine barbæ dictos eſſe, & ab Inſula Scandinauia duxiſſe originem, ex qua profecti, Aionem & Tatonem Duces habuere, quibus defunctis Rex creatus eſt Agelmundus; quo à Bulgaris interfecto, Lamiſſio eſt ſubrogatus. Eorum ingreſſum in Italiam deſcribit anno 156. poſt inclinationem Imperij ſedente Benedicto, qui Ioanni ſucceſſerat xiij. anno Iuſtini imperij.

Papiam sibi sedem constituerunt; indè tota regio Longobardia nuncupata.

LONGOBARDI BENEVENTANI.

660 *Constans Imperator.* Anno 660. in Italiam Constans Imperator venit, vel propter hęresim quæ Constantinopoli vigebat quapropter Romam Imperium traducere cupiebat, vel quòd pellendi Longobardos eum cupiditas incesserat. Is quidem post captā & solo æquatam Luceriam, exercitum ad Beneuentum duxit, obseditq. vrbem. *Grimoaldus. Romoaldus.* Cùm verò comperisset Grimoaldum magnis copijs auxilia Romoaldo filio laturum qui Beneuenti erat, soluta obsidione Neapolim contendit. *Saburus Neapolitanus.* Erat in ea ciuitate strenuus miles, Saburus nomine, optimus ciuis, quem viginti millibus militū præfecit, quibuscum Campaniæ fines à Longobardis tueretur, ipse Romam redijt. Saburus egregiam in ea re Imperatori nauauit operam, magnaq. ex parte hostium vesaniam compescuit. Sed cùm Grimoaldus cum suis copijs commendata Regia Lupo Foroiuliensium Duci, ad Formias propè Caietam venisset, & impetum in *Lupus Foroiuliensium Dux.* Græcos facere vellet, orauit eum Romoaldus, vt sibi pugnandi prouinciam concederet, sperabat enim se facilè victoriam consequuturum. Saburus Neapolitanæ virtutis non immemor, vt ostenderet non immeritò rem sibi Campanā ab Imperatore esse cōmissam, instructa acie, aduersus hostē prodijt. Collatis signis, incerto Marte pugnabatur. At Amelongus quidam qui Regis *Amelongus.* hastam ferre consueuerat, tanto impetu in Saburum irruit, vt ex equo sublatum in cœlum eiecerit. Tantum ea res timoris Græcis attulit, vt de victoria desperantes, partim cæsi, partim in fugam conuersi, Longobardis victoriam obtulerint, qui fugientium multitudinem insequuti, tandem Beneuentum redierunt. Eius temporis nummos hosce Neapoli inuenimus,








Anno

Anno 810. Grimoaldo IIII. Beneuentanorum Duce mortuo, in nouo Duce creando, inter eos diſſidia orta ſunt. Pars Radelchidem, pars Rofritum optabat. Tandem Radelchidis monitu, Sico inquilinus creatus eſt. Illicò ne poſteris inglorium nomen relinqueret, belli occaſionem cum Neapolitanis nactus, quòd Theodorum Ducem eius familiarem eieciſſent, & Stephanum Ducem creaſſent, vt in eorum actis diximus, Neapolim obſedit, multaq. ſanè crudelia Neapolitani pertulerant, quamobrem condicionibus inter ſe paciſci deliberarunt. 810

Siconi Sicardus filius ſucceſſit. Qui Neapolitanis tributum quod patri pendebant ſoluere abnuentibus, bellum mox intulit. Trium menſium obſidio facta eſt. tùm ferrum & flammam ciuitati minitans, tandem quòd pecuniam ſe ſoluturos promiſerant omnia condonauit. Obſidionem ſoluiſſe, quæ Rofritus retulerat, ſuprà diximus. 833

SARRACENI.

Anno 788. Bellum Sarracenicum cum Neapolitanis commemoratur ſub Duce Theophilo, cum Sarraceni ex Africæ, Hiſpaniæq. littoribus quò ſub Solimano Aegypti Sultano anno 721. Theodoſio Anaſtaſij ſucceſſore, & Gregorio II. Pontifice appulerant, Neapolim maxima claſſe aduecti venerunt, atque indè ſumma virtute expulſi ſunt, vt in eius Ducis actis innuimus. 788

Anno 827. Sarraceni ſub Sultano Subaco Italiam tùm præcipuè Romam, & Montem Caſſinum vaſtarunt. 20. autem poſt annos, iterùm in Italiam mouerunt, Anconitanum portum occuparunt, & quicquid in mari iacet Adriatico, ferro & igni conſumpſerunt. Qui in Sicilia firmiſſimas ſibi ſedes conſtituerant, ortis inter Sichinolfum Salerni Principem, & Radelchidem xix. Beneuentanorum Ducem ſimultatibus, quippè propagandæ ditionis occaſionem nacti videbantur, parata claſſe in Calabriam traiecerunt, & non tantùm omnem oram maritimam, quæ Rhegio Caietam vſque protenditur, occuparunt, ſed etiam 827

in con-

in continentem progressi omnium rerum, tùm Neapolitanæ ciuitatis per xxx. annos potiti sunt. Eius in hisce calamitatibus miseriam quis eloqui poterit? quis barbaræ gentis crudelitatem explicare non sine lacrimis valebit, cùm sanguine semper expleri consueuerit? Aliquot Sarracenicos nummos Neapoli reperimus huiusmodi,






Habet Macedonius alios cum Arabibus ex altera facie characteribus, sed eos aduentitios existimo, cùm Neapolis præter superiores, hos etiam habuerit, in quibus vrbis nomen scriptum legimus,









867 Dùm Salernitani Principes Dauferius, Guaiferiusq. contendunt, dùmq. Guaiferius Neapoli Audelaiam Landonis Capuanorum Comitis filiam vxorem acceperat, cùm anteà falsa existimatione alteram necasset, Sarraceni effrenata licentia nusquam

quam à maleficio abstinuerunt. Seodanes (Seodam appellat Leo Ostiensis) eorum Rex veluti sæuissima tempestas Campaniam squalentem reddidit, & Neapolim obsidens, licet defensoribus munitam inuenisset, omnem immanitatem ostentauit: Pecora, rura, villæ, ædificia igne, homines ferro absumpti. Tunc sanè Longobardi fracti viribus, amissa auctoritate qua suæ Italiam seruituti addixerant, cum Radelchide Beneuentano, & Guaiferio Salernitano Ducibus fœdus inire optimum duxerunt, & Ludouicum Imperatorem reuocare. A Basilio Macedone quoque auxilium petiere, qui occiso Michaële Porphyrogenito ad Imperium Constantinopolitanum fuerat euectus hoc eodem anno. Inter se coniurant, nihil nisi communi consilio acturos, eundemq. omnis fortunæ exitum esse laturos, vt à ferocissimorum hostium immanitate liberarentur. Ludouico res non feliciter cessit, etsi Lotarius quoque frater opem tulerit, profligato ad Nuceriam exercitu, quamobrem superbè vicinis locis insultauit. Et tamen paulò post Ludouicus victoriam consequutus, omnes Campaniæ tumultus aliquot prœlijs composuit.

Anno 876. Neapolitani, Salernitani, Amalfitani, & Caietani, inito fœdere cum Sarracenis Romana littora populabantur. Quapropter à Carolo Imperatore Ludouici fratre auxilium petere coactus est Ioannes VIII. Ad opem Pontifici ferendam missi Lambertus Dux & Guido frater, quibuscum Pontifex Neapolim, indè Salernum petijt. Guaiferius Salernitanorum Princeps, violato fœdere, Sarracenos adortus, multos trucidauit. Quæ à Sergio gesta fuerint, suprà leges. 876

Bellum Sarracenicum cum Neapolitanis memorabile illud est quod suprà in Ducibus sub Leone IV. & Lotario contigit. Quod tamen anno 923. contigisse scribit Sigebertus, addiditq. Petrum & Paulum Apostolos in illa pugna visos fuisse Christianis auxiliantes. Quod bellum aliqui tribuunt anno 900. cum Sarraceni montem Garganum, & Apuliam seruituti subiecerunt. 923

Aliud quoque commemorat Ioannes Villanus, sedente Ioanne 956

ne XII. qui Othonem primum coronauit, licet alij eam coronationem Leoni VIII. tribuant. Etenim Neapolitani cùm à Sarracenis adeò affligerentur, vt etiam nauium proris muris ęquatis (id aliqua murorum parte deiecta fieri potuit) per ſcalas in vrbem deſcendere conarentur, ſeſe in maxima calamitate conſtitutos intelligebant. Tunc ad D. Ianuarij & Arpini patrocinium atque tutelam confugientes, publicis priuatiſq. ſupplicationibus preces effundentes, vt veluti à Veſuuij conflagratione, ſic ab ea perfida hoſtium flamma liberaret, eorundem Sanctorum pietate ſeruati ſunt, ipſa mœnia duobus illis maximis Ducibus & Patronis defendentibus.

981 Otho ille primus, qui ex ſupplicijs quæ ſumebat, Sanguinarius appellatus eſt, in Vaticano in conuiuio quod parauerat multis trucidatis, Vrbe cum exercitu egreſſus, Neapolim & Beneuentum petijt, ibiq. firma Neapolitanorum, Salernitanorum, Capuanorum manu ſumpta, graue cum Græcis & Sarracenis in Apulia bellum geſsit. Annum 981. numerat Sigonius. Præceſſerat inſignis illa victoria anno 915. quæ à Neapolitanis, Capuanis, & Amalfitanis, Sarraceni è Campania eiecti ſunt, & quæ Gregorium Ducem Neapolitanum, & Atenolfum Capuanum Principem maximè illuſtrarunt. Quid ſi Hungaros Slauoſq. commemorabimus quorum maxima in Italiam multitudo anno 948. erumpens, & Campaniam aggrediens, agrum Beneuentanum, Capuanum, Nolanumq. vaſtauerat? An verò flammam quæ ad Nolam Capuamq. accenſa eſt, furoris impetu Neapolim quoque perueniſſe negabimus?

NORTMANNI. FRANCI.

Nortmannos (quos ſic dictos aſſerunt quippè Nort Septentrionem, Man, hominem ſignificat, quaſi homines Septentrionales dixeris) Francos appellat Georgius Cedrenus, nec ab re, cùm Galliæ Celticæ populi fuerint. Nam ex Noduuergia, vel Nortmannia diſcedentes, diuturno bello à Danis victi, nouas ſedes quærere ſtatuentes, anno 700. profligatis Saxonibus,

Scotis,

Scotis, Frisijs, Aquitanis in Galliam præcipuè Duce Creto ferocissimo viro, crudeliter irruerunt. Diutiùs eorum irrepsit crudelitas. Cumq. omnia vastarent sub Ludouico II. Lotarij filio, in Frisia eorum decem millia interfecta fuerunt. Anno deinde 880. nouem millia cæsa sunt ad Ligerim fluuium. Post multa facinora, Gofridus earum gentium Princeps à Carolo Simplici cum sacrò Baptismate Frisiam dono accepit. Sed nec à crudelitate abstinentes, multas Germaniæ ciuitates combusserunt. Galli cùm eos inuictos, nec ex ijs posse regionibus pelli existimarent, propositis condicionibus, & inter alias, si CHRISTVM venerari voluissent, eos in suis sedibus accipere pollicebantur. Eorum Dux Rollo baptizatus est, & alio nomine, Robertus appellatus. Neustriam incolendam habuerunt, quam prouinciam Nortmandiam dixerunt. Ex Ducatu post aliquot sæcula, Comitatus effectus est, & Franciæ Regibus magna ex parte subiectus, post multa bella inter Anglorum, & Gallorum Reges gesta. Quæ ex Cedreno discere potuimus hæc sunt;

Georgius Maniaces (Maniax ab aliquibus & Molochus, dicitur) à Michaele Paphlagone Imperatore in Siciliam missus vt eius insulæ Principi Aphilaphari, vel Apolopharo, Muchumeto qui cum fratre Apochape & Sarracenis pugnabat, auxilium ferret, quingentos Francos è Gallia Transalpina euocatos, quibus Arduinus præerat, socios sibi adsciuit, quorum ope de Sarracenis victoriam reportauit. Sed à Stephano Imperatoris sororio accusatus quòd Siciliæ sibi regnum arripere tentasset, Constantinopolim accersitus, duro carcere detentus est. Successor ei datus Michael Prothospatharius Doacenus, ineptus homo, qui cùm Francos in fide, negatis stipendijs, retinere nesciuisset, Ducemq. Arduinum hortantem ne suos milites mercede laborum fraudaret, flagris cęcidisset, eos desciscentes contrà suas copias arma capere coegit. Pugnarunt ad Cannas ad Aufidum fluuium, vbi illustris illa canitur cùm Pœnis Romanorum pugna; victusq. Doacenus, Cannas turpiter aufugit. Sumptis viribus, in Francos quibus se adiunxerant eorum auxilia

xilia qui Alpium radices incolunt, impetum facere iterùm conatus, iterùm victus abijt. Quamobrem alius ab Imperatore successor missus est Boioannes ex Basilij Imperatoris genere strenuus miles, à quo tota Italia Romam vsque Imperatoris potestati subacta est. Tandem is quoque ad Monopolim pugnans, viuus in hostium potestatem venit; atque tunc Franci Italiam vt bello partam sibi vendicauerunt. Quatuor solum vrbes in Romanorum fide permanserunt, Brundusium, Hydrus, Tarentum, & Baris. Mortuo Michaële Imperatore, & Michaele Calaphato, quem sibi filium adoptauerat, à Zoe vxore Maniaces è carcere eductus, rursus in Italiam missus est, vt Francos ex ea parte quæ ad Capuam, Beneuentum, Neapolim pertinet maxima crudelitate vexata, expelleret. Quæ tunc à Neapolitanis gesta fuerint, quas gens barbara in eam regionem iniurias intulerit, quæ intercesserint bella, quisque existimare facilè poterit.

Leo Ostiensis Nortmannorum sic nectit historiam, vt eos ad XL. primùm Salernum peregrinorum habitu peruenisse scribat, qui cùm à Sarracenis miserrimè acceptam eam ciuitatem animaduerterent, dolore perciti, atque pia indignatione accensi, petitis armis à Guaimario, Afros vicerunt ac profligarunt. Sed quo pacto paruus eorum numerus eos debellare potuerit, hoc ipse loco decernere nequeo. Deindè oblata munera à Principe accipere renuentes in Nortmandiã sunt reuersi. At Guaimarius genus hominum ferox, & ad arma natos præsidio habere desiderans, Narsetis exemplo ijs muneribus quæ Itala terra profert per Legatos allicere studuit, vt eius gentis animos aucuparetur, quò faciliùs indè proficisci deliberarent. Dissidebant inter se Giselbertus, & Guillelmus eorum locorum Principes. At Giselbertus Roberti Comitis minas extimescens, adscitis Rainulfo, Asclitrino, Osmundo, & Rodulfo fratribus, atque plerisque familiaribus, cum Legatis Salernitanis aufugit, & Capuam venit. Ibi Pondolfus Princeps, & Melus Barensis commorabantur. Hic Græcis inimicus (Basilius erat tunc Orientis Imperator, eiusq. Duces Basilius Sunio, & Contus Leo Cephalenius)

Ionius) Nortmannorum Dux effectus est, & ad Cannas cum Græcis quartò dimicans, tribus enim alijs prœlijs contenderat, ex CCL. Nortmannis, solus ipse Dux superfuit, multis Græcis trucidatis. Cùm verò se omnium auxilio destitutum cerneret, reliquos Nortmannos, Guaimario & Pandulfo Principibus commendans, ipse ad Henricum Imperatorem profectus est, de expellendis Græcis cum ipso acturus. Henricus anno 1022. cum numeroso exercitu in Italiam contendit, Meli nepotes multis beneficijs affecit, tùm præcipuè Comitatus titulo insigniuit, atque ad eos tuendos, pręter Gilelbertum, Stigandum, Balbum, atque Vgonem, decem & octo alios Nortmannos reliquit. Mortuo Henrico, Conradus filius ad Imperij fastigium est euectus. Tunc Pandolfus Capuanus Princeps, qui in Germania carceribus detinebatur, Guaimarij opera liberatus, in Italiam veniens, Nortmannorum Marsorum Comitum (Rainulfi scilicet & Arnolini) & Imperatoris Ducis Boiani, vel Boianò, qui & Catapanus dicebatur, ope excitatus, Capuam obsedit. Et dùm eam expugnare contendit, Pandolfus Theani Princeps, in quem Capuæ Principatum Henricus transtulerat, Boiani opera Neapolim se incolumem recepit. Sequenti anno ab eodem Capuano Principe Neapolis capta est, Sergio Duce indè expulso. Qui post tres annos recuperata Neapoli, Rainulfum sibi affinitate coniunxit, Auersæ Comitem creauit, & tunc primùm cum socijs Nortmannis Auersa habitari cœpta est.

Illud tamen veriùs quòd inter eos Nortmannos, qui ad gloriam sibi comparandam in Italiam è Francia aduenerant, Gulielmus Fortebracius erat, qui occupata à Sarracenis Sicilia, Pontificis monitu, cum Molocco Græco Duce, in barbaros irruit, & insulam eorum dominatu liberauit. Cùm verò Moloccus pactis non stare videretur, de prædæ enim diuisione inter se conuenerant, Gulielmus in continentem redijt, Apuliam totam perlustrauit, mox Melphiæ se continuit. Moloccus insequutus, manus cum eo conseruit, vicitq. Gulielmus & Apuliæ Comitis titulum accepit. Huic Drogo frater successit, à quo magnam cladem ab alio Græco Duce, qui Melus dicebatur,

accepit. Non multos post annos denuò Normanni, qui de Apuliæ statu semper cum Græcis cõtendebant, apud Aufidum conlatis signis, Apulia potiti sunt. Drogoni Hunfredus, huic Gottifredus fratres successerunt. Gottifredus filium heredem reliquit. Sed Robertus Guiscardus Gottifredi frater, nepotem eiecit. Ad maxima facinora hic natus in colloquium cum Nicolao II. Pontifice in Samnio venit, à quo Calabriæ & Apuliæ Ducatus titulo meruit decorari. Calabriam Apuliamq. eiectis Græcis occupauit, per Rogerium fratrem Siciliam recuperauit, Michaeli Imperatori opem tulit, Græcos classe vicit, Dyrrachium cepit, Henricum III. Imperatorem, qui Gregorium VII. in Mole Adriani obsederat, Vrbe expulit anno 1084. Pontificemq. liberatum, Salernum secum duxit. Dyrrachium reuersus Græcos, Venetosq. vicit, aliaq. illustria ac præclara gessit, quæ fusiùs in eius vita ostendemus. Duos habuit filios Boemundum, & Rogerium, inter quos de dominatu dissidia orta sunt, nam Rogerium præsentem populi acceperant, cum Boemundus Dyrrachij à patre relictus esset. Boemundus in Syriam profectus est. Rogerius Apuliæ & Calabriæ Ducatum viginti quinque annos obtinuit. Moriens Gulielmum reliquit; qui Constantinopolim nauigans vt vxorem Imperatoris sororem duceret, quicquid in Italia possidebat, amisit. Tunc Rogerius Siciliæ Comes, ex eo Rogerio ortus, qui iubente Guiscardo Siciliam à Sarracenis recuperauerat, nactus occasionem in Calabriam contendit, eaq. & Apulia potitus est, Regemq. Italiæ se appellandum iussit. Sic ad Normannos Neapolis peruenit, & Græcum in ea Imperium desijt.

ANTI-

ANTIQVA LAPIDVM MONVMENTA quæ Neapoli extant. Cap. XXI.



X naufragio tabulas colligere videor dùm Græcos, Latinosq. lapides, titulos scabrosos, cippos, aera refero præter ea quæ suis locis Neapoli adnotaui. Emolumenti plurimùm affert antiquitas; atque is qui consepultas lapidum memorias, aut ipsas vetustatis cicatrices inuestigatur, maximam sanè lucem affert immortalitati, studetq. vt Rerumpublicarum corpora ignis, bellorum, temporis iniuria lacerata, quodammodò reuiuiscant; eumq. qui tantillum fragmenti seruauerit, Deucalionem appellabo, qui sciat, velit, homines huiusmodi in saxa recondere, homines, inquam, ex lapidibus formare. Quid nos non docet Antiquitas? Aut quidnàm se quispiam scire dicet, qui ab antiquarum rerum cognitione abhorreat? Quæ medullitùs insunt in historijs, vna tantùm dictio eaq. erasa patefaciet; & quæ hiulcam & salebrosam conficient orationem, genuinis litteris, reconditisq. vocabulis appositæ, Romanæ linguæ candorem ex ruinarum sepulcris elicient; quæq. iam mortua & destituta nimio squalore iacere videntur, maxima cum doctorum hominum voluptate animabunt. Quidquod sæpissimè veluti ex abscondito thesauro ex antiquis monumentis Iurisconsultorum Collegia abdita quædam vel obolita ad Legum cognitionem depromunt? Omnium rerum, omnium disciplinarum Iudicem homines habent Antiquitatem? En tibi monumenta quæ antiquam Neapolim redolent, quibusq. nihil illustrius in ciuitatibus seruandũ censeo. Ad vrbis gloriam maximè conferent, tùm in primis studiosorum satis voluntati facient. At verò dùm quæ antiquarum rerum collectoribus (quorum labori nullo premio satisfacere possem) incognita fuere, huc etiàm conferenda duxi, quamuis aliundè multa Neapolim translata fuerint, operæpretium

tium

tium fecisse arbitrabor, licet nihil fecerim aliud. Ad animum saltem accedam Imperatorium; Theodosius enim Suræ Comiti hæc scribit; *Sine vsu iacere non debet quod potest ad decorem crescere ciuitatis, quia non est sapientiæ profutura contemnere.* Et paulò post; *Et ornent aliquid saxa iacentia post ruinas.* Et tamen de marmoribus loquebatur, quibus muros ornandos iusserat; quantum decoris inscripta marmora ciuitatibus afferent? Quid malum de nostrorum negligentia dicam, qui antiquitatis decus quo lapidibus statuisq. Neapolis ornaretur, aut à sacrilegis manibus auferri, aut miserrimè interire patiuntur?

lib. 7. ep. 7.

LAPIDES AVGVSTORVM.

In ædibus Mataluniens.

IMPERATOR. CAESAR. DIVI. VESPASIAN
DOMITIANO. AVG. GER. PONT. MA. TRIB.
POT. XVII. IMP. XXII COS. XVI. CENSORI
PERPET. P. REG. VICI. VESTORIANI
ET. CALPVRNIANI.

Apud Marcum Ant. de Caualerijs.

GERMANICO. CAESARI. TI. AVG. F.
DIVI. AVG. N DIVI. IVLII. PRON. PONTIFICI
FLAMINI. AVGVSTALI. AVGVR. COS. II. IMP. II.

In ædibus Capanorum.

C. CAESARE. AVGVSTO. F. L. PAVLO. COS
LARES. AVGVSTOS
Q. NVMISIVS. Q. L. LEGIO
L. SAFINIVS. LL. HILARVS
SODALIS. C. MODI. OCTAVI. M SER
MAGISTER. DE. SVO. F. C.

DEORVM.

Apud Spataphorum.

ΕΡΩΤΙ. ΕΥΤΥΧΙ.

ibidem.

ibidem.

ΘΕΟΙΣ. ΔΑΙΜΟΣΙΝ
ΚΑΣΤΟΡΟΣ. ΒΛΑΣΤΟΙ. ΚΩΡΥΚΕΩΤ.

In ædibus Octau. Cæsaris, Consiliarij.

EX. IVSSV. I. O. M.
HELIOPOLITANI. AVRELIO. THEODORO. SACERDOTI
FILIO. CVRATORI. TEMPVLI. CEREMELIENSIVM
ADAMPLIANTES. DONIS
TORQVEM. ET. VELVM. SAC...
LVCOPHORIDI. DE. SVO. POS.
CVRANTE. ACILIO. SECVNDO. TRO...:

Cumis huc translatum lapidem indè conijcio, quòd Strabo lib. 14. scriptum reliquit Aristonicum ex nauali pugna apud Cumam ad Ephesijs victum, profectum esse in mediterranea, & conuocata multitudine, pauperum, & seruorum euocatorum eos Heliopolitas appellasse. Id hominum genus Cumis facilè fuit. Quid si Neapolim Cumis aduenerint? Lycophoridis numen planè ignoro. Sed Lupum pro Deo haberi apud Aegyptios, notat Plutarchus lib. de Iside & Osir. ideoq. Aegyptiorum Lycopolitas, occeuesci.

Heliopolitæ Cumis.

Lupus pro Deo habebatur.

Apud Spataphorum.

PRO. SALVTE. ET. VICTORIA. AVGVSTORVM
DEO. MAGNO. GENIO
COLONIAE. PVTEOLANORVM. ET. PATRIAE. SVAE
Q. AVRELIVS. HERMADION. SEVIR. AVGVSTALIS
ET. CVRATOR. EORVM. EXTRVXIT
ET. DONVM. DAT. L. D. D. D.

Augustalis antè Cæsarem nullus. Sic enim dictus quòd ab Augustis erat constitutus. Et quamuis in municipijs dumtaxat & Colonijs extrà Vrbem ex Decurionum numero selectos veluti IIII.viros, Sexuiros contendant, vrbanos tamen etiam reperio; L. APITIO. BRVTIDIO. SOTERICHO. VI. VIR. VRB. Quale verò eorum ministerium fuerit, difficile est inuenire. Illud certum,

Augustales, quando.

Augustalium munus. tum, in Municipijs epulas dedisse, & habuisse Collegia. Dicuntur etiam Augustales, Quirinales, Flamines, Iuniores, Seniores. *Augustalium plura genera.* Habuerunt aliquandò Decurionatum, aliquandò Auguratum. Triumuiratum quoque, & Quatuoruiratum. vt Mediolani,

TREBIA. C. F. PHILVMENA. SIBI. ET. L. TIVCIO. MERVLAE VI VIR. III VIR. IIII VIR. Curatores etiam Aerarij inueni,

L. GEMINVS. L. F. MESSIVS. VI VIR. CVRATOR. AERARII.

Sed Sexuiri Augustales erant, quos Augusti constituebant. Σεβαςός, fortasse apud Curopolatem.

In ædibus Capanorum.

Q. VOLVSIO. SATVRN. P. CORNELIO. SCIPIONE
COSS. AVGVSTALES
QVI. NERONI. CLAVDIO. CAES. AVG.
ET. AGRIPPINAE. AVG. I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE
LVDOS. FECERVNT. XIII. ET. XII. K. MART.
C. TANTILIVS. CC. L. HYLA. CN. POLLIVS
CN. L. VICTOR. C. IVLIVS. C. L. GLAPHYR.
CVRATOR.....

CLASSIS ET MILITIAE.

Apud Spataphorum.

L. SEMPRONIVS. PROCVLVS. VETERANVS
EX. CLASSE. MISENIS .... MIL.
AN. XXVI. SIBI. ET. CONIVGI. SVAE. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM.

Veterani qui dicebantur. Veteranus (inquit Suidas) à Romanis dicitur militia dimissus. In viginti autem annos merebant. Idcircò in Codice Iustiniani, Veterani definiuntur, qui post vicesima stipendia honestam vel *Missiones Veteranorum.* causariam missionem sunt consequuti. Causaria tamen missio post expleta stipendia non datur. Soluebantur post emerita stipendia omni munere militiæ, sed non pugnæ in hostem. Nec iam

iam sub signis aut Aquilis erant vt alij milites, sed sub vno vexillo habebantur seorsim, & dicebantur Veterani, & exauthorati. Sed quoniam fraudes committere solebant expectando solutiones sub Vexillis, Tiberius Missiones Veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans. Lipsius. In antiquis lapidibus Veteranos, & Veteres legimus. *Veterani exauthorati.*

ibidem,

M. BASSVS. MARCELLVS. VETERANVS
AVG. N. L. MILITABIT. ANNOS. XXVIII. FECIT. SIBI
ET. SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. SVIS.

ibidem,

L. SELEVCVS. NATIONE. SVLEVCIENSIS
MIL. CLASS. PR. MISENATIVM
MILIT. AN. XXX. SCENICVS. PRINCIPALIS
VEX. AN. L. ANTONIA. THEODOTE. SOROR. FECIT.

ibidem,

D. M.
C. IVLIO. QVARTO
VET. EXPR. N. GALLO. CECILIVS. FELIX. S.
ICONIA, HERACLIA. S. ET. S.

Gallus, Nauis nomen. Græci quoque obseruarunt, & PARALVM publicam Atheniensium nauem inuenies apud Xenophontem. TALAMEGVM apud Aegyptios. & apud Thucididem Δελφινοφόρον, in qua Delphinus ex ære. Sic in sequenti lapide, SPEM. & in inferiori, FIDEM. *Nauium nomina. lib. 1. de Hist. Græc.*

ibidem,

D. M.
C. VALERIO. PLOTIANO. III. EVPHRATE. PR.
M. ANTONIVS. PAVINVS. N. III... SPE...

ibidem,

L. ATILIO. L. F. CRESCENTI. ET. AVG.
MISSO. HONESTA. MISSIONE. EX. COH. VI. PRET.
L. ATILIVS. TROPHIMVS. ET. L. ATILIVS. EVTYCHVS

LIB. ET. HEREDES. PATRONO. OPTIMO. ET. BENE. DE. SE. M. FECERVNT. ET. SIBI. ET. SVIS. LIB. LIBQ. POSTERISQ. EORVM. H. M. EX. TEST. . . . . . NON. SEQVETVR. NEC. HERES. MONVMENTVM.

Confectis ſtipendijs in pedite xx. annorum, in equite x. mittebatur miles liber deinceps, & immunis. His confectis, mittebantur. Eaq. Honeſta miſſio erat. Sed quatuor miſſiones, Honeſta, quæ emeritis ſtipendijs. Cauſaria, quæ ob vitium, vel morbum. Gratioſa, quam Liuius ità nominat per gratiam ab Imperatoribus impetratam. Et Ignominioſa, qua ob crimen & delictum aliquis militia fuerit ſolutus, ait Lipſius. Emerita ſtipendia tamen ſic complectitur antiquus lapis Venetijs, quem libentiùs adſcribo, quòd ad Miſenenſem claſſem pertinet. Habeat id gloriæ Miſeni promontorium, & ciuitas poſt cineres;

Honeſta miſſio. Cauſaria. Gratioſa. Ignominioſa.

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVAE NEPOS. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XII. COS. III. P. P. IIS. QVI. MILITAVERVNT IN. CLASSE. PRAET. MISENENSI. QVAE. EST. SVB. IVLIO FRONTONE. SEX. ET. VIGINTI. STIPENDIIS. EMERITIS DIMISSIS. HONESTA. MISSIONE. QVORVM. NOMINA SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQ. EORVM CIVITATEM. DEDIT. ET. CONVBIVM. CVM. VXORIBVS QVAS. TVM. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA AVT. SI. QVI. COELIBES. ESSENT. CVM. IIS. QVAS POSTEA. DVXISSENT. &c.

Idem Domitianus peditibus & equitibus qui militauerant in Cohorte III. Alpinorum, & aliorum qui vel quina, & vicena ſtipendia meruerant ciuitatem donat. & qui ſena & vicena in claſſe Rauennate ſub Sex. Lucilio Baſſo. Sed nota etiam emerita diuerſa fuiſſe à premijs; hæc enim in pecunia, illa in agris. Menander, & Paulus Iuriſconſulti diuerſa faciunt. Quod verò ad Cohortem Præt. attinet, Varro cohortem dici ait à coercendo, quòd in Cohortibus, vel Cortibus, ſeptis ſcilicet in villis (id enim χόρτος, apud Græcos,) quòd circà eum locum pecus coer-

Cohors Prætoria. lib. 4. de ling. Lat.

coerceretur; *Et vt in villa ex pluribus tectis coniungitur, & quidam fit vnum, sic hæc ex manipulis copulatur cohors.* Legionariam & plenam cohortem quadringentis & viginti hominibus constasse aiunt, in quibus tres manipuli, & in ijs, Hastati, Principes, Triarij. Plenior Legio, pleniores habuit Cohortes, Quingenarias, & Sexcenarias leges. Inter Cohortes, Prætoriæ erant, extrà ordinem decumatæ. Earum originem Scipioni Festus tribuit; *Prætoria Cohors, quòd à Prætore non discederet. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cetero militiæ munere vacarent, & sexquiplex stipendium acciperent.* Cohortem amicorum appellauit Scipio Numantinus; ἐκάλει φίλων ἴλην, Appianus. Augustus Romæ nouem Prætorias cohortes habuit. Hæc Macedonibus, Cohors Regia. Ianizeri, Turcis.

Legionaria cohors.

Cohors amicorū, eadem quæ & Prætoria.

ibidem,

D. M.
AELIVS. EPICTETVS. VETERANVS
NAT. GRAECVS. VIX. AN. L. NICOBVLVS. FILIVS
PATRI. SVO. BENEM. F.
AVRELIO. RODONI. PROCVRANTE.

Apud Marcellum Girardum.

AVR. ABITVS. MIL. COH. X. PR. Q. VERANI
VIX. AN. XL. MIL. AN. XIIII.
NAT. BESSVS. NATVS. REG. SERDICA. VICO. MAGAN.
AVR. VICTOR. AFFINIS
ET. AVR. MAXIMVS. ET. AVR. ZOSIMVS
ET. AVRELIVS. ZANTICA
ET. AVR. GALANVS. HEREDES
B. M. F. C. R.

ibidem,

AVRELIVS. FVLIANVS. MIL. COH. PR
Q. QVINTILLIA. . . AVR. TEVTAMERVS
COH. II. PR. AELIA. MARCIA. CON. B. M. F.

Ad D. Archangeli ex Apiano.

D. M.
AELIO. FORTVNATO. MIL. II. STAT. PRÆTOR
ANTONIANORVM. SILVANIVS. MARTINVS
COMMANIPVLVS. ET. HERES. BENEM. F.

ibidem,

D. M.
Q. CISSONIO. Q. F. HOR. APRILI. VETERANO
COH. II. PR. ARCHITECTO. AVGVSTOR.
PATRICIA. TROPHIME
VIRO. BENEMERENTI.

Ad D. Pauli.

C. CISPIVS. C. F. SCAPT. SEVERVS. FLORENTIA
MIL. COH. III. PR. VIX. AN. XLIIII. MILIT. AN. XII.

Ad S. Crucis.

M. METTIO. M. FIL. PAL. PIO. EQVO. PVBLICO
PRÆF. COH. V. THRACVM.

In ædibus Andreæ Nicosæ.

C. SENIO. SEVERO. MANIPVLARIO. EX. III. FIDE
NATIONE. BESSVS. VIX. AN. XXXXVI. MIL. AN. XXV.
L. AEMILIVS. DOLENS. HERES. B. M. F.

Manipularius. Αρχηγὸς ὄχλυ, dicitur Manipularius in Glossis. sed λόχυ, legendum existimat Lipsius. Manipuli Ductorem significat. Manipulum eundem facit Vegetius cum Contubernio; sed *Contubernii. lib.4.* Contubernio signum nunquam fuit, Manipulo fuit. Varro; *Manipulos exercitus minimas manus quæ vnum sequuntur signum*. *3. Fast.* Ouidius,

Pertica suspensos portabat longa maniplos
Vndè Maniplaris nomina miles habet.

Sertum vel Coronam ex manipulo herbæ appellat Donatus. *lib.6.c.4.* Cincius lib.6. Manipulos triginta notat in Legione in Agellio. Ducentos milites agnouit in Manipulo Isidorus. Vegetius centum. Alij sexaginta. *Commanipulus.* Commanipulus ex eodem manipulo est.

LOCO-

LOCORVM PVBLICORVM ET SEPVLCRORVM.

Apud Spataphorum.

DIS. MANIBVS
P. ALFENI. ANTEROTIS. LOCVS. EX C
SEPVLCRI. ET. ITINERIS. I. NERONI. P. XI.
IN. AGR. P. XXXIII. ET. POENA. EXCEPTA
HS XX. ET. P. ALFENO. RVSTICO. ET. ALFENÆ
P. L. LITE. LIBERTIS. LIBQ. POSTERISQ. EIVS.

Actuarios limites hic intellige qui apud Higinum extrà terminos Decumanos, & Kardinis latitudinem habent pedum xij. Per hos iter populo,ſicut per viam publicam debetur. Ità enim cautum eſt lege Sempronia,Cornelia,& Iulia. Quidam ex his, latiores ſunt xij.pedibus,vt ij qui ſunt per viam militarem acti. In lege habes hæc Agraria, & in Coloniarum diuiſione. Aggenus ſic meminit; *De fine lex Mamilia quinque aut ſex pedum latitudinem præſcribit. Quoniam hanc latitudinem, vel iter ad culturas accedens occupat,vel circumactus aratri, quod vſucapi non poteſt. iter enim non quà ad culturas peruenitur, capitur vſu, ſed id quod in vſu biennio fuit.* Quidam limites latiores ſunt pedibus xij.vt ij,qui ſunt per viam militarem acti. Actuarij limites.

ibidem,

M. AVIANVS. M. F.
CONIVNCTVS. II. VIR. ITER. TEXIT
ET. TECTVM. S. P.

In ædibus Bernardini Rotæ.

OPPIÆ. T. F. BASILLA. MATER. INFELICISSIMA. FECIT
BASSO. FILIO. OPTIMO. ET. PIISSIMO
ET. SIBI. ET. AMANDO. AVG. L. CONIVGI
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. BASSI. FILII. MEI
ET. MEIS. ET. AMANDI. ET. NATIS. NATÆVE. EORVM
LOCO. EMPTO. TERRÆ. IVGERIB. TRIBVS
ET. ÆDIFICIIS. OMNIB. CIRCVNDATA. MACERIA.

ibidem,

ibidem,

IVLIVS. FRONTO. ABD. DVXIT
VIAM. A. FORO. FECIT......
FECIT. CLEIVOM........

Apud M. Antonium de Caualerijs.

ET. PATER. ET. FILL.. M. SALIENDAMQVE...
TERTVLLA. RESTITVIT.

Apud Ioannem Baptiſtam Portam.

ALBIAE. C. L. FAVSTAE. MERENII. T. CORNELIVS
T. L. NICEPHOR. C. ALBIVS. C. L. ANOPTES
T. CORNELIVS. T. ET. C. ALBI. Ͻ. L. FAVSTVS. FECERVNT
INFR. P. XXV. IN. AGR. P. XXV.

ibidem,

A. VITELLIVS. Q. AL. CHRESTVS... TROILAE
ANTHEMIO. MATRI. SVAE. ET. VITELLIAE. PRIMAE
LIBERT. SV. INFR. P. XII. IN. AGR. P. XII.

Apud Sanctafidem.

ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΑΣ. ΕΠΑΙΝΕΤΟΥ
ΑΧΑΙΟΣ. ΧΑΙΡΕ.

Qui heredes erant Sepulcrorum, perticam, & decempedam agrorum poſſidebant.

Apud Spataphorum.

IN. HIS. AEDIFICIS. ET. LOCIS. PVRIS. ADIACENTIBVS
SIVE. IS. LOCVS. AGER. EST. AELI. RVFINI. MILITIS
CVIVS. SE. POSSESSOREM. ESSE. EX. CAVSA. EMPTIONIS
P. AELI. ABASCANTI. PATRIS. SVI. ALFENIO. SENECIONI
SVB. PRAEF. CLASSIS. PR. MIS. PROBAVIT. ET. MERVIT
SENTENTIAM. QVAM. IVSSV. EIVSDEM. SENECIONIS
SVB. PRAEF. HVIC. TITVLO. PROSCRIPSIT. SENECIO.
C. C. C. DIXIT.

Calſiniæ cauédæ cauſa.

Neceſ-

Necessariam fuisse inspectionem ædificiorum & loci de quibus aput me actum est re ipsa manifestatur. Cùm igitur ædificia solo puro posita deprehenderim, neque vllo sepulcro superposita vel coniuncta, apparet venditionem eorum iure factã, ideoq. ad Aelium Rufinum militem ex causa emptionis pertinere videntur. Loci verò siue agri quem adiacentem ædificis Aelius Abascantus pater Rufini ab heredibus Patulci Diocletis æquè mercatus est, cùm habeat plurima & dispersis locis sepulcra ius per venditionem transferri ad emptorem non potuisset, cùm pater Rufini, & postea Rufinus quamquàm non iure facta emptione semper in possessionem fuerint, nullo iure eum locum vindicare sibi Patulcij possunt. Planè cùm in re præsenti inspexerim lituratum ag. & erasum Patulcij dicunt remanere in stipul. capita quædam exprimentia hæc verba; Actius Doc. Patul. Dioc. F. cum fratribus, qui nunc hic adsunt, vendunt P. Aelio Abascanto locum purum, in quo nulla sepulcra iacta superposita, neque coniuncta apparent. Lib. Nep. pronep. Q. & reliqua. Ob contemptum tamen Religionis Rufinus P. Ael. Abas. F. agro priuetur, fietq. pub. sepeliendor. militum class. Pr. Mil. in vsum. Heredes verò Patul. Dioc. mulctentur forte vna cum anatocismo binæ centesimæ vsura, propter neglectam religionem sepulcror. clam dirutor. pauperesq. milites class. Pro Mis. donati sint dùm ægrescunt & moriuntur, ne ære conlato curentur, sepelienturq. Quam sententiam sanctam esse omnes sciunto: Idq. totum testatur marmor.

Maximæ gratiæ agendæ illi sunt, qui nobilissimum hoc vetustatis monumentum ex Miseno, Neapolim transtulit. Agro Neapolitano qui tribuit, & Patulcidem vel Patrusculum montem in Pausilypano dictum fuisse à Patulciorum ædificio existimat, aliam inueniat causam necesse est, licet ibidem multa conspiciantur in rupibus sepulcra. Ager hic proponitur Misenas, cùm Prætoriæ eius locis Classis militum sepulcris sit destinatus. Ad loca pura facit quod Cicero 2. lib. de Legibus ait; *Itaque in eo qui in naui necatus deindè in mare proiectus esset, decreuit P. Mucius familiam puram, quòd os suprà terram*

Patulcis.

Sepulcrorum loca.

non

non extaret, portam heredi esse. Idem Platonis affert verba Vitat ex agro culto, eo'ue qui coli possit, vllam partem sumi sepulcro; sed quæ natura agri tantummodo efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat, ea potissimum vt compleatur? quæ autem terra fruges ferre, & vt mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat ne'ue viuus ne'ue mortuus. Affert deindè leges, quarum altera priuatorum ædificijs, altera ipsis sepulcris cauet. Sepulcri violati infamiam explicat Vlpianus Dig. l. 47. Qui etiam ea connectit; *Si sepulcrum quis diruit, cessat Aquilia: quod vi tantum aut clam agendum erit*. Extat etiam edictum Prætoris; *Cuius dolo malo sepulcrum violatum esse dicetur, in eum in factum iudicium dabo*, &c. Anatocismus, anniuersaria vsuræ reuolutio est, quam vsuram vsurarum vocant. Cicero Attico; *Centesimas me obseruaturum haberem cum Anatocismo anniuersario*. Græcam vocem deindè interpretatur, *Confeceram vt soluerem centesimis sexennij pactis cum renouatione singulorum annorum*. Agro sepulcris destinato Neapolitanos sepeliuisse mortuos indicat Papinius, de Patre,

Sepulcrum violatum.

Anatocismus.

Neapolitanorum in sepulcris vsus.

—— nunc lumine sicco
Ordior accliuis tumulo, quo molle quiescis
Iugera nostra tenens ——

& arbores funestas adhibere rogis solitos,

——— funestamq. hederis irrepere taxum
Extimui, trepidamq. (nefas) arescere laurum.

Varios sepeliendi modos in Vrnis marmoreis habemus. hunc præcipuè lapidem in cuiusdam ædis pariete in Via noua ad D. Claræ.

MAGI-



MAGISTRATVVM.

Apud Spataphorum.

P. ÆLIO. P. F. PHILOLOGO. AVG. DECVRIONI. CAPVÆ
ORNATO. SENTENTIA. II. VIRAL.
ÆLIA. APHRODISIA. MATER. ET. SIBI. FECIT.

ibidem,

C. CAVDIO. C. L. TRIVM . . . .
CAVDIA. C. L. PHILVMNIA. PATRI. SVO
BENEMERENTI. VERACI. ET. INNOCENTI
HANC. STATVAM. EREXIT. HAVE. SALVE.

Apud Ioannem Baptistam Portam.

D. M.
M. MANLIO. EPAPHRODITO. AVGVSTALI
IDEM. QVINQ.

Apud Felicem Ianuarium Consiliarium.

D. M.
M. ANTONIVS. IANVARIVS. HONORATVS
AVGVSTALIS. MISENIS. VIX. AN. I.
TESTAMENTO. PONI. IVSSIT. M. ANTONIVS
ALEXANDER. PATRONO. INDVLG. CONSVMANDVM
CVM. LIB. LIBERTABVSQ.
Q. E. H. M. SS. HH. EX. N. S.

Qui enim heredes monumentũ sequũtur heredes ex nostris sũt

Puteolis lapidem reperi in quo huius coniux Iunoni Pronubæ ædem ædificandã iubet. SIL. PETRONILLA. M. ANT. IANVARII COIVX. GRAVISS. EX. TT. SS. HH. VT. IVNONI. PRONVBÆ SVÆ. VIRG. EREPTÆ. PRIM. ÆDES. MAR. CONSTRVATVR. IMP.

Iuno Pronuba.

Apud Curtium Tipaldum.

C. SEPTIMIVS. C. F. LIBO. ÆD. SCR.
ÆD. CVR. SIBI. ET
LIBERIÆ. FAVSTÆ. VX. SEPTIMIÆ
AMARANTIN. L.

In D. Mariæ Coronatæ.

L. CÆSONIO. L. F. QVIRINA. ORCINIO. RVFINO
MANLIO. BASSO. CLARISSIMO. VIRO. SALIO. PALATINO
PONTIFICI. MAIORI. PRÆTORI. QVÆSTORI
CÆSONIVS. HEDYLVS. PROC. PATRIS.

In ædibus . . . . Bonauenturæ.

AVRELIO. SYMPHORO
AVG. LIB. OFFICIALI. VETERI. A. MEMORIA
ET. A. DIPLOMATIBVS. EXORNATO. ORNAMENTIS
DECVRIONALIB. ORDO. SPLENDIDISSIMVS. CIVI
OB. MEMORIAM. ET. INSTANTIAM
ERGA. PATRIAM. CIVESQ.

Magister memoriæ.

Inter Præfecturas, Magister erat memoriæ. Vopiscus in Caro; *Iunius Calphurnius qui ad memoriam dictabat*. Meminit & Trebellius Pollio in historia Claudij Cæsaris, & Herodianus lib.4. *Libertorum charissimus Pestus à memoria, dùm ad Ilium moratur, vita defunctus*. Ammianus; *Eupraxius Cæsariensis magister ea tempestate memoriæ, primus omnium exclamauit*. Idemq. *Magisterio memoriæ peracto*. Hic Magistratus adnotationes

lib.27.

tationes dictabat, & emittebat. Regni Secretarium dicerem. Magistrum libellorum, Cognitionum Sacrarum, Epistolarum, memoriæ, in lapide Romano coniunctos legimus. Lapis Puteolanus est.

Apud Pignones.

M. PACCIVS. M. F. POM. BASSVS. AVGVR.
ÆDIL. II VIR. VOLCEIS. SIBI. ET. SVIS
PACCIÆ. M. F. BASSÆ
MANLIÆ. CN. F. RVFÆ
PACCIÆ. L. F. MAXIMÆ
PACCIÆ. M. L. GRATÆ.

Ad D. Annæ.

SEX. FIRMIO. SEX. F.
ÆMILIO. SABINO. ÆD. FORM. III.
PLOTIA. DORIS
MARITO. OPTIMO. ET. SIBI.

Formæ, Canales structiles sunt, & arcuati, sic enim loquitur Vitrruuius. Sidonius Apollinaris ad Heronium; *Cuius mihi non solum Formas, verum etiam Naumachias videbar epotaturus*. Ea vox passim in antiquis Inscriptionibus, Libratorijs, & Aquarijs amica. Frontinus lib. 1. & 2. Anonymus auctor de Aquæductibus; *Nunc nomina aquarum quæ vsibus æternæ Vrbis Formarum constructionibus aduectæ sunt, indicemus*. Symmacho ep. 33. l. 10. & Cassiodoro ep. 21. 31. & vltima, lib. 3. familiarissima. Pragmatica Iustiniani à Iuliano Patricio interpretata cap. 24. *Reparationi Formarum*. Idem Nouella 17. ὀλκῶν, *Formarum*, vertit. Magistratus qui Formas curabat, Curator Formarum dicitur à Cassiodoro ep. 6. l. 7. Comes Formarum, à Notitia Imperij. Cuius formula apud Cassiodorum erat sub dispositione viri illustris Præfecti Vrbis. Neapoli, *Formale*. Hisce aquis præcipuè ciuitas nobilitatur. propterea quòd in Formis vtrumque præcipuum est, vt subterraneus cuniculus tota vrbe circumfusus sit admirabilis, & aquarum salubritas singularis.

lib. 8. e. 7. *Formæ aquarum.* *Curator Formarum.* *Comes Formarum.* *Formale Neapolitanum.*

Ex Apiano.

P. ÆLIO. P. F. AGRIPPINO
CORNICVLARIO. PROVINCIÆ. BELGICÆ
FRATRI. CARISSIMO. ET. ÆLIÆ. AMABILI
MATRI. PIISSIMAE. VICTORINVS. AVG. LIB. F.

Cornicularius. Cornicularium Legionariæ militiæ nomen, vt Commentariensis, ſententijs damnatorum exequendis præfuiſſe ſcribit Maternus lib. 2. & Iulius Firmicus l. 10. c. 6. At verò antiquiorem eum Magiſtratum reperio, eumq. apud ſe habebant Tribuni plebis, quorum acta, plebiſcita, iuſſaq. ſcribebat & ſeruabat. Idcircò poſterior ætas Secretarium eum exiſtimauit. Valentinianus poſt Principes, Cornicularios collocat. In Caſſiodoro, *anno tantùm vſque ad feſtum Domini Natiuitatis manebat Cornicularius in officio, tùm pro ſtrena ſeptem ſolidis acceptis exibat.* Vt in acie dicitur Cornu (inquit Turnebus) ità in cohortibus Tribuni militum, Corniculum, & fortaſſe in ordinibus Centurionum, à quò Cornicularius qui Corniculo Tribuni militum præerat. Valerius Maximus; *Libidinoſi Centurionis ſupplicium. M. Lectorij Mergi Trib. militaris æquè ſimilis fœdus exitus ſequitur; Cui Cominius Tribunus plebis diem ad populum dixit, quòd Cornicularium ſuum ſtupri cauſa appellaſſet.*

Corniculum. *lib. 6. c. 1.*

SERVORVM.

Apud Spataphorum.

D. M.
Q. OCCI. NARCISSI
Q. OCCIVS. EPIGONVS
LIB. F.

D. M.
VICTORIAE. QVAE. VIXIT
AN. V. ET. MENSES. II. D. XX.
SERVEA. MARCELLINA. NVTRIX
BENEM. F.

ibidem;

ibidem,

CHRYSEROS. CAESARIS. SER.

ibidem,

TAVRO. SECVTORI. CAESARIS
B. ANNIS. XXIIII. CALLISTE. CONIVX. BEN.

ibidem,

VERNA. PVER. O. MI. VERNA. QVIS. AH. QVIS
AB. AVRA. TE. IN. TENEBRAS. RAPVIT. PERDITVS. HEV
MORERER. NI. TECVM. ASSIDVE. LOQVERER. NI
SAEPE. IOCANDO. FALLERER. HINC. DVM. TE. CONTINVO
ASPICIO. SEMPER. ERO. TECVM. ET. SI. ME. SOPOR
OCCVPET. VMBRA. TE. VMBRAM. PEEAM. ERGO
VNQVAM. NE. METVE. ABS. TE. ABEAM.

Marmorea tabella quæ in medio aliquot habet foramina. Verna is eſt qui domi ex ancilla naſcitur, licet in ſeruiture ſint, omnis enim ancillæ fœtus domini eſt. Differt itaque à ſeruo qui aut iure belli, aut ære in noſtram venit poteſtatem. Vernaculum dicimus omne quod intrà parietes domeſticos alitur. Gallina hinc vernacula, & lingua vernacula. In alijs lapidibus, VERNA CAESARIS; &, VERNA PEDISEQVVS. Iniuriæ aliquandò nomen datum. Sic enim Amphitruo Mercurium pſeudo Soſiam nominat,

Verna, quis dicitur.

Gallina, lingua vernacula.

Cum circuitu tuo iſthæc hodie Verna verba funditas.

Vernam Paternum ab epiſtolis legimus, & Vernarum Diſpenſatorem Capitoli.

ibidem,

RESTITVTA. ABASCANTA
ANCILLA.

ibidem,

Q. BRITTIO. AMERIMNI. CHARITIOSI
Q. BRITTIVS. CLEMENS. ALVMNO. VIX. AN. IX.

Apud Horatium Palombam.

HORATIAE. FVNICILIAE. M. HORATIVS. PROBIMVS
ET. HORATIA. TRYPHOSA. PATRONAE. BENEM. FECIT.

Apud

Apud Spataphorum.

IVSTVS. CAESARIS. FECIT. SIBI. ET
LVCILIAE. PRISCAE. CONIVGI. KARISS.
QVAE. VIX. AN. XX. MEN. VII. DIES. XV.
POSTERISQ. SVIS. F. P. VIN. A. IX. ITER
COMMVN. MONVMENTVM . . . . . .

Apud Ioannem Hieronymum Ianuarium.

AGRIA. ANTHIS
FECIT. AGRIAE. LVCILLAE
ALVMNAE. SVAE.

Apud Conchanorum Principem.

D. M.
A. VESONIO. PARAMYTHIO
VESONIA. PRIMA. CONIVX. ET
EVTYCHES. ET. ZOTICVS
LIB. PATRONO. B. M.

Feminarum prænomina. Prænomina habuisse feminas præter Caiam, affirmat Sigonius; Luciam, enim, Publiam, Numeriam, habent lapides. Et Festus, Cæciliam, & Tarratiam. Prætereà, Primam, Secundam, Tertiam, Quartam, & huiusmodi. Quare Tertiam Iuniam legimus in Suetonio, quam Tertullam vocat Cicero lib. 13. epistolarum ad Atticum. Paulus Aemilius filiam nomine Tertiam habuit. hinc Paulus apud Ciceronem, *O mea Tertia.* In lapidibus, T. LIVIVS. LIVIAE. T. F. QVARTAE. Et, QVINCTAE NONIAE. RVFAE. Et, NONIAE. Q. F. QVINCTVLAE. Consueuerunt tamen prenomina & præponi, & postponi, PRIMA VALERIA; SALVIA PRIMA; QVARTA HOSTILIA; LIVIA QVARTA. Qui verò prænomine tantùm & nomina feminas insignitas fuisse scribunt, animaduertant in antiquis lapidibus, *Furiam Sabionem Tranquillinam Gordiani coniugem*; &, *Cn. Seiam Herenniam, Sallustiam Barbiam Orbianam* Valentini Imperatoris vxorem; &, *Fabiam Aconiam Paulinam.*

Apud

Apud M. Antonium de Caualerijs.

ΣΟΥΚΚΕΣΣΩ ΕΥΗΣΕΝΗΤΙΩ.

Apud Argentarios.

D. M.
FABIAE. RHOINES
FABIA. DASVMII. LIBERTAE. OPTIMAE.

Apud Capacium.

C. IVLIVS. HYPOPTVS
C. IVLIVS. NARCISSVS
NIGRI. LIB. DE. SVA. P.
FECERVNT. SIBI. ET. SVIS.

Ad Plagiam dum foderent puteum in quadam lateritia concameratione lapis quatuor clauis parieti adfixus repertus est, & in parua theca, vitreus lapis quem ædificatores nolentes fregerunt. Massa quædam vitrea est, Aquæmarinæ similis alba crustula veluti argentea subducta. Apud eundem Seruilij Medici lapis in Palæpoli relatus est.

OFFICIORVM.

Apud Spataphorum.

D. M.
M. PERPENNVS. ZMARAGDVS
MARTIALI. MAGISTRO. SVO
... STIT. RI. B. M.

ibidem,

CN. MAETIVS. FELIX
LANISTA. AVGVSTI.

Huius-

Huiuſmodi ſeruos plurimos domus Auguſta habebat. In antiquis lapidibus, Sutor Auguſti, Deſignator Cæſaris Aug. Seruus ab hortorum cultura, Viridarius, Topiarius ex hortis, Villicus in hortis, Prægustator Cæſaris, Præpoſitus à chryſtallinis, Piſtor Ti. Germanici, Tonſor Aug. Aug. L. A cura amicorum, AVG. L. Inuitator Tricliniarcha à veſte, à cubiculo, à potione, à veſte Regia & Græcula, præpoſitus argenti, & ab argento, à ſupellectili, à ſtudijs, à manu, à Bibliotheca Latina, à Bibliotheca Græca, ab Epiſtolis Græcis, à rationibus, Tabularius à muneribus, Tabularius Villæ Tiburtis, Tabularius rationis Fiſci, Tabularius marmorum, Cerealis, à marmoribus, exactor prædiorum, Diſpenſator, exactor operum Dominicorum, Xanta ſcriniorum libraria, Nomenclator Aug. Præpoſitus Velariorum, Nomenclator à cenſibus, ex corpore Lecticariorum Cæſaris, Miniſtrator, Seruus Lecticarius à commentarijs vehiculorum, Seruus Caſtellarius aquæ Claudiæ, Prægustator D. Auguſti. Maccia Flora Tonſtrix, Cocus, Seruus ſupra Cocos, Auium Farctor Cæſ. de quo Lampridius in Alexandro; *Nam auiaria inſtituerat pauonum, faſianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam biſq. vehementer oblectabatur, maximè palumborum; & ne eorum paſtus grauaret, ſeruos habuit vectigales qui eos ex ouis, ac pullicenis, & papionibus alerent. Seruus ab marmoribus Aug.* præter alia officia libertis data.

VIRORVM ET CONIVGVM.

Apud Spataphorum.

LVCRETIAE. TERENTIAE
CONIVGI. SANCTISSIMAE
ET. M. VALERIO. EVTYCHIANO
FILIO. DVLCISS.
QVI. VIX. AN. III. M. VI. D. XVII.
B. M. F. TYCHIVS.

ibidem.

ibidem,

C. MARIVS. VOLSON. F. SERG.
MAXIMVS. TR. DE. LIB. Q. AQVILA. SIBI
ET. SILIAE. EVTYCHIAE. VXORI. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. CVM. OMNIB.
T. F. I. EX. HS. CCIↃↃ. ADIECIT. EO. SILIA
EVTYCHIA. CONIVX. HS. IↃↃ. XXX. CCC.

ibidem,

D. M.
M. COCCEIO. ZOSIMO. IVNIA. PHILOMENE
CONIVGI. BEN. VIX. AN. XXVI. M. III.

ibidem,

CORNELIAE. SECVNDAE. VIXIT. ANN. XXXIII.
ADRASTVS. CONIVGI. SVAE
BENEMERENTI. FECIT. ET. SIBI.

Puteolis repertus.

D. M.
CREONITAE. PROCILLAE. CONIVGI. SANCTISSIMAE
MVNDVS. MARCELLINVS. D. D. FECIT.

Apud Spataphorum.

C. MARCIVS. C. F. PAPIA. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS
LIBENTERQ. HOC. MONVMENTVM. SIVE. SEPVLCRVM
EST. HEREDES. NON. SEQVETVR. VIX. AN. . . . .

ibidem,

M. CAECILIVS. PRIMIGENIVS
CVM. COSSINIA. A. F. DAPHNE
VXORE. SVA. QVAM. ABDVXIT. DIE. VIII.
RELICTIS. PARENTIB. MISEMRIMIS.

ibidem,

L. PACIO. IVSTO
PACIA. SPES. PATRONO
ET. CON. B. M. AERE. CONLATO
PIETATIS. CAVSA.

ibidem,

D. M.
CLAVDIA. ENICEA
L. COSSINIO. PRÆFECTO. CONIVGI. B. M.

ibidem,

ANICIÆ. SP. F. AMPLIATÆ. LIBERTIS. LIBERTAB. Q.
MEIS. POSTERISQ. EORVM.

ibidem,

Q. VOCONIVS. VERVS. VIX. AN. LV.
STAPHILE. VXOR. ET. HYGIA. SOROR. B. M. F.

ibidem,

MEMORIÆ. NICINIÆ. EPICTESI
C. AVLIVS. THALLVS. CONIVGI. SANCTISSIMÆ.

ibidem,

D. M. S.
AVRELIO. IVLIANO. HOMINI. BENEMERENTISSIMO
AVRILIA. HIPPONS.

Apud Ioannem Hieronymum Ianuarium.

NINNIÆ. MAGNÆ. VIX. AN. XIX. M. II. D. XIIII.
M. NINNIVS. EHV. ET. PRISIVS. CONIVGI. BEN.

ibidem,

VLPIÆ. IANVARIÆ. LABERIO. TATIANO
CONIVGI. SVÆ. B. M. VIX. AN. XXXVIII. M. V.

ibidem,

D. M.
Q. CRITONI. IANVARIO. VIX. AN. XLV.
ANIANA. DEVTERA
CVM. QVO. VIXIT. ANN. XXXVII. CONIVGI. B. M.
QVÆ. PIETATE. PLENA. HOC. LIBBNS. FECIT.

ibidem,

MARIÆ. ROMANÆ. L. MARIVS. EVPHRATES
CONIVGI. SANCTISSIMÆ. B. M. F. C.

Apud

Apud Girardum.

D. M.
M. VALERIO. HERMET.
LACIA. HELPIS. CONIVGI. OPTIMO. F.

ibidem,

D. M.
COLATINVS. TAR.
DVLCISSIMÆ. MEÆ. CONIVGI. ET
INCOMPARABILI. LVCRETIÆ
PVDORIS. ET. MVLIERVM. GLORIÆ
QVÆ. VIX. AN. XXII. M. V. D. XVI.

ibidem,

LICINIÆ. VENVSTÆ
HERENNIVS. SALVIVS. CON.

Apud Iulium Palermum Consiliarium.

P. ÆMILIVS. ABASCANTVS
FECET. SIBI. ET. ÆMILIÆ
SVÆ. CONIVGI. BENEMERENTI.

In Coronatæ templo.

L. VALER. XINNE. FECIT. VALERIA. CIMBILIATA
CONIVGI. SVO. BENEMERENTI.

In Toleti Regione.

D. M.
VINICIAE. A. F. RVFINAE. VXORIS. RARISSIMAE
P. IVLIVS. P. . . CVLLINVS.

Ad Capuanæ Sedile.

CN. POMPEIVS. EVPHROSINVS
ET. IVNIA. GEMELLA. VXOR
EX. BONIS. SVIS. HOC. SIBI. SVMPSERVNT.

Apud Capacium.

VENVSTÆ . CONIVGI . BENEMERENTI
QVÆ . VIX. A. XVI. M. X. D. XIIII.

Apud Sanctinos.

ΣΩΣΙΠΑΤΡΑ. ΣΤΑΤΙΟΥ. ΧΑΙΡΕ.

Post cathedralem Ecclesiam.

D. M.
PONTINÆ. L. F. CAPITOLINÆ
M. AMYLIVS. M. F. EXORATVS. VXORI
PIENTISSIMÆ . BENEM.
VIX. AN. XIX. M. XI. D. XIIX.

Apud Spataphorum.

L. AVRELIVS. ZOSIMVS
FECIT. CLODIÆ . CHARIDI. CONIVGI . DVLCISS.
QVÆ . SI . AD . VITÆ . METAM . PERVENISSET
NON . HOMINIB. NEQVE. DIIS . INVIDISSET.

ibidem,

D. M.
C. AELIO
QVI . SI . TANTILLVM . QVERELARVM . IN . CONNVBIO
LIQVISSET. LACRIMARVM. TOT. IN. MORTE. NON. FVDISSET
CRISPA. CON.

ibidem,

IVLIAE . IVLIANAE
QVAE . VIX. AN. XX. M. XI. D. VII.

POSSIDET.NON.MERITA.LOCVS.HIC.CITO.CORPVS.INIQVVM
QVAE. TALEM. VITAM. MERVIT. VT. CVRVA. SENECTVS
NOLVERVNT. SVPERI. CITO. REDDIDIT. VITA. NEFANDIS
QVOD. FVIT. AD. SVPEROS. INIMICA. NEMINI. VIXIT.

IVLIVS. VICTORINVS. ET. AELIA. THEODATO
ET. C. VICIRRIVS. SOTER. CONIVX. B. M. F.

Ad

Ad ædem Florentinorum.

D. M.
IVLIAE. EPIGONE. RARISSIMAE. FEMINAE
TI. IVLIVS. EVPOR. CONIVGI. BENEMER.
CVM. QVA. VIX. A. XXX.

Apud Horatium Palombam.

D. M.
ANNIAE. CHROMIVS . . . . . .
CONIVGI. CONSERVATRICI. BEN. FECIT.

Apud Ioannem Baptiſtam Portam.

D. M.
IVLIAE. PACI.
P. AELIVS. HERME. CONIVGI. BENEM.

ibidem,

MATVTINAE. LACENAE. FEMINAE. SANCTISSIMAE
TV. QVI. LEGIS. HAVE. ET. VALE.

Apud Spataphorum.

D. O. M.
INIICE. SI. PIETAS. VSQVAM. EST. SVSPIRIA. ET. IMPLE
MECVM. HOSPES. LACRIMIS. MARMORIS. HOC. VACVVM.
NAM. FORMAE. EXEMPLVM. PERIIT. CVM. OBIIT. MEA. LYDA
QVAM. PERIERE. HOMINES. VEL. PERIERE. DII.

Tabella hæc marmorea in medio parum habet concaui, & in eo quinque foramina, vt indè ſuſpiria inijcerentur. Lepidiſſimum epigramma.

ibidem,

ibidem.

GAPHVRA . GLAPHYRI . LVSCI. F. ADFECTA . ADEO CINERIBVS . C. LVTII. FAVSTI. MARITI . HEV. RARISS. VT. AD. ALIVM . TRANSIRE. NVNQVAM. VOLVERIM. ET. SI. FORTVNA . PRAEPOTENS. CONSTANTIAE. SEMPER. INIMICA. SVRDO. DISCRIMINE PVDICITIAE . PLACIDAM. RVINAM. MINABATVR ET. VIRIDIS. ÆTAS. FIDEM. CONIVGII. VIOLARE IMPELLEBAT. INTER. VTRASQVE. TAMEN. FLVCTVANS. MVLIER. MENS. VII. D. XI. NON. TAM CORPVS. COELEBS. QVAM. ANIMVM. PVDICVM SERVAVI. ET. NE. A. TANTORVM. DOMESTICA HOSTIVM. PVGNA. CONTINVO. AVGESCENTI. VINCERER. PROCORVM. PETVLANTEM. TVRBAM. FVGIENS. VIVAM. ME. CONDIDI. MONVMENTO. AT POSTERI. SI. INVIDETIS. IMITAMINI. SI. QVIS VERO. PROBAVERIT. PROBETVR. SIN. IMPROBAVERIT. IMPROBVM. SE. ESSE. SCIVERIT. VALE. MORS. VIX. AN. XVII. SALVE. VITA. PERPETVA.

Latinæ linguæ elegantiam epigramma effundit. Stylum tamen antiquitatem non redolere ob nimiam elegantiã, arbitrati sunt. Eiusdem tamen argumenti antiqua habemus epigrammata.

P. CORNELIA. ANNIA. NE. IN. DESOLATA. ORBITATE. SVPERVIVEREM. MISERA. VIVAM. ME. VLTRO. IN. HANC. ARCAM. CVM. VIRO. DEF. INCOMPARABILI. AMORE. DIL. PAMNAI. DEDO CVM. QVO. VIXI. AN. XX. SINE. VLLA. Ɔ LIB. LIBERTABVSQ. NON. QVOTAN. SVPER. ARCAM PLOTONI. ET. OXORI. PROSERPINÆ. M. OMNIBVSQ. SACRVFICENT. ROSISQ. EXORNENT. DE. RELIQVO. IBI. EPVLENTVR. DO. D. P. M. DA. LX. HS. X. ATQVE. F. FACIVNDVM. DELEGA. VALE. VITA.

Propè Noriciam, quam Goriciam vocant, idem factum legitur à Tibulla C. Sempronij filia, quæ Inferno Plutoni, Tricorpori vxori, Tricipiti Cerbero vouens, viuam se monimento condit, ne obrutis domus lapsu sex filijs, desolata orbitatę superesset misera.

PA-

PARENTVM.

ibidem,

CRISPE. FILI. LEPIDISSIME. HEV. HEV. ORCVS CVM. TE. VORAVIT. DELICIVM. MIHI. OMNE ABSTVLIT. BACVLVM. EXVCTIS. MEDVLLIS. EDENTVLÆ. SENECTVTIS. SECVIT. SPEM. NEPOTVM ABSTRAXIT. SECVM. MAXIMAM. IN. TANTA. DEMVM ORBITATE. DESOLATVS. SVPERSVM. VT. NI. QVI SECVS. SENTIVNT. MANES. VETVISSENT. VIVVM ME. TECVM. CONTVMVLASSEM. VIX. AN. XII.

CRISPVS. PATER. INFELICISS. F. SIBI. ET. SVIS LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ. IPSOR.

ibidem,

D. M.

C. IVCVNDO. C. F. EXQ. QVI. VIX. AN. VII. ET. SEPTIES SPECTANTIB. PVB. IMPP. GAL. OTH. SIL. VIT. ET. P. R. SALTAVIT. CANTAVIT. ET. PLACVIT. PRO. IOCIS QVIB. CVNCTOS. OBLECTABAT. SI. QVOD. OBLECTAMENTI. APVD. VOS. EST. MANES. INSONTEM REFICITE. ANIMVLAM.

FAVSTVS. NVNQVAM. FAVSTVS. DAT. INFELICISS. F.

ibidem,

HEV. VOTA. HEV. PRECES
ORCVS. TANDEM. ERIPVIT
EPHEBO. FILIO. DVLCISSIMO
HERMIA. MAT. INFELICISS. F.

ibidem,

D. M.

ZOSIMO. REBERENTI. PIENTISSIMO
ARCANIVS. F.

ibidem,

ibidem,

D. M.

C. VALERIO. C. F. EVMORPHIANO
VITAE. SVAE. ANNVM. AGENTI. XXI. M. I. D. IV.
VALERIVS. ET. SEMPRONIA
PARENTES MISERI. FILIO. SANCTISS.
ET. REVERENTISSIMO. FECERVNT.

ibidem,

M. AMVLIO. EPINICO
L. ACISIVS. SOSVS. PATER
ET. AEMILIA. MAXIMILLA. MATER
VIX. AN. XXXI. M. V. D. XX.
FILIO. PIENTISSIMO.

In ædibus Io. Hieronymi Ianuarij.

D. M.

L. HERENNIO. L. FIL. FLORO
VIX. A. I. M. XI. D. XVII.
HERENNIVS. FLORVS. M. C. L. PRISCA. PARENS.

ibidem,

NEPOTILLA. ET. NEPOTILIANVS. FIL. EIVS.
IN. HOC. LOCO. CONDITI. SVNT.

In ædibus Girardi.

DVLVINIAE. VELLEIAE
FILIOLAE. DVLCISS.
PARENTES. MOESTISSIMI.

DECIPIMVR. VOTIS. ET. TEMPORE. FALLIMVR. ET. MORS
DERIDET. CVRAS. ANXIA. VITA. NIHIL.

Apud

Apud Tipaldum.

D. M.

L. NEAPOLITANO. LIBERALI
QVI. VIX. AN. XL. M. VIII.
TANNONIA. VENERIA. MATER
FILIO. KARISSIMO. B. M. FECIT.

Apud eundem.

Q. RVTILIO. FILOXENO
VIX. A. XIIII. M. V. D. XVIIII.
RVTILIA. ISIAS. MATER. PIENTISSIMA.

Apud Capacium.

L. TRIARI. LL. HERMOGE....
CLODIA. Ↄ. L. MVSA
CHRESTE. MATER
DIONYSIVS. HERM. ....

Apud Spataphorum.

D. M. S.

GAVIÆ. DOMATÆ. FILIÆ. DVLCISSIMÆ
QVÆ. VIX. AN. II. M. V. D. XI.
GAVIVS. QVINTILIANVS. ET
ELBIA. DOMATA. PARENTES.

ibidem,

D. M.

M. POSTVMI. IVLIANI
FILI. DVLCISS. QVI. VIXIT. AN. XIIII. M. XX.
FECERVNT. M. POSTVMIVS. IVLIANVS. ET
HISPELLATIA. PROCVLA. PARENTES. INFELICISS.

ibidem,

.ΔΑΙΛΟΚΩ. ΠΑΙΔΙΩ
ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ.

ILLVSTRIVM VIRORVM.

In æde Pontani.

ΕΝΘΑΔΕ. ΤΗΝ. ΙΕΡΑΝ. ΚΕΦΑΛΗΝ. ΚΑΤΑ. ΓΑΙΑ. ΚΑΛΥΠΤΕ,
ΑΝΔΡΩΝ. ΗΡΩΩΝ. ΚΟΣΜΗΤΟΡΑ. ΘΕΙΟΝ. ΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ.

ΛΟΥΡΗΑ. ΑΤΑΛΑΝΤΗΙ
ΙΔΙΩ. ΠΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΟΣ. ΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΙΗΣΕΝ.

LVDORVM.

In D. Ioannis Maioris.

A. VERATIO. A. F. PAL. SEVERIANO. EQVITI. ROM. CVR. REIP. TEGIANENSIVM. ADLECTO. IN. ORD. DECVRION. CIVI. AMANTISSIMO. QVI. CVM. PRIVILEGIO. SACERDOTIS. CÆNINENSIS. MVNITVS POTVISSET. AB. HONORIB. ET. MVNERIB. FACILE EXCVSARI. PRAEPOSITO. AMORE. PATRIAE. ET HONOREM. AEDILITATIS. LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT. ET. DIEM. FELICISSIM. III. ID. IAN. NATALIS. DEI. PATRI. N. VENATIONE. PASS. DENIS BESTIIS. ET. IIII. FERIS. DENTAT. ET. IIII. PARIBVS FERRO. DIMICANTIBVS. CETEROQ. HONESTISSIMO APPARATV. LARGITER. EXHIBVIT. AD. HONOREM QVOQVE. DVVMVIRATVS. AD. CVMVLANDA. MVNERA. PATRIAE. SVAE. LIBENTER. ACCESSIT. HVIC CVM. ET. POPVLVS. IN. SPECTACVLIS. ASSIDVE BIGAS. STATVI. POSTVLASSET. ET. SPLENDIDISSIMVS ORDO. DECREVISSET. PRO. INSITA. MODESTIA. SVA VNIVS. BIGAE. HONORE. CONTENT. ALTERIVS SVMPTVS. REIP. REMISIT. L. D. D. D. C. I.

Locus datus Durero Collegij.

Si affer-

Si affirmare possem hunc Lapidem littera pulcherrima & florenti Neapolitanum esse, nec aliundè aduectum, nihil esset illustrius ad Theatri, Circiq. Venationes, & munera gladiatoria comprobanda. Omnis enim Spectaculorum gloria hic elucet. Veratium habemus Aedilem; & ab Aedilibus præcipuè Venationes in Circo edebantur, licet à Dictatoribus etiam, Consulibus, Prætoribus, Quæstoribus, ipsisq. Imperatoribus editas legamus. En tibi Venationes cum Gladiatoribus coniunctæ. Suetonius enim in Claudio; *Frequenter etiam in Vaticano Circenses commisit, nonnunquàm interiecta per quinos missus venatione; cùm enim populus varietate gauderet, per interludia, aut funambulum, aut Vrsum, aut par Gladiatorum postulabat.* QVATVOR (hic) FERRO DIMICANTIBVS; cum Venatione, Gladiatores; quamuis Claudius Gladiatores sine Venatione dederit; Augustus aliquandò Venationem tantum in Circo; aliquandò, Naumachiam, Gladiatores, & Venationes. Habes MVNERA, quæ aut in funere virorum aut feminarum nobilium exhibebantur; parturientis filiæ causa, meminit Seneca; ob salutem Principis; ob victoriam & triumphum; ob natales Augusti celebrauit Iulus Antonij filius. HIC OB NATALEM DEI. PATRI N. Hæc mihi relligio penitus ignota. BESTIAS, FERASQ. dum legis; scito varias è cauea Feras efferri solitas; Vrsos è Calcedonia & Pannonia euocatos, Leones & Tigres ex Africa, Crocotes & Rhinocerotes ex India, Crocodylos ex Aegypto, è Dalmatia, Hispania, Gargano, Apennino, Sicilia item plurimas, ad quas captandas Venatores fuere publici; & emi Leones, moris fuit. Ad DENTATAS intelligendas hæc habeto ex Aeliano, animalium alia dentibus serrata, vt Lupus, Canis, Leo, Panthera; alia vtrinque dentata, vt Homo, Equus, Asinus; alia cōtinuis dentibus, vt Bos, Ouis, Capra; alia quæ exertes dentes ostendunt, Aper, Elephantus, licet cornua potius in hoc appellanda ducat. Quid verò in Circi curriculo promptiùs, quàm Bigæ?

Venationes & Gladiatores. c. 21.

Munera gladiatoria.

Natalis.

Animalia quæ in Circis.

Dentatæ feræ

TEGIANENSIVM Resp. planè mihi incognita. CAENINENSIVM sacerdotio fuisse munitum, ideòq. à muneribus facile potuisse

excusari, respicit ad illud Vlpiani 23.lib.ad Edictum; *A ciuilibus officijs excusantur, qui Sacerdotium nacti sint.* Nec ab re addimus illud Modestini; *Honorem sustinenti, munus imponi non potest*. CAENINA vrbs, Antemnæ, & Crustumerium, primæ vrbes Romulo bellum intulere. Cæninensium verò Rege propria manu occiso, Romulus victricia arma Ioui Feretrio dicauit, cui templum haud magnum in Capitolio condiderat. Cæninam autem & Antemnas, à Græcis ædificatas fuisse scribit Halicarnasseus, ijsq. præcipuè qui ex Arcadia venerant. Splendidissimum ordinem, & si de Puteolano intelligendum existimarem, ob superiorum lapidum memoriam; de Neapolitano tamen quoque posse intelligi, quis negaret?

Canina vrbs.

TROPAEORVM.

ΤΗ. ΕΛΛΑΔΙ. ΤΟ. ΤΡΟΠΑΙΟΝ. ΕΣΤΑΘΗ. ΚΑΤΑ. ΝΙΚΗΘΕΝΤΩΝ ΤΩΝ. ΚΑΡΤΑΤΩΝ.

Marmoreum Tropæum affabrè sculptum, in quo Carias Prouincia sedet.

Finis primi Libri.



TOMI



TOMI PRIMI NEAPOLITANAE HISTORIAE

LIBER SECVNDVS.

In quo eius vrbis præclarissimum situm tota CAMPANIA circumplectitur.

NEAPOLITANAE ALIARVMQ. VRBIVM SITVS. Cap. I.



RBIVM nobilitatem situs excellentia maximè illustrat. Idcircò illud potissimùm considerandum arbitror, maritimæ'ne sint, quo alluantur mari, qua commeatuum celebritate sint frequentes, quod solum habeant, sub quo cœlo viuant, vbi nam gentium positæ, quas habeant circùm uicinas vrbes, & quæ indè commoda ad beatè viuendum possint elicere. Quam enim habet Indicus lapis pulcritudinis speciem, cùm non fuerit aureo annulo circumclusus? Nobilissimam Neapolitanam vrbem superiori libro antiquarum rerum monumentis aperui quantum pro viribus

licuit,

licuit, satisq. fortassis essent ad eam illustrandam parua ea lumina quæ ex nebulis effulxerunt; sed ad gloriam ea denuò accessio fiat, qua situs amplitudine, non angustissimis finibus quibus Ioannes Tarcaniota circumduxit, qui scilicet inquilinus virtutis maximè, sed non ciuitatis flagrabat ardore, sed qua eam admiratur Sol, qui suprà orbem vehitur oculatissimus speculator.

Solertes, & ingeniosi à Strabone Græci vocantur in condendis ædificijs, qui semper omnium rerum quas diximus rationes accuratissimè duxerunt; at solertissimos ipse dixerim qui Neapolim ædificantes, quicquid sibi felicitatis proponere posse

Mare. persuaserunt, in hac vrbe videntur consequuti. Maritima quidem ea est (& mare felices vrbes efficit) sed Tyrrheni maris vndis, omnium marium ditissimi, tot diuitijs circumfusa, vt multos circùm sinus amplexa, nihil maritima sua copia possit excogitari feracius, nihil vndarum ductu placidius, nihil opportunius ad commeatus. Piscosum mare & veliuolum nunquàm piscatorum labores, & nauigiorum onera quæ ex tota Europa conueniunt, non sustinet, ad omnem animi corporisq. delectationem accommodatum. Quapropter naues cùm aut vadosas barbaras syrtes vitarint, aut à Frisijs illis cœnosis vorticibus profugerint, quibus integræ ciuitates obruũtur; cùm irati æstus Oceani, & insularum pericula in peruicaci Egæo reliquerint, & placidissimi nostri maris iter fuerint ingressæ, nec nauigandi tædio afficiuntur, nec ventis perflari abhorrent, nec grauantur oneribus. Prospectum habet scopulis potiùs quàm collibus conterminum, quibus plurimum gaudent aspicientes, cùm nec audaciùs assurgant, nec incommodè inter iacentes terras deprimantur; atque huiusmodi nutriuntur oculi plenissimè, quibus nec acies locorum propinquitate perstringitur, nec per immensam vastitatem, quæ ad Africana littora pertinet, excur-

Aer. rens, hebes redditur. Purissimus vndiquè aer liberrimè peruius, perlucidus, coëquabilis, & minimè varius. Nunquàm idcircò graue aliquid hæret supercilijs, nunquàm premitur anhelitus, & vbiuis fruaris cœlo, mirificè locus confert ad salutem, non

non enim loca habet Auerna, aut Acherusias, nec Mephitibus reclusus spiritus reserat fores. Frigentes noctis vmbræ minimè nocent,& occiduæ radiorum appulsiones quæ è mari vel montibus remittuntur, nunquàm molestæ. Crudi matutinæ auræ obsurgentes vapores nunquàm obesse visi sunt. Vberrimi ex solo prouentus. Nec solum dixerim, quod semper floribus viret; agrum, hortosq. Hesperidum appellare, fas existimaui. Non ibi aspera siccitas, non regio madida aquarum exuberantia, qua inclemens cœlum efficitur; nec aqua paludibus aliquandò considens adeò intermortua cernitur, vt letale aliquid, veluti alijs in locis, afferat; sed quæ per olera, frutices, atque sementes deriuata, omnium rerum copiam præseferat. Nec niuosa, & plùs quàm ceteræ prouinciæ habet Solis, ac plùs vmbrarum vrente Sole. In aliquot ciuitatum conualles molestiùs feriunt Venti quasi in carceres detrusi, vt concretus ibidem aër facilè lutescat; in hac verò non humili & immersa, verrunt aërem Venti, noxiaq. abigunt, impellente præsertim aëra Fauonio, qui cum Sole vitalem & salubrem spiritum habitatoribus præbet. At vbi gentium posita? Michaëlem audias Papiensem in libello quem de Sorte inscripsit ad Alfonsum Calabriæ Ducem; seruat Constantinus Papa Iurisconsultorum doctissimus; *Locus.*

Solum.

Vrbs est Ausonia geminas quæ vergit in oras,
Vnam pontus habet quam verberat æquoris vnda,
Continuoq. ferit muros; iacet altera campo
Aggeribus munita suis. Sebethyde Nympha
Roscida grata sedet tellus, pulcrisq. theatris
PARTHENOPE nitidum consurgit ad ætera dulcis
Cumano possessa diù, varioq. colono
Chalcidico, retinetq. nouum per sæcula nomen.

Cùm Ausoniam, legis, beatiorem orbis partem prædica. Sed in Ausonia beatiora loca obtinuisse, non'ne ad Neapolitanam attinet felicitatem? Vbi itaque gentium Neapolis? vbi beatior Italia iudicanda est; vbi non veluti in Ponto ouis auium, aut glande veluti antiquitùs in Hispania (vt refert Plinius) non intrà calidi fluctus gurgites vt vbique terrarū & insularum apud Indos,

Indos, crudiuorum more vt in nouo orbe, est viuendum; sed in qua quicquid solers & accurata Natura peperit, quicquid hominum genus ad feliciter viuendum posset excogitare, quicquid deliciarum in omnium rerum abundantia cupere licet, semper ab omnibus commodissimè reperitur. Vbi nàm gentium inquam? vbi amœnissimarum regionum sinubus mutuò circumplexa, dùm clara inclitaq. efficitur, quod ipsa terra mariq. attingere posse videtur, clarum, nobile, atque inclitũ reddit.

Vicinia. At quæ vicinia est? Cumanos habet finitimos nouarum Coloniarum propagatores à quibus leges accepit; qui licet interierint, oraculis tamen adhuc antiquæ Anus vaticinio, ruinis quæ supersunt admirabilibus, gentes ad se quotidiè euocant. Habet Dicæarchitas, iusta Reipublicæ administratione olim florentes, qui fructuum annonam, calidarum aquarum suppeditant salubritatem. Surrentinos, antiqua nobilitate excellentes, quibuscum affinitatis iure, commodorum communione vnà viuere ipsa Neapolis iudicatur. Ab Herculanensibus, Pompeianisq. quibuscum Græcis olim ritibus coibat, licet iàm incendio obrutis, quotidiani ferè victus expetit vtilitates. Hinc Nolanos & Nucerinos habet plurima virtute nobiles; hinc Capuanos bellica virtute, nobilitatis stemmate, rerum magnificẽtia, agrorum fertilitate insignes. Indè Auruncos, Oscos, Sidicinos, aliosq. historiarum monumentis perpetuò victuros, à quibus omnibus quæ tellus alit, quæ seruant horrea, quæ mortalium commoditati necessaria censentur, in eam perpetuò cernimus comportari. Quænam ciuitas ex sua vicinia tantum habet nobilitatis & commodi?

Constantinopolis. In Thracia Constantinopolitanæ vrbis situm suprà ceteros commendarunt; atque affirmauit Ioannes Carolus Scaramellus de Venetorum illustrissima Republica (cuius gloriȩ semper animum addictum habui) optimè meritus, summi vir ingenij, humanarum rerum apprimè gnarus. Augerius Busbequius Oratione ad Solimanum Imperatorem huiusmodi eam vrbem describit in Itinerario; *Videtur vrbi dominaturæ facta à Natura sedes. Est in Europa. Habet in conspectu Asiam, Aegyptum,*

Africamq.

Africamq. à dextra, quæ commoditate veluti iunguntur. A finiſtra verò Pontus eſt Euxinus, & Palus Meotis, quæ circumcircà multis gentibus habitantur, & multis vndique fluminibus influuntur, nihil vt longè latèq. ijs in regionibus ad vſum humanum naſcatur, cuius non ſit maxima Conſtantinopolim nauibus vehendi opportunitas. Ab vna parte mari alluitur Propontide, ex altera portum efficit flumen, quod à ſimilitudine Cornu aureum vocat Strabo. Tertia reliquo continenti iungitur, vt ferè peninſulæ ſimilitudinem quandam referat; & perpetuo promontorij dorſo in mare ſinumq. quem à fluuio mariq. eo recedente fieri dixi, excurrat. Et Zoſimus ait, Conſtantinum Bizantij ſitum admiratum, eam ciuitatem quammaximè ſtatuiſſe amplificandam, & Principis domum efficiendam; & tunc decreuiſſe illud narrat, cùm Capitolij aſcēſum deteſtatus, Senatui populoq. inuiſus, vrbem elegit, quæ cum Romana comparari potuiſſet. Legimus ideò in Tacito, Chalcedonios ab Oraculo Pythio cæcos eſſe dictos, quòd priores in extremam Europam adducti, præuiſa locorum vtilitate, peiora elegiſſent, quæſtuoſos & opulentos Bizantij portus appellans. En tibi Zoſimum; Πρὶν πέμψετε καὶ στρατιὰν προκαταληψομένην τὸ Βιζάντιον, πόλιν τῶν ἐπὶ Θράκης μεγίστην τότε καὶ εὐδαίμονα, πλήθει τε ἀνδρῶν καὶ χρημάτων ἀκμάζουσαν. κειμένη γὰρ ἐπὶ τῷ στενοτάτῳ τῆς Προποντίδος πορθμῷ, προσόδοις ταῖς ἀπὸ θαλάττης, τελῶ τε καὶ ἁλίας, μεγάλως ὠφελεῖτο; *Idem Bizantium præſidio occupauit vrbem Thraciæ maximam, feliciſſimamq. viribuſq. & opibus ea tempeſtate florentem; quippè in anguſtiſſimo Propontidos conſtituta freto, vectigalia piſcatumq. à mari accipit.* Laudatur prætereà ſitus ad vrbis commoda, quòd agros vberrimos poſſidens ex vtroq. elemento, magnum lucrum facit, quòdq. in Europam è palatij feneſtris Conſtantinopolitani Imperarores ex Aſia paucorum ſtadiorum ſpacio ex ſuis pomarijs fructus expoſcant, dùm ſexcentarum quotidiè cymbarum commearus maria replet. Quæ profectò meritò laudantur, & vrbs ſitu ampliſſima ijs cōmodis dicenda eſt, quòd ex Propontide & Aegeo perpetui commeatus patent; & æſtuante Aegeo, Euxinus ad-

Ann. lib. 12.

currit; in Euxino tempestatibus coortis, placidè nauigatur Aegeus. hinc rerum vtilitas,& commoda,atque habitatorum frequentia; quòd aura illa Thessala & Macedonica quodammodò perflatur,quibus tota Græcia ridet,& hilaris est;quòd amœnis perfruitur oris in quibus deliciarum vernat vbertas. Habet tamen quid infelicius barbarorũ sedibus occupata, riget enim Caucasi in ijs gentibus asperitas, nigroq. mari oculorum oblectamenta denigrantur, & pestis lues (cœlum illam, vel gentes ferant) squalentem sæpissimè atque horribilem reddit, vt vicina loca detrimenta afferant, non vtilitates.

Neapolis vndique ditatur Terra mariq. circumspice Neapolitanam vrbem, illustrem vndique cernes. Ex Vesuuij gemino culmine ab Oriente Sole quotidie salutatur;mons ille nostra Delus est. *Apulia.* Indè Appuli agri horreo munitur,ex quo præter frumentariam annonam amygdalam, oleum, mel, lanam, pecus, caseum affluenter elicit. *Calabria.* Ad meridiem ex Calabria Brutijsq. serico, manna, oleo, generosis vinis, vario caricarum genere, caseo, saccaro,mineralium venis, materia ad conficiendas naues abundat, vt rectissimè καλὰ ῥέα appelletur, quòd pulcra optimaq. ex ijs locis Neapolim excurrant. *Sicilia.* Et area & segete locupletatur à Siculis,si quandò agri solum in hac regione torpuerit, vt nunquam fame necari queat, veluti tot ciuitatibus euenit quæ loci natura occlusæ integram famem ad ouum, ad castaneam, ad olus referre coguntur. Locupletatur prætereà caseo, melle, saccaro,quæ à dulcissimo illo mittuntur solo. Sed quid non boni affert meridionalior Africa & pelle, & edulio? *Africa.* Ex Occidente si Mediterraneũ mare se obtulerit, à Sardinia saginatur caseo; *Sardinia.* ab Etruriæ insulis ferro, & chalybe instruitur; ab Hispania pannis, & auro. *Hispania.* At quid Britannia boni non affert per Gades effluens? *Britannia.* Et à Septentrione Samnitium industria, serico, lana, croco, caseo, frumento ditatur. *Samnites.* Quapropter quæ Aegypto tribuebantur,nihili sunt, si Neapolim inspexeris,de qua melius quàm de Syracusis Cicero diceret; *Syracusæ.* *Cuius situs atque hac natura loci, cœliq. dicitur, vt nullo vnquam die tàm magna turbulentaq. tempestas fuerit, quin aliquo tempore Solem eius diei viderent.*

Et

Et dùm Italiam omnes orbis regiones ſuperare ſcribit Halicarnaſſeus, eo potiſſimum argumento vtitur, quo in Neapolitana vrbe vtemur; ait enim ipſum terræ opes non in vna ſolùm frugum ſpecie ponere, nec eum ſubire deſiderium habitandi in ea regione in qua ſunt tantùm arua pinguia, ceterarum verò rerum aut nulla prorſus, aut perexigua vtilitas percipitur; ſed eam regionem optimam putare, quæ facilè magnam rerum ad vitam neceſſariarum copiam hominibus ſemper ſuppeditare poteſt. Quòd ſi colles ij qui theatrum oculis ad Peram obijciunt, Conſtantinopolitanum ſitum nobilitare videntur; conſpicito Neapolitanos colles apricos, qui muniendæ ciuitatis ergò, tùm contrà hoſtium incurſus obijciuntur, tùm etiam contrà Ventorum inſaniam, quam florum fragrantia, arborumq. viriditas mulcet. In quibus nulla acuta iuga, nulla ſterilis cautes, ſed perpetuo tractu vt arti Naturam ceſſiſſe fateamur, à Pauſilypi promontorio ad Regiarum aquarum fines terminatur planities luxurioſis vitibus fœcunda. Vbi cultiſſimæ villæ, & ſuburbia ciuitatem æmulantur habitantium & vicorum frequentia. Vbi opaca paſſim nemora, ſaltuſq. leporũ auiumq. conſuetudine innoxij. Frondoſi ſemper ceſpites floribus redolentes, qui roſcidi etiam Decembri menſe ad medicamentorum vſum leguntur. Pictis herbis variata ſemper olent rura, & pendentia vbique gramina quibuſque anni temporibus virent. Nihil illo cœlo clarius, nihil iucundius, vbi ad vitæ voluptatem ſpirant flatus, qui nimboſas auertunt tempeſtates, niuales confundunt glacies, ventoſq. loquaces murmura demittere cogunt, dùm tenues auras frondium grato ſuſurro accerſere conantur.

Quæ felix regio.

Colles Neapolitani.

Conferamus verò Neapolim cum primæ claſſis Italiæ vrbibus Roma, Venetijs, Mediolano. Habet ſua ROMA miracula, collucet in ea Relligionis ſplendor, antecedit purpura & maieſtate; orbis terrarum caput, ſummorum Apoſtolorum patrocinio celeberrima, triplicis Pontificiæ coronæ amplitudine Imperatrix, cuius nutu omnia moueantur neceſſe eſt. Aſſurgunt theatra, thermarũq. faſtigia; Auguſtorum eminent Lares,

Roma.

 ſuperbis

ſuperbis ſuffulciuntur porticus columnis, omnia enim deturbata, ſentibuſque obruta, eandem præſeferunt maieſtatem. Sed iacet ſqualida inter lacus quibus inclemens cœlum efficitur; fluuiorum ſæpiſſimè obruitur æſtibus, & quæ maxima in mari appeteret nauigia vt aliarum rerum magnitudini reſponderent, lembos tantùm nauigantes proſpicit in Tyberis ripis.

Venetia. VENETIAE, artis miraculo mari celeberrimæ, diuitijs affluentes, Magiſtratuum claritate, & Senatus auctoritate ſplendidiſſimæ, quas noſter ſic Sannazarius extulit;

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem, & toto ponere iura mari;
Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arces
Obijce, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tyberim præfers, vrbem aſpice vtramque,
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

In quibus altior vnda, equiti atque pediti acceſſum prohibet; quarum Syrtes viam nauibus inuiam efficiunt; quarum decus Nauale frequenti armorum inſtructum numero. Sed ſolum in vndis vertere compulſæ, ne pedem quidem extrà aquas efferre queunt, nec continentē norunt, mariq. veluti carcere detinētur.

Mediolanum MEDIOLANI, habitantium numerum, armamentaria, officinas, rerum copiam admiramur. Et cum Auſonio conuenimus,

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæq. domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores. tùm duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populiq. voluptas,
Circus, & incluſi moles cuneata theatri,
Templa, Palatinæq. arces, opulenſq. Moneta,
Et regio Herculei celebris ſub honore Lauacri. &c.

Sed riget præclara ciuitas ad Alpium radices, hoſtium eruptionibus obiecta, nihil commune cum maritimo commeatu habens.

Antiochia. Quod ſi extrà noſtros fines commigraueris, quid ANTIOCHIA, licet maxima, & feliciſſima ab Herodiano appellata; quid

quid GOA Orientalis Indiæ caput, Indicis mercibus veluti & morbo Gallico hereditario onusta, cum Neapoli? Quid in Aegypto ALEXANDRIA Asiaticis, & Africanis mercatoribus frequens. Quid antiquam in æstuoso illo mari ab hominũ consuetudine longè alieno, miratur MAROCVM Atlas? An & CARTHAGO ipsa æmula Imperij, Neapoli non cederet maximorum Regum Metropoli? Quas à tergore habebat solitudines? quibus maris syrtibus sæpè inuasa? Si quis in Occidentis finibus laudabit TEMISTITAM in ea prouincia sitam, quam omnibus amœnitate antecedere existimarunt; non'ne etiam mari, vel potiùs lacu demersam cernimus? Mexicanas consideret difficultates, disiunctissimas terras ab omni felicitate disterminet. Viciniores quoque animaduertamus. MESSENIORVM vrbem & CORINTHVM celebrat Strabo, quòd editi colles imminẽt ambabus vrbibus quorum alter Ithone, alter Acrocorinthus dicebatur. Quid omnes colles cum Hermite, qui mons, arx, murusq. tuetur; qui sacrorum ædificiorum numero custodit, qui delicijs animos oculosq. oblectat? OLYSSIPONEM, quæ eodem ferè anno cum Neapoli condita est, dùm in Hispania confers (laudatissimo quidem situ ea vrbs posita est, in quo aromata, Saccharum, Argentum, Aurum, Vinum, Oleum, Sal, Ebur, omnesq. merces quæ ex India aduehuntur) quo pacto maris asperitatem, vastitatemq. depelles, qua nullis locorum terminis prospectus circumscribitur, si tamen extra Tagi fluminis ostia exieris? Et HISPALIM in Bethica laudes, & optimè constitutam ciuitatem dicas, sed sexcenta incommoda ne reticeas. At si ad Septentrionale Oceanum accesseris, AMSTERLEDAMVM videas emporium celeberrimum, tanta mercibus Borealium & Orientalium regionum varietate, & negociatorum commercijs frequens, vt tota Europa non habeat secundum. Sed quas clades ab Vlia, & Maersdiepa fluminibus accipit? ENCHVSAM habet Oceanum illud ciuitatem illustrem. Sed quænam in ea laudantur? Haleces (quàm vilia dicimus) quarum maximus capitur numerus, quæq. infumatæ proceribus illius regionis in delicijs

Goa. *Alexandria.* *Marocus.* *Carthago.* *Temistitam.* *Messenij.* *Corintbus.* *Olyssipo.* *Hispalis.* *Amsterledamum.* *Enchusa.*


Horna. delicijs habentur. HORNAM præterea cernes, caseum, butyrumq. Germaniæ, Brabantiæ, Hispaniæ distribuentem. Quid prætereà boni? Vada, & breuia quibus tota illa affligitur ora. Plures magnitudine illustres, nobilitate amplissimæ in Germania, in Belgio, in Gallia ciuitates; quæ tamen vel marinis fluctibus obuiæ, vel fluuiorum furoribus obnoxiæ, vel siluarum vicinitate, & paludium cœno ferè sunt inaccessibiles, vt magna ex parte ob locorum difficultatem persæpè commeatus desint. At Neapolis difficultatibus, atque hisce caret incommodis.

Neapolitanus prospectus. Syrtes penitus ablegantur, & mœnia placidissimis vndis circumfusa, pro viuarijs littore vtuntur. Siluarum loco odora pomaria vndique adsunt. In planitie paulatim ad montem assurgens, veluti è specula æquora lætissima prospicit, quem si prospectum Germani cernerent, amœnissimo prospectui Vallis

Vallis Oenipontica. Oenipontic æ Maximiliani Imperatoris abrenunciarent. Facie ad meridiem vergit, tergore ad Septentriones; læua ad Orientem, dextera spectat ad Occidentem. Ab extremo Occidente horam cum besse disiungit Ptolemæus; ab Aequatore, partibus quadraginta semis. Sed quid nobilius, aut illustrius existi-

Duo Neapolitani sinus. mari potest in eius vrbis situ, si non duos animaduertemus sinus inter quos posita est, quosq. Strabo à Caieta ad Misenum, indè ad Mineruæ promontorium producit; sed vnum tantùm sinum efficientes perpetuo circulo circumplectemur, quo nobilissimus Campanus ager intercluditur? Atque huiusmodi, à Pausilypi promontorio, Hermitem, Antinianum, Capimontium, Coniclos, Caput cliui colles, Aquas Regias, Sebethi regionem, Leucopetram, Vesuuium, Herculanium, Pompeios, Stabias, Aequam, Surrentum, Massam; Capreas, Inarimem, Prochytam, Pandatariam, Pontiam insulas; Caietam, Formias, Minturnas, Suessam, Linternum, Cumas, Misenum, Baias, Puteolos, Nesidem, Euplœam describentes, ad Pausilypum redibimus; mediterranea item complexuri, vt totius Campaniæ felicitas explicetur; vtq. ad Neapolitanum situm, nusquam alterum accedere posse cognoscamus.

DE



DE PAVSILYPO COLLE, EIVSQ. DELICIIS.
Cap. II.



AVSILYPVS collis in promontorium ad meridiem huiusmodi protenditur, vt Neapoli nauigantibus iacentem pyramidem repræsentet; qui cùm accesserint Lunæ formam littus retinere, & in plures curuari sinus atque recessus, antris, ædificijs, viuarijs plenos animaduertunt; & licet suprà planus existat, in vtramque tamen partem decliuis, in Orientali plaga rupibus arboribus conuestitis ad mare; in Occidentali, ad vicina rura descendit. Eius longitudo sexdecim stadiorum spacio ab extremo promontorio ad cryptam; indè enim Vomarus, & Antiniana villa ad Hermitem pertinent; latitudo ad mille passuum patet. Mons Sannazarij domicilio, & Virgilij sepulcro, nouus Musarum Parnassus assurgit; nouæ oblectamentis Baiæ; vndè curarum mœrores longissimè ablegantur. Quamobrem Pausilypus dictus,

ἀπὸ

ἀπὸ τῆς παύσεως τῆς λύπης. Ibiq. Bacchus λυσίπονος est, curarum solutor, quoniam λύει τῆς πόνυς; quandoque bibimus, illud Anacreonticum in memoriam venit,

ὅταν πίνω τὸν οἶνον
εὕδουσιν αἱ μέριμναι.
Mihi bibendo vinum
Aerumna dormit omnis.

Caij Cæsaris gratiam eo nomine aliquos aucupari voluisse ex antiquo lapide dictitant,

Pausilypus noster, qui nunc dat nomina monti,
Sic dicta à magno Cæsare villa fuit;
Quod foret insanis requies fidissima curis,
Et portum fessæ redderet ille rati.

Iuppiter Pausilypus. Pausilypum Iouem addimus. Sic enim Sophocles in Nauplio;

Ζεῦ παυσίλυπε
Καὶ Διὸς σωτηρίου σπονδὴ τρίτου κρατῆρος;
Iuppiter Pausilype,
Et Iouis seruatoris libatio tertij poculi.

Iuppiter Seruator. Sed primum poculum Ioui Seruatori sacrum legimus, apud Athenæum, ominis boni gratia; vt mortales in memoriam renocarent se vinum bibentes (dilutum tamen) seruatum iri. *Iouis poculū.* Quid si Pausilypanum vinum bibentes, annos se lætiores ducturos arbitrarentur? Si quidem ad Pausilypanam lætitiam *Hebes.* Heben finxerunt Dijs esse à poculis, & conuiuia ἡβητήρια nuncupabantur. Cœlius Rhodiginus ait Eubulum sub Dionysij *Quatuor pocula.* persona monere primum poculum Sanitati, secundum Amori & Voluptati, tertium Ebrietati tribuendum. addebant quartum, Insaniæ. Noueris profectò illud in comessationibus Pausilypanis, quas ad Baianas cum stomacho à Seneca improbatas accedere non negabimus. Et si Ioui Pausilypo poculum vini aqua diluti dicabant, quòd huiusmodi vinum voluptatem & lætitiam parit; hodiè tamen meracum desideratur, tùm quòd dilutū omnem amittit saporis venustatem; tùm quòd lymphari ibi nescit vinum, vbi aqua tantùm pluuialis efficit vt purum putumq. ἀμιγὴς desideretur, ne tantus liquor cum indigena elemento

mento commisceatur. Semper Pausilypi vigeat poculum, & Iuppiter nobis Pausilypus propinet. Si enim iugum subieris Lyæum musto madidum aut pampinantem, aut liquantem meliora Falernis, Cæcubisq. generosa vina, Græca item Vesuuinis suauiora reperies. Vina quidem Aminæa aliqui esse cõtendunt cùm dicat Plinius; *Post vina Gauri montis, vina quidem in collibus Neapolim vicinis oritur, Aminæum nuncupatum, sed tenue & aquosum*; & licet ea vina affirmet esse magis generosa quàm quæ in Sicilia & Bithynia nascuntur, quis tamen ignorat cum Pausilypanis Aminæa non esse conferenda? Omnem gratiam commendat in hoc vino Andreas Baccius, qui vinorum scripsit historiam. Commendamus nos qui quotidiè gustamus. Sincerum, odoratum, sapidum; sub maximis caloribus stomacho gratum; facilè descendens, vrinam promouens, nec hepati, nec renibus infestum, nec caput feriens. Vinum non fugiens aut exolescens, sed *πράμνιον consistens*, quod vel hornum, vel bimum, vel edentulum, odoratu fragrat, gustu suauissimè nutrit, quodq. Principum mensis appositum, cum omnium vinorum generibus decertans, maxima cum laude triumphat. Heluolum sit illud vel album, eandem retinet nobilitatem, licet album calores suauiùs mulceat, & ætatem soleat ferre longiorem.

Pausilypani iugum.

Aminæum vinum.

Vinum Pausilypanum.

Cùm vinum eius loci laudauero, ceteros laudasse fructus videar. Semper enim Pomonam sapidissimos fructus in quasillis concinnantem videbis, quos aut præcoces *πρωδρόμους*, vel serotinos *ὀψίμους*, si gustare licuerit, nihil sapidius gustari posse fatendum est. Poma omnia decumana reperies; nulla aut vieta, aut calculosa; quæ aut cruda ex arboribus vellantur, aut cocta decidant, non tantùm gustatu, sed etiam odoratu & aspectu adeò sunt iucunda, vt auidiùs deuorare desideraueris. Ficus fert Africas, albulas, nigras, Calphurnianas, cucurbitinas, duricorias, Herculaneas, Numidicas, tellanas, atras, biferas, præcoces quas nostrates, gentiles, vocant, quæ inter omnia ficuum genera familiam ducunt. Vuas quoque, & terræ succo, & calore Solis augescentes, quæ facillimè dulcescuntur, Atruscas, Apicias, bumammias, duracinas, Maronias, pilleolatas, Rho-

Fructus Pausilypani.

Ficus.

Vuæ.

dias, variolas, pergulanas, sed Apicias in primis quas moscatellam dicimus. Quòd si quandò ficus, & vuas insolatas gustaueris, nihil sanè dulcius. Quicquid tandem ibi nascitur delectabilius est quàm quicquid Campania producit. Lapillosum profectò solum, sed maximè ferax, quod huiusmodi pluuias in decliui retinet, vt præter labentes sensim penetrent, nutriant, & lætificent, dùm non arboribus, sed generandi virtute Sol semina, flores, fructus concoquit perficitq. Atque ità in eo colle Nymphæ perpetuò corollas nectunt, Ceres spicas conglutinat, Bacchus pendentem pampino vindemiam exornat, Satyri dolijs cymbia supponunt, & accedentes alliciunt Vinitores.

Res rustica. Rem rusticam, & nobiliorem agriculturam accolæ exercent, quam mulieres etiam optimè norunt, sed in colendo lino, cuius optimi loca illa feracia sunt, nimis accuratæ. tantamq. sibi agricolæ laudem compararunt, vt Virgilius ibi Georgica scripserit; & Palladium libros de Re rustica in suo Pausilypano scripsisse affirmet Volaterranus.

Palladius. In Anthropologia. Villæ Pausilypanæ.

VILLAE in eo colle sunt Ancanus, Villanoua, Capimontius, & Sanctus Stratus in qua Parochialis ædes est, quæ ad maiorem D. Ioannis Parochiam Neapoli pertinet. D. Stratoni martyri dicatam dicunt. Ad tria millia hominum in ijs Villis habitant. Lacertosa crura & brachia iuuenes habent, sed æstate qua fructus Neapolim important, ceruicis robur profitentur cùm onerosas quasillis cistas summa cum facilitate in capite portent. Assurgunt hinc pinus, indè turres, & villarum culmina prominent, florumq. & herbarum stramina lætissimis arbustis teguntur. palumbium exercitus magnam cladem aucupio statis temporibus accipiunt, & aduenæ coturnices in scopulos, inq. rura appellere didicerunt. Sed inter agriculturæ, & aucupij arma, retia quoque pendere dùm vides, suberaq. tribus hisce exercitationis rationibus, piscatione, aucupio, agricultura habitatores victum sibi quærere dicito. Amœnissimi vbique fundi inter quos Locteriani sunt cum hoc epigrammate,

Siue illa Hesperidum priscis celebrata Poetis,
Siue illa Alcinoi rura videre cupis;

En age,

En age, felicis Lotteri Cæsaris hortos
Ingredere, buc nullus te vetat ire Draco.

TEMPLA.

In Pausilypano promontorio templũ Fortunæ fuisse dicatum lapis ille ostendit, quem in Neapolitana Relligione notauimus à Vesorio Zeloio cum Pantheo positus. Aedicula hac ætate S.Petri ad Fortunam extat. Fortassè non longiùs templum illius numinis aberat. Extant & in littore ad meridiem, templorum atque illustrium ædium ruinæ, quæ frequentissimam in ijs locis habitationem patefaciunt. Atqui in Græci illius villa, quam suprà commemorauimus, ad D. Mariæ templum, quod Pharum appellant, superioribus annis statua cum alato capite reperta est, quam non Mercurium, sed Ventorum aliquem antiquitatis amatores existimarunt, tanta artis industria & elegantia, vt omnes Græcorum illustres sculpturas superasse videretur, quæ illicò in Hispaniam euolauit ab Indico Velasco Illustrissimo viro & doctissimo coëmpta. Habebat in talari sculptum .Π. vt Policretis opus fuisse videatur. Quid autem miraris me Ventum dixisse? A Phidia cum Nemesi alata Zephyrum quoque sculptum fuisse apud Lacidas scribit Pausanias in Atticis. Et Verum Imperatorem scribit Spartianus Cursoribus suis exemplo Cupidinum alas frequenter apposuisse, eosq. Ventorum nominibus vocitasse, Notum, Aquilonem, & Circium. Siue tamen Mercurius fuerit, siue Ventus, in templi relliquijs columnæ adhuc, epistilia, fornices, & lateritij operis visu dignissima extant, quæ omne ferè littus exornarunt.

Fortunæ templum. *Statua Ventorum.*

HIERONYMIANI, Monachi ex congregatione D. Hieronymi à B.Petro Pisano emanantes, ædem D.Mariæ Gratiarum dicatam habent, à Marco è Via Neapolitano datam; cautumq. vt Neapoli in eorum Basilica ad eius propitiationem sacra faciant. Neapolitana Ciuitas (Magistratum Sexuirorum sic appello) littoralem eius loci plagam, extructam domum à Monachis, ad pestem arcendã mercimonijs destinarunt, quæ nauibus

aduehuntur, pendentq. singulis annis eam ob rem ducentum aureos. Loca ad quæ mercimoniæ inferuntur, duæ antiquissimæ sunt Piscinæ in monte mirabiliter excauatæ, in quas aquæ è Serini flumine immittebantur, quod omnem illam oram alluebat, vt infrà ex Pontani verbis cognoscemus. Opus ab aliquo summo viro extructum.idq. ex adiacentibus in mari ruinis amplissimis conij cere licet.

CARMELITAE, templum Diuæ Mariæ Paradisi incolunt. Ad Pergulam anteà vocabant. Dominici Darij monachi ex ea familia præcibus à Summo Pontifice ijs Sacerdotibus addictū, & Mignani Comitis, Ducisq. cohortium Troili Spessi sumptibus amplificatum.In pauimenti cuiusdam ædiculæ emblemate, vbique scriptum, SPES MEA, & gentilitia insignia erecto Hippogrypho anno 1527.Tabella ibi posita est, qua à Beatrice Valentina xl. aureorum cœnobium heres instituitur. Inscriptiones ibi leguntur,

Vener. P. Dominico Carmelitæ viro sanctitate & relligione ornatiss. qui vt arctiorem vitam duceret, hanc sacram domum à fundamentis erexit, De Paradiso ad Paradisum transiens. M. D. XXII. Frater Antonius Darius Neap.sacr.Theologiæ Doctor. A.M.D. LXIIII. B.M.P.

item,

F.Antonio Dario Neap.Theologo Carmelitæ,qui de Resurrectione mortis cogitans, hic in Christo Iesu immortalem vitam beatam expectat. F. Ciprianus Trapanius Neap. fidelem ob amicitiam P. A. D. M. D. LXVIIII.

prætereà,

Andreas Prouenzalis,qui more maiorum semper nobiliss. vixit, hic cum Cænobio prædium ex multis in amænissimo Pausilypo per CC. ferè annos ab ipso, suisq. maioribus possessis fuerit largitus, collectis tandem patris atque aui ossib. hic vnà condi voluit M. D. LXVI. Ioannes Iacobus filius Neap. Ecclesi. Primicerius, quod pater testamento legarat, libenti animo exequitur.

DOMI-

DOMINICANI, templum B. Brigidæ incolunt, quod Alexander ab Alexandro condidit.

HEREMITANI D. Augustini ex Carbonaria Congregatione in templo D. Mariæ Consolationis commorantur. Erectum fortasse ab aliquo ex Sanseuerina familia, cuius conspiciuntur insignia. Hieronymus de Colle ex Hispania eò transtulit B. Virginis Icona, à D. Luca (vt creditur) depictum. Eius viri extat hoc monumentum, *Hieronymus de Colle.*

Francisco cognomento de Colle, Equiti Augustali, Hieronymus pater Regens Cancellariam, & circà latus Regium Consiliarius, dolens contrà votum posuit. Regnante Inuictiss. Carolo V. Rom. Imp. semper Aug. A. salutis M. D. XXXVII.

Bernardus Summaia multis ornamentis ædem decorauit. Erecto sacello hæc inscribenda curauit; *Bernardus Summaia.*

Tibi Deipara Virgo sacroq. sancto Partui tuo Bernardus Summaia, & Lucretia de Gondi concordiss. animo sacellum cum ara, & tumulo, & omni cultu dedicamus. M. D. XLIII.

LITTVS.

In littore (*latus* vocat Sannazarius,

—— dum Pausilypi latus omne pererro)

quænam admirãda se offerunt? Dirutæ antiquæ artis Architectonicæ relliquiæ, quæ iam nõ ab Heroicis viris, sed ab ostreis, cochleis, echinisq. tenacissimè incoluntur. Quæ quoniam in scopulos maxima cum vetustatis iactura immigrarunt, muscoso supellectili, & vdis siluarum densitatibus, dulces Murænas non conferendas cum ijs quæ intrà Siculi freti angustias capiuntur ab Apuleio celebratis, octopedales congros, pilosos paguros, captiosos culices alunt. Inter fluctuum murmura quibus dulcissimè consopimur pisces argenteo pectore in cauernis, aut inter algas ambulantes nutriuntur; & vel ὀστρακόδερμα sint, vel στρομβώδη, testaceæ enim & turbinatæ phalanges ad *Scopuli Pausilypani.*

arenæ

arenæ numerum accedunt, confertiſſima facta teſtudine huiuſmodi ſcopulos conueſtiunt, vt petrarum aſperitate abolita, vario emblemate pictos, ſed purpureos præſertim dùm purpuram vomunt, oculis obijciant.

Mare, & piſces. Mare flauum manè conſpicitur, cœruleum meridie, Fauonio naſcente purpureum. A Sole verò & Luna collucet, albeſcit, & vibrat, & maxima cũ voluptate conglobatur vndique æqualiter, nequè redundat vnquam, nequè moleſtius effunditur. Tepeſcit Zephyro agitatum, & vt ſuaptè natura tranquillum, nec agitari, nec turbari, nec difficiliore æſtu efferueſcere poteſt. Piſcatorum veſtigijs arena continuò premitur, infelicemq. eius contactus ablegat podagram. Retia, grypos videas cephalis ſaltantibus inſidias parantes; naſſas, labyrinthos pelago ſepultos, dentrices armatos, rubeas locuſtas allicientes; thynnos pelamedeſq. carceribus funeis detruſos; Βοώπιδας, acus, clupeas hamo captas; arundine ſetiſq. piſces paſſim deprehenſos dùm longos deſides piſcatores amplectuntur Soles; chelidona volantem; loliginum, ſepiarumq. nigro colore vndas commiſceri; polypos ſaxis admotos. Cochleas vndique eruas. Mytilos odorata ex arena colligas. Echinorum decies centenis millibus humidulas ciſtas inter marina folia impleas.

Sedentes interim frugalibus conuiuijs vacantes ſexcentos comperies, ceteroſq. palantes; vel nudas genu mulieres cum criſpulis vndis, quæ ad littus vento compelluntur, colludentes. Hinc frequentiùs lembis mare legi; hinc multorum in canendo certamine delectaberis. Heroes claſſe vehi dicas. Sinus grata Doride, Muſiſq. refertos ſæpiùs adeas neceſſe eſt. In exiguis vallibus ad littus decurrentibus, apricis Solis radijs quos inter verſicolores frondes emittit, tùm virgultorum quæ ad opacanda loca patulis ſunt diffuſa ramis vmbra mirificè delectamur. Sed in tanta amœnitate locus maximo detrimento eſt Neapolitanis, & qui ſæpiùs ea prætemauigauit littora, aut in mortis ſcopulos immaturè illiſit, ingluuies enim eum perdit; aut aeris alieni pelago miſerrimè ſubmerſus eſt, largitor opum effectus.

Nihil

Nihil Baianis cessisse videtur Piscinæ Pausilypanæ. Inter ceteras, Piscinæ Cæsaris, Murænarum numero collem nobilitarunt. De quibus sic Plinius; *Pausilypum villa est Campaniæ haud procul Neapoli. In ea Cæsaris piscinis à Pollione Vibio coniectum piscem, sexagesimum post annum expirasse scribit Annæus Seneca, duobus alijs æqualibus eius ex eodem genere tùm viuentibus.* Ideò tamen piscinæ Cæsaris, nàm Pollio Pausilypanum Augusto legauerat; Τελευτήσας δὲ Πολλίων τῷ Αὐγούστῳ τὴν οἰκίαν, καὶ τὸν παυσίλυπον χωρίον τὸ μεταξὺ Νέας τῆς πόλεως καὶ τῶν Πουτεόλων κατέλιπεν; *Moriens Pollio* (inquit Dio) *Augusto domū & Pausilypanum propè Neapolim & Puteolos reliquit.* Atque is erat Vibius ille, vel Vedius, quem idem Dio scribit Murænas in piscinis habuisse, quas humana carne vesci docuerat (nouum crudelitatis exemplum) quibusq. mancipia morti destinata obijciebat. Quis crederet, Murænas ad pœnam comparatas? Cœnauit apud eum fortè Augustus. Et cùm puer qui erat ad cyathos vas chrystallinum fregisset, in piscinam Murænis erat destinatus. Obsecrauit puer Augustus ne eo mortis genere occidi pateretur. Dimitti puerum Augustus iussit, & quicquid esset chrystallinorum apud Pollionem afferri, & allata perfringi, & immitti in piscinam. Fuit Cæsari sic castigandus amicus (inquit Seneca) & benè vsus est viribus suis. Pollionis ædes post eius obitum hac de causa funditùs euertit, & ex eius relliquijs circumducta porticu Romę, Liuię nomine exornauit. Arbitratus essem eas piscinas inter Nesidem, & Pausilypum fuisse positas, quarum extant ruinæ (*Copinum* appellant) crustato iam pariete, oblongæ, cymba nauigabiles, ad quas per gradus descendebant; nisi Lucullum maiora ibi fecisse scirem, qui exausta infernè terra (vt scribit Plutarchus) colles pensiles efficiebat, cursusq. in mari piscoso transitu ædibus suis circumducto, habitationibus in mari extructis, quapropter à Tuberone Stoico, Togatus Xerses fuit appellatus. Maris transitus pluribus in locis conspiciuntur, & inter præruptas speluncas ruinosi vtrinque aditus per cryptas reliqui. Notat Pollionis luxus Tacitus lib. 1. & aliorum quoque Varro; *Sic nostra ætas, inquam,*

Lib. 9. c. 53.

Vibius, vel Vedius.

Puer damnatus ad murænas.

Copinum crypta.

Luculli opera

Lib. 3. de re rust.

luxuria propagauit leporaria, ac piscinas protulit ad mare, & in eos pelagios greges piscium reuocauit.

Pausilypana habitatione. Adsunt Neapolitanorum quoque luxus. Sirenum ibi domicilium, Draconetti Bonifacij memoria celebre, à Rauascherijs instauratum; scopulus Regibus dignus, qui ad Stiliani Principem deuenit. Aloysij Caietani Traiecti Ducis Viuaria, quò maxima rupe à Mergellina disiecta rhedis paratur aditus. Horti Mendociani Labyrinthum referentes, in quibus marmorea signa Mercurij & Hecatis;myrteta,fruticum nemora disposita, fontibusq. arte confectis irrigua. Domus à M. Antonio Flóceato inchoata,à Federico Tomacello Clusanorum Marchione aucta,pictis ambulacris,aquarum perennitate, quas etiam in scopulum deducere ad calorum molestias vitandas consueuit. Domus ab Alfonso Caracciolo ædificata, quam magnitudo reddidit spectabiliorem. Alia quam Episcopus Spinellus Carolo Spinello pace & bello equiti clarissimo legauit. Tùm præterea Sanctæ Agathæ Ducis, Hieronymæ Columnæ, Scipionis Caraccioli, Tornorum, Petri Antonij è Summa magnifica & delectabilia ædificia, quæ maximam addunt maritimæ illi oræ venustatem. In extremo promontorio turris & horti ad quam veluti vectigal soluentes cymbæ nauigant, vt cùm eò accesserint, iter soluisse existiment. Aliæ quoque Nympharum domus, Gratiarum, Cupidinumq. sedes, in quibus solaria, porticus, ambulacra, speculæ, laquearia, cryptæ, quibus vndique collis abundat, licet Lucullos montium perforatores amiserit.

TEMPLA.

Duo in eo littore illustria conspiciuntur templa, alterum Diuæ Mariæ Partus, à Iacobo Sannazario ædificatum in villa quam Federici Regis munere possidebat, cui Mergellinæ (Margellinam dicit Iouius) nomen dedit, vel quòd dùm lectissimas Eclogas Piscatorias componeret,pisces mergerentur; vel quòd contrà Megarim, quam Oui castrum dicunt, scopulus ille est, veluti

veluti apud Megarenses scopulus Mineruæ Aethyiæ (quæ vox Mergum significat) à Pausania commemoratur. Poeticum sanè nomen à tanto Neapolitano Poeta effictum, cuius scripta inter inimicorum flammas non emortua, nunquam ad Neapolitanæ vrbis honorem eiusq; memoriam erunt interitura. Et poëticè quoque nomen finxit, cum è Iacobo Sannazario, Actius Sincerus adhortante Pontano (vt ait Iouius in Elogijs) qui Iouiniani cognomen sumpsit, voluerit appellari. Turrim ab ipso ibidem ædificatam ex qua latissimè maris prospectus patebat, Philibertus Dux Aurantius deturbandam iussit dùm ipse Vates Federicum Regem in Galliam fuerat sequutus, vbi dolore Aragoniæ domus funditùs euersæ, & odio in externos factus amarior aliquantò, condendæ Satyræ, quàm pangendis heroicis aptior videbatur. Mœrore hac de causa affectum interijsse affirmant anno 1533. & antè mortem dixisse; *Excedam è vita hoc meo non inani voto lætus, postquàm barbarus Musarum hostis, vltore Marte, immanis iniuriæ pœnas persoluit.* Senuerat tùm Pontani gratia, qui victorem Carolum inuidiosa oratione publicè laudauit, atque ità Aragoneum nomen cui plurimùm debebat, vehementer offendit. Templũ condidit anno 1510. Virginis partum, cuius laudes eximias cecinit poemate illo viginti annorum lima perpolito, ex quo plurimùm laudis viuens sibi comparaturum existimauit, cùm tamen mortuo vota non successerint, quandò ex Arcadicis illis ludicris scriptis quibus vulgus hominum cui seria displicent, maximè est delectatus, Poëtæ nomen doctissimo viro videtur acquisitum, ædificio quoque exornandum sibi statuit. Familiam Seruorum in id templum introduxit anno 1524. qui à Philippo Florentino medico Anachoreta fuerant instituti. Eius ibi sepulcrum nitidiore marmore quàm Parium, sculpturæ opus eximium profert. Ad viuum eius efficta imago, ex cuius ore mella exugere videntur Apes: Apollinis & Mineruæ Signa, quæ sacro nomine mutarunt Iuditham, & Dauidem appellantes, ne sacer ille locus Etnicorum simulacris videretur prophanari. Sculpsit F. Ioannes Montursolus Seruita, qui ad Florentiam in pago quodam ortus, Fran-

Templum Virginis.

Ioannes Mõtursolus.

cisci Taddæ socius, in Carrariæ montibus marmora diligentissimè scalpebat. atque indè opus perfectum Neapolim detulit. Duo etiam signa D. Iacobi Apostoli, & D. Nazari; præter tabulas pictas Pistoriensis cum Michaele Archangelo, & Theodori cum cœna Dominica, cum picturæ maxima laude. Petrus Bembus Cardinalis amplissimus doctissimusq. tumulo hoc inscripsit epigramma,

Da sacro cineri flores. Hic ille Maroni
Sincerus Musa proximus vt tumulo.

VIX. AN. LXXII. A. D. M. D. XXX.

Viuens hoc distichum confecerat Sannazarius ipse,

Actius hic situs est; cineres gaudete sepulti,
Iam vaga post obitus vmbra dolore vacat,

Id quod poetico more dixit, non quòd à Christiano cultu christianus eques abhorreret, vt obtrectatores, & inuidi obijecerant. Huiusmodi etiam in illo epigrammate loquutum scimus,

Post obitum non vlla mihi charchesia ponet
Aeacus, infernis non viret vua iugis,

poetico lusu alios æmulatum. Quo enim pacto temerè loqui poterat is qui de Verbo, Virgineq. tàm sincerè loquutus fuerat? Testatur id ipse verbis quibus Clementem VII. alloquutus est,

Magne Parens, custosq. hominum cui ius datur vni
Claudere cœlestes, & reserare fores;
Occurrunt si qua in nostris malè firma libellis,
Deleat errores æqua litura meos.
Imperijs, venerande, tuis submittimus illos,
Nam sine te recta non licet ire via.

Lib. 4. Bibl. Et Sixtus Senensis hoc encomio eum celebrat; *Vir ad illustrandam sacrosanctã Christianorum poesim felicissimo sidere natus.* Quid verò Sixtum? Audiamus Leonis X. encomium; *Dici non potest, cùm hæc audiremus, quantum voluptatis acceperimus, & cùm ipsi legemus, accepturi simus; quòd persuasimus diuina factum prouidentia, vt diuina sponsa tot impijs oppugnatoribus, laceratoribusq. lacessita, talem tantumq. nacta sit propugnatorẽ,*

Audiamus

Audiamus & Clementis VII. ad ipsum scribentis, cùm librum gratissimo munere accepisset; Non solum, inquit, eius ingenio honoratos atque illustratos esse, sed (quod sibi gratius fuit,) iudicio comprobatos; ingenij gloria nemini illum concedere, omnibus potius præstare qui in hoc scribendi genere cum laude versati sunt, & ipso scriptionis argumẽto ostendere qua esset pietate, sapientia, relligione præditus; & iucundius accepisse testimonium optimi & relligiosissimi viri, quàm studium doctissimi. Duo hæc testimonia alterum à Petro Bembo, alterum à Iacobo Sadoleto summis viris scripta, à duobus Summis Pontificibus maxima cum Sannazarij laude fuerunt comprobata. Quibus Cardinalis ille amplissimus Aegidius accessit, qui eius scripta in vnum congerens, quibus laudibus, qua virtutum & relligionis eum gloria amplectitur? Addam illustrissimorum ex Aquiuiua familia virorum monumenta, Antonius enim Donatus Iouiæ Comes Andreæ illius præclarissimi Matthæi filius, sic pro Sannazario Clementi VII. vouet,

Vt non furta Iouis, vanæ aut mendacia Cretæ,
Aut ortam ex vndis commemoret Venerem;
Sed puerum cœli Dominum, Regemq. Deumq.
Quem peperit salua virginitate parens.

Vt tandem sileant grammaticuli terræ filij, blacterones, qui cum dictionem Ascensianam interpretati fuerint, litteras scire & disciplinas prædicant. Taceat prætereà fæx illa hominum quæ vix doctorum scriptorum limina se salutasse intelligit, cùm subitò inter poetas adnumerari poscit, lauream petit, criticè in omnibus mussitat, ad Aristotelis poeticam accedit, eòq. prorumpit audaciæ, vt cùm Aristotele vel cœlum ipsum iudicet, nunquam tanti viri lectionem vel Græcam quam ignorat, vel Latinam quàm non callet, iudicatura. Hoc genus hominum à Sannazario abstineat; attrectare nefas tanti viri scripta. Neque Petro Bembo huiusmodi succubuisse dicant, vt ab ipso scribendi rationem didicerit, quàm ea ætate doctissimè Sannazarius nouerat, eoq. iudicio quo Latina scripserat, in quibus omnem in suis Eclogis satis fuisset superasse antiquitatem, licet per pro-

prij idiomatis campum aliquandò licentiùs excurrisset. Qui in ceteris, veluti in ouo scirpum quærunt, discant à Platone quod scire se nouerat à figulorum, sutorumq. doctrina, qui cum omnia scire sibi persuaderent, cùm tamen nihil scirent, illud se scire affirmabat, quod verè nesciret. Neque semper in rebus poeticis Aristoteles quærendus est, qui ea tempestate illa scripserat quæ tempori, moribus, idiomati conuenire arbitratus est; qui aut Epicos, aut Tragicos eiusmodi sibi scribendo tunc proposuit, vt quoad fieri posset ea præcepta eliceret, quæ suis temporibus poterant accommodari. Sed esto; Poetices ijs præceptis fundamenta iecit; placet operum soliditatem prudenter collocari; sed verba, modum, sales, episodia aliaq. huius generis, cœmenta sunt quæ nouam exposcunt ædificij compositionem. Multa ex antiquitate ad res concinnandas proficiscuntur; multa item ab eius stylo abhorrent. Quid malum, semper Aristoteles, vel si Sannazarius & alij Poetæ mingant? Dicerem aliquid pœnæ huiusmodi Sannazarium luere, propterea quòd acertimo ipse ingenio omnium scripta liberè reprehendebat.

Hoc templum eo quo Sannazarius legauit redditu, familiam retinet. Auctum ædibus à Ioanne Camillo Mormili eius herede; auctum prætereà à Ioanne Simone Moccia, qui viuens tantùm hereditatem sequitur, post multos annos moriens Antonij Mormilis heredibus concessurus.

In Mergellinæ littoribus mare semper adeò tranquillum, vt domus, rupes, arbores, cœlum ipsum, in vndis splendidè iacentibus transpareant. Nec venti fremunt, nec æstu turbantur vndæ. Pontanus,

Qualem prærupti sub vertice montis, adeso
Littore, secessu in molli, sub rupe cauata
Et Baccho felix, felix Amathusi de myrto
Frondenti, & Lauro Neptunia Mergelline
Læta colit; non æstus eam, non frigora tentant.

Aquarum dulcium scaturigines in ipsa arena,

----- & è terris occurrit dulcis amaro
Nympha mari -------

Fontes

Fontes quibus aquæ pluuiæ colliguntur in imbres, inter opaca citriorum nemora, varijs casibus, hydraulico sonitu prorumpunt in hortis Ioannis Bernardini Longi Medici, & Philosophi peritissimi, qui dùm hæc scriberem in æternas sedes euolauit. Hortos alij pensiles construxerunt. Antonij Sanseuerini recessus laudat Bartholomæus Maranta; sed his verbis Flaminius, *In Lucull. Quæst.*

Si mihi post tantos terra marisq. labores
Contigerit vestra limina adire Dea,
Limina quæ Vates specula fundauit in alta
Actius Eois clarus, & Hesperijs;
Hic ego pileolum figam, & calcaria, & ensem,
Et quæcunque vagus arma viator habet.

Alterum templum D.Mariæ ad Cryptam est sacrum, Cryptæ Pausilypanæ conterminum. *Templum D.Mariæ ad Cryptam.* Canonicorum Regularium domus quò omnibus ferè diebus, Saturni præcipuè, B.Virginis Neapolitani obsequentissimi, ex vltimis ciuitatis regionibus se conferunt, nudisq. pedibus plerique duorum trium'ue millium passuum iter obeunt, tantam deuotionis pietatem Virginis imago ad cœlestis memoriam excitauit. Aedicula ibi primo loco ædificata fuerat, cùm peregrino cuidam in somnis diuinũ Numen apparuisset, & Mariæ Dyrrhachiensi nobili mulieri, & Eremitæ cui nomen B. Petri erat, vt Imaginem quam nunc veneramur ex crypta tollerent, locusq. demonstratus vndè esset effodienda vj. Id. Sept. anno 1353. illicò ædiculæ locus erectus. Mortuo deindè Neapolitano Archiepiscopo, D. Mariæ, & D.Petri ad Aram, Alfonso I. Regi à Nicolao V. Pontifice cura est demandata; qui Canonicis Regularibus S.Augustini Congregationis S. Saluatoris Lateranensis, eas sedes gubernandas, & incolendas tradidit. A quibus deinceps, vt ex monumentis cognoscere licet, & ex pictura quæ in claustro reliqua est, amplificatæ fuerunt. Eius ædiculæ meminit Petrarcha in Itinerario; *Et mox ad radicem montis in littore Virginis Matris templum quò assiduè pernauigantium fit concursus.* Nullumq. huc commeat nauigium, quod facta eius templi videndi copia, tormentorum ictibus maximæ non edat lætitiæ argumentum. Longobardi

Canonici

Canonici ea loca ità liberè occupauerant, vt nulla Neapolitanorum, quorum maioribus ædificia, & omnia quæ adsunt accepta referenda sunt, habita ratione, eos prorsus eijcerent. Sed me dictante anno 1598. litteras Ciuitatis nomine ad Clementem VIII. Pontificem, mortuo Cardinali Columna, qui Longobardorum partibus fauebat, Neapolitani fuerunt in pristinum locum restituti, sacros inter se Magistratus exercentes. Aedes in eo templo ab Arianorum Antistite ex Canonicorum familia est condita, & tribus tabulis pictis Dominicæ Passionis à Vincentio Belgio perspicua reddita est. Aliquot ibidem sunt Epitaphia, quæ cum in solo fuerint collocata, obliuioni rerum memorias facilè tradiderunt, quas ipse scriptis seruare pium existimaui. Et discant, qui monumenta ponunt, in eminentioribus locis collocare, ne characteres pedibus terantur, & paucos post annos familiarum memoria pereat, veluti multis in locis mea ætate perijt. Quis nunc ibi videat Ioannem Dorbinum, ex ære? quis ab hinc paucos dies eius memoriæ testis erit? Seruemus Hispanorum memorias, vt Italis ipsi quoque rependant;

Ioannes Dorbinus hic situs est, qui summo corporis atque animi vigore bella gerendo Cæsari victorias, Hispaniæ decus, sibi nomen cum immortali gloria comparauit. A. Sal. M. D. XXXI. Rodericus Ripalta Amico. B.P.

Aere fuit fusus quem cernis marmore Princeps,
Fusit Parthenope Martia bella timens.

Aeneum siquidem sepulcrum & simulacrum quod in maiori Altari dicauerant bellorum causa, tormentorum vsui commendarunt. Nunc verò nec æneum, nec marmoreum cernitur.

Aliud,

Qui sic moritur, non extinguitur.

Roderico Ripalta genere Nauar. peditum ductori strenuo, atque Castrorum Præf. Qui sub Imp. Caroli V. Cæs. auspicijs dùm disiecta Caeril mœnia recognoscit ab defensoribus archibusij ictu pectus transfoditur. cuius ossa Ferdinandus frater Neapolim transferenda curauit. Francisca

Via-

Viacampa coniugi concordiss. lacrimis iugiter manantibus. Vix. ann. XXXV. M. VII. D. X. obijt Calend. Nouemb. M. D. XXXVI.

item,

Aloisio Viacampo Celtibero Iacbensi Alae Caes. signifero Cohortis Hisp. Praef. fortibus militiae gestis in Italia clariss. Francisca uxor coniugi desideratiss. Obijt Bononiae cùm Caesar Carolus V. à Clemente VII. Imperatoria triplici corona ornaretur. A. D. M. D. XXX.

Aliud,

Claudio Gonzagae Abbati Podij Domino, Pij V. P. M. ad Ioannem Austriacum sacri foederis Praef. Legato, Gregorij XIII. P. M. Oeconomo, M. Aurelius Lomellinus affinis P. obijt an. D. M. D. LXXXVI. Die XXII. Aug.

In Chori pariete lapis est. Hæc scripta leguntur, pro Galeotorum familia,

Cella celsaq. Ara
Eiusdem Iurispatronatus quo illis è regione olim vtebatur Galeotorum familia hic à Canonicis restituta sunt.

templi enim valuæ anteà ad cryptam vergebant. Deindè vt venientibus è ciuitate commodior pateret aditus, occluso pariete, ad Orientem sunt apertæ.

In pilis quæ templi fornicem excipiunt, insignia sunt Brancaciorum, & hæc verba, *Loco Iuris Caesarei decreto restituta.* Horti ibi cultissimi malis aureis referti. In colle Pausilypano saltus est ad Canonicorum delicias, ibiq. Virgilij sepulcrum.

CRYPTA PAVSILYPANA.

Nescio an magis Crypta Pausilypum, quàm Pausilypus cryptam exornet. Pausilypus in luce versans admirabilis. Admirabilior crypta, quæ in tenebris antiquorum animorum excellentiam patefacit. Maximum, & celeberrimum opus. Sic describit Seneca; *Cùm Baijs deberem Neapolim repetere, facilè credidi tempestatem esse ne iterum nauem experirer. Sed tantum* Epist. 58.

tum luti tota via fuit, vt poſſem videri nihilominus nauigaſſe. Totum Athletarum fatum illo die perpetiendum fuit. Aceromate nos haphe excepit in crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obſcurius, quæ nobis præſtant non vt per tenebras videamus, ſed vt ipſas. Ceterùm etiam ſi locus haberet lucem, puluis auferret. In aperto quoque res grauis & moleſta. Quid illic vbi ſe volutatur, & cùm ſine vllo ſpiramento ſit incluſus in ipſos à quibus incitatus eſt decidet? Duo incommoda inter ſe contraria ſimul pertulimus, eadem via, eodem die, luto & puluere laborauimus. Aliquid tamen illa obſcuritas quid cogitarem dedit. Hoc in ſtatu Crypta erat ea qua Seneca viuebat ætate, vt hoc tempore viam Puteolanam, Cryptæ commoditatem, & lumen commendemus. Silice ſtratum iter, puluerem lutumq. remouet. Ampliſſimæ fauces, lucem veluti in aperto admittunt; & locus qui carcer anteà nuncupabatur, habetur in delicijs. Aliqui aniles ſequuti fabulas à Vergilio Magicis artibus perfoſſam tradiderunt, id quod & de Ouo Luculliano ſomniarunt. Quid tamen Magia cum ferro? Audiendus Petrarcha; *Inter Falernum & mare mons eſt ſaxeus, manibus hominum confoſſus, quod opus inſulſum vulgus à Virgilio Magicis cantaminibus factum putat. De quo cùm olim me Robertus regno clarus, & ingenio ac litteris præclarus quid ſentirem multis adſtantibus percunctatus eſſet, humanitate Regia fretus iocans nuſquam me legiſſe Magicum fuiſſe Virgilium dixi. Quod ille ſereniſſimæ frontis nutu approbans, non illic Magici, ſed ferri veſtigia confeſſus eſt.*

Crypta Pauſilypana deſcriptio.

In Itinerario

Aliqui Baſſo cuidam opus tribuunt, cuius profectò nemo meminit. Strabo fabuloſè dictum exiſtimat à maioribus, Cimmerios iuxtà Baias, Lucrinum, & Auernum habitaſſe (aſſerit tamen eos antiquiſſimos fuiſſe Campaniæ populos; & furtis deditos ſcribit Pontanus) & cauernis quibuſdam inter ſe commeantes metalla effodiſſe, placatis priùs per ſacrificia Genijs Manibus, & in ſpeluncis profundis ſuas diuinationes exercuiſſe. Addidit verò Græcos qui regionem illam poſteà incoluerunt, Cimmeriorum fodinas ad hypocauſta, thermas, viaſq. & alios

Baſſus. *Lib. 5.* *Cimmerij.*

vſus

vsus accommodasse, & Romanos Græcorum exemplo vt eos in magnis operibus superarent, subterranea illa loca plurimum auxisse, cùm ibidem ædificia extruerent, & Puteolanæ arenæ virtutē ad structuras consolidandas cognouissent. Quamobrem Cocceium asserit Cimmeriorum fortè fabulam sequutum, ab Auerno Cumas vsque cuniculum duxisse, alterumq. ad Neapolim ex Dicæarchia, viam optimè per fossas duci ratum. Cuius tamen verba aliqua ex parte corrupta esse non vereor; ait enim, Νυνὶ δὲ τῆς μὲν ὕλης τῆς περὶ τὸ Ἄορνον κοπείσης ὑπὸ Ἀγρίππα, τῶν δὲ χωρίων κατοικοδομηθέντων, ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀόρνου διώρυγος ὑπονόμου τμηθείσης μέχρι Κύμης ἅπαντ᾿ ἐκεῖνα ἐφάνη μῦθος. τοῦ κοκκηΐου τοῦ ποιήσαντος τὴν διώρυγα ἐκείνην τε, καὶ ἐπὶ Νέαν πόλιν ἐκ Δικαιαρχίας, ἐπὶ ταῖς Βαΐαις, ἐπακολουθήσαντός πως τῷ περὶ τῶν Κιμμερίων ἀρτίως λεχθέντι λόγῳ, τυχὸν ἴσως καὶ πάτριον νομίσαντος τῷ τόπῳ τούτῳ διὶ ὀρυγμάτων εἶναι τὰς ὁδούς; *Nostra verò tempestate cùm siluam quæ circa Auernum fuit cecidisset Agrippa; & loca ædificijs occupata essent, actusq. infrà Auernum Cumas vsque cuniculus, omnia ista fabulas esse liquidò apparuit, cum quidam Cocceius, qui cuniculum istum duxit, & alium à Puteolis ad Neapolim suprà Baias tendentem, ferè sequutus sit fabulam istam de Cimmerijs modo relatam, ac fortasse etiam loco huic antiqua consuetudine putauerit conuenire, vt per fossas via ducantur.* Quid verba illa significant, *A Puteolis ad Neapolim suprà Baias?* Qui nàm cuniculi circuitus à Puteolis ad Neapolim suprà Baias tenderet? Quare corruptè legi cuique patebit. Nec defuere qui Strabonem non de hac crypta loquutum asserant, sed de alia quæ à Puteolis ad Neapolim initium duceret. Quid enim Puteoli, cum Pausilypo? Quod si hanc intellexisset, fuisset dicendum non, *à Puteolis ad Neapolim*, sed, *inter Puteolos & Neapolim.*

Cocceius.

Agrippa siluā cæcidit ad Auernum.

Pontanus nescio quàm feliciter Cocceium Neruæ auum introducat; *Refertur ad M. Cocceium (nescio an is fuerit M. Cocceius Neruæ Augusti auus, qui Romæ aquarum curam habuit tulitq. maximam Architecturæ laudem) refertur, inquam, ad hunc, siue ad alium Cocceium crypta Neapolitana*, & quæ sequuntur.

De Magnif. c. 10.

Cocceius Neruæ auus.

quuntur. Qui Neruæ etiam proauus ad ea tempora posset referri? Aliam in Pausilypo Seiani cryptam commemorat in ea parte qua mons in mare protenditur, quam rupium casus occuparunt. Os cryptæ cernitur ad quam non patet accessus. Alij Cocceio Puteolani templi Architecto adscribunt.

Crypta Seiani.

Lucullus.

Nullo pacto Luculli opus dicendum. Licet enim Varro scribat; *Contrà Neapolim L. Lucullus posteaquàm perfodisset montem, ac maritima flumina immisisset in piscinas quæ reciprocè fluerent, ipse Neptuno non cederet de piscatu*; & tamen verba huic cryptæ non conueniunt, quandò nec maritima in ea flumina immitti, nec reciproci maris fluctus excipi, nec piscationes exerceri potuissent; nec nisi ad itineris commoditatem factam, opus ipsum ostendit. Scimus prætereà omnem ferè oram Pausilypanam quæ ad meridiem vergit fuisse perfossam; inter se enim adhuc antra migrant. Et Plutarchus Lucullanum hoc opus non prætermisisset, qui eius viri magnificas res diligentissimè conatus est describere. Et meminisset Strabo, qui paulò post Lucullum superuixit. Blondus Varronis verba ad eam Luculli villam refert, cuius ruinæ Agnano lacui supereminent. Quid si dicerem Cumanos eam excidisse, vt Neapolim commodiùs breuiùsq. accederent, cùm nouæ condendæ vrbis rationem inierunt? Quid si Palæpolitanos, vt Puteolana balnea adirent? An cum Blondo dicam, *Quis autem id memorabile opus fecit, ignoratum est nobis?*

Crypta à Lucullo non est perfossa.

Illud affirmare possumus, nullas Neronis ætate qua Seneca scripsit speluncam habuisse luminum spiracula. Obstruxisse tamen luminibus vel terræmotus, vel aliud quidpiam credendum est, cùm Strabo qui sub Augusto floruit, varijs fenestris per mõtis iugum eam lumen accepisse scribat, ne quæ spiracula cernimus noua credamus. Petrus Razanus Siculus Lucerinus Episcopus, antè sua tempora annos centum quinquaginta foramina nulla fuisse testatur, vt omnes ingressum perhorrescerent, durissimis vepribus circumductis faucibus. Tùm posteà ab Alfonso I. Rege viam complanatam (quod Pontanus anteà docuit) latiorem, & faucibus altioribus, lucidiorem esse redditam.

Crypta ab Alfonso Rege amplificata.

Petrus

Petrus è Toleto Regni Vicarius, qui Puteolanos hortos voluptatis causa parauerat, adeò magnificè amplificatam ornauit, vt perpetuum sexcêtorum, & eò amplius, passuum iter claro vtrinque ostiorum lumine, iucundum ac facilè sit patefactum, vt quæ Statius de Surrentino Pollij dixit, *à Petro è Toleto.*

----- longoq. domat saxa aspera dorso
Qua prius obscuro permixti puluere Soles
Et feritas inamœna via, nunc ire voluptas,

de hac præcipuè crypta sint dicenda.

Sacram antiquitùs eam cryptam fuisse locus ille Petronij Arbitri in Satyris patefacit, qui Quartillæ ancillam huiusmodi loquentem inducit; *Me derisisse, inquit, vos putabatis? Ego sum ancilla Quartillæ, cuius vos sacrum antè cryptam turbastis?* Cryptam Neapolitanam Ianus Dusa in Præcidaneis ad Arbitrum intelligit, veteri fragmento P. Danielis Glossario subministrante, in quo ex I. Satyrarum Petronij hæc citantur; *Satis constaret eos nisi inclinatos non solere transire cryptam Neapolitanam*. Quæ si vera iudicanda fuerint, cryptæ eo tempore tantam cernimus humilitatem, vt nisi inclinati transire adeuntes non possent. Sacra item antè eam fieri solita, eaq. Priapo, quæ nocturna fiebant, cuiusq. Dei Genio Peruigilium debebatur, vt ex eiusdem Petronij verbis ibidem liquet. Quamobrem quicquid in Petronij Protasi gestum continetur, Neapoli gestum doctissimi viri arbitrantur. cùm præcipuè de iuuenum declamationibus, de puerorum ludis in scholis, de declamatorio porticu, atque his similibus ibi loquatur, cum Græcam vrbem nominet, quo peculiari nomine primaria Magnæ Græciæ ciuitas Neapolis insigniebatur. Confirmant hæc ea quæ de Neapolitanorum antiqua relligione diximus.

Quisque verò memorabile illud opus ausus fuerit, immortali laude ab omnibus est afficiendus, qui difficile & longum iter ægris auertit ad Puteolanas thermas proficiscentibus; aduenis, qui ex intimis orbis partibus eò se conferunt; Puteolanis qui iumentis & carris quos duplices locus capit, fructuum varietatem Neapolitanis suppeditant; Neapolitanis ipsis qui ad rura

diuertentes, magnam itineris partem absque Solis & pluuiarum molestijs conficiunt; vina, ligna importanda, lina in calidis Agnani aquis maturanda curant. Et laudandus is est qui in medio specu igne prælucet, vt Deiparæ imagine recreentur iter facientes. Nullum ibi scelus perpetratum scribit Petrarcha; *Et nullis vnquàm latrocinijs attentum patet*. Idem possumus nostra ætate testari. Vnum memini in rheda eo itinere occisum.

Suburbana extrà cryptā. Suburbana extrà cryptam regio multa habet notatu digna. Cùm eam exieris ædicula ad læuam occurrit D. Mariæ Hydriarum sacra, nec ea est cuius meminit Petrarcha; *Iuxtà breue deuotissimum sacellum suprà è cryptæ exitum.* eam enim collocat iuxtà Virgilij busta, vt ipse loquitur. Indè villa, in qua quòd nebulæ non subitò eleuantur, quoniam Orientem Solem occupat Pausilypus dorso assurgens, aëris intemperiem æstiuo tempore experimur. Rura tamen habet vino frugibusq. aptissima. Vina etiam non grandia, sed quæ cruditatem non afferunt. Aliqua videris planissimis locis explicata, denso arbusto consita, rosarijs odora, malis medicis stipata, pinearum vmbra delectabilia; vt ex paucis agri modijs grandis pecunia ex hisce omnibus excipiatur. Quæstus clemens cœlum reddere solet. In biuio marmor est, nouæ Puteolanæ viæ præpositus à Perafano Ribera ductæ. Tendit inter fundos ad mare tanta felicitate & facilitate vt pedibus semper eam tererem cùm Puteolos peto. Perafani ibi elogium,

PHILIPPO. II. REGNANTE
PERAFANVS. ALCALÆ. DVX. PROREGE
QVI. VIAS. FECIT. AB. NEAPOLI
AD. BRVTIOS. AMPLISSIMAS
HANC. QVOQVE. VIAM. CLIVIS ANTEA. DIFFICILEM
ARCTAM. INTERRVPTAM. CVM. ITER. EIVS. AD. MARE
DIREXISSET. VASTAQ. SCOPVLORVM. IMMANITATE
CONSTRATA. NOVAM. APERVISSET. PVTEOLOS
MVLTO. BREVIOREM. PERPETVAM. ILLVSTREM
ATQVE. LATAM. PERDVXIT. M. D. LXVIII.

Additumq. epigrammati, ab eodem Ribera antri structuram esse amplificatam.

VIR-

VIRGILII SEPVLCRVM.

Pausilypum & Neapolim, illum montium, hanc ciuitatum pulcherrimam, Poëtarum principis tumulus exornat. Dicerem omnem Neapolitanæ vrbis gloriam mortuo Virgilio, in eius sepulcro fuisse detrusam. At quis neget eos cineres, eas tumuli relliquias, Neapolitanam amplitudinem quotidiè ad vitam reuocare? Periere Neapoli Musarum cantus, Neapoli inquam, quæ Amorum & studiorum mater habita est, cùm Musæ & studia alias vrbes nouercas habuerint. Ea tamen re satis Neapolitanis fiat, quod Musarum parentis & alumni memoria quæ inter orbis terrarum fines viget, Neapoli inter Pausilypanas parietinas perpetuò viuet. Maiorem honoris gradum quàm Regni dignitate, quæ maximum nomen apud exteras gentes illi comparauit, Virgilij cineribus est consequuta. Mirum illud sanè, & virtutis illud est trophœum, quòd absumptus in eo tumulo lapillus, quauis Regia clarior habeatur. Loquitur de eo Petrarcha locum designans (quem tamen non potuisse inueniri scribunt Blondus & Razanus) his verbis, *Sub finem fusci tramitis* (Puteolis discesserat) *vbi primò videri cœlum incipit, in aggere edito, ipsius Virgilij busta visuntur, peruetusti operis, vndè hæc forsan ab illo perforati montis fluxit opinio*. Id maximè sepulcrum à Silio Italico fuisse honoratum scribit Plinius Nepos ad Caninium Rufum; *Virgilij antè omnes, cuius natalem relligiosiùs quàm suum colebat. Neapoli maximè, vbi monumentum eius adire, vt templum, solebat.* Et veluti templum veneratur Statius,

Silius Virgilij monumētum adibat. *Lib. 3.* *Lib. 4. Silu.*

---------- & geniale sequutus
Littus vbi Ausonio se condidit hospita portu
Parthenope, tenues ignaro pollice chordas
Pulso, Maroneiq. sedens in margine templi
Sumo animum, & magni tumulis adcanto magistri.

Lateritia structura est, in cuius medio nouem columnas vrnam sustinentes fuisse tradidit Alfonsus Heredia Arianensium Episcopus, *Virgiliani tumuli descriptio.*

scopus,

ſcopus, qui bonas litteras viuens coluit. Vrnam marmoream cum diſticho quod à Donato recolitur,

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope. cecini paſcua, rura, duces.

vidiſſe illud opus ſcribit Petrus è Stephano, qui ab hinc annos xl. librum de Neapolitanis templis edidit. Ioannes tamen Villanus, vrnam cum cineribus Mantuanis petentibus Neapolitanos conceſſiſſe aſſerit. Inepti ſanè fuiſſent. Aliqui Longobardos Canonicos, ſuſtuliſſe fatentur. Idemq. Epiſcopus affirmabat, vrnam, columnas, & parua quædam ſimulacra à Cardinali Mantuano, Canonicorum patrono ablata fuiſſe, ab eodemq. Genuæ relicta, cùm ibi in itinere obijſſet. Quod ſi aut Genuæ, aut Mantuæ tanti viri relliquiæ eſſent, quo pacto ab earum oſtentatione abſtinerent? Mantuæ inquam, vbi in nummis, Virgilij, veluti Lesbij Sapphus, & Chij Homeri effigiem cudendam curarunt? extat verò apud me nummus argenteus,





in quo Virgilij caput coronatum, & in altera facie Sol. Antiquus quidem nummus eſt, ſed quis diuinabit à quo ſit cuſum? Illud admiratione dignum arbitror, quòd inter ruinas Laurus creuerit, ſummi poetarum encomium. In antiquis monumentis hoc epigramma repertum ferunt,

SISTE. VIATOR. QVÆSO. PAVCA. LEGITO
HIC. MARO. SITVS. EST.

In lapide hoc epigramma quoque ſculptum,

Quæ cineris tumulo hæc veſtigia? conditur olim
Ille hoc qui cecinit paſcua, rura, duces.

Hæc

Hæc item fuerunt adſcripta,

Quòd ſciſſus tumulus, quòd fracta ſit vrna, quid inde?
Sat celebris locus nomine Vatis erit.

Anno ab V. C. 684. Idib. Octob. in pago Ande non procul à Mantua Vates natus eſt. Hinc Silius, Lib. 8.

Mantua Muſarum domus atque vbera cantu
Euecta Andino ———

ſic enim legendum, non, Achiuo. Cremonæ educatus ad ſeptimum ætatis annum Mediolanum, indè Neapolim profectus, vbi cùm Græcis Latiniſq. litteris operam dediſſet, Mathematicis tandem, & Medicinæ indulſit. Ibiq. ſuauiſſimè vixit, & obijt. Seruius ſepultum fuiſſe ſcribit ad II. lapidem, cryptam Pauſilypanam verſus. Vmbram Poetæ per nemus illud cerni ſolitam fabulosè dixerunt. M. Antonius Flaminius,

Tu'ne ſacrum felix aluiſti terra Maronem?
Tu'ne pio celas oſſa beata ſinu?
An ne etiam, vt fama eſt, vatis placidiſſima ſæpè
Inter odoratum cernitur vmbra nemus?
Felices oculi, & fortunatiſſima ſilua,
Et quicquid ſancto cernitur in nemore.
Cui non ſit dulci patria tua dulcior ora?
Quis non te lucis præferet Elyſijs?

Ad quod alluſit Hieronymus Fracaſtorius in Siphili,

Parthenope placiduſq. cauo Sebethus ab antro.
Plauſerunt, vmbræq. ſacri Maneſq. Maronis.

Nemus ad manſuetiores Muſas fuiſſe accommodatum ſcripta oſtendunt, ibi enim τὰ γεωργικὰ, & τὰ βυκολικὰ confecit. A Silio poſteà emptum docet Martialis,

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Heredem dominumq. ſui tumuliq. lariſq.
Non alium mallet nec Maro, nec Cicero.

Plinius ſecundus, Neapolitanum Silij appellatum ſcribit, Patulcidem eum locũ nominarunt, hac de cauſa vulgus, Patruſculum. Nominis rationem ignoro. Dicerem in Neapolitano la- Lib. 3.

pide

pide nos habere, Aelium Abascantum patrem Rufini ab heredibus Patulci Diocletis agrum emisse; & cùm de sepulcris ibi agatur, posse ad eius loci sepulcra referri, rupes enim illas Pausilypanas sepulcrorum loculis frequentes videmus; sed lapidem Misenatem existimo, vt in monumentis antiquis retuli. Cùm verò locus Antiniano sit proximus, Pontanus Patulcidem Nympham cum Antiniana Nympha poeticè coniungit,

——— tuq. o mihi cara Patulcis
Prima adsis, primosq. mihi Dea collige flores,
Impleat vt socios tecum Antiniana quasillos.

DE PLAGA MARITIMA.
Cap. III.



LAGAE maritimæ regionem eandem cum Pausilypana efficio, idem enim littoris tractus est, atque is præcipuè Pausilypano æmulus. Hanc Plagam Hesperidum hortos nominarem, & in ea describenda illa vterer inscriptione, quam in ipso statim Mediolanensis vrbis ingressu in suis conuiuijs notat Puteanus,

POMONÆ. SACR. H. ARAB. POMARIA. ISTHÆC
AMOENA. HESPERIDVM. DONA. BEATA. SIBI
HOSPITIBVSQ. FORE. DELICIAS. NVMINI. PO. V. C.

Sexcentas in eo littore cymbas piscatorum obsequio obnoxias semper videris. Retia quæ madida subere, plumboq. depicta ad Solis radios apposita, tot imitantur pergulas. Vrinatorum capita extrà aquas prominent, qui dùm in vndis corpus recreant, tellinas, dactylosq. expiscantur, quorum adeò ferax arena illa est, vt plures ibi quàm omnibus Europæ littoribus capianrur. Videas etiam dùm retia trahuntur, veluti minutos pisciculos, puerulos nudos inter vndas lasciuientes, quos iàm nunc ad maris labores natos dignosces. Et admiratione quidē dignum est,

aëris

aëris ibi caliditatem, tantum ad generationem conferre vt vndique liberi liberæq. pullulent, & numerus ad quatuor millia hominum accedat. Littoralia eorum tecta nitida supellectili, pulcherrimis feminis, quæ maritimam venustatem redolent, referta laudabis; quæ tamen vt plurimùm nigro dente, vel ob tepentes auras, vel ob aquas quæ salem aliqua ex parte sapiũt, ab ijs improbantur, qui ad vnguem factas mulieres exoptant. Quod si quis Neapolitanorum, qui animi causa eum locum adeunt in habitantes aliquo pacto insultare ausus fuerit, irruent omnes ad opem ferendam suis, & remis, contisq. armatæ Amazones iudicantur.

In hortis quænam felicitas? quæ fructuum vbertas? quæ florum varietas? quæ mirteta? quæ viridaria? quæ frondium textura? Parietes hedera, marginum crepidines longo folio conuestitæ, varioq. opere topiario figurata, vt mirteus ramus, nauigium, quodque animal ad viuum referat; naues intextæ folijs, fructus vehant ad animi corporisq. refectionem, & hilaritatem. Hinc Pontanus in Hortis Hesperid. lib. 1. *Horti Plagenses.*

Cura hominum nemora in lanas vertere, vt in hortis
E folijs ramisq. & diuersis contextis
Iam videas fulgere nouis aulæa figuris.

Hinc citriorum culta tapetia aspicienda sese offerunt, in quibus frondem fronde superari non cernes æquè adeò sternuntur eorum industria qui topiariam faciunt. Hinc longissimas cryptas citrijs grandinantes, in quibus xx. pondo reperta sunt; vt pensilibus hortis Babylonis, si hos vidisset Diodorus Siculus, licet & Lactantius meminerit, non tantùm laudis tribuisset. Illud etiam de insitionibus,

Accipit & citrum limon, limonaq. citrus
Hospicio, & socijs ineant conuiuia mentis.
Accipit & thalamo citrium citrus, & sua tractant
Iura simul, iunctisq. thoris accumbit vterque.

Quod etsi alibi quoque viderimus, & Amalphitanus, & Caietanus sinus apprimè doceant, nusquã tamen excellentiùs quàm hisce in locis, vt tota Italia ex his ramis insitiones desideren-

tur, & inoculationes feliciùs proueniant, & fructuum soboles pulcrior, & sapidior. Speluncæ varijs frondibus testæ, arboribus consitæ.

Quo sese & pluuiæ, & Solis tuentur ab æstu;

Viuaria, odorę fragræ, vuæ in nouam vindemiam populo vel vlmo maritatis seruatæ, earumq. species nec Bacco cognitæ; auium cantus, fontium amœnitas, fructuum varietas & excellentia. Quæ omnia videnda sunt, vt fides adhibeatur maior. Domus ibi Turbulorum qui à Bernardino Massensi originem duxerunt, viro in negocijs peragendis fortunatissimo, licet ingenio crassiori, ad maximas opes, quæ subitò perierunt, euecto. Domus Horatij Marchesij doctissimi, quam scena & Statuis ornauerat; in qua repentina morte obijt. Suprà in collis imminentis radicibus sub felicissimo illo cœlo, maximo cultu nitidos hortos conspicies, celebri fructuum copia vberes, ad quorum delicias dùm confugimus, omnem animorum voluptatem experimur. Horti Vallæ Marchionis, quos viuens omnis antiquitatis apparatu ornauerat. In quibus hæc inscriptio vulgari idiomate,

D. Ferdinandus de Alarcon
Villæ Siculæ Marchio & Rendæ.
M. D. LXXIIII.

Fontes in hortis Mendocianis. Fontes ibi præclari. Alius turritus, marmoreus, cum quinque turribus quæ arcem effingunt, tanto studio sculptus, vt omnibus fontibus Neapolitanis anteponam, quatuor cum marmoribus signis humi stratis ex quibus aquæ emanant, nihil politiori artis de siderantes. Alius marmoreus itidem, in quo quatuor pueri marinis belluis insidentes vas cum Cupidine pharetrato sustinent. In alio marmorea est cymba cum marino numine monstro insidente, quiq. Delphinum baiulat. Nympharum opere cochleario depictum. In Xysto multa erant signa. Plurimi faciebam Alexandrum Magnum, & ex Lydio lapide statuam, quæ in Ducis Ossunæ potestatem venit. Multæ prætereà Romanorum effigies. Parieti hæc scripta notabantur,

Spectator qui hæc simulacra spectas, tecum ipse voluta vbi

borum

horum vita, vbi diuitiæ, vbi triumphi, vbi gloria. Omnia tempus habuit. Igitur non hic ſpeculum in quod inſpicias. Mores non norma ſequendi. Ingredere ſacrum vbi habes quos ſequaris, quibus vita perennis, diuitiæ indeficientes, triumphi inextimabiles, ſempiterna gloria.

Sacra enim erat ædes in qua omnia muſices ornamēta fuerunt cognita. Horti domuſq. Diomedis Carrafæ Arianenſium Antiſtitis, in cuius fronte emblema depictum cum hoc epigrāmate, *Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit*. Octauius Carrafa Anſanorum Marchio, pomario, fontibuſq. exornauit. Horti Toletani ſplendido ordine, fontium nobilitate, ſtatuarum ornamento, aquarum commodo quas ex publico ciuitatis fonte deriuauit. Hic Herculem videas Leonis collum pedibus comprimentem, ex cuius ore aquam emittere cogit. Piſcatorem cochlea caput indutum, ex turbine aquam prouocantem. In medijs hortis, ſuprà tres Gratias Victoria alata eſt columnam amplectens (ad Victoriæ columnæ amores referunt) ex cuius capite aqua fluit; tria item maritima numina vaſculis aquam expoſcunt. Alibi Neptunus Delphinum ſiniſtra, tridentem dextera tenens, ſuprà tres pueri, ex buccis aquas proijciunt. Alibi ſcopulus turbine, paguris, mitulis, piſcibus plenus. Alibi puerulus humero tenens Olorem. Hinc aquarum labirynthi. Hinc ex medijs fruticibus, ſexcentæ guttæ erumpentes. Indè, ex Nilo iacente; indè ex puero teſtudini cum velo inſidente aquæ plurimæ ſcaturiunt. Quem fontem in Mediceorum gratiam factum arbitror, Petri è Toleto affinium, qui eo ſymbolo vtuntur cum notis, TARDE SED TVTO. In eadem plaga Terracinenſium antiqua viuaria, proceribus pineis, gelidiſque piſcinis nobilitata. Habes & hortos Biſinianorum Principis, domoſque magnificè extructas. Quibus finitimæ Vrſinorum ædes, ruſtico nemore illuſtres. In extrema plaga Neapolim verſus, Horti Seuerini mea ætate in hortis olitorijs conſiti à Ioanne Franciſco optimo equite, inter optimos Iuriſconſultos adſcito. Habes prætereà innumeros alios quos aut cultos videas, aut dominorum obitu cultura orbatos.

Domus Diomedis Carrafæ.

Fontes varij.

Terracinēſes.

Horti Biſiniani Principis.

Vrſinorum ædes.

Horti Seuerini.

TEMPLA.

D. Mariæ Niuis. Parochiale templum habet plaga D. Mariæ Niuis ab ijsdem piscatoribus dicatum. Diebus festiuis ex piscatione (annuente Summo Pontifice) quæ accipiunt, loci subsidio, collocandis in matrimonium puellis, & diuino cultui erogant. Cum eius diei festum celebrant Augusto mense, cymbarum cursu aperto pelago contendunt. Pennatæ tunc rates cernuntur, & remorum ictu oculorum acies perstringitur. Hastati nudiq. in proris certant, victorem qui in aquas haud ceciderit celebrantes; quem posteà vitulæ premio cohonestatum, summa cum laude prosequuntur.

Templum Ascensionis. Aliud Dominicæ ASCENSIONI sacrum, monachis Celestinis cultum, erectumq. à Nicolao Alumno (nescio cur Contarenus, Alcinum nominet) vt ex marmoreo sepulcro liquet,

Inclitus eloquijs Rector Nicolaus Alumnus
Alifiæ mites, & Cancellarius idem
Regni Siciliæ, dux morum, fonsq. profundi
Consilij, pietate grauis, qui nobile templum
Obtulit hoc CHRISTO, iacet hic; qui largus egenis
Multa librisq. dedit; sed quamquam corpus in atro
Claudatur tumulo, florens ad sidera cœli
Fama volat, clarum viuit per sæcula nomen,
Quem rapuit Domini post annos mille trecentos
1367. *Cum sexaginta septem nox fine Decembris.*

Dies festus omnium ciuium concursu dicatur. Manè populares, vesperi nobiles adeunt tanta frequentia vt locus & viæ vix capiant. Humi solent strati conuiuijs vacare. Noctu anteà solebant proficisci. At verò quoniam anno 1561. data opera *Turcæ Neapoli veniunt.* Turcarum pyrata cum duobus myoparonibus ad plagam appulerat, vt omnes in seruitutem redigeret; illud exequi non valuit, quòd pridiè eius diei venerat, atque huiusmodi eum sors fefellit, diuina annuente voluntate, plurimos enim captiuos duxisset. Littoralē tamen oram depopulatus, ad vigintiquatuor

homines

homines mulieresq; cepit, quos erecto ad Prochytam redemptionis symbolo, sua pecunia Perafanus Ribera optimus Princeps redemit. Quamobrem metu perterriti Neapolitani, ad multam diem illuc se conferre cœperunt. Illud ea nocte maximè notandum, quod Turca qui multos annos domino seruiuerat, facta iàm libertatis potestate, cum suos vidisset, orauit, vt ab illa domo abstinerent; mox à domino petita venia, discessit. Tantum abest, vt etiam barbari nesciant gratitudini respondere, dùm humaniter, vt decet, à dominis accipiuntur, qui in alienæ legis hominibus, humanitatis saltem iura debent obseruare, atque hoc pacto diutiùs seruitutem ferre plerique non abnuerent, veluti contrà ob sæuitiam à seruis dominos malè accipi nostra ætate plurimos vidimus. *Perafanus Ribera.*

Aediculam haud longiùs conspicies D. Mariæ Conforti, quod animum conditoris ægritudine anxium leuauerit, cum hoc epigrammate, *Aedes D. Mariæ Conforti.*

D. Mariæ Virgini
Thomas Nauclerius
Voti compos soluit.

Aedes quoque in littore fluctibus circumflua Diuo Leonardo sacra. Diui Sebastiani Monialium iuris est, ad quas beneficij munere ora maritima à turri S. Vincentij ad Caueolas, vel Euplœam vbi terminos habent constitutos, pertinet. Aliquandò sacerdos incoluit. A monialibus deindè Dominicanis Fratribus tradita, à quibus ædificio & deuotione aucta est. Hoc monasterium fuisse Gazarense mihi persuaderem, de quo scribit Gregorius Pontifex ad Adeodatum Abbatem Neapolitanum, his verbis; *Aedes D. Leonardi.* *Monasterium Gazarense.* *Epist. 39. lib. 8.*

Quorundam monachorum eiusdem monasterij ad nos relatione peruenit, monachos monasterij Gazarensis quod situm in plagia est, & monachos S. Sebastiani monasterij quod Neapoli in domo quondam Romani constructum est, vbi Deo miserante, sicut dictum est, Abbatis geris officium, se monasteriumq. suum vniri magnopere proposcisse, adeò vt chartas omnes eiusdē monasterij suo monasterio vt dicitur tradidissent. Sed quia monasterium ipsum

ipsum in Neapolitana est diœcesi constitutum, ne quid constituere, quod absit, præiudicialiter videamur, volumus vt quousque Neapoli ordinetur Antistes, tuo interim monasterio antefatum monasterium Gazarense cum omnibus ad se pertinentibus sit vnitum. Cùm verò propitiante Domino Neapoli fuerit Episcopus ordinatus, vtrum in perpetuum hæc vnitio extendi, an temporalis esse debeat, maturius ac solidius cum Dei gratia pertractabimus.

En tibi S. Sebastiani templum Neapoli in domo Romani ædificatum; à monachis primitùs cultum, cum Gazarense monasterio vnitum, quod cùm in plagia describat, illudq. hodie ad illud monasterium spectet; hoc esse monasterium Gazarense, efficit vt credam. Alia item ædicula, D. Rocco sacra, ijsdem monialibus tributa.

Aedes D. Rocci.

Cappellæ monasterium.

CAPPELLAE monasterium antiquum esse patet. Non Serapidi sacrum, sed Diuæ Mariæ ad Cappellam; nescio autem à quo fuerit conditum. Illud sanè liquet monasterium ibi fuisse (hoc Gazarense, quod suprà diximus, aliqui existimant) cum quo coniunctum fuit monasterium S. Basilij & Anastasij, quod Neapoli erat situm ad Media, vel Melia, cuius iura Abbas Sanctę Mariæ ad Cappellã exequitur, exigitq. redditus D. Barbaræ debitos in ea Neapolitana regione, quæ eius Sanctæ nomine nuncupatur, cuius ædes in D. Mariæ ad Cappellam trãslata est. Anno 1134. sexto anno Principatus Secundi Roberti, Secundi Iordani Capuæ Principis filij, Rogerius Rex *Petro monasterij Abbati, quæ ad Cappellam dicitur, quæ est sita foris ciuitatem Neapolis, concedit S. Petri Ecclesiam Cumis sitam.* Anno 1144. idem Rex, eidem monasterio confirmat hortum *qui vocatur de Iubenullo, iuxtà continentiam oblationis quam Adenulphus quondam Comes Puteoli ei fecit.* Et Landulphus Comes Castri Puteolani Adenulfi Comitis filius, & Gayltragunæ Comitissæ, quædam restituit Nicodemo Igumeno monacho sub Porphyrogenito & Alexio. Et sub Basilio & Constantino Ioannes filius Stephani Puteolani cognomento Partiuinacia, *spospondit & obtulit Ioanni Iuniori Abbati monasterij Sanctorum Anastasij*

stasij & Basilij siti ad Media, quod nunc congregatū est monasterio B. Mariæ, quæ nominatur ad Cappellam, duas domos &c. Anno 1190. Ioannes Archidiaconus Ecclesiæ Neapolitanæ vnà cum eius consanguineis *Patronis monasterij S. Mariæ ad Cappellam, promisit Domino Sergio Abbati monasterij Sanctorum Anastasij & Basilij congregati in dicto monasterio de Cappella, tenere* &c. sub Gulielmo. Anno 1258. Henricus Panniciatus *conduxit ad censum à Domino Landulfo Abbate monast. Sanctorum Anastasij & Basilij siti ad Media, quod nunc congregatum est in monasterio S. Mariæ ad Cappellam, quasdam domos cum porticu*. & quæ sequuntur. Multa ab alijs concessa legimus. Et sub Guaimario Principe, Ioannes Monachus, & Præpositus S. Mariæ ad Cappellam, cuius regimini præerat Dominus Rocchus Abbas, contendebant *coram Petro Comiti Iudici Castelli Lauri, cum Donato & Lupo, super incisione arborum*. Cum Iulianæ & Maximi martyrum Cumis Neapolim translatio facta est, eius monasterij Abbas adfuit. Quæ omnia ad eius loci antiquam cognitionem facere videntur. S. Basilij itaque monachi incoluerunt; deindè Casinenses; mox Oliuetani; tandem Canonici Regulares S. Saluatoris. Marcellus Coruinus Cardinalis hos præposuit defuncto Fabricio Ianuario Abbate, qui Oliuetanos præposuerat. Canonici rem monasterij familiarem huiusmodi auxerunt, vt Abbatis pensione non indigeant. Extant in atrii fronte Marcelli Coruini monumenta, *Marcellus Coruinus. Fabricius Ianuarius.*

Marcellus Coruinus tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem S. R. Eccles. Cardinalis M. D. XLIIII.

Instauratorem Fabricium Ianuarium proponit epigramma,

Fabricius Ianuarius Neap. Proth. Apost. Abbatiæ huius Commendatarius, & instaurator, semitam inuiam redegit, portamq. hanc commodiori ædis accessu. F. F.

Et in altaris gradibus,

Fabricius Ianuarius huiusce ædis instaurator, & Abbas vt terra terram redderet, hic condi ex test. voluit. M. D. XLI.

Et in

Et in Chori sedibus,

Fabricius Ianuarius Proth. Apost. Andreæ Martoranensium Comitis filius, post instauratam abbatiam vndequaque collapsam.

Eius symbolum, solares radii inter nubes & sempriuiuium, cum his verbis, CHI FERMO SPERA SEMPRE VIVE. Roberti quoque Panniczati Abbatis in solo mentio fit anno 1300. Tres in eo templo marmoreæ statuæ sunt D. Ioanni, D.Benedicto, & D.Virgini dicatæ, Hieronymi S. Crucis opera, quæ inter memorabilia Neapoli habentur. Proximæ ædes sunt D. Catherinæ, cui Franciscani Conuentuales seruiunt, quam verso solo à ciuitate concesso, Stiliani Princeps amplificauit; D. Mariæ Angelorum subterranea quam cœno exhaustam Germani pedites detexerunt anno 1576. Eò per gradus descendebatur. Nunc solo æquata; erat fortasse locus maleficiis opportunus.

Aedes D. Catherinæ.

Aedes D. Mariæ Angelorũ.

PLATAMONIAE.

In extremo littore Orientem versus Platamoniæ sunt, quas excauatas ad littus ac manu hominum factas specus fuisse, scribit Pontanus, quas vetustas ipsa, salsaq. maris aspergo consumpsit. loca nimirum ad voluptatem, æstiuasq. deambulationes excogitata. Πλαταμὼν autem, littus magnum & latum significat apud Apollonium. A Galeno dicitur esse petra in mari læuis, & humilis circà quam dilatantur fluctus. Apud Dionysium, ἐν πλαταμῶσι, exponitur, *In littoralibus petris*; vel, *In maritimis foueis.* Similem locum describit Seneca de villa Seruilii Vaciæ loquens, vbi cũ de speluncis loquutus fuerit, subdit; *Platamona medius riuus, & ab Acherusio lacu receptus Euripi modo diuidit.* Sic enim legendum, non, *Platanona.* Duæ speluncę hoc tempore cernuntur, altera in Cappella, altera in hortis Cortesianis. Est autem littus nantium voluptatibus dicatus. Nimpham Pontanus facit,

Epist. 56.

Parthenope Sebethon amat, Platamonis Halantem.

EGLA.

EGLA.

Suprà Platamonias Aegla eſt, eminentiori ſitu, aprico cœlo inſignis, à Bernardino Rota doctiſſimo viro, poetices amantiſſimo, ſub Nymphæ nomine celebrata. Echiam vulgò dicunt, fortaſſe corruptè Ηράκλιν, vt placet Falco, quoniam ibi Hercules fuit commoratus. ſic enim Pontanus; *Tranſiens quoque in Italiam Hercules poſt Cacum impotentem hominem in Latio domitum, liberatamq. ab eius dominatu regionem, Campani maris oram cùm peruagaretur, reliquit monumenta perpetua Auernum ad lacum ſita*, &c. *Reliquit & proximè Neapolim paulò ſuprà Palæpolim, qui locus hodiè quoque Hercules dicitur*. Idcircò idem vt Nympham laudat, appellatq. Herclim, Echia. Hercules. Lib. 6. de bell. Neap.

O longis prælata comis, & lumine peto
Hercli ſupercilijs nigris, candente papilla,
Et memor, & meminiſſe decet mea nubilis Hercli
Quos mihi corallos, quæ mella liquata dediſti.

Inuia olim erat regio, latrocinijs non tuta, ſiluis denſa atque aſpera. Hac ætate nobilibus ædificijs frequentiſſima, hortorum amœnitate præclara, Relligioſorum ſocietatibus decorata. Ferdinandus enim Loffredus Triuici Marchio anno 1588. templum ibi ædificauit, eiq. *Montis Dei* nomen dedit, Dominicana familia exornauit, ducentumq. aureos victui addixit. Hæc ibi leguntur,

Cicco Loffredo à Carolo V. Imp. in ſummum Concilium cooptato, & Beatrici Caracciolæ parent. opt. Ferdinandus Loffredus Triuici Marchio poſuit.

Et,

Ioanni Ant. Loffredo Cicci F. qui egregiam multis in bellis Carolo V. Imp. nauauit operam, quiq. in Alba Pompeia munitiones Ductorum primus ingreſſus omnibuſq. ferè deſtitutus claram mortem fœdæ prætulit fugæ, Ferdinandus Triuici Marchio recepto ab hoſtibus corpore, & huc relato Fratri benemerenti.

aliud,

Henrici Loffredi Cicci filij Caputaquensium Episcopi in Concilio à Paulo III. Pont. Max. Tridentum conuocato præclarè suo munere vitaq. functi corpus in hoc fraternæ pietatis insigne monumentum Ferdinandus Loffredus Triuici Marchio comportandum curauit.

Iesuitæ. Iesuitæ prætereà templum Nouitiorum commoditati Annæ Mendociæ liberalitate extruxerunt, & in lapide scripsere,

D. Annæ Mendozæ Marchionis à Valle F. Fundatricis relligiosiss. liberalitati. M. D. LXXXVIII.

Constantia Caretta. Aedes D. Mariæ Angelorũ. Eodemq. commodo Theatinis Constantia Carecta sanctissima femina templum D. Mariæ Angelorum dicatum condidit, hortos addidit quos Bernardinus Rota ædificauerat, cum hac inscriptione,

Bernardinus Rota Musis hortos dedicauit ratus eas hilari huiusce cœli positione allicere, atque ità fortasse amicas fore. M. D. LV.

Horti Aloisij Toletani. Ad hortos Aloisij Toletani, nihil pulcrius accedere potest. Nobilissimi ibi fontes. Hinc Orpheus inter brutorum capita quæ ex rupibus prosiliunt. Hinc Pegasus vngula petram quatiens. Et Iouem in piscinam cientem pluuias videbis. Et Andromedam ad scopulos fluctibus madentem, & puerum ex vtre promentem aquas. Antiquitatis monumenta duo ibi reperi. Alterum in ædibus Petri de Castellet Regentis, Hispanæ virtutis ornamenti, vrnam marmoream, in qua funebria hieroglyphica, vas deiectum, coruus, arborum rami, serpens, pueri inuersas faces tenentes. alterum, inscriptionem in columna,

VII. D. N. FLAV. VAL.
CONSTANTINO. PIO. FEL.
INVICTO. AVGVSTO
DIVI. CONSTANTINI. PII. FILIO.

In editiori colle quem Picciofalconem nominãt (à Falconibus ibi aliquandò captis sic dictum existimant) ædes ab Andrea Carrafa S. Seuerine Comite, cuius imaginem in marmore pulcherrimè effictam Corleti Marchio seruat, ædificatæ. Horti, fontes,

fontes, marmorea ibi signa, vt in prærupto scopulo deliciæ commendentur. Hoc inscripserat epigramma;

Andreas Carrafa S. Seuerinæ Comes villam hic struxit Carrafianamq. appellauit, Lucullum imitatus parili animo licet opibus impar, atque ita sanxit; Delicati iuuenes huc ne accedunto. Emeriti senes nec inglorij honesta quiete hic fruuntor. Viri docti boniq. ingenia hic exercento. Qui è Carrafa gentilitate non fuerit, qui sanctiones hasce non seruauerit suburbani huius exheres esto, proximiorq. succedito. M. D. XII.

Ablatum epigramma, cum ædes in Loffredorum potestatem venere. De eo colle scribit Maranta in epistola ad Paulum Monachum, Lucullanum esse dictum, editum quidem, sed ea parte qua Neapolim spectat viam ad illum accedentibus perfacilem præbentem; altera autem qua vnda maris lambit, præcipitem & præruptum esse, atque accessu inuium. Ex ea parte qua meridiē spectat, in radice montis plures scaturire aquas, atque inter alias, duas sibi proximas Occidentem versus, quæ perenni fluxu ea ætate in mare labebantur, quarum eam quæ in dextera parte est, colore nitidissimam conspici, sapore acerrimo, acidulo, pingui, cum aliqua astrictionis parte, odore tetrā. Eam quæ in sinistra, eosdem habere sapores, sed non vsque adeò intensos; & à prima differre, quòd acrimonia vincitur, pinguedine vincit; differre etiam colore, quòd hæc non adeò nitida est, & ad albedinem tendens, colorem quasi lacteum ostendit. Montem vniuersum ad inferiorem partem solidum esse, compagine lapidea agmentatum, non quidem viuo lapide duroq. sed tophi naturam habente, quo in cœmentitijs operibus Neapolitani architecti vtuntur. Superiorem montis partem ex terra constare soluta atque arida. Per eas tophi scissuras aquas illas duas erumpere. Priorem aquam nitidiore (vt primo libro diximus) quia fontem non habet, non ostendere an aliquid in ea supernatet. Alteram, quæ impurior est, habere fontem, in quo nescio quid colore suppurpureum supernatat, ac si in phialam excipiatur, eius copiam apparere, veluti priorem,

Lucullani descriptio.

in vase exceptam, dùm aliquantisper permanserit, in superficie eandem substantiam ostendere. Ex ferro eas aquas prouenire dicit, ideoq. astringentes atque acidas; sed ex non insigni astrictione, minimam aluminis partem permisceri affirmat. Qua propter latentem in eo monte ignem, veluti in tota ora, inesse non dubitat. Cùm Lucullianus, totus locus dicatur, aliqui arbitrati sunt eam cum Castro villam coniunctam fuisse, & quamuis Castrum, Megaris insula à Plinio sit appellatum, fieri tamen potuisse, vt à Lucullo ea montis pars fuerit abscissa.

CASTRVM LVCVLLANVM.

Pausilypani sinus, & Plagæ ambitum Lucullanum Castrum terminat, ideoq. libuit hoc loco collocare. Megarim appellat insulam Plinius, eamq. inter Neapolim, & Pausilypum sedere scribit. Placuit plerisque sic appellatam, quòd ex Megara Græci venientes ibi habitauerint; vel à Megara Herculis vxore; quem eam incoluisse regionem diximus. Alij Myagram vocant, ob difficiles indè elapsus, quasi muscipulam dixeris, eò enim detrudebantur sontes, vt exitum inuenire non possent. Statius Megaliam appellauit,

Megara vxor Herculis. *Myagra.* *Megalia.*

Quæq. ferit curuos exerta Megalia fluctus.

In vita Magni Consalui Paulus Iouius Megarim appellatam ait antiquitùs *de nomine vnius Sirenum, quæ Ecciæ montem spectat, & continenti ponte longo coniungitur*. Duo hæc vera sunt; at Sirenum fuisse nomen, à tanto viro nollem ediscere. Quem etiam miror historiarum lib. 2. collocasse Vincentinam turrim in Megari Sirenum insula propè portum. Si quidem turris S. Vincentij propè portum in insula posita est, sed nunquàm Megaris appellata, nec Sirenibus tributa. Lucullanum dixere Castrum, vel quòd à Piccifalconio à Lucullo multo seruorum labore abscissum est, quæ opinio multorum animis insedit; vel à Piscinis à Lucullo ibi ædificatis, de quibus Pontanus; *Secundùm verò maritimam oram, quædam etiam nunc visuntur monumenta Luculli piscinarum, qui hodiè locus Lucullianus quoque dicitur.*

Turris S. Vincentij. *Lucullianus.*

dicitur. post quem sunt & Platamoniæ. Et Plutarchus de Lucullo loquens, apud Neapolim eius commemorat ædificia. Quos de monte potius, quàm de insula loquutos dicerem, nisi in ipsa adhuc piscinarum vestigia nobilissima cernerentur. Ioannes Baptista Cantalicius, alterq. non ignobilis in itinerario sic describunt,

Ostriferam Megarim sortitam nomen ab Ouo
Legimus, vt perhibent Luculli diuitis olim
Gaudia, & Icario villam solamen ab æstu.
Extat adhuc rupes intus caua, fonsq. perenni
Dulcis aqua; statio barbatis commoda mullis.

Sancti Saluatoris posteà Insula dicta est, cùm Athanasius Neapolitanorum Episcopus eius nominis ædem ibi ædificauerit, & monasterium præfecto Abbate constituerit. Eius loci deindè monachis sub Michaele Imperatore donatio cuiusdam agri fit, annuente Domino Sergio Consule eius Imperatoris anno 3. Ind. 5. cui subscribit, *Sergius olim Dux, nunc verò monachus*, in illud fortasse monasterium abditus. Abbates quoque multa vendunt, *Præsbyteris, Archiprimiceriјs, Rectoribus, Diaconis Ecclesiæ & Congregationis maioris Sacerdotum Ecclesiæ Sancti Georgij Catholicæ maioris, quòd est Ecclesiæ Seuerianæ*. & in alijs diplomatibus, *S. Georgij & S. Seberi*, quæ Ecclesia est iuris sanctæ Neapolitanæ Eeclesiæ; vt Seuerum Episcopum eò translatum, & conditum proculdubio sciamus. Oui nomen relictum est, vel quòd ouali forma maritimis vndis alluitur, vel ab Ouo Virgiliano, si adeò inepti essemus, vt Ioannis Villani fabulam illam de Ouo in phiala detento sequeremur. *S. Saluatoris Insula.* *S. Georgius. S. Seuerus.*

Gulielmi III. Nortmanni ætate, perduellium metu cùm Rogerium IIII. in Sicilia occidissent anno 1170. arcem ædificatam scribit Collenucius, & Nortmannicam idcircò diù appellatam, & eius Regis insignia in tertia eius arcis ianua fuisse collocata. A Carolo I. anno 1262. amplificata. Maxima industria Rex ille arcibus studuit. A Roberto item, & Alfonso primo Regibus, instaurata. De qua sic Aeneas Syluius Europæ capite vltimo; *In arcem S. Saluatoris in mari ex Ouo nuncupatam*, *Arx Nortmannica.* *Lib. 3.*

tam, cuius inexpugnabilis situs, ad vsum magnificentissima Regia redactus est. A Philippo II. nostra ætate, amplificata, restituta, aucta. Idq. appositum epigramma,

PHILIPPVS. II. HISPANIARVM. REX
PONTEM. A. CONTINENTI. AD. LVCVLLANAS. ARCES
OLIM. AVSTRI. FLVCTIBVS. CONQVASSATVM
NVNC. SAXIS. OBICIBVS. RESTAVRAVIT
FIRMVMQ. REDDIDIT
D. IOANNE. ZVNICA. PROREGE. A. D. M. D. XCV.

D. Sebastiano templum in arce dicarunt, viginti quatuor militibus custodita. Mare quod circumfluit tranquillum est, piscosumq. Ob concharum copiam laudat Sannazarius,

—— sic faciles vicina Megalia semper
Sufficiat conchas ——

Athanasius Episcopus.

Mirum quàm fuerit hæc insula templis abundans. Athanasius Neapolitanus Episcopus templum D. SALVATORI condidit, & monasterium regulari obseruantia cui Abbatem præfecit vt ex eius Actis nouimus. Eius, D. Patriciæ ætate mentio fit imperante Constantino, cùm in eam insulam delata ibidem obierit, vt in vita scripta à Leone Præsbytero Sanctorum Nicandri & Marciani seruo scripta, vt ipse loquitur. Fuit prætereà templum D. SEVERINO dicatum, vt scribit Eugipius eiusdem

Barbaria nobilis femina in Lucullano.

Sancti discipulus, his verbis; *Illustris femina Barbaria* (Barbaram quoque legunt) *B. Seuerinum, quem fama vel litteris cum suo quondam iugali optimè nouerat, relligiosa deuotione venerata est; quæ post obitum eius audiens corpusculum Sancti in Italiam cum multo labore perductum, & vsque ad illud tempus terræ nullatenus cõmendatum, venerabilem præsbyterum nostrum Marcianum, sed & cunctam congregationem litteris frequentibus inuitauit. Tunc S. Gelasij Sedis Romanæ Pontificis auctoritate, & Neapolitano populo exequijs reuerentibus occurrente, in Castello Lucullano per manus S. Victoris Episcopi, Mausoleo quod prædicta femina condidit collocatum est. Qua celebritate multi languoribus diuersis afflicti, quos recensere longum est, recepere protinus sanitatem. Inter quos quædam venerabilis ancilla*

cilla Dei, Processa nomine, ciuis Neapolitana, cùm grauissimum ægritudinis pateretur incommodum, Sancti funeris prouocata virtutibus, in itinere properãter occurrit; & ingressa sub vehiculo quo corpus venerabile portabatur, statim caruit omnium languore membrorum. Monasterium igitur eodem loco constructum ad memoriam Beati, hactenus perseuerat; cuius meritis multi obsessi dæmonibus sunt curati, & diuersis obstricti languoribus receperunt & recipiunt, operante Domini gratia, sanitatem. Scribit etiam Gregorius Pontifex ad Petrum Subdiaconum Campaniæ patrimonium curantem, vt relliquias S. Seuerini Episcopi Noricorum, apud Neapolim in Lucullano collocatas, mittat; consecrauerat enim sub titulo S. Seuerini Ecclesiam ab Arrianis anteà possessam. Eius verba hæc sunt; *Cor nostrum pia Diuinitatis inspiratione compungitur loca quondam erroribus deputata in Catholicæ Relligionis reuerentiam dedicare. Quia igitur Ecclesiam positam iuxtà domum Merulanam regione tertia, quam superstitio diù Arriana detinuit, in honorem S. Seuerini cupimus consecrare, experientia tua Relliquias B. Seuerini summopere debita cum veneratione transmittat, quatenus quæ vestris animis perficienda decreuimus, implere Omnipotentis gratia suffragante possimus.* In Lucullano fuisse, affirmat Illustris. Baronius, qui laudans etiam diuitias quas in Relliquijs Neapolitani possident ait, non satis habuisse è proximo accipere S. Ianuarium, & è longè ex Asia eiusmodi ditari thesauris; sed è Danubij ripis sacra pignora S. Seuerini in Italiam delata, à S. Gelasio Pontifice impetrasse. Quibus ex verbis non integrum ad Pontificem corpus esse missum patet, sed aliquas Relliquias. Sunt enim qui hac de causa dicant Beati corpus Neapoli non reperiri; quod tamen sanctissimè colitur in veteri Ecclesia, quæ & Seuerino Abbati, & Seuerino Neapolitano Episcopo dicata fuit, vt suo loco liquebit. Ex hoc Castro S. Seuerini translatio Neapolim huiusmodi facta est. Anno vigesimo quarto Leonis & Alexandri Imperatorum, cùm Sarraceni vastata Sicilia, virus in hoc Regnum euomere caperent, & expeditionem parari Neapolitani animaduertissent, dùm varia inirent

Lib. 2. ep. 58.
S. Seuerini Relliquia.
Neapolitanorum diuitiæ in Relliquijs.
Duo Seuerini
910.
S. Seuerini translatio.

inirent consilia, Gregorius Consul & Dux, nihil omnibus antiquius curandum arbitratus est, quàm Castro Lucullano prouidere, ne huius Sancti thesaurus in auarissimas hostium manus deueniret; neque ij qui locum incolebant extremæ calamitatis cladem experirentur. Quamobrem oppidum quinque dierum spacio euertit, & oppidanos Neapolim introduxit. Basilij Imperatoris id factum ætate commemorat Inuentarium, quod Neapoli in D. Seuerini legimus. Cùm verò de transferendo Sancti corpore cogitarent, cœnobij Neapolitani Abbas à Consule petijt ne cunctando rem differret, neque alibi, quàm in suo monasterio corpus collocari pateretur. Quod quidem factum est, & iv. Id. Octob. à Præsule & Clero Neapolim ductum est, & in Neapolitanæ S. Seuerini Ecclesiæ altari conditum. Memorabile illud in ea translatione contigit; Cæcus quidam à natiuitate celebritatis videndæ adeò cupidus fuit, vt cùm eam videre posse confideret, ad fenestram ductus, tanta deuotione accessit, vt mox lumina aperuerit; diesq. festus eo miraculo celebrior factus est. Alia in eadem insula templa fuisse explicat idem Gregorius cùm ad Petrum Campaniæ Subdiaconum scribit, ne permittat mancipia immorare in monasterio S. Seuerini, vel in alia eiusdem Castelli Ecclesia, dùm illuc è ciuitate refugissent. Et eius epistolæ initio de Lucullano loquitur, vbi Paulus Episcopus Nepesinus Ecclesiæ Neapolitanæ procurator, persequutionem passus fuerat. Sed apertiùs ad Anthemium Subdiaconum quocum loquitur de Oratorio S. Archangeli, quod in Castro Lucullano iuxtà S. Petri Basilicam erat. In antiquis diplomatibus, quæ à S. Sebastiani monialibus seruantur, *Ecclesiam S. Pauli* reperies, *intus destructum Castrum Lucullanum; Ecclesiam S. Barbaræ; Ecclesiam Sanctorum Sergij & Bacchi. Maior insula* quoque dicitur; & sub Federico anno 1202. Truda filia Domini Gregorij Domini Gaudiosi *vendit Abbati Monasterij S. Saluatoris Insulæ maioris de Neapoli.* Ex hac templorum frequentia, insulæ amplitudinem cognoscere licet, quam vndique dirutam videmus.

Castrum Lucullanum, oppidum. *S. Seuerini corpus.* *Miraculum.* *Lib. 2. ep. 1.* *Ecclesiæ Castri Lucullani.*

Sed ne aliqua memoratu digna omittamus, quæ ad historiam pertinent,

pertinent, rerum euentus in ea insula obseruandus est. A Federico Imperatore hæc scripta sunt cuidam de Tocco, & Angelo de Marra; *Quia placet Excellentiæ nostræ vt carissima consor nostra &c. In Castro Saluatoris ad mare morari debeat, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus receptis his litteris, Castrum Saluatoris quod hactenus de mandato nostræ celsitudinis custodisti, Ioanni de Amato fideli nostro assignes, & illud sicut expedit, & viderit, faciat ordinari & disponi. Tu verò de omnibus quæ in Castro ipso assignaueris*, &c. Idem quoque Imperator ibidem thesaurum seruari iussit, habuitque tres Quæstores, Angelum de Marra, Marinum è Valle, & Eufremum è Porta anno 1239. Anno 1261. in ea arce detentus est Manfredi filius, qui cum matre ibidem fame contabuit. Ferdinandus præterea Regis Maioricæ filius anno 1302. Butillus ille quoque Vrbani VI. nepos, à Carolo III. Neapolitanorum Rege, à quo petierat Vrbanus, vt eum Capuæ Principem efficeret. Quod cùm denegasset Carolus, inimicitias cum Pontifice excitauit; atque huiusmodi, vt ad Nuceriam in Campania quò se Pontifex contulerat, & Carolus exercitum duxerat, manus conseruerint, victis Ecclesiasticis. Obsidionis causam afferebat Carolus, quòd aliquot Cardinales, quibuscum hac de re ipse egerat, Pontificatu eum priuare velle dixissent, ipsumq. adesse Cardinalibus fauturum. Anno 1382. mortua Agnete Dyrrhachiensi Ioannæ Reginæ sorore, & Tarentini Principis vxore, mox Ioanna Dyrrachij Ducissa eius soror in huius arcis carceres miserrimè iniecta est, nec vnquam libertati restituta. Anno 1386. Cùm Bonifacius VIII. Caietam Cardinalem quendam misisset vt Ladislaum Regno insigniret, Aloysius Andegauensis cum quatuordecim longis nauibus, octo onerarijs, totidemq. phaselis, Neapolim venit, & illicò monte & arce Hermite, & Megari potitus est; deindè Regnum Ladislao restitutum. Matthæus Villanus scribit, cùm esset in arce Lucullana Maria vidua Dyrrhachij Ducissa, Ioannæ Reginæ soror, Magnum Admiratum triremibus eò diuertisse cum duobus filijs, veluti eam esset inuisurus;

De Federico Imperatore.

Manfredi filius.

Ferdinandus filius Regis Maioricæ.

Butillus.

Ioanna Dyrrachij Ducissa

Maria Dyrrachij Ducissa

rus; sed Ducissam hoc pacto surripuisse,& ad triremes ductam, coegisse vt matrimonio cum filio primogenito coniungeretur. Pontanus hæc gesta in ea arce narrat; *Accedebat huic malo quòd arx cui ab Ouo est agnomen, à Gallis tenebatur, pecunia tradita Ioanni Luncesio, qui ei sub Alfonso præfuerat. Ea arx circiter quingentos passus ab Neapoli, exeso & arduo in scopulo posita, iacta mole, continenti iungitur.* Et paulò post; *Quo tempore Torella arcem Oui, de qua diximus, spoliauit, & multa, & diti supellectile, quæ illic asseruabatur, corpusq. Alfonsi Regis ibidem in loculis custoditum, triremibus ad se transtulit. Cauerat enim Alfonsus moriens, vti de more aliorum Aragoniæ Regum in Hispaniam Tarraconensem, ad ædem Populeti sepeliendus veheretur, eamq. ob rem in arce vbi diem obijt, loculis piè, relligiosèq. seruabatur. Parta tamen victoria, Ferdinandus loculos ipsos eandem in arcem inferendos curauit, in qua hodiè quoque seruantur*, &c. Quem locum non rectè intellexisse Collenucium arbitror, qui lib.7. hæc verba vertens scribit, in arcem Neapolitanam relatos. Ibidem Alfonsus seruari iussit corpus Petri fratris, qui ex Carmelitano templo caput torméto ictus, repentè occubuit, cuius sepulturam solutis belli curis magnificentissimis exequijs honestauit. Anno 1503. à Petro Nauarro Cantabro arx expugnata fuit cuniculis suppositis, mensis ferè spacio, quæ inexpugnabilis videbatur, & Gallorum qui inerant internecio facta est, Consalui Ferdinandi iussu, ex Arce noua, & Turri S. Vincentij alijs expulsis. Antiquiorem tamen rem non præteribo. Cæsis Romanis Imperatoribus, Gizericus Vandalorum Rex Italiam inuasit. Oduacer posteà Turcilingorum Rex habens secum Scyros, Herulos, diuersarumq. gentium auxiliarios, Italiam occupauit, & Oreste interfecto, Augustulum filium eius de Regno pulsum, in Lucullano Campaniæ castello exilij pœna damnauit. Habes apud Iornandem.

Lib. 2. de bell. Neap.

Torella.

Corpus Alfonsi in Lucullano.

1458.

Petrus Alfonsi frater.

Petrus Nauarrus.

Gizericus.

Oduacer.

Augustulus.

De reb. Gethicis. cap. 46.

MONS

MONS HERMVS, VEL HERMIS, VEL S. ERASMI. Cap. IIII.



ESCRIPTO Pausilypano sinu, ad collem redeundum est. Hermitem efficere vt Pausilypus nomen amittat, scribit Pontanus. Ad Patulcidem ipse suprà cryptam terminum statuo. Idem S. Erasmi montem appellat, quem Palæpoli imminere asseruit; & Hermitim, cum Olympiade, & Conicle Nymphas extollit. Qui affirmant hunc montem à Dioscoride & Galeno Tripholinum appellari, nescio ex quo fonte hauserint. Agrum Tripholinum scio fœcundum vitibus à Iuuenale dictum, & ad Gaurum constitutum. Abramus Ortelius nostrorum auctoritate, qui non benè litteras callebant, ad hunc montem collocat. Hunc montem, arce, templis, ædificijs admirabilem dixeris.

ARCI, S. Erasmus qui ibidem in ædicula colebatur, nomen dedit. Neque huius loci mentio apud B. Gregorium facta est (quod plerique sibi persuaserunt) sed monasterij S. Erasmi in latere montis Soractis. Eam ædificauit Carolus II. Rex anno 1289. licet ab eo inchoatam, & à Roberto successore absolutam aliqui scribant. Turris anteà ibi erat à Nortmannis condita anno 1170. Quæ fortasse dicebatur, Belfortis, cuius mentio fit in Reginæ Ioannæ diplomate, quod infrà adscribam. Ann. 1411. Henricus Sanseuerinus Terrænouæ Comes cùm in hac arce detineretur à Ladislao Rege, per sororium Arcis præfecti, maximis propositis premijs, ea potiri tentauit. Comitis S. Agatæ, qui ibidem erat, auxilio nitebatur. Cùm tamen id esset patefactum, Comitibus capita abscissa sunt. Alij qui rei conscij fuerant, laqueo sunt suspensi. Nulla eius Arcis lociq. à ceteris Regibus ratio habita est. Cùm verò Odectus Fuxius Gallico exercitu ciuitatem inuasisset, ij qui de pace & bello decernunt,

S. Erasmus. *Aedificatio.* *Belfortis turris.* *Henricus Sanseuerinus.* *Odectus Fuxius.*

cernunt, selectis militibus arcem muniendam duxerunt, illud vnum sibi persuadentes, eminentiorem locum, nouæ arci detrimento maximo futurum, & si locus in hostium potestatem redigeretur, Neapolim quoque esse redigendam. Agrum profectò Neapolitanum tuetur, atque optima vrbis tutela imminere cernitur, vt quoscunque motus aliquandò possit coercere; vrbem enim speculatur; portum, littora detegit; insulas circùm

Carolus V. intuetur; quotquot iter faciunt, obseruat. Carolus V. augustissimus Cæsar, muniendæ ciuitatis studiosus, quod noua militia, nouas artes expostulat, veterem arcem disijcere, nouamq. ædificare voluit firmissimis propugnaculis, vt transuersis cuniculis cuniculos hostium exciperent, æquatis circùm vijs, ne equitum cursus, cùm opus fuerit, possit impediri. Opus saxo excisum, in quo viæ hominibus, iumentisq. percommodæ. Tanta ibi erat tormentorum copia, vt in alium quoque vsum sæpè transtulerint. Portæ hoc adscriptum epigramma,

Imperatoris Caroli V. Aug. Cæsaris iussu ac Petri Toledæ Villæ Franchæ Marchionis iustiss. Proregis auspicijs Pyrrhus Aloisius Serina Valentinus, D. Ioannis Eques Cæsareusq. militum Præf. pro suo bellicis in reb. experimento F. curauit. M. D. XXXVIII.

Aliud è regione templi.

D. O. M.

Imperatoris Caroli V. Inuictiss. Cæs. Aug. iussu Petrus Toledo Villæ Franchæ Marchio, Regni Neap. Prorex iustiss. cuius auspicijs placida pace quiescitur, Pyrrhi Aloisij Serinæ cura arcem hanc à fundam. incohoatam Ioannis Acaiæ solertia & arbitrio perficiendam mandauit. M.D.XLVI.

In porta templi.

Petri Toledi Villæ Franchæ Reguli, iustissimiq. Neapol. Proregis iussu Petrus Toledus patrueli Heremicæ Arcis Caroli V. Imp. Inuictiss. beneficio Præses, ædem hanc opera & artificio patri frat. Hispani faciundam curauit, idemq. approbauit. M. D. XLVII.

In ipso

In ipso templo.

D. O. M.

Hic à Toledo cognomine Petrus humatus
Vix vita & studijs clarus & ingenio.
Seruandæ huic primum quem Rex præfecerat arci
Vt munita foret, rupibus, arte, fide.
Seruata hæc annos tercenos nomen & ossa
Huius perpetuò seruet & omne decus.
Vix. ann. LX. obijt M. D. LVIII.
D. Sophia Nagorim vxor. pos. vt vir iusserat.

Anno 1587. xviij. Cal. Ianuarias, vigesima ferè hora arx de cœlo tacta est, & fulmine absumpta puluis tormentaria, quæ munitionis loco seruabatur, tanto impetu, vt totam concusserit ciuitatem. Fenestræ vitreæ vbique perfractæ, ligneæ diuulsæ, quæq. erant occlusæ vehemēti impetus vi sunt apertæ. Cuique visa est mors periculum minitari. Quod si puluis editiore in loco non fuisset collocata, vereor ne magna interijsset ciuitatis pars. Garsiæ è Toledo domus penitus labefactata corruit. Is arci præfectus est. Fortunatum equitem vulgò appellant, adeò semper illi felicia euenerunt. Orta in mari tempestate, nauigans vndæ impetu mersus, altera ab vnda est subleuatus ac in triremem proximam actus huiusmodi, vt indè incolumis exiliret. Et cùm facilè potuisset cum tota familia incendio perimi, pridiè quàm domus flagraret indè discesserat. Multi ea die milites vxores, hæ autem viros ac liberos miserrimè pereuntes conspexerunt. At quænam pœna carceribus detrusis? Filii familias eò deducti. Quid? Parentum'ne sæuitiam, an filiorum parentibus non obsequentium peruicaciam detestabor? Non'ne sic pœnas luere visi sunt? Si verò ex piscinis aquæ essent collapsæ, quænam vrbis vastatio fuisset subsequuta? Rem narro quam Neapolitani memoria teneant necesse est. Habet arx circùm hortulos, à militibus compositos, qui victum suppeditant; stipendia non sufficerent. Hilarem tamen vitam degunt amœnissima in illa regione, ad emeritam senectutem peruenientes.

Arcis incendium.

TEM-

D. Martini templum. TEMPLVM in eo monte D. Martino Episcopo dicatum, & Carthusianorum cœnobio cultum, quod vndique Neapolis veneratur. Eius ædificationem alij Carolo II. tribuunt anno *D. Seuerus. Nicolaus Acciaiolus.* 1325. Alij D. Seuero Neapolitanorum Episcopo; alij Nicolao Acciaiolo Florentino. Carolus arcem, non templum extruxit. Seuerus, D. Martini templum condidit, quod in regione Capuana extat. S. Martini cryptam vocant. Acciaiolo qui anno 1363. obijt, ædificij munus demandatum videtur, Eius enim *Ioanna Regina. Carolus Calabriæ Dux.* familiæ insignia cernuntur. Quibus reiectis, ædificium Reginæ Ioannæ tribuamus, vt exequeretur Caroli Calabriæ Ducis, Roberti filij & eius genitoris testamentum, quod inferius leges. *Ferdinandus de Haya.* Negocium tamen Riccardo monasterij S. Seuerini Abbati demandatum est, & Ferdinando de Haya tunc Vicariæ Forum regenti. Aliqua tamen ex diplomate subijciam, quæ ad id spectant. Hæc asserit Regina,

Anno 1354. viij. Ind. Ludouicus & Ioanna Dei gratia Rex & Regina Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ, & Farqualquerij, & Pedemontis Comites, &c. *Sanè nos Regina dùm administratione Regni sola & insolidum fungeremur, venerabili monasterio S. Martini de monte S. Erasmi propè Neapolim, Ordinis Carthus. claræ memoriæ Illustris Domini Caroli Ducis Calabriæ reuerendi Domini genitoris nostri, Reginæ pia deuotione constructo, & congrua largitione dotato, priuilegium nostrum concessimus.*

Hæc ad ædificationem;

Illustris Dominus Carolus Calabriæ Dux, & in Regno Siciliæ Vicarius generalis, genitor noster, & Dominus reuerendus dùm viueret, ad venerabilem, & relligiosum Ordinem Carthusiensem specialem & præcipuum habens sinceritatis affectum, in eius vltimo testamento quod legitimè condidit, quoddam monasterium eiusdem Ordinis sub determinatione, seu vocabulo S. Martini de monte S. Erasmi propè Neapolim ædificari, & construi pro sua suorumq. animæ salute, pia deuotione legauit.

Mox Dotatio;

Et dotaretur sic abundè, quod tresdecim Fratres secundum obseruan-

ſeruantiam Regularem eorum conuentum conſtituunt. &c. Recognoſcens annuas vncias auri ducentas ponderis generalis, conuertendas in emptiones terrarum & poſſeſſionum ad opus monaſterij ſupradicti, prædictorumq. fructuum & perſonarum ſuper iuribus & redditibus Dohanæ ciuitatis noſtræ Caſtrimaris de Stabia. Locus, & Dicatio; *Doana Caſtri maris.*

Conſtructum in territorio, ſeu terra quæ fuit Berardi Carazuli de Neap. militis, iuxtà terras quæ fuerunt olim Regalis monaſterij S. Mariæ de Regali Valle, Caſtrum Belfortis, cum Eccleſia Sancti Eraſmi à ſilua Eccleſiæ S. Ioannis Maioris de Neapoli. necnon & iuxtà terras quæ fuerunt Signorelli Mazarelli, & fratruum ab alia parte. Ad honorem & gloriam omnipotentis Dei, & Domini noſtri IESV CHRISTI, & glorioſæ VIRGINIS Matris eius, & ipſius B. MARTINI Pontificis egregij, ac mirifici Confeſſoris. Cum immunitatibus, exemptionibus, franchitijs, conceſſionibus, indultis, priuilegijs, & quæ ſequuntur, quæ innumera explicantur. Addidi & Conſecrationem; *Regalis Vallis.*

Anno 1587. Conſecratio quam ædes conſequuta fuerat, reperta eſt in maiori Altari in plumbea arcula, dùm inſtaurandum altare fuerat, nam ictu fulminis arx & templum concuſſa fuerant Cal. Ianuarij, vt diximus. Facta eſt autem Conſecratio anno 1368. iij. Cal. Martias à Guillelmo de Agrifolio S. R. E. Cardinali, qui Tituli S. Mariæ trans Tyberim ab Vrbano V. Epiſcopus Cardinalis Sabinus creatus eſt anno 1367. Hæc ibi ſcripta leguntur; *Gulielmus de Agrifolio.*

Reuerendus in CHRISTO Pater ed dominus Guillelmus de Agrifolio Lemonicenſis Diæceſis permiſſione Diuina Epiſcopus Sabinenſis S. R. E. Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis Nuncius ad partes Regni Siciliæ per Dominum noſtrum Vrbanum V. deſtinatus ad pacificandum magnates dicti Regni, qui habebant guerram ad inuicem; præſentem Eccleſiam fundatam per claræ memoriæ Dominum Carolum Ducem Calabriæ Dominæ Ioannæ illuſtrem genitorem, anno Domini 1368. menſ. Feb. de licentia eiuſdem Domini Papæ conſecrauit, & dedicauit in honorem beatiſſ. Virginis Mariæ, B. Martini Epiſcopi & Confeſſoris, *Conſecratio D. Martini.*

fessoris, & omnium Sanctorum, atque Relliquias Sanctorum subsequentium infrà altare maius ipsius Ecclesiæ honestè collocauit. Et præfatus Dominus Summus Pontifex verè pœnitentibus & confessis, qui in dicta Dedicatione interfuerint, de omnipotentis Dei misericordia, tres annos & tres quadragenas de indulgentia misericorditer concessit; & subsequenter eandem Ecclesiam visitantibus, annum & quadragenam in diebus & festiuitatibus dari consuetis. Et similiter dictus Dominus Guillelmus Cardinalis, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui in officio vel Missa dictæ Dedicationis interfuerint, ex priuilegio Apostolico specialiter sibi concesso, vnum annum & vnam quadragenam concessit. Et de generali priuilegio concesso, Dominus Cardinalis concessit die huiusmodi Consecrationis similiter centum dies. Idem Reuerendus Pater Dominus Bernardus de Tosqueto tum Archiepiscopus Neapolit. qui in dicta Consecratione præsens fuit, auctoritate sua ordinaria, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui in dicta Dedicatione interfuerunt vnum annum, & ijs qui Anniuersario dictæ Dedicationis annis singulis in futurum deuotè dictam Ecclesiam visitabunt, quadraginta dies de iniunctis pœnitentijs misericorditer relaxauit.

Quæ adscripsi vt thesaurorum sacrorum copiam etiam in eo templo quod infrequens est, non ignoremus. Relliquiæ ibi repertæ; De ossibus S. Nicolai Episcopi & Confessoris; De ossibus Hieremiæ Prophetæ; De ossibus S. Stephani Papæ & Martyris; De ossibus S. Thomæ Apostoli; De ossibus B. Ioannis Chrysostomi; De ossibus B. Cæciliæ Virginis & Martyris. Brachia prætereà S. Blasij, D. Valerij Hipponensis Episcopi, & vnius Sanctorum Innocentium. Seruant etiam Spinam è Domini Corona, sub cuius titulo templum Coronatæ ædificatum fuit à Regina Ioanna, quod est sub Prioris S. Martini potestate; tribusq. anni temporibus eam Spinam Monachi in eo templo videndam afferunt; & duobus diebus festiuis S. Cruci dicatis. Aedifator autem has Relliquias dederat. Sudarium in quo Beata Virgo, Panni in quibus CHRISTVS IESVS fuerunt inuoluti. De ligno Crucis boni Latronis. Stephani, Laurentij,

Relliquiæ in D. Martini.

Templum Coronatæ.

Laurentij, Martini Episcopi, Ioannis & Pauli, Asterii martyris, Sebastiani martyris & aliorum, Nicolai Episcopi & Confessoris, Vincentij martyris, Agnetis, Xisti Papæ, Pantaleonis, Felicis & Paulinæ, Felicitatis cum septem filijs, Siluestri Papæ, Gordiani Episcopi, Petronillæ filiæ Petri Apostoli, Quiriaci martyris, Ioseph sponsi B. Mariæ, Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, Christophori martyris, Hieremiæ Prophetæ, Vrsulæ virg. & martyris, Helisæi Prophetæ, Samaritanæ, Sabini martyris. Dentes Damiani, Os & Velum Sanctæ Cæciliæ, Coppula & Sanguis Sancti Francisci, Velum Sanctæ Claræ. Quæ verò Carolus & Ioanna concesserant, rata quoque habuit Isabella Hierusalem & Siciliæ Regina Vicaria pro Serenissimo Renato eius coniuge. Gesualdorum ibi monumenta, & Leonardi de Afflicto. *Vicarius Generalis.*

Iulius II. Pont. Max. ne in D. Martini templum mulieres ingrederentur edixit anno 1506. à Pio V. confirmatum. Aedem tamen extrà valuas ædificarunt anno 1590. vt mulieres adeuntes sollemnitatis præcipuè die, qui concursu omnium ciuium celeberrimus esse solet, sacrorum quoque commoda habeant. Monachi eremiticam vitam degunt; silentio vtuntur ferè perpetuo; etsi dentur sermonibus dies aliqui. Cellas habent ad solitudinem ferendam ciuitatis speculatrices, nitidas, hortulis animi causa ornatas. Nusquàm arbitror ingenuos homines beatiorem vitam degere, nusquàm commodiùs quieti se posse tradere. In Sacrario, præter sacrum supellectile nobilissimum, duo nimis præclara elucent; pictura, in ligneo emblemate admirabilis, quam nec tota habet Italia, opus ex Augusta huc aduectum. Et quæ Iosephus Arpinas recentibus in parietum crustis effinxit; tùm etiam Thomæ Laureti, Pauli Veronensis, Mutiani tabulæ elegantes. Nobilium pictorum prætereà tabulæ pictæ, inter quas Lucæ Ianuensis opus erat illud eximium Cœnæ Dominicæ nocturno lumine effictæ, quam Ioanni Alfonso Pimentello Benauenti Comiti, Proregi, dono dederunt, relicto exemplo. Addo & Statuas, quibus Neapolis non habet illustriores. Seueri Turboli Monachi, qui multos annos Præfe-

cturam obtinuit, studio & diligentia summa impensa & labore comparata sunt. Hic mutata templi facie ampliorem cœnobij & templi structuram reddidit, ornatiores cellas effecit, pulcherrima bibliotheca auxit, quam ex intima Germania huc aduehendam curauit. Effici hæc omnia potuerunt eius industria, & diuitiarum commodo. atque illud admiratione dignum est, viginti dotationis vncias eò creuisse, vt ad vigintimillia aureorum, & vino, & frugibus, & pecore, & pecunia prouenerint. Omnium tamen gentium paupertati subsidio sunt; ad hoc enim subsidium transtulerunt redditum, quod Regina legauerat erogandum Coronatæ Xenodochio, cui multos agros feudosq. eadem coemerat. In platea Corrigiarum antiquitùs dicta, positum. Gregorius XI. confirmauit Xenodochij dotationem, eximitq. Sacerdotes qui ibi commorantur, ab Archiepiscopi Neapolitani iurisditione, qui Monasterii tantùm Priori subiiciantur. Xenodochium posteà ablatum, redditus in eleemosinas Auersæ quotidiè faciendas erogati, persolutis terdecim millibus aureorum.

DIVAE LVCIAE templum in medio monte quà ad Orientem vergit dicauerat in rupe excauata, anno 1560. F. Augustinus è Miglionico Lucanus, solitudinis amator; qui quòd Anachoretarum domicilijs delectabatur haud longius, CHRISTI sepulcro ædiculam extruxit. Aucta ædificio à F. Dominico è Pescopagano. Sed vt tandem è specu recederent, & cœnobium incolerent, F. Dominici Perusini opera factum est. In hanc demum structuræ molem quam cernimus locus redactus est F. Hieronymi è S. Agata laici laboribus, collatis à Neapolitanis deuotionis ergò eleemosinis. Atque huiusmodi sacra domus, quæ tribus quatuor'ue Fratribus parata fuerat, triginta hoc tempore alit Franciscanos Minoritas Obseruantes, quorum institutum Xistus V. Summus Pontifex confirmauit & approbauit. Sed anno 1604. Conuentuales apud Clementem VIII. egerunt, vt Obseruantes aut cœnobium illud desererent, & aliò proficiscerentur, vel vitam communem amplecterentur. Quamobrem aliqui alia prouinciæ monasteria adierunt;

runt;

runt; aliqui promiſcuè cū Conuentualibus viuere deliberarunt. Terræ ſolum quod ad Orientem ſpectat, à Federico Griſone, & Lucretia Dura coniugibus, datum eſt. Quod verò ad montem pertinet, à Ioanne Dominico Brancaleone, vno ex iis qui Regio patrimonio ſunt præfecti.

TEMPLVM à Gregorio Nauarro in eodem monte conditum eſt. Ibi degit VRSVLA illa ignobilibus Cauæ orta parentibus, quæ tamen maximam nobilitatem vitæ integritate adepta eſt. Hæc ſiquidem iam indè ab anno 1575. exſtaſi contemplando rapi cœpit, tunc præcipuè cùm ſanctiſſimo Eucharistiæ Viatico cibatur, vel cùm de ſacris rebus mentio aliqua facta fuerit. Vidimus eam, videruntq. omnes cùm Sacerdos Hoſtiam ori admouerit, exſtaticè raptam, os mutantem, manus ſupplices adeò arctas tenentem vt nulla vi ſeparari potuerint, genuflexam loco dimoueri non potuiſſe, immobilem, oculis vitreis, apertis, muſcarum importunitati non obnoxiis, quin & accenſæ candelæ flammam nō ſentientem, dùm Rainerius Gualanus eidem ſacra faceret. Is quoque eius audiebat confeſſiones. A quo cùm percunctatus eſſem, quidnam illud rei eſſet? Reſpondit; Nihil mortalibus ſalutarius quàm Beatæ Virginis deuotioni eſſe addictos, nihil vtilius quàm tantæ Reginæ ſemper laudes & encomia canere. Hæc Romam à Gregorio XIII. accerſita, Pontificem eſt alloquuta, qui eam Cardinali S. Seuerinæ, & Philippo Nerio Hieronymitanæ Congregationis Inſtitutori, qui ab eodem Pontifice in Beatorum catalogum adſcriptus eſt, tradidit & commendauit. Ambo diligenti re inſpecta ratione, quæ viderant, quæ acciderant, ad Pontificem detulerunt. A quo decretum, vt Vrſula ab omnium colloquio ſe abſtineret, contineretq. ſeſe domi, nec ſui faceret copiam, vt morientem deindè anteacta vita probaret. Neapolim rediens in hoc CONCEPTIONIS cœnobium ſe abdidit, aliaſq. ſibi virgines coniunxit, Sacramentorum vtitur frequentia, & ab exſtaſi non recedit; quam cùm ad ſe redierit aliud loquentem non audies, quàm, O CHRISTVM, o dilectum, o Dominum, o animæ delicias & oblectamentum, in maxima humilitate

constitutam. Qua tamen in re ea mihi tantùm persuadeo, quæ S.Romana Ecclesia decreuerit.

D. Maria ad Paretam. D. MARIAE ad Paretam templum dicauit anno 1581. Magist. Philippus de S. Georgio Perusinus ex Franciscana Conuentuali familia. Imminet maritimæ Plagæ prospectu tàm præclaro, vt apertissimè æquor, scopuli, hortiq. subiiciantur. Ac mirum quàm commodas aperuerit in loco difficili vias, quàm idoneas ad beatam vitam degendam ædificauerit habitationes.

Xenodochiũ Victoriæ. Ad pendices positum est XENODOCHIVM anno 1571. post admirabilem ad Naupactum victoriam D. MARIAE Victricis nomine à Ioanne Austriaco militibus curandis institutum, cum maiori Hispanorum Xenodochio D. Iacobi coniunctum, vtroque enim appellantur nomine Iacobi, & Victoriæ. Cuius tamen vires in dies languescere animaduertimus; si Austriacus vixisset, magnum robur fuisset accepturum. Eò pertinent

Annibal Caracciolus. ædes hortiq. à Paulo Tolosa extructi, ab Annibale Caracciolo Insulanorum Episcopo aucti, ornati, ad Principis cuiusq. habitationem amplificati. Mons ibi perfossus, per accliuem collem carpento vehuntur accedentes; nobilibus fructibus copiosi. Piscinæ admirabiles, vt Hortensium dixeris Episcopum Romana amplitudine, veluti nunc cœlesti gloria, dignum. Horti prætereà à Luchisino conditi, qui ad Camillum de Curtis Regentem in Hispaniam hoc anno 1605. à Philippo III. Rege euocatum, & ab eo ad Scipionem fratrem Regium Consiliarium deuenerũt, quibus nihil cultius, nihilq. ornatius conspici potest.

Ad Septentrionales montis radices rus Casinensium Mona-

Olympianum. chorum Olympianum appellari arbitrantur, quòd ibi Olympici ludi ederentur; vel quòd Ioui Olympio fuerit dicatum. Nihil certi ea de re ad me peruenit. Regio tamen ad animorum deli-

D. Maria Montis. cias facta, villis, domibusq. frequens. Sacra ibi ædes D. MARIAE, quæ in monte excisa, Montis quoque nomen retinuit. Diomedis Carrafæ Regij Quæstoris Cercensium Ducatu insigniti, visuntur horti. tota Europa celeberrimos affirmauit Mustaphà quidam qui Constantinopoli Romam, mox Neapolim de Turcarum

carum

carum mercatorum in Italiam commeatu acturus, ab Henrico Gusmano ibi acceptus. Id verò agri quod ad eiusdem montis orientales radices iacet anno 1273. à Carolo I. Rege Abbatiæ D. Mariæ Regalis Vallis D. Petri Scafatini, quæ xx. millibus passuum Neapoli abest, fuit addictum. Idcircò eius loci Abbas Alfonsus Gesualdus Cardinalis, Neapolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, eundem agrum possidebat. Cùmq. Seruitæ ibi templum ædificassent, ab eodem Cardinali eiecti sunt anno 1599. & templum Parochiæ vsui (quas plurimas tota vrbe prudentissimè ad ciuium commoditatem distribuit) præsbyteris sæcularibus erectum. Anno deinde 1602. Clementis VIII. iussu Seruitæ in pristinum locum sunt restituti, relicto Parocho.

ANTINIANVM. Cap. V.



NTINIANVM illustre reddidit in primis Via Appia, in qua strati adhuc silices conspiciuntur; & eius itineris memoria, quam Decius Bernallus in suo fundo seruauerat,

VIII.
IMP. CÆSAR. DIVI. NERVÆ. F. NERVA
TRAIANVS. AVG. GERMANICVS. PONT. II.
MAXIMVS. TRIB. POT. VI. IMP. II. COS. III.
PATER. PATRIÆ. INCHOATAM
A. DIVO. NERVA. PATRE. SVO
PERAGENDAM. CVRAVIT.

ibiq. ædicula loco erecta in quo paululum B. Ianuarius consedit, cùm Nola Puteolos ad martyrium duceretur. Huic similis anno præterito in via Puteolana repertus. hæc tamen in fine diuersa leguntur, VIAM. NOVAM. RELICTIS. ANTIQVI. ITINERIS.. .. Vt meritò Constantinus Imperator dixerit, Neruam veluti parietariam herbam vbique reperiri. Nympham cum Patulcide finxit Pontanus, qui non tantùm veluti Musam inuocabat,

Sume

Sume age intactam citharam, atque ab alto
Colle descende, ANTINIANA, in vrbem;

sed etiam omnes animi corporisq. voluptates in ea collocabat,

Nunc nos ad virides vocat ANTINIANA recessus,
Et vocat ad primas blanda puella rosas.
Nunc offert sese choreis spectata PATVLCIS
Læta suis hortis, læta Patulcis agris.
Nil agro vberius, nil est felicius hortis,
Vtraque me immorem res facit illa mali.

Fructus Antinianos sic laudat in Erydano,

Principio grauidis ponentur lecta canistris
Quæ tulit Autumnus, quæ meus hortus alit.
Roscida erunt, matura & erunt, & Sole recocta
Quæq. sua carpsit Antiniana manu.

Aliqui sic eum collem dictum asserunt, ab Antonino Imperatore. Nugæ. Aliqui quòd contrà Agnanum lacum sit positus, quasi ἀντὶ Agnanum. At multa quoque rura,& alij colles contrà Agnanum positi sic appellari deberent. Cereri & Baccho sacer videtur. Frugibus omnibus abundat tellus, & arbusta ad vina non ingentia, sed delicato & sapido spiritu procreanda, exucta terra inter lapillos vigent. Castanearum lætissimis nemoribus refertus, vt nec Sol radijs penetrare queat, ad dolia aptanda idoneis, teneras enim plantas hac de causa incidunt. Boletorum,aliorumq. Fungorum copiam procreant, quos cum primùm terra maduerit exoptatissimos suppeditat. Eius aliquandò Villæ dominus legitur Scipio Capicius, qui etiam & Toduciam villam possidebat,poetices amantissimus. Ibi VOMARVS villa, vndè lætissimi æquoris campi prospiciuntur. Accolæ tamen duræ ceruicis, malefici, perfidi, quibus faciunt animos siluarum diuerticula. Superioribus annis maleficorum erat Asylus.

TEMPLA.

Duo ibi templa. Alterum D. Mariæ Angelorum à M.Antonio Festenesio notario ædificatum, coempto solo à Seruitis, qui

Mergel-

Mergellinam incolunt, quibus quoque census redditur à Fratribus Minimis, quibus idē conditor ædem colendam tradidit. Alterum, D.Mariæ è Libera, ampliori ædificio, & decem Dominicanis Obseruantibus Sacerdotibus cultum. Annibal Cæsarius in sacro Consilio Secretarius ædificauit, quinque millibus aureorum ad victum exhibitis, & totidem ędificio erogatis. Cæsariam villam ædemq. Casinensibus idem dedit; & in via Antiniana, Xenodochium pietatis causa erexit.

NAZARETH.

Indè Nazareth villam adimus. Ab aliquo de Diano familia ædificata ædes fuit. Id enim ostendunt insignia quæ Crispi auferre noluerunt. Ad Capicios posteà, à quibus ad Rapuanos, mox ad Crispos heredes deuenit. Rus à Ioanne Baptista qui decem ferè annos in administranda Rep. summa integritate & prudentia floruit, huiusmodi auctum videmus, vt in altiori colle deriuatis aquis quibus cymba ludatur in piscina, consitis omni fructuum genere hortis, elegantioribus siluis & nemoribus, operosa ædificiorum mole, niue ad ciuium commoditatem seruata, & Proregum procerūq. lætitiam qui eò sæpè diuertunt, aut Marium vel Lucullum appellare possimus. Singulis annis choreis locum frequentem reddere studuit, vt ad sacri cultus honores, & Pontificum indulgentias comparandas, non tantùm rusticos quos finitimos habet, sed Neapolitanos etiam alliciat Clemens VIII. ex ecclesiasticis thesauris ædem locupletauit: atque ij participes fiunt, qui tertio post Resurrectionem die, Transfigurationis, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, & B.Virginis, diebus templum inuiserint. Hanc fundo inscriptionem apposuit Thomas Crispus frater, Monachus Casinas,

IOAN. BAPTISTA. CRISPVS. HONESTO. VT. QVIESCERET
OCIO. PVBLICIS. PRIVATISQ. NEGOCIIS. ET. ÆGRA
VALETVDINE. IAM. DEFESSVS. RVRALES. MAIORVM
ÆDES. VETVSTATE. PROPE. COLLAPSAS. MONTIBVS
EXCISIS. ET. AD. PLANICIEM. REDACTIS. NIMIO. SVMPTV
LOCI. NATVRA. SVPERATA. INSTAVRAVIT. ET. AVXIT.

Doctum

Doctum adſcripſerat etiam epigramma Gregorius Orificius Siculus, qui in Africæ littoribus, cum Caſadalbori Marchione profectus, dùm Mathematicæ ſtudium in machinis ad portas deijciendas oſtentaret, ab Arabibus occiſus eſt. Illud erat huiuſmodi,

Nazareos quicunque Lares & amæna vireta
Frondoſumq. iugum, cultaq. rura vides,
Sis felix, vanoſq. animo ſeclude pauores.
Non Deus hic curua falce timendus adeſt,
Non custos rigidus, non durus vinitor vllus,
Non latrat ad querulas ore Liciſca fores.
Sat largus Dominus, ſat illi dextra benigna,
Huius herum quiuis ſe putet eſſe loci.

CHAMALDVLENSES.

Chamaldulenſes habet finitimos, Eremitas à Maldulo Aretino viro ſic dictos, qui Romualdo Rauennati ſub Baſilio, & Conſtantino, Othoneq. Germano vixit (centum viginti annos is vixit) agrum domumque dedit in Etruriæ Apennino, ibiq. templum ædificatum. Eius corpus in Fabrianum oppidum in Piceno trāſlatum eſt, & in æde D. Blaſij eius Ordinis ſepultum. Ex his in Concilio Baſileæ laudatur plurimum Ambroſius Abbas. Mons eremo idoneus, non in Apennini vertice ſaxoſo, & difficili, ſed in colle non verticoſo, facili, varijs arborum ſcenis ſtipato, agreſtium plantarum odore fragranti. Cellulæ interſtinctis ſpacijs diſpoſitæ. Ex ijs veluti apes prodeunt Eremitæ grato pſalmorū ſuſurro aures demulcentes, quo placidiùs quàm luſciniarum cantu aures frondeſq. feriuntur. Hinc videas libros vt poſt contemplationis munera, ſacræ lectionis dulcedine ſpiritus recreentur. Hinc Eremitarum ſupellectile, quantum eius vitæ ratio poſtulat. Proſpectus indè patens, vt & Caietæ olentis littora, & totius Felicis Campaniæ campum proſpicias, & Miſeni ſcopulos murmura reſonantes ferè audias, Siculiq. maris vndæ obijciantur, vt Carthaginis proſpectu quem Liuius

Romualdus.

celebrat

celebrat sit longè nobilior, ideòq. quam ibi inuenerant antiquam ædem, SALVATORIS AD PROSPECTVM dicebatur. In eorum Chronicis legimus à Ioanne Baptista Crispo anno 1585. euocatos, obtento à Ioanne Cappasanta Abbate quodam simplici beneficio S. Saluatoris. Et quoniam ad eremum condendam ager angustior videbatur, Crispus ex latissimo suo fundo partem adiunxit, & pecunia iuuit, qua fabricæ initium auspicaretur. Huic accessit Carolus Caracciolus eques pietate & doctrina insignis, qui nihil sibi Crispum in ijs adiuuandis antecellere passus est. Ioannes Daualus posteà quingentos aureos singulis annis erogandos ex testamento dedit, iussumque vt templum D. Mariæ Salæ cœli sacrum dicaretur, eumq. sepulturæ locum sibi delegit. A Marchione Piscario ad quem Ioannis hereditas deuenerat, & venditis eius bonis, quingentos aureos pro decem millibus redemit, quibus agrum amplificarunt, siluis Valanzani in eorum potestatem redactis.

CONICLI, EIVSQ. COLLIS TEMPLA.
Cap. VI.



X Antiniano ad Coniclos (sic appellat Pontanus) pergimus, collem ruribus frequentibus cultum, delicatiori vino celebrem, qui huiusmodi ad borealem plagam ciuitatem amplectitur, vt veluti vallo eam muniat, & arborum prospectu oblectet. Cum Hermite & Olympiano idem coniungit, *Conicle Nympha.*

At non Hermitis, aut Olympias, aut Conicle
Hæc tibi coniugia, aut hos exoptant Hymenæos.

Hic villa S. Crucis, eiusdemq. nominis sacra ædes, à quibusdam è familia Molla ædificata. Vetusti lapidis fragmentum non præteribo, ET. CORNELIAE. FELICVLAE. VXORI.. *Villa S. Crucis ædes Diui Angeli.*
Aedes quoque D. Angelo dicata. Passim cuniculi excauati reperiuntur oblongi, terræq. meatus manufacti, qui aliquo pacto

inter se coire videntur, in quibus latitans insignis ille latro Ioannes Anellus, nunquam i n satellitum manus incidere poterat; & cum alij locum ignorarent, diabolico eum credebant spiritu ferri, propterea quòd eminùs cominùsq. velocissimè se videndum præbebat. qui tamen diuturni sceleris pœnas dedit.

Aedes D. Ianuarij.

Ad eius collis ima, ædes D. IANVARIO Neapolitanorum maximo Patrono sacra est, quam Seuerus eodem patrocinio celeberrimus ædificauit, & in quam Puteolis idem pius Episcopus Sancti martyris & collegæ corpus sub Constantino transtulit, licet Ioannes Diaconus in Episcoporum Neapolitanorum Chronicis, tantæ sepulturæ Ioannem Episcopum Neapolitanum interfuisse, & manibus suis condidisse dicat. Quod verò simile haud est, quandò asserit eundem sub Damaso & Siricio Pontificibus, xiiij. Neapolitanæ Ecclesiæ floruisse Antistitem; & tamen eius Martyris translatio Puteolis facta est Diocletiani & Maximiani persecutionibus restinctis, florentibus Siluestro Pontifice, & Constantino Imperatore, quorum ætate Seuerus viuebat, vt ex eius & Ianuarij Actis constat. Eius sepulturæ causa factum arbitror, vt *ad Corpus* ædes diceretur, cùm enim postea ab Athanasio Episcopo etiam Neapolitano ibidem monasterium conditum fuerit, & à D. Benedicti monachis fuisse cultum multa diplomata declarent, duo præcipuè sic loquuntur; alterum Rogerij anno xv. eiusque Regni anno vj. *Congregatio monachorum Ecclesiæ vocabuli S. Ianuarij martyris atque Pontificis, atque beatissimi Agrippini* CHRISTI *Confessoris sita foris ad corpus, foris sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ &c. ad honorem monachorum quomodo docet Regula Beatissimi Patris nostri Benedicti, seu ad honorem de supradicto monasterio vestræ Ecclesiæ S. Ianuarij.* Alterum Gulielmi Siciliæ & Italiæ Regis anno xj. *Gulielmus humilis monachus & Sacerdos monasterij Beatissimi S. Ianuarij siti foris ad corpus, iuris sanctæ Neap. Ecclesiæ, quæ nominatur de Caserto.* ibi etiam mentio fit Agrippini siti foris ad corpus, & beatissimi Benedicti Regulæ. Quapropter duo illi Neapolitanorum Patroni in eadem æde condebantur. Monachi cuiusdam è familia Scrignara, vt ex

Monasteriū in æde D. Ianuarij.

Ianuarius, et Agrippinus.

Familia Scrignara.

insignibus

insignibus liquet, ibi monumentum extat.

Hoc anno D. 1356. obijt venerabilis & honestus vir Frater Athanasius Prior huius monasterij, qui fieri fecit ciborium suprà altare, & arcum marmoreum introitus Chori. ad honorem Domini, & Beati Ianuarij, & ad remissionem peccatorum suorum. cuius anima requiescat in pace. quæ libentius adscripsi, ne monialibus ædem in eo deserto dicatam credamus, quod alij scripserunt.

Antequàm indè Ianuarij corpus esset ablatum consueuerant in eam ædem Neapolitani conuenire testimonium facturi, vt vera se dixisse, aut dicturos iusiurando profiterentur. Id quod multis in locis obseruabatur. De sepulcro S. Apollinaris martyris & Episcopi Rauennatium multa narrat S. Gregorius Pontifex; *Et veniat antè corpus S. Apollinaris, & tacto eius sepulcro iuret.* Quæ consuetudo antè Ioannis Episcopi tempora fuerat ad S. Pancratij martyris sepulcrum periuriorum vlctoris, si quis iuramentũ inane proferre voluisset, vel à dæmone statim arreptum, vel in pauimentũ cadentem emisisse spiritum, narrat Gregorius Turonensis; qui D. Mariæ Virginis, & D. Ioannis Baptistę quoque citat ædes. Quin etiam publicè id esse factum asserit cùm in altari Biturigensis Ecclesiæ, sententia iudicum, vel primorum vrbis pro purgando se à crimine, iuramentum præstitum fuisse scribat. In D. Anelli quoque Neapoli Crucifixi miraculum celebre est. At quoniam multa Beatus Martyr periuria ibi fieri animaduertebat, Sicone Beneuentanorum Duce Neapolim obsidente, discedere voluisse eius translatio à quodam scripta, qui interfuit sic testatur; *Igitur tempore quo Beneuentanorum ac Samnitum magnus Princeps Sico Neapolim obsidebat, tunc cuidam feminæ B. Ianuarius martyr apparuit dicens; En migro de loco isto; quem cùm femina percunctaretur, quò ire vellet? respondit, Beneuentum; plebs enim mea est. Hactenus pro vrbe hac deprecatus sum, sed ferre illorum iam non valeo . . . maximè cùm super tumulum meum tot periuria perpetret.*

A Sicone igitur eius corpus ab hac æde ereptum est, du-

Mos iurandi in æde D. Ianuarij.

lib. 5. ep. 33.

Lib. 1. de gloria mart. c. 39

Lib. 1. c. 20.

Idem mos in alijs ecclesijs.

Ianuarius cur Neapoli discessit.

Sico Ianuarii duxit Beneuentum.

ctumq. Beneuentum, vbi in maiori Ecclesia cum Sanctis Festo & Desiderio, quibus cum martyrium pertulerat, coniunxit, vt Herempertus, & Leo Ostiensis scribunt. Sed Desiderium & Festum post martyrium Puteolis Beneuentum transtulerat Cyphius Senator. Cùm verò circà anno 1154. Gulielmo I. Regi Beneuentum maximo cum exercitu recuperaturo, S. Amatus Montisuirginis monachus, & S.Gulielmi eius monasterij fundatoris discipulus victoriam prædixisset, pollicitus est Rex, victoriç quoque participem Ecclesiam Montisuirginis facturum. Quam cùm esset consequutus, multa Sanctorum corpora, & Relliquias quæ Beneuenti reperit, illi dono dedit. Et quamuis Sanctorum nomina in vita S.Amati,& in eius monasterij historia reticeantur, Ianuarij tamen corpus eò fuisse traductum, illud potissimum patefacit, quod anno 1497. ab Oliuerio Carrafa Cardinali & Neapolitano Archiepiscopo ab Alexandro VI. Pontifice impetratum est, vt in Basilicam Neapolitanam tanti Patroni corpus transferre liceret, quod Alexander Carrafa Oliuerij frater Neapolitanus tunc Archiepiscopus sollemni celebritate fecit, vbi tandem cum ingenti Neapolitanorum gloria vrbis defensor, ciuium adiutor, & consolator requiescit, licet illustriori pompa iam diù ædem Neapolitani condere in eadem Basilica student, & Canonicorum cultum, atque alia ornamenta à Summis Pontificibus, tùm præcipuè à Paulo V. summa cum pietate expostulent. Et meritò accidentali gloria tantum Patronum & Præsulem gaudere desiderant, qui eiusdem meritis ac præcibus à calamitatibus quotidiè eruuntur. Omnes qui Beneficiati Ecclesiæ Neapolitanæ appellantur, Neapolitano Archiepiscopo sese iuramento obstringebant, templum D. Ianuarij singulis annis inuisuros, his verbis; *Limina Beati Ianuarij singulis annis personaliter visitabo, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione, sic me Deus adiuuet.* Hoc tempore quòd in Cathedralem Ecclesiam eius corpus translatum est, eam inuisunt. Tradunt, Archiepiscopum Dominicæ Passionis die templum illud cum Canonicis adire solitum, quoniam eo die beatissimus Martyr miraculo claruit quo Neapolim à Vesuuij

Ianuarius translatus ad Montemuirginem.

Oliuerius, & Alexander Carrafa.

Beneficiatorū iuramentum.

ignis

ignis conflagratione Neapolim liberauit. In id cœmiterium Constantino VI. imperante detrusus est Paulus Neapolitanus Episcopus, qui Imperatoris edictum cõtrà sacrarum imaginum cultum neglexerat. Anno 773. Cæsarium Ducem Stephani Episcopi filium,& Stephanum eiusdem Episcopi nepotem fuisse sepultos vetera canunt epigrammata, quæ in Ducibus recitauimus. Anno 788. parua ibidem ædes amplificata, cuius antiqua Chronica meminere; in qua cùm in Sarracenorum inuasione Aimo Dux Gallus, qui opem cum Bernardo Duce multisq. equitibus Neapolitanis tulerat, cum quatuor liberis conditus est. Anno 885. Athanasius Episcopus, cùm vnus tantùm Sacerdos ibi sacra faceret, cœnobium (vt suprà retulimus) cum Abbatis præfectura constituit. Anno 1353. multa concessit Innocentius VI. Aeditui ex popularibus eliguntur. Pietatis Neapolitanæ monumentum; grassante enim vrbem pestis lue, in saluberrima regione ad contagionem euertendam ædibus Neapolitani templum amplificarunt.

Paulus Neapolitanus.

D. MARIAE SANITATIS templum, peruetustum quoque, sed diù terræ aggeribus obrutum, antiquis Sanctorum imaginibus depictum. Erat illud Cœmeterium quatuor alijs D. Ianuarij, D. Seueri, D. Fortunati, D. Viti, quod Mariæ Vitæ nunc dicatum est, simile, in quibus eadem structura conspicitur. Ea ætate (etsi apud antiquiores in domo sua quemque fuisse sepultum scribat Isidorus) mortuorum corpora non in ciuitatibus, sed in suburbijs sepeliebantur. Loculos in rupibus, & cauernis quamplurimos excisos videmus. Qua de re sic Illustriss. Baronius scribit; *Erant autem cœmeteria omnia vel areæ extrà ciuitatem posita. Vigentibus etenim legibus Gentilium, ex legibus xij. Tabularum nefas erat intrà mœnia mortuum sepelire; sed omnia illa iura Gentilium cùm per contrarium vsum, tùm etiam per pientissimam Leonis Imperatoris Nouellam Constitutionem 13. quæ incipit, Mea quidem sententia &c. sunt antiquata, & prorsus abrogata.* Licet Theodoricus Rex Italiæ legem de non sepeliendo intrà vrbem iam abolitam restituisset. Onuphrius Panuinius opusculo de ritu sepeliendi, ait Athe-

Sanitatis templum.

Cœmeteria.

Orig. lib. 15. c. 11.

In Martyr. B. Ian.

næum ſcribere lib.4. τῶν Κρητικῶν, Cretenſes in ſingulis ciuitatibus ædes publicas habuiſſe ad excipiendos peregrinos, quæ Cœmeteria vocabantur, ſed Chriſtianos pro ſepulturæ locis vſos. Veteres primitiuæ Eccleſiæ Patres ſua cœmeteria habuiſſe, in quibus Chriſtianorum corpora ſepelirent, quæ ad Corinthios D. Paulus meminit. Deindè quia ſolebant ad ſepulcra Sanctorum Martyrum, quorum ſacroſancta erat memoria, anniuerſario die paſſionis eorum conuenire, ampla & capacia cœtibus publicis orationum loca cœmeterijs adiacentia, etiam cœmeteria vocaſſe. In ijs Epiſcopi Synodos quoque congregabant, Sacramenta adminiſtrabant, verbum Dei concionabantur. Idcircò marmoreas ſedes in ijs locis poſitas videmus. Et cùm Sanctorum Imagines ſe offerunt, ſciendum Cœmeteria non ſolùm idem cum Eccleſijs fuiſſe, ſed aliquid amplius quàm Eccleſiæ vrbanæ, ſepulcra ſcilicet Chriſtianorum quæ intrà vrbem fieri non poterant. Hinc ſententiam Chriſtianam eliciunt; *Cœmeterium facit Eccleſiam, ſiue Baſilicam.*

Cœmeteria.

Cor. 1. c. 15.

Græci Pontifices Ioannes VII. anno 706. & Zacharias I. anno 741. reparandis cœmeterijs maximè ſtuduerunt. Leo IIII. in cœmeterijs multa Martyrum Sanctorum corpora inuenit.

Cœmeteria à Pontificibus reparata.

Anno tandem 1577. Pontifice Gregorio XIII. Rege Philippo II. Archiepiſcopo Neapolitano Paulo Aretino; Ordinis Prædicatorum Præſule Generali Seraphino Caballo Brixienſi, & Prouinciæ in Regno Neapolitano adminiſtratore F. Raimo Tizzano, cùm poſt latronis quem commemorauimus latibula cœmeterium eſſet repertum, Pauli Taſſi Neapolitani tunc Canonici, nunc verò Anſanenſis Archiepiſcopi præſidio & tutelæ templum hoc commiſſum. Is quoniam Dominicanos ſpectatos habebat, & vtebatur familiariter Antonino è Camerota docto viro, qui nouem annos ſtudijs præfuit, treſq. alias huius familiæ domos Neapoli erexit, eiuſdem animi ſimplicitate, & bonitate perſpecta, illi adminiſtrationem cœnobij commendauit. Quapropter iv. Non. Ianuarij à Cardinali Aretino, Taſſo deprecatore, Dominicanis templi cultus publico diplomate datus eſt, cautumq. vt ſingulis annis die Purificationis B. Virginis facem

Ædes Sanitatis Dominicanis tribuitur.

facem ad Archiepiscopum deferant. Sin secus faxint, è templo eijciuntor. Pridie Non.Octob.anno 1583.decem & tribus Fratribus ex familia, Regniq. prouincia, arctioris vitæ studiosis, templum est conlatum, & Prouinciæ Seminarium dictum, ab Antonio Cardinali Carrafa vice Ordinis Protectore,& à Sixto Lucensi Generali, ductore & auctore M.Ambrosio Pasca Neapolitano. Atque ità augescente charitatis ardore ex paruo illo numero, ad ducentos prouecti sunt, licet Sanitatis cœnobium ad nonaginta incolant; ceteri in S.Spiritus, in D.Dominici ad Summam, in D.Mariæ ad Vomarum habitent. Victu & vestitu ad prima Dominicana initia accedere profitentur. Aliquid tamen in se concitarunt inuidiæ, quod alios Dominicanos ceteroqui venerabiles, doctrina insignes, studiorum propagatores, quibus nulla vnquam maleficij nota inuri potuit, ex antiquis eorum domibus eijcere conantur, cùm arctior vita, humiliora domicilia expostulet.

Diù consultum quo nomine Cœmeterium appellarent, cùm anteà Gaudiosi nomine appellaretur, ab eius sepulcro in quo *D.Gaud[illegible]* vermiculatis notis legitur epigramma;tandem quòd Vallis Sanitatis ea regio dicebatur, non tam ob cœli clementiam,quàm ob D. Gaudiosi miracula quibus sanitatem multi mortales ad eum accedentes acquirebant,vt in eius Actis; Sanitatis nomen illi imposuere. Quod æmulati Carmelitæ,procurante F.Andrea Baccario,empto solo ab Octauiano Stuardo,ijsdem ferè diebus quibus Sanitatis ædes erecta est, proximum Cœmeterium D. Vito dicatum incolendum susceperunt; & chariorem esse *Aedes D.V[illegible]* hominibus vitam, quàm sanitatem rati,Vitæ nomine dixerunt. Gaudiosi inscriptio hæc est,

Hic requiescit in pace Sanctus Gaudiosus Episcopus,
qui vixit annis lx. . . . . . sepultus die vj. Kalen. . . .

Hic Bithiniæ Episcopus ex Africa profugus vrgente dira persequutione excitata à Genserico Vandalorum Rege,Neapolim appulit, D. Stephani Prothomartyris Sanguinis ampullam secum ferens, & miraculis ciuitatem illustrauit. Ibidem cum eo sepultum arbitrantur Quoduultdeum Episcopum Carthaginensem, *D. Stephani sanguis.* *Quoduultdeus Episcopus.*

nensem, qui ab eodem Genserico pulsus, annuente Deo, vt legitur in historia Victoris Vticensis De persequutione Vandalica, Neapolim Campaniæ peruenit. Quorum posteà corpora ad D. Gaudiosi Neapolim translata scimus.

Aliud epitaphium,

In hoc requiescunt tumulo veneranda corpuscula sacrar. vir. & consecrat. velamine cultu cum qua Baccinorosa, & in seculum Petronilla Veronia S. Seuera.

Sic enim Patrum testimonio descriptum apposui. Hinc monialium sacrarum locum dignoscimus, cui præfectus ab Episcopo Fortunato Agnellus Abbas est.

Fortunatus Episcopus.

item,

A ω *Patrici* A ω

Patricium domus hac æterna laude tuetur,
Astra tenent animam, cetera tellus habet.
Requiescit in pace sub D. Conf. A † ω

Inter multos Patricios, qui à Constantinopolitanis Imperatoribus honoris illam dignitatem habuerũt, quis hunc Patricium reperiat? An fortasse Patricij nomen proprium, cum Patriciatus dignitas semper cum ipso nomine etiam esset coniuncta? Quid enim sibi vellet, *Patricium*, & nescimus quem *Patricium*? Qui notas *D. Conf.* *Bonum Consulem* interpretantur, Diuum Constantinum significare sciant. Symbola quæ adsunt, optimè declarant, quibus in Labaro vtebatur. Vsi sunt quoque successores, vt in nummis vsque ad Iulianum Apostatam. Erat hæc circum inscriptio, SALVS DOMINORVM NOSTRORVM AVGVSTORVM LVCET. De quo Signo Prudentius,

Labarus.

CHRISTVS purpureum gemmati textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum insignia CHRISTVS
Scripserat; ardebat Summis Crux addita cristis.

Plerisque Constantini ædificiis Neapoli ea symbola nitent. Aliæ quoque recentes sunt inscriptiones,

Templum sanctum hoc fœdis purgatum diuinoq. cultui redditum, vbi sollicitudinem beatiss. Matris Dei de salute nostra palpabilem habes. Illustriss. & Reuerendiss. D. Paulus de Are-

de Aretio S.R.E. Præsbyt. Card. T. S. Potentianæ, ac Neap. Antistes, almæ Prædicatorum familiæ concessit. A.D. M.D.LXXVII. Mens. Ianuar. sub Gregorio XIII. Pont. Opt. Max.

alia,

D. O. M.

F. Ambrosio Paschæ Neapolit. vita, exemplo, & doctrina memorando, omnium sui Ordinis bonorum gradibus functo Prouinciali, publico Lectori, arctioris Obseruantiæ auctori, Theologorum Collegij Vicecancellario, Fratres S. Mariæ Sanitatis ob viri memoriam. Vix. an. lxv. obij ann. M. D. LXXXVIII. Mens. Feb. Die xxiij. hora v. noctis.

Anno 1603. dùm amplificando nouo templo Sacerdotes studerent, lapis inuentus est in quo Græca hæc leguntur,

ΕΝΘΑ ΚΙΤΗ ΠΑΤΑΑ ΠΑΤΑΟΥ ΤΠΟΔ. ΘΥΓΑΤΗΡ ΖΗΣΑΣ ΗΝ ΕΙΡΕΙΝΗ ΤΗΔ. ΜΕΝΑΣ Β. ΑΝΠ. ΠΡΟ ΚΑΑ. ΙΟΥΝ.

Vt Græcos Latinosq. (sic enim Græca Ecclesia Neapoli diuisa erat) in ijs cœmeterijs sepultos pateat.

D. SEVERI ædem habet finitimam Capimontium versus cryptam, vel cœmeterium quod ipse Episcopus ad Conicli radices extrà vrbem sibi parauit. Hæc in eius Actis; *Fecit & aliam Ecclesiam extrà vrbem iuxtà S. Fortunatum, & nomini suo consecrauit*. Celebrem eam reddidit ædem miraculum quo ad vitam Sanctus Episcopus mortuum reuocauit, vt testimonium diceret, & quantum sibi æris alieni conflauerat, declararet. Id in lapide notatum, *D. Seueri miraculum.*

Sepulcrum vbi sanctiss. Seuerus amicum cuius filios vxoremq. falsò æreq. indebito Balneator in ius vocauerat vt verum diceret, ad vitam reuocauit. Paulus Tassus V.I.D. Canonicus Neap. Diui cultor, ne tanti miraculi memoria euertatur piè restituit A. D. M. D. LXXIII.

Prætereà,

Instaurata, ac sacræ Relligioni Franciscanæ Conuentualium concessa. An.D.M.D.LXXIII. Pontificatus D.N.

Gregorij XIII. Ab Illustriss. & Reuerendiss. Mario Carrafa Archiep. Neapolitano Mense Ianuario.

Item,

Ioannes Maria Carmignanus Hierosolym. Ordinis eques B. Seuero Neap. Antistiti Gentili suo & Carmignanæ Gentis, valuas ære proprio constituendas curauit.

Valuit profectò antiquissima traditio, Seuerum esse ex Carmignana familia genitum. de qua suo loco fusiùs.

In æde D. FORTVNATI, quæ in domum cuiusdam Ingrisarij commigrauit, lapis inuentus est, in quo hæc scripta leguntur,

Hic requiescit Serbulus Puer in pace.
Qui vix. an. n. septem. Mens. xv. B. M. P. Paulus fecit.

CAPIMONTIVS, CAPVT CLIVI, LAVTRECCVS, *Aquæ regiæ, Labulla, Sebethus, Leucopetra. Cap. VII.*



TERMINANTVR Conicli Capimontio colli, in quo præter aëris salubritatem quam plurimi faciunt Neapolitani, fœcundi sunt Bacchi calices, & plenæ fructibus Pomonæ cistulæ. Pontanus in Lepidina,

Clauditur hinc heros Capimontius, & de summo
Colle ruunt mixti iuuenes, mixtæq. puellæ.

Minadoum ibi fundum laudat Antonius de Alexio. Iulius Cæsar Minadous vnus ex patrimonij curatoribus inter celebres Iurisconsultos, & antiqua fide & bonitate viros, locum splendidiùs sua comitate, & virtutibus illustrat.

Indè ad CAPVT CLIVI progredimur, nobilissimis ruribus conuestitum. Indè ad LAVTRECCHI castra, quæ ibi Lautreccus Gallus Dux ad Neapolitanam obsidionem posuit; vbi Carthusianorum domus, quæ ad monasterium D. Laurentij è Padula pertinet. Mox ad AQVAS REGIAS, vel Doliolum descendimus,

ſcendimus, Aragoneorum Regum voluptates & delicias, opus à Ferdinando inchoatum, quò ſe recipiebat laboribus feſſus, vt veluti è negociorum fluctibus in tranquillitatis portũ animum reficeret. Horti pluribus fontibus irrigui, qui vel pluuias per graciles tubos emiſſas efficiunt, vel ſternuntur in alueis maris inſtar, per quos cymba luſit Ioannes Auſtriacus victor è Naupacto rediens, vel ſaliunt, vel cum venuſtate deprimuntur, tanta cum perennitate, vt nihil vberius. Efficitq. aquarum vbertas graue cœlum, quòd perfuſus ager aqua (intumuit ſæpe alueus) inclementem facit habitationem. euenit id pleriſque locis, vt ex amœnis inclementes facti fuerint, idq. deficiente habitatione. Nouimus quid contigerit Baijs amœnis, quæ nunc grauiſſimæ accedentibus eſſe ſolent. Structuræ exemplar edidit Iulianus è Maiano Alfonſo Calabriæ Duci charo. Idemq. Iulianus pingendum curauit à Petro Donzello & Polito eius fratre. Reliqua in parietibus picturæ aliqua pars eſt, in qua optimi pictoris elucet induſtria, & Regulorum à Rege defectio. Erant quoque ex creta doctiſſimè efficta capita, quæ ſacrilegarum manuum iniurias pertulerunt. Ex creta etiam integrum Sirenis ſymbolum extat, cuius pedes alter oſculatur, alter admiratur aſpectum, quæ Neapolitanæ vrbis amplitudini maximè conuenire videntur. Aliud Ferdinandi ſymbolum proſpicies, Armellinum ſcilicet animal quod ne cœno fœdetur, libenter ſe capiendum venatoribus tradit; in quo duo epigrammata leguntur; alterum, DEORVM, quaſi diuinum ſit non turpi macula fœdari; alterum, MALO MORI QVAM FOEDARI.

Iulianus à Maiano. *Petrus Donzellus.* *Ferdinandi ſymbolum.*

LABVLLA, Labrumq. locus eſt in quo labens Neapolitanorum aqua excipitur, vt ibi caput aquæ dicas, quam tamen longiùs labi, & ex altiori capite emanare non vereor. Quidam enim Ciuitati olim propoſuit, ſi experiri vellent, ſe facilè inuenturum eius aquæ caput, & à ſubterraneis Veſuuij caueis proculdubio emanare dictitabat. Periculum facere Magiſtratus decreuit, atque ad mille paſſuum ſuprà Labullam fodiendum iuſſerunt. Aquæ ſemper copiam augeri animaduertebant, atque ità vt à re propoſita diſcedere noluiſſent, ni alter ab ope-

Labulla.

re omninò esse discedendum persuasisset; idq. duas ob causas. Primùm, ne dùm foderent, aquarum voraginem reperirent, & operæ & qui ijs præerant, submergerentur; nouimus enim Tigrim in medio itineris siccari, paulatim minui primùm, deindè consumi, mox non minorem eo qui prior fluxerat emergere; Alpheumq. ex Achaia vbi mergitur, in Sicilia transiecto mari fontem Arethusam effundere, vt facilè subterraneos amnes abscondi non ignoremus, quamobrem aquæ spiritu concussæ aliquandò ciuitates corruerunt, vt de proximo Herculanio dicemus. Deindè, ne hostibus si quandò obsidio pararetur, detur occasio fontes aquæ intercidendi, & ad mare aut aliò auertendi; quod & si hoc quoque tempore efficere valerent, Labullam enim auertere possent; aquam tamen proximè, quàm longo interuallo labentem faciliùs Neapolitana ciuitas posset tueri.

Tigris.

Arethusa.

Quocircà Aediles, qui tantùm curandis aquis diligentiæ consumunt, quãtùm inter nobilissimas Europæ aquas Fons hic Neapolitanus exposcit, è Labulla, vel Labiolo, quæ ità dicuntur, quòd aquæ quasi bullientes exiliunt, & quasi in Labro iaceant, huiusmodi deriuant, vt cùm per cuniculos ad duo millia passuum lapsæ fuerint, ità diuidantur, vt ad læuam meridiem versus per paludes altera pars ad D. Magdalenæ pontem fluat, & SEBETHVS dicitur, quod sic explicat Gabriel Altilius in Epithalamio Isabellæ Aragoniæ,

Labulla cur sic appelletur.

Parte alia qua perspicuo delabitur alueo
Irriguis SEBETHVS aquis, & gurgite leni
Prata secat, liquidisq. terit sola roscida lymphis.

Et Iouius libro 1. historiarum; *Ferdinandus præter ostium Sebethi amnis ad littus vbi D. Magdalenæ templum est, & veterum Regum magnifici operis Equiria visuntur, classem deflexit.* Altera, rectà per Aquas Regias (quas etiam in via pluribus fontibus ad voluptatem & commoditatem Ioannes Alfonsus Pimentellus Regni Vicarius perducendas iussit) Neapolim per Formellas ità labatur, vt pensilis quodãmodo vrbs suprà aquas innatet, quo nihil admirabilius Neapolis habet. Quis enim crederet mari subterraneo vrbem allui, & perennibus fontibus

Equiria Neapolitana.

Fons Neapolitanus.

semper

ſemper irrigari? ad ciuium commoditatem, ad rem frumentariam, ad ſalutem eſſe natos, pluresq. Neapoli, quàm tota Italia haberi? Notent petræ Neapolitanæ clementiam exteri, qui vbique gentium ciuitates in duriſſimis petrarum ſcopulis poſitas norunt, vt hac de cauſa fœdiſſima pati cogantur, nec ſubterraneis ductibus luem & immunditias arcere queant. Et admiratione duceretur Pontanus ſi hac ætate viueret, qua amplior vrbs facta eſt, & ad eminentiores partes aqua deducta; ipſe enim veterem tantum vrbem aquis irriguam nouerat, ſic ſcribens; *Priſcæ quoque vrbis magnificentia præter ipſa mœnia, maximo eſt indicio fluuius intrà vrbem inductus excauato ſaxo, in quo vetus vrbs tota inerat fundata, eaq. cuniculatio atque effoſſæ ſpecus deductæ ſubter maximè celebres vrbis vias, atque ad ſingula quatriuia in quæ vrbs omnis quondam diſtributa erat, exciſi putei, è quibus vicinia hauriebat.* Ecce tibi quàm anguſtè fluuius vagabatur, qui per celebres ſolum ciuitatis vias Nili, Capuanæ, Summæ plateæ fluebat, in quarum compitis puteorum adhuc veſtigia cernuntur;& nomina, Copæ Puteus, Regio ad duodecim Puteos,& huiuſmodi. Et antiquam fuiſſe Formarum curam indicat Neapolitanus lapis ad D. Annæ, primo libro in antiquis monumentis citatus. quas Formellas Pontanus dicit ſub Formellis Nymphæ nomine,

Petra Neapolitana.

Formæ, & Formellæ.

Formellis Nympha.

Eſt inter natas fœcundæ prima Labullæ
Nomine Formellis -----

Ideoq. D. Catherinæ ad Formellum, nomen inditum. Alium fuiſſe Aquæductum quo Serini aqua Neapolim, Puteolos, Baias ducebatur, vt itineris difficultas ferebat ſic oſtendit, *Memoria mea multis in locis inter Baianas atque Puteolanas ruinas fiſtulæ plumbeæ miræ craſſitudinis inuentæ ſunt, in quibus Claudij Auguſti nomen inſcriptum erat, veſtigia enim ipſa lateritiæ ſubſtructionis in Sarnenſibus, Nolanis, atque Acerranis finibus, ac tùm ſubterranei ſpecus, tùm montes pluribus locis perforatis oſtendunt à quadraginta millibus continuatum, & quidem ampliſſimum aquarũ ductum, qui Neapolim primò, deindè Puteolos, Baias, Cumas, & ſparſa per littus ædificia deriuata eſt.*

Hinc

Hinc omnem oram Pausilypanam Puteolos vsque piscinis, aquarumq. castellis refertas conspicimus, quibus Neapolis quoque seruandis aquis abundabat.

Itaque Labulla genus est, Sebethus autem, & Formellæ, species. Labulla, tota aqua est dùm ab hoc capite ad mare per vrbem influit. Sebethus, à diuisionis loco, ad D. Magdalenæ pontem. Formellæ à Capuanæ ingressu per totam vrbem labentes, sed vno nomine, Labulla, appellantur. Donatus Francus in sua Neapoli,

Sed quò me rapis heu raucum purissima Nympha,
Nympha Labulla vrbem fonte perenne rigans?
Illabens subter vicatim mœnia circùm,
Perq. domos largo flumine, perq. vias.
Atria aquis, domus omnis aquis, vrbs omnis abundat
Nilis, & centum fontibus vnda venit.
Præbet vbique libens sitienti pocula lympha
Splendidior vitro, dulcior ambrosia.

Sebethi & Labullæ amores fingit,

Cantabat vacuus curis Sebethus ad amnem,
Si vacuum sineret perfidiosus Amor.
Ipsa veni ad Salices, & opacæ vmbracula vitis,
Ipsa veni ad nostros culta Labulla modos.
Culta Labulla veni, sunt hic tibi serta parata,
Nexa simul calathis, iuncta simul violis.

Sebethus. Sed de SEBETHO quid dicemus? Ioannes Boccaccius libro de Fluminibus in dubium reuocat an fluuius qui ad pontem labitur, Sebethus sit, cùm riuus potius quàm fluuius videatur; *Sebethus vt quidam dicunt Campaniæ fluuius est apud Neapolim, quem ego vidisse non memini; nisi is sit riuus potius qui è paludibus sub monte Vesuuo inter radices eiusdem montis atque Neapolim in mare effluit innominatus, nec alterius nedùm aquæ, sed nec vestigia vsquam apparent.* At neque legit *Lib. 7.* Vibium Sequestrum Neapoli Sebethum collocasse; nec Virgilium lusisse Sebethidis Nymphæ nomine,

Nec tu carminibus nostris indictus abibis

Oebale

Oebale quem generasse Thelon Sebethide Nympha
Fertur ———

Nec Columellam, qui De cultu hortorum ait, *Lib.10.*

— & Stabiæ celebres, & Vesuuia rura
Doctaq. Parthenope Sebethide roscida lympha.

parum enim refert, quòd Nympham illi finxerint, cùm virili genere ab alijs sit celebratus. Aquam Sebethidem nouisse eos auctores antiquos, hoc ad Sebethi certitudinem facit. Nec lapidem vidit Boccacius in fundamentis mœniorum repertum in ædibus Spataphori seruatum,

MEVIVS. EVTYCHVS
ÆDICVLAM. RESTITVIT
SEBETHO.

Nec fluuij humilitas Musarum Neapolitanarum excellentiam minuit, quandò omnium ore celeberrimus euasit, & paruus Tyberis fuit appellatus. Tres præcipuè nostri Poetæ maximum effecerunt. Papinius, qui Parthenopem Sebethi alumnam vocat. *Lib.1.silu.2* Pontanus, qui aliquandò illi myrteta tribuit,

Quasq. fouent teneras Sebethi flumina myrtos.

aliquandò vt rem mirandam laudat,

Sistat & ipsa suos mirata Neapolis amnes.

sæpè Nymphas eius loci inuocat.

——— *o si qua*
E' vobis, si qua, Nymphæ Sebethides, vdam
Benaci de fonte ferat Permesida Laurum.

Sæpè cum Parthenope vxore coniungit,

Sparge tuas Sebethe nuces; en colligit vxor
Parthenope ———

& alibi,

Parthenope Sebethon amat, Platamonis Halantum.

Idem de Sebethi conuersione in fluuium ad Musam scribit,

Cùm subitò ex alto vox reddita, numen aquarum
Sebethos fonti est nomen honosq. suo.
Nec mora, quà iacuit, vitrei fluxere liquores,
In laticemq. abeunt membra soluta nouum.

E' puro

E' puro liquidus fit fons, fit numen; & idem
Ex homine; hinc subitis in mare currit aquis.

Et Sannazarius, qui sic in Pharmaceutica meminit,

Sebethi ad liquidas descenderat Herpilis vndas.

Et in Ecloga de studijs suis, *Patrem*, appellat;

Te pater irriguis audit Sebethus in antris
Iurgia ad ingratas dùm iacis ipse fores.

Sebethus, & Sabathus. Qui Sebethum cum Sabato ità coniungunt, vt eundem esse arbitrentur, nefas mihi facere videntur. Affirmabat Ferdinandus Loffredus in Bartholomæi Marantæ dialogo de Lucullanis quæstionibus, vltrà Sarnum è Serino cùm aquæ Neapolim, *Serini aqua.* Puteolos, Baias, vt diximus, per Formas essent deductæ, post aliquod tempus deperditas esse,& ibi emersisse,vbi Labulla eas seruat. Aquam illam per Sarnum, Summam, aliosq. Neapolitanos vicos,Neapolim,indè Puteolos,& per Tripergulas Baias atque Cumas fuisse deriuatas, testes sunt aquæductuum ruinæ per multa loca dispositæ. Neapoli,in via Antiniana eorum pars est. In monte Hermite, aliquæ cernuntur. Extant in colle Pausilypano; Puteolis extant. Sed easdem aquas ibi deperditas emergere, tàm absurdum est cogitare, quàm nullo pacto fieri potest,vt è Serino triginta millium passuum itinere absconditæ aquæ laberentur, cùm præcipuè duriora saxa occurrant, quæ nisi ferro perforentur,aditū exitumq. dare nullo modo possunt.

Aqua Neapolitanæ ex Vesuuio. Scaturigines è Vesuuio emanare aquarum perennitates patefaciunt, quæ vndique in ea regione erumpunt, & ad vicini maris oram effluunt. Resina vicus multis locis abundat, Bernaudorum horti, Martyrani fundus perennes habent aquarum fontes,quibus etiam dominorum incuria deperditis, hortos squalere videmus. Procopiumq. vera dicere non dubito, qui ad montis Vesuuij radices aquæ potabilis fontes fuisse asserit. Et in Puteo qui in æde D. Mariæ è puteo est, aquarum cursus & fremitus auditur, veluti in ijs locis quas Ventarolas dicunt ex quibus frigida ventorum efflatio spirat,& aquarum fluenta cognoscuntur, ne Atellanis & Suessulanis aquis nostras tribuamus, quod aliqui verum esse perfidè contendunt, neque iugis descen-

descendentes imbibitas pluuias quas Vesuuius in riuulum digerit, quod Ambrosius Nolanus dicere potuit, sed de aquis Nolanis quæ quandoque miserè agrum Nolanum occupant, cùm his additis aquis aliæ quæ in puteis sunt cum Nolanorum internecione intumescunt. Idem Procopius amnem Draconem ad Vesuuium esse dicit. Is iuxtà Nuceriam labitur, quapropter Labullam efficere nequit cùm contrario cursu labatur. *Aquæ Nolanæ.*

PONTI quo se in mare Sebethus exonerat, hæc fuerunt adscripta,

SIVE. HOSPES. SIVE. INQVILINVS. VIATOR. ES. BENE. ADSIS
QVEM. VIDES. PONTEM. CONLATA. PROVINCIALIVM
POPVLORVM. PEQVVNIA.
PVBLICÆ. COMMODITATI. RESTITVIT
BERNARDINO. MENDOCIO. PRINCIPE. OPTIMO. AVSPICE
DVM. REGNO. PHILIPPI. AVSTRII. REGIS. NOSTRI
INCLITI. NOMINE
SVMMA. OMNIVM. BENEVOLENTIA. PRÆFVIT
TRANSI. FELIX. ET. VTERE. M.D.LV.

FVSARIVS locus haud longiùs aberat, maturandis linis aptus. Iussuq. Caroli II. quòd in ciuitatem graue cœlum afferre videbatur, sublatus est, & si petierint à Rege Iacobus Zacarias, Iacobus Piscicellus, Bartholomæus Guindacius, Bartholomæus ex Insula, Berardus Caracciolus milites, Sergiusq. Siginulfus, ne id fieri pateretur, magnũ enim eorum vicinis agris esset allaturum. Iam tùm etiam pontis Guizzardi mentio fit. *Fusarius.*

LEVCOPETRAM Villam Bernardinus Martyranus Regni Secretarius, bonarum litterarum studiosus in littore ædificauit. Nomen Græcum retinet. Caroli V. Imperatoris hospicio illustrata. Idcircò hæc se legenda offerunt ingredientibus, *Leucopetra.*

HOSPES
ET.SI. PROPERAS. NE. SIS. IMPIVS
PRÆTERIENS. HOC. ÆDIFICIVM. VENERATOR
HIC. ENIM. CAROLVS. V. ROM. IMP. DEBELLATA. AFRICA
VENIENS. TRIDVVM. IN. LIBERALI
LEVCOPETRÆ. GREMIO. CONSVMPSIT
FLOREM. SPARGITO. ET. VALE. M. D. XXXV.

Nymphæum ibi erat ad delectationis horas comparatum, in quo ex omnium concharum genere variæ ad viuum effictæ erãt imagines. Pan fistula canens, nantes Nymphæ, tùm Siren Delphino, Europa Tauro insidentes, aliaq. id genus, quæ aut Bernardini mors rapuit, aut Pausilypanæ deliciæ oppresserunt. Quatuor præterea signa, Herculis, Panis, adolescentis Genij, nudæq. Arethusæ, & in fornice hæc scripta,

Bernardinus Martyranus Consentinus Imperatoris Caroli V. Cæsaris Aug. A Consilijs in Regno Neap. Secret. qui magnis domi militiaq. functus honorib. decus vetustissimæ familiæ auxit sua virtute & dignitate post labores honestè fortiterq. susceptos ex opere nouo Concharum Nymphæum hoc Genio posuit & Ocio liberali. M.D. XXXIII.

In horti propugnaculo,

Vt diuino lusu defessus Pan Satyris Nymphisq. comitantib. cum Musis simul tutus à prædonibus noctu quiesceret, Bernardinus Martyranus Patricius Consentinus Regni Neap. sub Carolo V. Cæsare Secretarius Propugnaculum hoc erexit.

Suprà fontem hoc scriptum epigramma,

Quæ modo Tyrrhenas inter celeberrima Nymphas
Et prior antè alias forma Arethusa fui,
(Proh dolor) in gelidos dùm flagro versa liquores
Narcisi ingrati duritie hic lacrimo.
Haud procul hinc surgens substructo fornice terras
Chratidis ad magni nobile labor opus.
Hic mihi de Conchis posuit fulgentibus antrum,
Naiadum propter, Nereidumq. domos.
Huius ego æternum tanto pro murmure nomen
Quam possum blando murmure testor aquæ.

Dolui tamen cùm vidi deliciarum locum, sordidum stabulum euasisse. Est in Nymphæo Puteal cum inscriptione, quam Herculanensium Municipio tribuerem,

M. VINICIO. P. F. POST. MORTEM. MVNICIPES SVI. ÆRE. CONLATO. PIETATIS. CAVSA. POSVER.

Sinus

Sinus ille hortis pulcherrimis refertus est, licet aridæ petræ ex conflagratione Vesuuij littus asperiorem fecerint. Omnem quidem illam regionem his versibus complectitur Bernardinus Rota,

Cinctus arundinea SEBETHVS cornua fronde
Lucidulas blando murmure fundat aquas.
Hinc RESINA paret Lauros; hinc PORTICA myrtos,
BARNA vuas, largo sorba CREMENA sinu.
Hinc fœtus SVMMA arbuteos; hinc TROCHIA ficus,
Hinc POLLIS cerasos, fragraq. FRACTA ferat.
Adsit pampinea redimitus vite VESEVVS,
Cui noua fumanti vertice flamma micet.

DE VESVVIO MONTE. Cap. VIII.



VESVVIUS ea parte qua Neapolis ad Orientem spectat positus, Solis ortu veluti Delos insula præclarus est; vt si poetæ Delo præpositum venerentur Apollinem, nos Solis domũ Vesuuium arbitremur ex eius iugis quotidiè nascentis. Sic dictus est, quasi, Veseius, à conflagratione, cùm vesuuiæ, fauillæ dicantur. Βέσβιον Græci dicunt, meminit Galenus. Hinc Papinius, *Vesuuius vnde dictus.* *Lib. 4. silu.*

——— vbi Vesbius egerit iras *Vesbius.*
Aemula Trinacrijs voluens incendia flammis.

Et Valerius Flaccus, *Lib. 3.*

Vt magis Inarime, magis vt mugitor anhelat
Vesbius attonitus acer cùm suscitat vrbes.

In aliquot codicibus, legitur, Vesuius, penultima correpta. Vesebium legimus in duobus libris manuscriptis. Veseuus quoque nuncupatus. Seruius tamen, Vesuuium montem Campaniæ, Veseuum Liguriæ dicit. Hinc Vesuuia iuga, & Veseuia, & Vesuina incendia apud Poetas, apud quos primam syllabam mutatam reperies, *Vesebius.*

Et quæ flammiuomi pariunt arbusta Veseui.

Et, *Hic est pampineis viridis Vesuuius vmbris.*

Lesbius. Lesbium, fuisse dictum scribit Ambrosius Nolanus; quòd veluti λεσβιᾶν, & λεσβιάζειν, obscœno loqui ore significat, sic Lesbius obscœnis, veluti faucibus flammas euomit. φοινικίζειν etiam apud Lucianum in Apophrade; λέγουσιν οἱ πολλοὶ λεσβιάζειν τε καὶ φοινικίζειν. Quamuis ad mores etiam obscœnos illud referant, vt, λεσβιάζειν, sit, Lesbiorum obscœnos mores sectari.

Lesbiorum mores. Et vbi, *Puram mulierem* Petronius Arbiter appellat, Ianus Dusa sic appellari ait mulierem liberam immunemq. à fœditate morbi Campani, ac luxu illo capitali, quem Nolanis assignat Ausonius, Lesbijs vsurpatum antiquitùs. Ausonius sic in pictura Crispæ mulieris,

Præter legitimi genitalia fœdera cœtus,
Reperit obscœnas Veneres vitiosa libido
Herculis heredi quam Lemnia suasit egestas
Quam toga facundi scenis agitauit Afram,
Et quam Nolanis capitalis luxus inussit.

Quod si polluere etiam, & coinquinare habet vetus Glossarium, Lesbium dicemus, quippe cinere & flammis eam regionem fœdauit. Ideò Martialis, Lib. 1.

Hic est pampineis viridis modo, Vesuius vmbris,
Presserat hic madidos nobilis vua lacus.
Hæc iuga quam Nisæ colles plus Bacchus amauit,
Hoc nuper Satyri monte dedere choros.
Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi,
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta iacent flammis, & tristi mersa fauilla,
Nec superi vellent hoc licuisse sibi.

Lib. 3. silu. Exhaustorem vrbium appellat Statius,

Non adeo Vesuuinus apex, & flammea diri
Montis hyems trepidas exhausit ciuibus vrbes.

alibi, summa cum hyperbole, Insanum,

---- *& insani solatur damna Veseui*
Letalis apex ----

Fractum,

Fractum, Claudianus, *Lib. 3. de rap. Pros.*

---- fractum'ne iugi compage Veseui
Alcyoneus per stagna pedes Tyrrhena cucurrit?

fractum, & depastum Silius, *Lib. 12.*

Monstrantur Vesena iuga, atque in vertice summo
Depasti flammis scopuli, fractusq. ruina
Mons circum -------

Ruinas quas edidit, cecinit Pontanus,

Ecce venit Resina auiæ iunctissima nostræ
Tristior illa quidem patris de clade Veseui.

Et Sannazarius,

------ veteres alia de parte ruinas
Herculis ambusta signabat ab arce Veseuus.

& alibi,

Aut cùm terrifici sonitus, ignemq. Veseui,
Et desolatas passim desleuerit vrbes.

DESCRIPTIO.

De hoc monte sic loquitur Strabo; ὑπέρκειται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐεσούϊον ἀγροῖς περιοικούμενον παγκάλοις πλὴν τῆς κορυφῆς αὕτη δ' ἐπίπεδος μὲν πολὺ μέρος ἐστὶν. ἄκραῖος δ' ὅλη. ἐκ δὲ τῆς ὄψεως τεφρώδης καὶ κοιλάδας φαίνει σκραγγώδεις πετρῶν αἰθαλωδῶν κατὰ τὴν χροίαν, ὡς ἂν ἐκβεβρωμένων ὑπὸ πυρός; *Suprà hæc loca situs est Vesuuius, mons agris cinctus optimis dempto vertice, qui magna parte sui planus totus sterilis est, aspectu cinereus, cauernasq. ostendens fistularum plenas, & lapidum colore fuliginoso vtpote ab igne exesorum.* Addidit etiam his cineribus fertilia circùm loca effici, & stercorata vt Catanæ in Sicilia, ea parte qua cineres Aetna mittit vini feracia perhibentur ob agri pinguedinem. Apud Dionem, Veseuus spectat ad Neapolim, habetq. fontes ignis maximos, & cùm pariter ex omni parte esset olim excelsus, eius ætate, ex eius medio ignes ait euomi. Intactum præterea integrumq. extrinsecùs permanere scribit, atque indè fieri, vt cùm ignis externas partes non exurat,

Lib. 5. *Cineres Vesuuij.* *In Vesuuio ignis fontes.*

exurat, ea quæ sunt in medio absumantur, & redigantur in cineres. Licet vertices qui circùm sunt magna ex parte adhuc antiquam habeant altitudinem, & quæ pars igne consumpta est, dùm in se coit, concaua facta sit, vt totus mons formam habeat Amphitheatri. Culmina item eius montis ait, multas arbores habere, vitesq. ipsumq. interiùs circuitum propter ignem esse decliuem, semperq. fumos flammasq. emittere. Addidit etiam Xipilinus non semper eodem modo, sed magis aliquandò, interdum minus facere; cinerem nonnunquam proijcere, emittere saxa facto impetu ventorum, resonare & mugire, quòd minimè densas atque constipatas, sed raras & occultas respirationes habet. Quod autem idē adscripsit, eo tempore magnum hominum numerum, quales Gigantes finguntur, in eodem monte & regione finitima, ac proximis ciuitatibus interdiù noctùq. vagari solitum, vt fabulosum reijcio; turbines ignium apparuisse, & edidisse murmura fragores, maximè credo. Hinc fabulæ locus datus. Hac etiam de causa Philostratus in Heroicis scribit, Neapolitanos mira Alcyonæi Gigantis ossa prædicare solitos, atque in ea regione multos Gigātes ictos fuisse, & Besbium montem super ipsos flagrare, maximèq. credendum, quod idem Dio asserit, summam siccitatem, grauesq. terræmotus post & antè incendium consequutos, ignitam planitiem euasisse, sonitus mugitusq. crebrò auditos, mare fremuisse, resonasse cœlum, exilijsse lapides, tenebras esse factas, cinerem pisces auesq. interemisse, Romanos credidisse omnia sursum deorsum ferri, terram in cœlum conscendere, Solem in terram cadere, reiq. nouitate totum orbem perterritum. Zonaras addidit copiosos ignis fontes hunc montem in medio continere, exteriora carere igni. Noctu flammam, interdiù fumum indè erumpere, cineres & saxa vi ventorum eiaculare, spiracula rara, & libera non densa habere. Procopius hæc scribit; *Est autem in Campania mons Vesuuius dictus. Is plerumque mugienti sonum non absimile edit, qui fermè cùm sit ingentis vis cinerum subsequitur statim, & feruentium eructatio. Huius autem montis haud secus atque in Siculis Etna media omnia vacua obstructaq. sunt, & in pro-*

Gigantum fabula.

Besbius.

fundum

fundum tendentia, pari ab imo ad summum dimensione. Subdiditq. *Ex ipso prætereà montis culmine in Aetnæ morem fluidus ignis descendens magna illuuie ad radices vsque protendit, fluentiq. aquæ similis. Huius montis ad infima potabilis aqua, sicut fontes à quibus & amnis DRACON* (Traconem appellat Nauclerus Generat. 14.) *nomine quidam deriuat, qui iuxtà Nuceriam labitur.* Huius amnis meminit Antoninus in Chronicis, & in eo castra posuisse ait Narsetem, & Ioannem Vitalianum, quem ex Etruria Narses contrà Gotthos eorumq. Regem Teiam euocauerat. Pontem fluminis præoccupauerant Gotthi, ac statim impositis turribus & machinis munierant. Et cùm flumine interiecto cominùs iniri pugna non posset, crebris è ripis saggittarum iaculationibus se inuicem incessebant. Duo ibi menses consumpti. Narses indè turres contabulatas suprà fluminis ripas construxit, fregitq. Gotthorum animos, qui rerum inopia destituti, in proximum montem confugerunt, quem Lacteum appellabant. Tunc Teias inter primos pugnatores sinistra scutum, dextra pilum quatiens multos occidit. Sed dùm scuto transfixo aliud accipere vellet, vulneratus à volitante telo, cùm multum sanguinis effudisset, nihil tamen pugnę cedens, nunquam auersus, hosti resistens, tandem in faciem corruit. Idem Procopius libro 2. scribit, montem Vesuuium Neapolis abesse stadijs lxx. in eamq. vrbem vergere, & Boream versus; sed præcisum illum vndique esse, inferiora frequentibus siluis vmbrosa habere, superiora autem abrupta, & penitus inuia. Huius in montis cacumine medio hiatum profundiorem patere, vt conijcere possimus in penitissima terræ hunc penetrare, ignemq. in infimis locis considere; indè flammam in semet sotam altiùs excitari, nulli tamen qui in ea regione sunt, negocium facessere. at vbi sonitum mugienti similem mons ediderit, non longè post cineris vim ingentem emittere, & si quem fortè iter eà habentem emissus cinis deprehenderit, nullam huic futuram vitæ spem reliquam; domicilia eius grauata onere collabi. Quod si validior ingruerit ventus, sublimem adeò cinerem agi, vt spectari ampliùs non queat, eòq. deferri quò procliuior ventus

Amnis Dracon.

Narses, & Ioannes Vitalianus.

ventus abstulerit,& in longinquam plerumque regionem illabi. Addidit Byzantium,& sequenti anno Tripolim Lybię,cinerem fuisse delatam, & antè centesimum annum, eodem in monte mugitum factum. Aerem illi tribuit nitidissimum, suapte natura saluberrimum, ad eumq. medicos transmittere solitos tabe affectos.

CONFLAGRATIO.

Epist. lib. 2. ep. 6. Plinij Historici Plinius nepos Cor. Tacito de eius obitu moneri cupienti scribit; Matrem ix. Cal. Septemb. hora septima, (Romanorũ classi præerat Plinius) indicasse nubem inusitatam & magnitudine,& specie apparere; cùmq. ex Vesuuio eam oriri cognoscerent,quem pinui arbori comparat,Liburnica parata eò decessisse, diuertisseq. ad Pomponianum amicum, qui Stabijs erat, quò ipse nepos ab auunculo inuitatus proficisci noluit. ibi amicum Plinium timore perterritum hortatum esse, vt se in balneum deferret;lotum accubasse,cœnasse,atque hilarem euasisse. Cùmq. crebris terræmotibus tecta nutarent,sedibusq. ferè dimouerentur, foras exilisse, ceruicalibus capiti impositis, ne pumicum casu læderentur. Cùmq. esset in littore, recubantem frigidam poposcisse,mox à flammis,& sulphuris odore excitatum,innixum seruis adsurrexisse,& illicò concidisse,crassiore scilicet caligine spiritu obstructo, clausoq. stomacho natura illi inualido & angusto. Tertio die corpus integrum esse inuentum illæsum, indutumq. In Syriam, Africam, & Aegyptum cinerem peruenisse scribit Dio; τοσαύτη γὰρ ἡ πᾶσα κόνις ἐγένετο, ὥστ' ἀπ' αὐτῆς ἦλθε μὲν καὶ ἐς Ἀφρικὴν, καὶ Συρίαν, καὶ ἐς Αἴγυπτον. *Conflagratio sub Tito.* Idque sub Tito eius Imperij anno primo, apud Zonaram, CHRISTI 81. Autumni tempore. Titi anno tertio, apud Cedrenum. Tunc præter pecora,pisces,volucresq. duas vrbes Herculanium, & Pompeios, populo sedente in Theatro, penitus obruit. Titi tunc maxima humanitas cognita est, qui non tantùm parentis optimi affectum opitulando ostendit, vt ait Suetonius, sed etiam optimi Imperatoris prouidentiam, qua bonis

in incen-

in incendio oppressorum comsuluit, quorum bona (heredibus extinctis) restitutioni afflictarum ciuitatum addixit. Vrbis incendio nihil nisi publicè perijsse testatus, cuncta Prætoriorum suorum ornamenta, operibus ac templis destinauit, præposuitq. complures ex equestri ordine, quo quæque maturiùs peragerentur. Zonaras lib. 2. ait Titum misisse in Campaniam colonos, pecuniam donasse, multa publica ædificia de suo extruxisse; ludos fecisse in quibus globulos ligneos deijciebat, in quorum alijs esculenti aliquid, alijs vestis, alijs aurum, equi, pecudes, mancipia inscripta, quæ qui rapuerant, cum ad dispensatores pertulissent, ea accipiebant quæ inscripta erant. Hieronymus Borgius sic cecinit, *Titi pietas.*

——— sensit procul Africa tellus
Tunc ex puluereis geminata incendia nimbis;
Sensit & Aegyptus, Memphisq. & Nilus atrocem
Tempestatem illam Campano è littore missam.
Nec caruisse ferunt Asiam, Syriamq. tremenda
Peste; nec extantes Neptuni è fluctibus arces
Cyprumq. Cretamq. & Cycladas ordine nullo
Per Pontum sparsas; nec doctam Palladis vrbem;
Tantus inexaustis erupit faucibus ardor
Ac vapor; Oromedon vomeret cùm feruidus iram
Terrigena horribilis Vesuuina mole sepultus.

Bodinus qui omnium Historicorum se profitetur esse censorem, videtur hæc ridere; sed delicatum eius stomachum nauseam parere obijcit Illustrissimus Baronius. Rem enim seriam tandem Cassiodoro credere debuerat, qui aliam recentiorem conflagrationem narrat; scribitq. Rex Theodoricus Fausto, de tributorum remissione ad Campanos, qui ob eam rem grauissima passi fuerant, his verbis; *Lib. 4. c. 50.* *Theodoricus Rex de Vesuuio.*

Campani Vesuuij montis hostilitate vastati, clementiæ nostræ supplices lacrimas profuderunt, vt agrorum fructibus enudati, subleuentur onere tributariæ functionis. Quod fieri debere, nostra meritò pietas acquiescit. Et paulò post; *Volat per mare magnum cinis decoctus & terrenis nubibus excitatis transmarinas*

quoque prouincias pulvereis guttis compleuit. Et quid Campania pati possit agnoscitur, quandò malum eius in orbis alia parte sentitur. Videas illic quosdam quasi fluuios ire pulvereos, & arenam sterilem impetu feruente, velut liquida fluenta decurrere. Stupeas subito calore vastata, quæ lætissima fuerant viriditate depicta. Vomit fornax illa perpetua puniceas quidem, sed fertiles arenas. Quæ licet diuturna fuerint adustione siccatæ, in varios fœtus suscepta germina mox producunt, & magna quadam celeritate reparant, quæ paulò antè vastauerat. Quæ est ista singularis exceptio? Vnum montem sic infremere, vt tot mundi partes probetur aëris permutatione terrere, & sic suam substantiam vbique dispergere, vt non videatur damna sentire, longè latèq. pulveres rorat, vicinis autem quasdam moles eructat, & tot sæculis mons habetur, qui erogationibus tantis expenditur. Quis credat tàm ingentes glebas vsque in plana deductas, de tàm profundis hiatibus ebullisse? Et spiritu quodam efflante montis ore conspuptas quasi leues paleas fuisse proiectas? Alibi cacumina magna terrarum localiter videntur ardere, huius incendia penè mundo datum esse posse cognoscere. Quemadmodum ergo non credamus incolis, quod testimonio potest vniuersitatis agnosci? Quapropter, vt dictum est, talem eligat vestra prudentia, qui & remedia læsis conferat, & locum subreptionibus non relinquat.

Quod cùm contigerit sub Leone & Anthemio (alijs, Leone & Probiano) anno CHRISTI 472. debuerat censor Regio testimonio fidem adhibere, ex cuius ore mendaciũ non prodijsset. Dixisset'ne mendacium ipse Cassiodorus, qui Regis familiaris, Regia optimè nouerat arcana? An verò ignotum à Natura maiora effici posse? quid nos homunciones abdita & secretiora callere præsumimus? Marcellinus in Chronicis; *Vesuuius mons Campaniæ torridus intestinis ignibus æstuans, exucta euomit viscera, nocturnisq. in diem tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit puluere.* Scribit etiam Constantinopolitanos ad quos magno omnium timore cinis perlatus est, huius rei memoriam vij. Id. Nouembris celebrare. Et Sigonius ex Marcellino

Cinis Vesuuij Constantinopolim perductus.

lino mutuatus,ait,eius portenti memoriam annuam à Constantinopolitanis institutam, & Leonem Imperatorem exterritum vrbe excessisse, & ad S. Mamantum consedisse. Neapolim ea vastitate D.Ianuarij præcibus liberatam,quamobrem bis in anno officium B. Ianuarij à Græcis celebrari cœptum est, vt ex Menologio. Procopius Byzantij sic perterritos homines fuisse scribit,vt ex eo tempore ad suam ætatem, annuis Deum supplicationibus placarent. Quantum Neapolitani B.Ianuario acertimo Patrono debeant, ex eius Actis intelligimus; *Temporibus enim quibus omnipotens Deus mortalium est iratus sceleribus, & ad crudelitatis vltionem mons Vesuuius vasto tremore concussus, igneis exundaret globis, & circumquaque fluentibus vrbes calidis cineribus peruastasset, ità vt pergrauatæ corruerent; vix tandem Neapolis iuxtà eiusdem montis conflagrantis sita radices, præcibus effusis cum lacrimis, vitæ opem meruit, tendens ad cœlum cum voce manus; sed super his etiam nec cœlum videbatur; procumbebantq. in humum ardentem omni destituti solatio,cùm rerum etiam natura periret; ad solitum B.Ianuarij martyris concurrunt cubiculum.* Et paulò post; *Ità B.Ianuario martyre intercedente Vesuuij montis ignita interruptio extincta est.* Ex homilia quæ in Bibliotheca Vaticana extat, citat Illustriss. Baronius locum, quo ea de causa intelligimus, ex remotis vndique vrbibus frequenti cœtu populos ad venerandum sepulcrum Martyris aduentasse Neapolim, & in eius honorem multa esse erectas ecclesias.

Lib.14. Imp. Occid.

Lib.2. de bell.

Neapolis ab incendio seruata.

B.Ianuarius.

Antè Titum etiam conflagrasse Vesuuium docet Strabo, cuius ætate (Augusto viuente) verticis planicies cineribus opleta erat, & saxa cauernarum ambusta. Arsit & anno xvi. Constantini IIII. Imperatoris, & mundi anno 5883. & tunc tota Italia tonitruis,& imbribus, fulminibusq. homines,& bruta interiere. Sequutaq. Sarracenorum eruptio in Africam, & Carthaginis excidium, vt scribit Paulus Diaconus. Antè ea tempora quoque conflagrasse videtur innuere Procopius, qui scribit,cùm Belisarius Neapolim cepisset,Vesuuium emugijsse, sed nondùm cineres eructasse, sed iàm eructaturus credebatur.

Alia Vesuuij incendia.

Lib.5. c.4.

Fuerat ipse Procopius tunc Neapolim à Belisario missus ad comparandam rem frumentariam. Platina arsisse affirmat sub Benedicto II. Pontifice, eiusq. obitum prænunciasse anno 685. atque subsequutas cædes, rapinas, aliasq. mortes Principum. Alij sub Benedicto IX. anno 1306. Alij sub Benedicto VIII. anno 1024. & mundi 6223. Quod Munsterus scribit 1539. adeò Vesuuium conflagrasse, vt ex cineris congerie mons eruperit; non de Vesuuio, sed de Puteolano monte cinereo dicendum fuerat. Sua tempestate Ambrosius Nolanus scribit aërem teterrimum vidisse, qui omnibus fuerit terrori, deindè cùm deferbuit æstus, qui materiam extollendo omnia texerat, pluisse cinere subrufo quamplurimo, quo cuncta velut niue tenui obrui videbantur; & vaporaria in eius vertice fieri, quò plerique valetudine affecti mense Augusto ascendunt, vt per nimias curentur desudationes.

INCENDII CAVSA.

Aristoteles libro de Mundo ait, continere terram multos in se vt aquæ, ità & flatus & ignis fontes. Horum porrò alios sub terra esse occultos, & obscuros, alios autem respirationes, & quasi reflationes habere, vt Lypara, & Aetna, & loca in Aeolijs insulis; eosq. sæpenumerò & fluuiorum modo fluere, & massas & flammas candentes promouere. de quibus libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμ. Ad viuum expressit Lucretius Aetnæ & Vesuuij incendium. De Aetna quidem qui mons flammas eructauit Ser. Fuluio Flacco, & Q. Calphurnio Pisone Coss.

Incendia quæ è terra erumpunt.

Lib. 6.

—— primùm totius subcaua montis
Est natura ferè silicum subfulta cauernis.
Omnibus est porrò in speluncis ventus & aer,
Ventus enim fit vbi est agitando percitur aer.
Hic vbi percaluit, calefecitq. omnia circùm
Saxa furens qua contingit terramq. & ab ollis
Excussit calidum flammis velocibus ignem;
Tollit se, ac rectis ità faucibus eycit altè

Funditq.

Funditq. ardorem longè, longèq. fauillam
Differt, & crassa voluit caligine fumum,
Extruditq. simul mirando pondere saxa.

De vtroque monte sic eodem libro;

Scire igitur licet innumeras vastasq. cauernas
Sub terris esse, atque illic quandoque creari
Ingentes ventos; qui dùm crudelia miscent
Prœlia, concutiunt terram, nimioq. furore
Congressi euertunt totis cum mœnibus vrbes.
Donec parte aliqua erumpant facto agmine, & auras
Diffusi in vacuas non longa pace quiescant.
Gignuntur verò hi venti telluris in aluo
Ex fumis quos vicina trahit ignis ab vnda.
Quippe ignes in se multos magnosq perenni
Tempore nutrit humus (dictu mirabile) sed non
Falsa tamen refero; credet qui viderit Aetnam,
Qui scatebras calidarum vsquam spectarit aquarum;
Et qui vitiferi bene nouerit acta Veseui.
Hos agitant ventos qui subterranea regna
Dij Manes habitant, cæcisq. morantur in antris.

Eam ignis vim grandiloquo suo more loquutus Virgilius sic expressit lib. 3. Aen.

---- sed horrificis iuxtà tonat antra ruinis,
Interdùmq. atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,
Attollitq. globos flammarum, & sidera lambit,
Interdùm scopulos, auulsaq. viscera montis
Erigit eructans, liquefactaq. saxa sub auras
Cum gemitu glomerat --------

Ad quos accedit Silius Italicus, quem hoc loco inferiorem nulli existimo, cùm verborum & sententiarum scateat proprietate & magnitudine.

------ tellus atro exundante vapore
Suspirans, vstisq. diù calefacta medullis
Aestuat, & Stygios exhalat in aera flatus.

Parturit,

Parturit, & tremulis metuendum exibilat antris,
Interdùmq. cauas luctatus rumpere sedes,
Antexire foras, sonitu lugubre minaci
Mulciber immugit, lacerataq. viscera terræ
Mandit, & exesos labefactat murmure montes.

Quos doctiores Philosophos audire cupis? Audi & alios. *Georgius Agricola.* Georgius Agricola ait manifesta montium incendia si perpetua sint, intelligere nos nullam esse obstructionem viarum per quas modò quasi fluuium quendam ignis, modò flammas, nunc verò tantùm fumum euomunt. Sin per temporum interualla increscunt, internis vijs occlusis, eius viscera nihilominus ardere; superioris autem partis incendia propter fomitis inopiam nonnihil ad tempus remittere. At vbi spiritus vehementior rursus reclusis vijs ijsdem, vel alijs, è carcere magna vi erumpit, cineres, arenam, sulphur, pumices, massas, quæ ferri habent speciem, saxa, aliasq. materias foras eijcere; cuius exemplum montis Aetnæ incendium (adde Vesuuium) & mons nouus qui ad Auernum. *Phaetontis fabula, ex varijs incendijs.* Nescio quid ad Phaëtontem referat Ioannes Lucidus, ex Platone, qui etsi fabulosum videri dicat Solis filium currus ascendisse paternos, & exussisse terrena, ipsumq. flammis cœlestibus conflagrasse, verumtamen quodammodò esse putandum; fit enim longo temporum interuallo cœlestis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis vastitas necessariò consequitur, eamq. ad Cumanam, Vesuuinam conflagrationem ex Beroso refert.

QVAE DE ILLO IGNE DIXERVNT.

Ex Vesuuij incendio mundum conflagraturum multi sibi *Sibyllarum vaticinium.* persuaserant, sententiam è Sibyllinis versibus elicientes,

Καὶ ποτὲ τὴν ὀργὴν θεὸν οὐκ ἔτι πραΰνοντα
Αλλ᾽ ἐξεμβρίθοντα, καὶ ἐξολύοντά τε γέαν
Ανθρώπων ἅπασαν ὑπ᾽ ἐμπρησμοῦ πέρθοντα;
Et tunc Deum iram non amplius placantem,
Sed aggrauantem, & perdentem genus hominum,
Et totum id incendio depopulantem.

Quod

Quod Ouidius expressit,

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, corruptaq. regio cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Idq. eò magis sibi persuadebant, quòd sequenti anno Tito ad visendam Campaniæ calamitatem profecto, multa Romæ conflagrarunt, atque hoc incendium nō ex terra prodijsse ait Dio, nam Serapeum, Septa, Ilium, templum Neptuni, Balnea Agrippæ, Pantheum, Diribitorium, Theatrum Galbæ, Scena Pompeij, Octauiana ædificia vnà cum libris, templumq. Iouis Capitolini igne consumpta sunt. Quocirca diuinitùs factum existimarunt. Ad prædictiones etiam videtur referre Plutarchus, qui de Pythiæ Oraculo ait, vaticinia multa comprobari à Græcorum vrbium excidijs & transmigrationibus, multis barbarorum aduentibus, & Imperiorum occasibus; graues casus apud Cumam & Dicæarchiam, ignis ex montibus eruptiones, æstus marinos, saxorum & flammarum per ventum in sublime iactationes, vrbium strages vno tempore, vt hodiè qui ea loca accedunt non possint cernere vbinam conditæ fuerint, per Sibyllinos libros decantata, quasi debita, à temporibus esse restituta. *Roma multa cōflagrarunt.*

Tertullianus, hæc & alia id genus à Deo viua exempla data esse ait hominibus æterni ignis. Et Minutius Felix in Octauio; *Sicut ignes Aetnæ, & Vesuuij montis, & ardentiū vbique terrarum flagrant, nec erogantur;ità pœnale illud incendiū non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporū laceratione nutritur.* Et Pacianus eadem de causa, Aetnam, Lisaniculum, & Vesuuium Campanum commemorat. Multa in Annalibus Illustris. Baronius retulit anno 983. scribitq. eiusmodi terræ faces ex quibus iugiter ignis solet euaporare, veluti quasdam Inferni portas, per quas delinquentium animæ inferrentur, & iure mon stratas Sanctis viris, & de anima Theodorici Arriani Regis Gotthorum Gregorius tradit lib. 8. c. 30. Petri Damiani quoque Ostiensis Episcopi de Vesuuio retuli visionem in Ducibus, qui & hæc scripsit; *Tantæ sulphureæ Resinæ congeries ex ipso Vesuuio protinus fluit, vt torrentem faciat, atque decurrente impetu* *Incēdia, aeterni ignis exempla.*

in mare

in mare descendat. Vbi videlicet corporaliter videri potest quod in Apocalypsi Ioannis de reprobis dicitur, quia, Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

Arsit Vesuuius in diuitum obitu. Affirmat ardere solitũ Vesuuium cùm diues aliquis moreretur. Georgius Cedrenus in hoc Vesuuij incendio admiratos Græcos ait interrogasse quosdam Christianorum primarios, quonam modo ignis è terræ penetralibus erupisset? eosq. respondisse; Eum admonendorum resipiscentiæ causa peccatorum editum fuisse ex gehenna, quæ Diabolo, eiusq. Angelis, & omnibus peccatoribus parata est. Idq. manifestum esse etiam ex his quæ celebris ipsorum doctor Plato in Phædone de animarum ordinibus atque statu narrat, nimirum eos qui malè vixissent in Cocyto, igneo Phlegetonte, & Tartaro supplicijs affici, *Inferni ignis.* quæ sint in visceribus terræ. Ad eamq. rem addidit B. Patricij Prusæ Episcopi de thermis & aquis calidis sententiam, quam Scripturæ locis perbellè confirmat, vt persuadeat peccatoribus vt tandem aliquandò ad se redeant, atque inferni ignem extimescant.

SPARTACVS.

Celebrior Vesuuius factus est à Spartaco illo Gladiatore, Thrace genere, qui bellum Seruile excitauit anno ferè xvi. post Marsicum, L. Licinio Lucullo, & M. Aurelio Cotta Coss. *Spartacus & eius Duces.* Is monte occupato cum multis tùm fugitiuis, tùm ingenuis coactis, latrocinio fines infestabat, Præfectis minoribus vtens Oenomao, & Crixio, vel Chryso (Κρίξος apud Eutropium) etiam *Consules contrà Spartacũ.* Gladiatoribus. Eò tandem redacta res est, vt contrà eos Vatinius Glaber (Clodium habet Florus) & P. Valerius primùm, *Clodij castra.* deindè Consules ab Vrbe missi fuerint. Clodij castra expugnauit, ipsoq. fugato, cuncta illius in prædam conuertit. Plutar- *Crassus.* chus in Crasso scribit, quamuis in ea pugna quæ aduersus Spartacum pugnata est, Crassus sese fortissimè gesserit, suumq. ipsius corpus periculo obtulerit; illius victoriæ tamen gloriam *Pompeius.* Pompeio esse quæsitam, nam eos qui è prælio aufugerant exceptos

ceptos Pompeius interfecit. Quamobrem ad Senatum scripsit, Crassum aperto Marte vicisse, se autem, τῦ Πολέμυ τὴν ῥίζαν ἀνῃρηκέναι, hoc est, *belli radicem excidisse*. Non enim minore metu exterrita Vrbs, quàm sub Annibale circà portas fremente trepidauerat. Missoq. Licinio cum Legionibus Consulum, nouoq. militum supplemento, ad caput Silari fluminis (Salarij alij legunt) cum Gallis & Germanis eius auxiliatoribus est occisus. Ad xxx. millia hominum periere. Qua de re Athenæus scribens, ait totam eum Italiam diù depopulatum esse, maiore in dies ad eum multitudine confluente; & nisi eo prœlio quod aduersus Crassum commisit, occubuisset, magnum in discrimen rem Romanam fuisse venturam. Paulus Diaconus id accidisse scribit anno ab V.C. 678. & Gladiatores lxxiiij. Capuæ à ludo Cn. Lentulo effracto capite effugisse, qui continuò ducibus Crixio, & Tinomao Gallis, & Spartaco Thrace Vesuuium occuparunt. Eutropius in Apulia victos asserit. Sic autem Florus; *Prima veluti Ara iuris mons Vesuuius placuit. ibi cùm etiam obsiderentur à Clodio Glabro per fauces caui montis vitigineis delapsi vinculis, ad imas eius descendere radices, & exitu in vno nihil tale opinantis Ducis subito impetu castra rapuere. Indè alia castra. Deinceps Thoram totamq. peruagantur Campaniam. Nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Nolam, atque Nuceriam, Thurios, atque Metapontum terribili strage populantur, affluentibus in diem copijs. Cùm iam esset iuxtus exercitus, è viminibus pecudumq. integumentis inconditos sibi clypeos, & ferro ergastulorum recocto, gladios ac tela fecerunt.* Et paulò post; *Indè Consulares quoque aggressus, in Apennino Lentuli exercitum cæcidit, apud Mutinam C. Crassi castra deleuit. Quibus elatus victorijs de incendenda vrbe Romana, quod satis esset turpitudini nostræ, deliberauit*, &c. Huius meminit Symmachus. Ad huius montis radices à Romanis & Latinis pugnatum est, Coss. P. Manlio Torquato, & P. Decio Mure. via quæ ad Vesarim ferebat. Locus mihi ignotus est. inter celeberrimas pugnas illa numeratur. Sed cùm trepidarent in pugna Romani, Decius collegæ inclamans, dixit, *Deorum ope*

Silaris. *Spartacus occiditur.* *Lib. 7.* *Lib. 3. c. 20.* *Spartaci solertia.* *Lib. 1. ep. 46.* *Lib. 8.*

Valeri opus est. Agedùm Pontifex praei verba, quibus me pro legionibus deuoueam. Viriati in Hispania Lusitani pastoris, latronisq. qui xiiij. annos Romanorum gloriam vincendo protriuit animos vicisse Spartacus visus est.

Viriatus Lusitanus.

VESVVII HOC TEMPORE STATVS.

Biceps mons consurgit geminusq. æqualibus vtrinque proiectis pyramidibus, altera quæ in planitiem desinit Aquilonem versus arboribus vitisq. referta; altera quæ ad meridiem vergit contrà Stabias, sinu maris interiecto. Niuibus sæpè riget, mox tamen dissoluuntur. Cùm nebulis iuga operiuntur, pluuiæ à Neapolitanis expectantur. Qui in ipsum ascendit (ait Agricola) priusquàm eius cacumen attingat, per tres campos planos iter vt faciat necesse est. Quibus emensis, & superato colle præcipiti, peruenitur ad Craterem, qui & amplior & profundior est Puteolano in monte nouo. In eum sine periculo descendi potest. Materia egesta grauissimi est ponderis, & nigra, verùm circà Craterem nonnihil rubra, leuis, mollis, adeò vt teri manibus possit. In theatro, herbæ semper virentes pratum efficiunt, quod ATRIA incolæ appellant, equorum pabulo, æstatis præcipuè tempore, quo vbique arent herbæ opportunum. Eius tamen fundum in intima terræ viscera penetrasse cognoscas; licet hoc tempore nihil caloris aut fumi emittat. In cratere verò illo fauces in maiores angustias contractas videbis. Si medium montem ascendes, siluestrem locum aspicies, castaneis fruticibusq. nemorosum. Si verò descendes (DOMESTICVM vocant) Græcis vitibus cultum admiraberis. In montis radicibus quædam sunt foramina, ex quibus frigidissimus ventorum flatus prosilit. Aquas ibi esse perennes multi sibi persuadent, quæ in mare prorumpunt, vt facilè inter marinas vndas earum cursus dignoscatur. Habet villas Summam, in qua fructuum copia quibusque anni temporibus est, & in qua nobiles Neapolitani degunt; illustres familias indè originem ducere Historici scribunt. Villam Diui Anastasij, Octauianum vel Octauij

turrim,

turrim, Trochiam, quam Locotroculam dicit Paulus Diaconus; Polenam; vinis, fructibus, lignis, carbonibus Neapolitanorum vsui feraces.

GRAECVM inter vina principem locum habet (Pompeianum fortasse appellat Plinius, si tamen eius vini vsus fuit apud Romanos) exoletis iàm Falernis, quæ tamen eadem esse cum Græcis aliqui narrant, proptereaquòd ex agro Falerno eò vites fuerunt translatæ, quam labem omnes quidem fruges habent communem, *Vinum Pompeianum, & Græcum.*

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara
Nec Baccho genus, nec pomis sua nomina seruat.

Id quod improbem necesse est, quandò adhuc Falernus ager eas vites retinet, quæ tamen ab eo solo longè sunt alienæ. Illud ad fabulas accedere credebam, quod posteà mihi liquidò asseruerunt, Græcum Eremitam ad Eglam vites in hortulo plantasse, quæ ad Summam inoculatæ, cùm plurimæ creuissent, Græcum nomen retinuere. Et quoniam Neapolitani Canonici Eremitæ hæreditatem adiere, factum esse vt ijdem singulis annis ad Summam aliquem ex eorum Collegio mittant, qui Græco vino pretium decernant. Petrarcha in Itinerario Græcum dici scribit quippè pars illa Italiæ à Græcis possessa, olim magna Græcia dicebatur. Ergo'ne omnia illius oræ vina Græca dicentur? Tota Italia fœcundior gleba non est, quàm vbi ea vineta sunt, ex quibus generosum hoc vinum emanat, & aprico Solis aspectu, & omni humiditate exucta, quæ omnia sincerissima vina producere scribit Vittruuius. Clarificantur albumine oui immixto, quapropter fumosi vapores in ijs comprimuntur. Maior additur claritas, sulphure, vel sale, vel alumine. In funere Pausilypi læto & ingenioso describitur Græcũ à Stanislao Rescio docto sanè viro, & multiscio, quem honoris causa nomino; *Vesuuij filius, Summæ dominus, eques Trabeatus, ingentis spiritus, læta fronte, & albido lapillo Archigubernus.* Secundæ tribuuntur partes Lacrimis, quæ cientur ex nigris vuis. Eæ tamen veræ lacrimæ, quæ antequàm tundantur vuæ ex lacubus spontè fluunt. Hæ Lacrimæ lacrimas lætitiæ vinosis eliciunt.

Græcum vinum clarificatur.

Stanislaus Rescbius in epist.

Lacrimæ vinum.

 licet


licet Lacrimas Pausilypanas laudet Rota,

En tibi Pausilypi Lacrymæ quas fudit ad vndas
Dùm fugiens Nesis vertitur in scopulum.
Tu cape (parua licet) magni sunt pignora voti,
Siue leges lacrimas, siue bibes Lacrimas.

Hoc tamen in Pausilypanis Lacrimis vitij ineſt, quòd æſtate facilè aceſcunt, ceteroqui non comparandæ cum Summanis, quæ grauiores ſunt, & ad vinum accedentes, quod μαίλειρα, & αἴθοπα, appellat Homerus.

Aedes D. Mariæ è Puteo. DVO in ea regione templa ſunt inſignia, alterum D. MARIAE E PVTEO ſacrum, à Regina Ioanna ædificatum, cupreſſis, hortiſq. & nemore conſitum. Diebus Dominicæ Reſurrectionis eò Neapolitani proficiſcuntur. Forum ibi indicitur comparata è Summa cohorte militum, inter quos plerunque diſcordiæ oriuntur. *D. Maria ab Arcu.* Alterum D. MARIAE AB ARCV, miraculis celebre, cui præſunt arctioris obſeruantiæ Dominicani, poſt contentiones quæ inter Nolanum Epiſcopum, & Mirandæ Comitem interceſſerant, vterque enim ius ſuum tueri conabatur. Quo factum eſt vt Iacobus Gallus Epiſcopi frater, vir ſumma facundia & doctrina præditus, Neapolitanæ Academiæ decus, in qua Legalem Lecturam ſumma cum ſua laude multos annos profeſſus fuerat, ea priuatus, Meſſanam, indè Patauium ad ea Studia ornanda & amplificanda fuerit accerſitus. In eo Cœnobio (ad magnificum enim ædificium redacta eſt ædicula) Beatæ Virginis Imago eſt, cuius ex ore lignei globi ictu quo ludens quidam impiè percuſſerat, ſanguis viuus prodijt. Quapropter Neapolitani quotidiè, complanata & latiore via reddita eodem Comite iubente, maxima frequentia, ſumma cum veneratione locum adeunt.

HERCVLANIVM POMPEII. Cap. IX.



D Vesuuij radices, quæ mari terminantur Herculanium est, quod à Strabone ob cœli clementiam laudatur; ἐχόμενον δὲ φρούριον ἐστὶν (de Neapoli loquutus fuerat) Ἡράκλειον ἐκκειμένην εἰς τὴν θάλασσαν ἄκραν ἔχον, καταπνεομένην Λιβὶ θαυμαστῶς, ὥσθ᾽ ὑγιεινὴν ποιεῖν τὴν κατοικίαν; *Neapolim Herculanium insequitur, cuius extremitas in mare porrigitur, & Africo mirificè perspiratur, vt salutaris ibi fiat habitatio.* Et addit Oscos eam regionem, Pompeios, & quicquid Sarno amne alluitur tenuisse. Deindè Etruscos, & Pelasgos, & post hos Samnites, qui & ipsi indè expulsi sunt. Nolanis, Nucerinis, & Acerranis commune Nauale appellat, vel Emporium, vt alia habet traductio. Sic Plinius ea oppida coniungit; *Herculanium, Pompeij haud procul, spectante monte Vesuuiò, alluente verò Sarno amne.* Ex hoc amne merces in eam ciuitatem comportari solitas, scribit Strabo. Obrutas sic ait Dio; Καὶ προσέτι καὶ πόλεις δύο ὅλας, τότε Ἡρκουλάνεον καὶ τὰς Πομπηΐους, ἐν θεάτρῳ τοῦ ὁμίλου αὐτῆς καθημένου κατέχωσε. *Duasq. vrbes Herculaneum & Pompeios, populo sedente in theatro penitus obruit.* Pomponius Mela sic collocat; *Sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Vesuuij montis aspectus, Pompeij, Neapolis, Puteoli.* Solinus Pompeios appellat Herculaneum; A Comitibus Herculis Polyden (vrbs est) ab ipso in Campania Pompeios, quia victor ex Hispania pompam boum duxerat. At Martianus lib. 6. *Ab Hercule Herculanium ad radicem Vesuuij, à quo haud procul Pompeios, cum boum pompam duceret Iberorum.* Vtrumque oppidum Herculi tribuere vidētur. Et Hercules semper ibi marmoreos reperiunt. Vbi ea vrbs posita fuerit, multos annos ignorauimus. Hac tamen ætate dùm rustici agrum colerent, & foderent, inuentæ sunt concamerationes, tùm verò pauimenta parietesq. marmore tecti, & multæ inscriptiones, quæ plurimum lucis attulerunt.

Osci, populi.
Etrusci.
Pelasgi.
Samnites.

Ad

Ad D. Antonij Neapolim hoc epigramma translatum est, quod Herculanenses venerari profectò deberent, in quo & Demarchiam, & Rempublicam, & patrocinium cognoscunt, eandemq; Coloniæ sortitam esse conditionem.

Demarchia Herculanensium.

L.MVNATIO. CONCESSIANO. V.P. PATRONO. COLONIÆ PRO. MERITIS. EIVS. ERGA. CIVES. MVNIEICA. LARGITATE. OLIM. HONOREM. DEVITVM. PRÆSTANTISSIMO VIRO. PRÆSENS. TEMPVS. EXEGIT. QVO. ETIAM. MVNATI CONCESSIANI. FILI. SVI. DEMARCHIA. CVMVLATIORE SVMPTV. LIBERALITATIS. ABVNDANTIA. VNIVERSIS EXHIBVIT. CIVIBVS. OBQ. TESTIMONIA. AMORIS. SINCERISSIMI. REG. PRIMARIA. SPLENDIDISSIMA. HERCVLANENSIVM. PATRONO. MIRABILI. STATVAM. PONENDAM. DECREVIT.

In alia inscriptione Schola & Chalcidicum proponuntur, vitia ponderum notata, ludorum munera, & municipij iura. Sic enim in ea scriptum est,

PRIDIE. K. MARTIAS. IN. CVR. SCRIBENDO. ADFVERE CVNCTI. QVOD. VERBA. FACTA. SVNT. M. M. MEMMIOS RVFOS. PAT. ET. FIL. ET. VIRI.. ITER. PEQVNIA. PONDERALI. ET. CHALCIDICVM. ET. SCHOLAM. SECVNDVM MVNICIP. SPLENDOREM. FECISSE. QVÆ. TVERI. PVBLICE DECRETO. D. E. R. I. C. PLACERE. HVIC. ORDINI. CVM M.M. RVFI. PAT. ET. FIL. II. VIR. ITER. IN. EDENDIS. MVNERIBVS. ADEO. LIBERALES. FVERINT. VT. EORVM. MONVMENTA. DECORI. MVNICIPIO. SINT. ADEO. DILIGENTES. VT. VITIEIS. PONDERVM. OCCVRRERINT. IDQ. IN PERPETVVM. PROVEDERINT. PLACERE. DECVRIONIB. MM. MEMMIOS. RVFOS. PAT. ET. FIL. DVM. II. VIVERENT EORVM. POS.... M. ET. SCHOLÆ. ET. CHALCIDI. QVÆ IPSI. FECISSENT. PROCVRATIONEM. DARI. VTIQVE. SERVOS. EIVS.... MPIVS. EST........ NEGOTIO. PRÆPONERENT. NEQVE. INDE. ABDVCI. SINE. DECVRIONVM. DECRETO. ET. M.M. MEMMIIS. RVFIS. PAT. ET. FIL. PVBLICE GRATIAS. AGEI. QVOD. ITERATIONI. HONORI. EORVM NON. AMBITIONEI. NEQVE. IACTATIONI. SVÆ. DEDERINT. SED. IN. CVLTVM. MVNICIPI. ET. DECOREM CONTVLERINT.

Erat

Erat aliquandò Chalcidicum genus ædificij ab vrbe Chalcide dictum, apud Sextum Pompeium. Vittruuius lib. 5. Basilicarum loca adiuncta Foris quàm calidissimis partibus cõstituit, vt per hyemem sine molestia tempestatum se conferre in eas negotiatores possint; quibus, si locus fuisset amplior in longitudine, Chalcidica iubet adhibenda, vt in Iulia Aquiliana. Facta est autem in Foro Iulio Aquilij mentio, quem Iudicem fuisse, Cicero ad Atticum asserit. Quamobrem non Chalcidica, sed Causidica Albertus legit, putatq. fuisse ambulationes secundum Tribunal transuersas, quæ formam .T. efficerent, in quibus Rhetores & Causidici versarentur. Aliquandò Officina est in qua pecunia cuditur, eamq. ædificatam Herculanij à Memmijs, doctis viris placet, quod cùm pecuniæ cudendæ locus videatur explicari, quem nos Zeccam, vel Cæcam dicimus. & à Lacedæmonijs Chalciecus Minerua appellata, cuius simulacrum æneum Gitiadas confecerat, vt ait Pausanias in Laconicis. Et Suidas sic dictã à Spartanis asserit, quod οἶκον χαλκοῦν, hoc est, *ædem æream haberet;* vel quòd eam Chalcidenses ædificauerint. Chalciæcæ Palladis, meminit quoque Thucydides. Arnobius, vt nobile describit ædificium; *Scribuntur Dij vestri in triclinijs cœlestibus, atque in Chalcidicis aureis cœnitare, potare*, &c. Atqui Foro coniunctum erat Aerarium, vt Curia, Carcer, & Basilica. Ancyræ lapidem retulit Augerius Busbequius, in quo Curia est, Chalcidicum, templumq. Apollinis in Palatio cum Porticibus. Pecunia ponderalis, efficeret vt pecuniæ officinam crederem. Cùm Scholæ sit coniunctum, negotiatorum locum potiùs arbitrarer. Ibidem hoc fragmentum,

Chalcidicum.

Minerua Chalciecus.

Aerarium, Forũ, Curia.

Pecunia ponderalis.

. . O. D. LOCVM. AB. INCHOATO
. . . VM. TECTORIS
AVGVSTALIB. DATVM.

Præterea ænea tabula reperta est clauis parieti affixa, in qua Leges de domorum, villarumq. dignitate retinenda conscriptæ sunt. Antiquitatis studiosis recitare libuit, vt vetustati in dies fiat splendoris accessio. Seruat eam Matthæus è Capua Conchanorum Princeps;

CN.

CN. HOSIDIO. GETA. L. VAGELLIO. COS.
X. CAL. OCTOB. S. C.

Cum prouidentia optumi Principis, tectis quoque vrbis nostræ, & totius Italiæ æternitati prospexerit, quibus ipse non solùm præcepto augustissimo, set etiam exsemplo suo prodesset, conueniretq. felicitati sæculi instantis pro portione publicorum operum, etiam priuatorum custodiæ, deberentq. apstinere se omnes cruentissimo genere negotiationis, ne inimicissimam pace faciem inducere ruinis domum villarumq. placere, si quis negotiandi causa emisset, quod ædificium vt diruendo plus acquireret, quàm quãti emisset, tùm duplam pecuniam qua mercatus eam rem esset in æra. inferri vtique de eo nihilo minus ad Senatum referretur, cùmq. æque non oportere malo exsemplo vendere quam emerint venditores quoque coercerentur, qui scientes dolo malo intra hanc Senatus voluntatem vendidissent, placere tales venditiones inritas fieri, ceterum testari Senatum dominio constitui, qui rerum suarum possessores futuri aliquas partes earum mutauerint, dùm non negotiationis causa id factũ censuerint. In Senatu fuerunt ccc. lxxxiij.

VOLVSIO. P. CORNELIO. COS. VI. NON. MART. S. C. QVOQVE. VOLVSIVS. P. CORNELIVS. VERBA. FECERVNT DE. POSTVLATIONE. NECESSARIOR. ALLIATORIÆ CELSILIÆ. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.

Cùm S.C. quod factum est Hosidio Geta, & L. Vagellio Cos. clarissimis viris antè X. K. Oct. auctore D. Claudio cautum esset ne quis domum, villamue dirueret, quod sibi adquireret, ne'ue quis negotiandi causa eorum quid emeret, venderetue, pœnaq. in emptorem, qui aduersus id S.C. fecisset, is constituta esset ità vel ijs qui quicquid emisset duplum eius quanti emisset, in ærarium inferri cogeretur, & eius qui vendidisset inrita fieret venditio, de ijs autem qui rerum suarum possessores futuri, aliquas partes earum mutassent, dummodo non negotiationis causa mutassent, nihil esset

esset nouatum, & necessarij Alliatoriæ Celsiliæ vxoris Attil. Luperci ornatissimi viri exposuissent huic ordini patrem eius Alliatorium Celsum emisse fundos cum ædificiis in regione Mulinienſi, qui vocarentur campi matri, in quibus locis mercatus . . . . superioribus solitus esset temporibus iam per aliquod dessisset haberi, eaque ædificia longa vetustate dilaberentur, neque refacta vsui essent futura, quia neque habitaret in ijs quisquam, nec vellet in deserta cruentia commigrare, ne quid fraud. multæ, pœnæq. esset Celsiliæ si ea ædificia, de quibus in hoc ordine actum esset, aut demolita fuissent, aut ea conditione, siue per se, siue cum agris vendidisset, aut emptori sine fraude sua ea destruere, tollereq. liceret.

In futurum autem admonendos ceteros esse vt apstinerent se à tàm fœdo genere negotiation. hoc præcipuè sæculo, quo excitari, nouari, ornari in vniuersa quibus felicitas orbis terrarum splenderet, magis conuenire, quàm ruinis ædificiorum aliam partem deformem Italiæ . . . . villam & adhuc retinere priorum temporum, ità vt diceretur senectute actum . . . . censuere in Senatu.

Eadem lex in Pandectis sub tit. de contrah. empt. desumpto ex lib. Paul. Iurisc. C.54. ad Edictum; *Senatus censuit ne quis domum villam'ue dirueret quo plus sibi acquireretur, ne'ue quis negociandi causa eorum quid emeret venderet'ue, pœna in eum qui aduersus S.C. fecisset constituta, vt duplum eius quanti emisset in ærarium inferre cogeretur; in eum verò qui vendidisset, vt inrita fieret venditio. Planè si mihi pretium solueris, num tu duplum Aerario debeas, repetes à me, quòd à mea parte inrita facta est venditio. Nec solum huic S. C. locus erit, si quis suam villam, vel domum, sed etsi alienam vendiderit.* Ad hanc legem spectare videtur quod constituit Adrianus, de quo hæc scribit Spartianus; *Constituit inter cetera vt in nulla ciuitate domus aliquæ transferendæ ad aliam vrbem vllius materiæ causa diruerentur.*

Blondus scribit errare eos qui Herculanium & Pompeios af-

firmant ibi fuisse vbi nunc Octauij turris, vel Octauianum oppidum est. Id quod hæc monumenta confirmant, quæ ad littus extare comperimus. Ad Græcam vsque Turrim porrigebatur, à Græco vino, quo abundat, sic appellatam, vndè Neapolitani, pisces, echinos, spondos, asparagos, fungos, aues, ligna, fructus habent. Ad mulierum pulcritudinem nihil potest accedere, sed maculoso dente Natura plurimum deficit. Vias inter aspera saxa, & exesa Perifanus Ribera complanauit, apposita inscriptione,

VIAM. A. NEAPOLI. AD. RHEGIVM
PERPETVIS. ANTEA. LATROCINIIS. INFAMEM
ET. CONFLAGRATI. VESVVII. SAXIS. IMPEDITAM
PVRGATO. INSIDIIS. LOCO. EXÆQVATA. PLANICIE
LATAM. RECTAMQ. DIREXIT. ÆRE. PROVINCIALI
PERIFANVS. RIBERA. ALCALANORVM. DVX. PROREGE
A. M. D. LXIII.

Herculanij & POMPEIORVM meminit Columella in carminibus de Cultu hortorum,

Quæ dulcis Pompeia palus, vicina salinis
Herculeis, vitreoq. Siler qui defluit amni.

Meminit etiam vtriusque vrbis Velleius Paterculus lib. 2. cùm inter Italicos Imperatores recensens Silonem Poppædium, Herium Asinium, Insteium Catonem, C. Pontidium, Telesinum Pontium, Marium Egnatium, Papium Mutilium, recenset etiam Minatium Magium ipsius atauum, qui nepos Detij Magij Campanorum Principis celeberrimi, & fidelissimi viri, tantam bello Romanis fidem præstitit, vt cum legione quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculanium simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, Cosamq. occuparet. Sub Nerone apud Cornelium Tacitum, leui contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos, & Pompeianos, Gladiatorio spectaculo, quod Liuineius Regulus edebat. Quippe Oppidana lasciuia inuicem incessente, probra, deindè saxa, postremò ferrum sumpsere, validiore Pompeianorum plebe, apud quos spectaculum edebatur. Multi è Nucerinis vulneribus confossi domum reportati.

reportati. Prohibiti publicè in decem annos eiuſmodi cœtu Pompeiani, Collegiaq. quæ intrà leges inſtituerant, diſſoluta. Liuineius & alij qui ſeditionẽ concitarunt, exilio mulctati ſunt. Alueum effodientes, per quem Sarnus fluuius deductus eſt ad Pompeios ad molas frumentarias exercendas, inter ædificiorum veſtigia lapidem in quadam porta collocatum inuenere cum hiſce notis,

M. LVCRETIVS. L. F. DEC. D. RVFVS. DEC. DEC.

ibidem,

IMPERIO. VENERIS. FISICÆ. IOVI. O. M.
ANTISTIA. METHE
ANTISTI. PRIMIGENI
EX. D. D.

Neronis quoque nummum cum alata Victoria. Lucilius Senecæ familiaris è Pompeijs fuit, adeò Philoſophiæ deditus, vt Quæſtor cùm eſſet in Sicilia, magnam temporis partem ab officijs publicis vacans, ſtudijs incumberet, vt ait Volaterranus in Anthropologia. Ideòq. ad eundem Quæſtiones Naturales ſcribit, antè quàm Veſuuius conflagraſſet, Herculanium & Pompeij terræmotu deſediſſent Non. Feb. Regulo & Virginio Coſ. appellatq. ciuitatem Pompeios celebrem Campaniæ vrbem in quam ab altera parte Surrentinum, Stabianumq. littus, ab altera Herculanenſe conuenerat, & mare ex aperto conductum amœno ſinu cingebat. Terræmotum ibi magis nouum eueniſſe ſcribit, quod diebus hibernis acciderit, quos vacare a tali periculo, maiores promittere ſolebant. Eo Campaniam magna ſtrage vaſtatam aſſerit. Herculanenſis oppidi partem corruiſſe, & dubiè ſtetiſſe quæ relicta eſſent. Nucerinis & Neapolitanis magnum timorem incuſſum. Ouium greges plurimos exanimatos; diuiſas Statuas; homines veluti ſtupidos corruiſſe. Indè arguit, Si quod proprium habet terra, ſtare ſcilicet, quid cuiquam ſatis tutum videri poteſt? Sed cùm Tyros infamis paulò antè ruinis fuerit, Aſia duodecim ſimul vrbes perdiderit, Macedonia anno priore quàm ſcribebat Seneca ab ea labe non fue-

Lucilius Senecæ familiaris.

Terræmotus in Campania.

rit immunis, quid de Campania conquerimur? Campaniam inquam,ceteroqui feliciſſimam,quam nunquam huius mali ſecuram idem auctor dicit? Sed cùm Campania philoſophandi anſam præbuerit, quoties in ea terræmotus acciderint, hæc cogitato;

Terræmotus cauſa. Cauſam terræmotus in aqua, in ignibus, in ipſa terra,in ſpiritu exiſtere. Tales innatare terram,& ſubiecto humore portari dicebat; & aquas eſſe in cauſa quibus hic orbis agitatur, quòd ex motu noui fontes erumpere ſolent. At ſi aquam terra ſubſtineret,quis neget totam aliquandò concuti poſſe, ſemperq. moueri? Aliqui terrarum motum aquæ tribuerunt, ſed non ex eadem cauſa; dùm enim vario curſu deferuntur,& in præceps volutæ cadunt,languidioribus alijs aquis in vadis refuſis, & leniter quietèq. fluentibus, vaſtis illas receptaculis concipi neceſſe eſt, fieriq. alicuius partis motum in quam flumen impetum dedit; fieriq. poteſt, vt aliquam regionem riuus affluens exedat, & aliquam ſecum molem trahat, qua lapſa, ſuperpoſita quatiantur. In abſcondito per occultos aditus receptum mare non negant; illicq. fluctuare, & ventis impelli; & flumina abſcondi docet Tigris, qui medio in itinere ſiccatur, iterumq. denuò alibi emergit.

Ignis. Ignem, Anaxagoras motus cauſam exiſtimauit,cùm in inferiore parte ſpiritus craſſum aëra & in nubes coactum, eadem vi qua apud nos quoque nubila frangi ſolent, rumpit, & ignis ex hoc colliſu nubium,curſuq.eliſi aëris emicuit. Hic ipſe in obuia incurrit exitum quærens, & diuellit repugnantia,donec per anguſta aut nactus eſt viam exeundi ad cœlum,aut vi atque iniuria fecit. Alij ignem profectò motus cauſam, hoc tamen pacto, vt pluribus obrutus locis ardeat,& proxima quæque conſumat; quæ ſi quandò exeſa ceciderint, tunc ſequi motum earum partium,quæ ſubiectis adminiculis deſtitutæ labant,donec corruerunt, nullo occurrente quod onus exciperet. Tunc Chaſmata, tunc vaſti hiatus aperiuntur, aut cùm diù nutauerunt, ſuper ea ſe quæ ſuperſunt ſtantq. componunt.

Terra. Anaximenes,terram ipſam ſibi cauſam dicit, & intrà ipſam,

& ex

& ex ipsa quasdam eius partes decidere, quas aut humor soluerit, aut spiritus violentia excusserit.


Spiritum esse qui moueat, maximis auctoribus placere affirmat Seneca, & Archelai affert auctoritatem, qui ait, Ventos in concaua terrarum deferri; deindè vbi iam omnia spacia plena sunt, & quantum aer potuit densatus est, eum qui superuenit spiritum priorem premere & elidere, ac frequentibus plagis primò cogere, deindè perturbare; tunc illum quærentem locum omnes angustias dimouere, & claustra suo conatu effringere. Sic euenire vt terræ, spiritu luctante, & fugam quærente, moueantur. Cum Helicis subuersionem describit Pausanias, è vitali spiritu ducit comparationem; sicut enim vitalis spiritus febris vi è corporis intimis quasi penetralibus quandoque erumpit, tùm alibi, tùm verò maximè in venis, quæ circà sunt eum articulum, quo extremum brachium cum manu coniungitur, motus vehementiores ciet; ità propemodùm terræ cauernis, inclusus spiritus, dùm sibi eruptionem molitur, ædificiorum fundamenta magno impetu subruit. Accedunt ad eam sententiam Aristoteles & Theophrastus. Placet his semper aliquam è terra esse euaporationem, quæ aut arida est, aut humido mixta. Hanc ab infimo editam, & elatam, vlteriorem locum in quem exeat non habentem, retrò ferri, atque in se reuolui; dùmq. rixa spiritus reciprocantis iactat obstantia, & siue interclusus, siue per angusta enisus est, motum ac tumultum ciere. Subdunt terræmotum ab aëris tranquillitate præcedi & quiete; quod scilicet vis spiritus, quæ cõcitare ventos solet, in inferna sede detinetur. Eo celeberrimo terræmotu in Campania euenisse subdit Seneca, aer enim per superiores dies stetit, quamuis hiberno & inquieto tempore. Falsamq. eorum opinionem esse affirmat, qui vrbes in insulis tutiores esse dicunt, proptereàquod propiùs ad mare accedunt. Aliter Pompeij & Herculanium senserunt. Paphus, non semel corruit. Nicopolis huic malo familiaris. Cyprus quam altum mare ambit, agitatur. Tyrus maritima sæpius mouetur. Quid de Neapolitanis dicam motibus quos validissimos memini, licet diuina fauente gratia, & B. Ianuarij

Spiritus.

summi

summi Patroni præcibus vacauerit? Quid idem de Puteolanis metallis referam?

STABIAE. Cap. X.



TABIAE vrbs antiquissima bello sociali deleta. Eius relliquias vicina loca incoluisse; quod plerisque à Romanis euersis vrbibus euenisse scimus, innuit Plinius, qui de ea sic
Lib.3.c.5. loquitur; *In Campano autem agro Stabiæ oppidum fuere vsque ad Pompeium, & L.Carbonem Consules pridiè Cal. Maias; quo die L. Sylla Legatus bello sociali id deleuit, quod nunc in villas abijt*. Ab Vrbe condita anno 663. L.Cæsare,& P.Rutilio Lupo Coss.cùm grauissimum bellum Italicum esset decretum, & inter alios Legatos Rutilius habuisset C.Papium Mutilum,fususq. esset Cæsar à Vettio Catone, qui duobus millibus interfectis, Aeserniam vsque eum insequutus est, Papius Nolam Coloniam per proditionem cum L.Postumio Prætore, Stabias, Minturnas,& Salernum in potestatem redegit,neque ab Acerrarum obsidione abstinuit. Anno sequenti 664. in suam calamitatem, quam diximus, incidit. Dùm verò vsque ad Pompeium eam extitisse Plinius scribit, Cn.Pompeius intelligendus est Cn. Pompeij Magni pater, auctoribus Appiano,& Asconio,qui etiam ex Triumpho Capitolino descriptus est.

De loco vbi fuerit hoc oppidum conditum,inter multos orta est quæstio. Placuit plerisque ibi ædificatum fuisse, vbi hoc tempore ad Vesuuium ruinas cernimus,quas Ciuitatem vulgus appellat, quibus ipse qui ea loca accuratè consideraui, non as-
Taurania. sentior,& intercidisse ibi Tauraniam affirmarem. Vera asserunt qui ibi Stabias extructas dicunt,vbi noua hac ætate ciuitas posita est quam Castrum maris appellant. Ex multis id argumentis liquet. Primùm, quòd nouam arcem ab Aragoneis Regibus ædificatam,in veteri castro positã cernimus, locumq. Vaglium accolæ

accolæ dicunt,in quo veteres parietinę ſpectantibus ſe offerunt. Deindè quòd in vicinis locis S.Marco Vetere, Carmiano, Varanoq. plurima antiquarum ruinarum veſtigia, concamerationes, ſepulcra, templa reperiuntur, adduntq. ex ſilice ibi viam eſſe ſtratam, quæ per medium fortaſſe oppidum ducebat. Tertiò, quòd eius collis qui ad læuam Stabias adeuntibus protenditur ſupercilio, non modo antiqua conſpiciuntur ædificia, ſed illo in extremo ſubterraneum templum eſt D.Blaſio à Chriſtianis dicatum,quod Plutonis antiquitùs fuiſſe, ſubterraneum ſpelæum oblongum, columnis apud altare ſuffulctum (ibiq. fortaſſe carmina canebantur ab Oraculo, ob Carmiani vicina loca) tùm ferri auriq. laminæ quas in fornicis ingreſſu fuiſſe collocatas, Ioãnes Baptiſta Roſania candidi vir ingenij teſtatus eſt cùm ea loca vnà adiremus, quòd Plutus diuitiarum Deus exiſtimabatur, ob mineras quæ in terræ viſceribus enaſcuntur; cùm prætereà in huiuſmodi ſupercilijs antiquos ædificaſſe ex Strabone didicimus de Dicæarchia ſcribente. Quartò, quod in ipſo Caſtro mari ad fontem vndè aquæ ad moles D.Iacobi Caprearum frumentarias erumpunt, reliqua antiqui ædificij pars cernitur,quæ alia ibi quoque ædificia fuiſſe indicant. Quinctò, quòd medicatæ aquæ non niſi in Caſtromari cernuntur,de quibus Plinius; *In Stabiano agro aqua quæ vocatur Dimidia, calculoſis medetur*. ibidemq. hoc tempore aquas ſulphureas vndique littorali ora erumpentes vt vſque ad Aequam mare quoque inficiant, aliarumq. aquarum genera, aut ſubruſa quæ ad Carmelitas ſcaturiens in ipſa via ad mare fluebat, nunc in vicinis hortis deliteſcens, quam oculis eſſe medicamẽto aiebant; aut alio colore imbuta, quem ſcilicet ex mineræ qualitate acciperet,quamobrem Columella in Cultu hortorum,dixit, Fontibus Stabias celebres; quos fontes in ijs locis in quibus alij Stabias conditas aſſerunt, nuſquam cernimus; & Caſtrum maris ob fontem illum qui perenni gelidarum aquarum perennitate in ipſa vrbe ſcatet, celebramus. licet Ambroſius Nolanus qui Stabias ad Turrim Nunciatæ collocat, fontes apud Columellam pro puteis qui ibi ſunt vſurpari dicat, & aliquorum *Lib.31.*

afferat

afferat sententiam, quibus placet eius auctoris tempestate fontium scaturigines in ea turri plurimas fuisse, quæ nunc exeso littore teguntur à mari, idq. magis affirmare, quòd dulces aquæ multis in locis manare quasi bullientes cernuntur. Sed cur in dubium reuocabimus aquarum eius loci fontes, quę toto nunc, vt diximus, littore se obijciunt? Omnia verò confirmat Galenus, qui de eo oppido *θεραπευτικῆς μεθόδου* lib. 5. c. 12. hæc scribit; *ὁδὸς δ᾽ ἐπ᾽ αὐτὸν ἀπὸ τῆς θαλάττης εἰς τριάκοντα στάδια, καὶ τι πλέον οὐ πολλῷ. τὸ δὲ χωρίον αὐτὸ τὸ ἐπὶ τῇ θαλάττῃ αἱ Ταβίαι κατὰ τὸν πυθμένα τοῦ κόλπου, μάλιστα ἐστὶ τοῦ μεταξὺ Συρρέντου τε καὶ Νεαπόλεως ἐν τῇ πλευρᾷ μᾶλλον τῇ κατὰ Συρρεντόν. αὕτη δ᾽ ἡ πλευρὰ πᾶσα λόφος ἐστὶν οὐ μεγέθης, μακρὸς εἰς τὸ Τυρῥηνὸν ἐξήκων πέλαγος. ἐκέκλιται δ᾽ ἠρέμα πρὸς τὴν δύσιν ὁ λόφος οὗτος. οὐκ ἀκριβῶς δ᾽ ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν ἐκτέταται, οὗτος μὲν ὁ λόφος ἄκλειστον τοῖς ἀνατολικοῖς ἀνέμοις φυλάττει τὸν κόλπον, Εὔρῳ καὶ Ἀπηλιώτῃ καὶ Βοῤῥᾷ. συνάπτει δ᾽ αὐτῷ κατὰ τὸν μυχὸν τοῦ κόλπου λόφος ἕτερος οὐ μικρός. ὃν ἔν τε τοῖς συγγράμμασιν οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι, καὶ τῶν νῦν οἱ ἀκριβέστεροι Βεσούβιον ὀνομάζουσι. τὸ δ᾽ ἔνδοξόν τε καὶ νέον ὄνομα τοῦ λόφου, Βεσβίον ἅπασιν ἀνθρώποις γνώριμον, διὰ τὸ κάτωθεν ἀναφερόμενον ἐκ τῆς γῆς ἐν αὐτῷ πῦρ*; Hoc est; *Locus autem ipse versus mare, nempè Tabiæ in imo maximè sinu est, qui inter Surrentum & Neapolim conspicitur, magis tamen in latere quod ad Surrentum pertinet. Porrò totum id latus collis est satis magnus, longitudine ad Tyrrhenum mare porrectus. Inflectitur autem leniter collis hic ad occasum, nec in meridiem in totum planè procurrit. Ergo hic collis à ventis ijs qui ab ortu fiant, Euro, Subsolano, & Borea tutum defendit sinum. Coniungitur illi in imo sinu alter collis non paruus, quem & veteres Romani in historijs, & qui nunc diligentiores sunt, Vesuuium nominant. Celebre nunc nouumq. nomen Vesbium, hominibus omnibus notū propter ignem, qui in eo ex terra submittitur.* Quænam topographia exactiori diligentia, quàm hæc Galeni de Stabijs descripta est? An verò ipsum locum tam propriè ob oculos non ponit, vt Blondo, Volaterano alijsq. qui aliter sentiunt nō sit tacendum? Taceat Dauid Romeus, qui tunc Stabias posse vocari Castrum

maris

maris ait, cùm ſues latinè loquuntur. Mirarer Sacerdotem hæc verba profudiſſe, niſi ſcirem tantum ſibi homines audaciæ ſumpſiſſe, vt cùm Latinas litteras prægustauerint, omnia tractare poſſe ſibi perſuadeant. Quod ſi in villas abijſſe ſcribit Plinius, adhuc villas atque pagos Caſtrum maris per vicinos colles habet diſtributos. In imo ſinu eſſe Stabias negat Ambroſius. Negat ſanè quæ maximè patent, ſed illud potiſſimùm Galenus notat, ſinum illum in latere eſſe quod ad Surrentum pertinet. quid dilucidius? Quæ verò affert de Plinio qui ad Pomponianum Stabias diuerterat, propè ſcilicet Veſuuium interijſſe, non ità eam opinionem confirmant, vt hac de cauſa viciniores Stabiæ Veſuuio eſſe debuiſſent, cùm ſciamus eius cineres atque ignes Conſtantinopolitanos quoque deterruiſſe; quid ni Stabijs vbi tutò eſſe poſſe arbitrabatur obire Plinius non potuit, vel ſi aliquantò longiùs abſint à Veſuuio, quàm placet Ambroſio? Aliquot ibi antiqua monumenta reperta ſeruaui,

In fundo Ioannis Andreæ de Duratio.

CN. HELVIVS. CN. L. IOLLA
MEDICVS. OCVLARIVS.

In S. Crucis templo.

D. M.
CÆCILIÆ. LIBERALI. CONIVGI. PIENTISSIMÆ
AC. DE. SE. BENEMERITÆ
Q. CRANAVS. EPAPHRODITVS.

In ædibus Cæſaris Coppulæ.

ΜΤΡΙΝΟC. ΚΑΙ. ΥΓΙΕΙΑ. ΘΕΟΤΗΜΩΙ
ΤΩΙ. ΥΙΩΙ. ΕΤΩΝ. ΙΓ. ΜΝΗΜΗC. ΧΑΡΙΝ.

ibidem,

D. M.
P. ÆLIO. AVDACI. EQVES. INAVG. IVR.
M. VLPIVS. L. F. SII. C. IVLIVS. PROBVS
H. B. M. F.

ΘΕΑΩ. ΤΥΧΗΣ. ΣΤΑΑ. . .
ΑΓΜΩΝ. Η. ΦΡΕΝΩΝ. ΓΙΘΟΝ.

In Varano rure tegulæ ex creta in quibus ſcriptum,

Q. MVTII. Q. LEPIDI. L. AMADER
TONI. P. ANNODINI.

Hercules. HERCVLIS quoque templum ibi fuiſſe narrant, tùm quòd eius numinis ſignum æneum tripedale in Iacobi Certæ fundo repertum eſt; tùm quòd Plinius Herculis promontorium Stabijs collocat cùm ait; *In Stabiano Campaniæ ad promontorium Herculis melanuri in mare panem obiectum rapiunt.* quamobrem non rectè Aequenſes illud ſibi numen templumq. tribuere arbitrantur, quamuis dixerit Ouidius, Lib.32.

Et Surrentinos generoſo palmite colles,
Herculeamq. vrbem, Stabiaſq. -----

Et licet duo hac ætate in illo ſinu promontoria conſpiciamus, alterum Mineruæ, alterum ad Aequam obiecto ſcopulo qui Scarus dicitur; quid tamen dicemus quòd promontorium Herculis conſtituitur in Stabiano? Omnem verò illam oram Herculi fuiſſe dicatam ſcimus. Hercules Surrentinus Statij facilè comprobat, & Herculanium quod miſerè ſub incendio interijt. Herculeam verò vrbem Herculanium eſſe illud dilucidabit, quod vnam tantùm ciuitatem ab Hercule ibi ædificatam Strabo meminit.

Diana. Locum quem Phanum vulgus appellat, vbi D. Mariæ ad Puzanum templum erectum eſt, DIANAE fuiſſe dicatum ciues contendunt, quippè ara ibi marmorea rotunda reperta eſt, in quà perbellè ceruorum capita ſculpta videntur, quæ eius numinis oſtendunt relligionem. Crux ſuperimpoſita Idolorum vanitatem eſſe abrogatam patefacit.

NOVA CIVITAS.

Sedet noua Ciuitas in curuo illo amœniſſimo ſitu inter Veſuuium & Surrentum, ad montis Aurei radices (Gaurum quoque nominant) quo à Meridionalibus, & Orientalibus ventis defenditur. Et aureum verè poſſe appellari ciues affirmant, proptereaquòd ſiluæ quibus eſt conueſtitus, non frondes fru-

ctuſq.

ctusq. sed aurum ob fertilitatem suppeditare existimant. Assurgit immani dorso mons ille, quamuis placidissimis anfractibus, arborumq. densitate delectabilis, vbi lusciniarum, aliarumq. auium cantus audientium aures mirificè delectant. Et licet hieme asperior sit iudicandus, nihilominùs inter Surrentinas, quibus cum coniungitur, & Neapolitanas delicias quibus prospectu semper, paucorum stadiorum spatio quotidiè nauigationis breuitate fruuntur Stabiani, nihil asperi, nihilq. inculti potest afferre. Quòd si ipsa ciuitas aliquandò montis vicinitate humectari posse plurimùm videatur, tanta tamen est cœli quo tegitur clementia, tanta crateris auræ benignitas, vt quod videtur incommodum, nihil afferat detrimenti. Maritimos habet commeatus, optimiq. portus vtilitate ab Aragoneis fortasse Regibus exædificati, cùm Alfonsus I. ijs operibus delectaretur, veluti arcem quoque extruxit, quam Alfonsinam dicunt, cui Ciarlettam Caracciolum primò præfecit; etsi alij Carolo primo tribuant, & ab Alfonso restitutam, perducto à littorali turri ad arcem longissimo muro, per quem gradibus in bellorum tumultibus ciues tutò se ad arcem conferre possent. Opus sanè memorabile, & celeberrimum, in quem grandem pecuniã fuisse erogatam non dubitamus. Sed terrestres quoque plurimas habet vtilitates, cùm omnẽ materiam, carris & iumentis comportent, vt terra mariq. rem familiarem vehendis mercibus habitantes valeant augere. Et Bacchus eo littore lætatur, quandò ad viginti millia doliorum, & eò amplius quotannis conficiantur, & coëmentur ab ijs qui ad ea loca nauigãt, vndè bona vina onerantur. Hæc est illa siluarum, quam suprà diximus, felicitas. Et huiusmodi Neptunum inter eas vndas conquiescere dicerem, vt piscatu ciuitatem, finitimosq. illustret. Calcem præbet Neapolitanis ædificijs, frumentarijs quoque molibus annonam. Olera vberrimè solum procreat, omnem circùm oram pascit, & inter delicias hortorum cæpas prægrandes, mitesq. ipsa Neapolis habet. Neque minimum quiddam cæpe videatur, quando earum genera apud illustres viros numerentur Sardia, Samothracia, Alsidena, Setania, Schista, & Ascalonia

Portus.

Arx.

ab oppido Iudeæ nominata. Et Samo, & Sardibus candidissimæ prouenient. Et Creticas fuisse in honore scribit Plinius. Omnibus odor lacrimosus, Stabianis minimè. Et antecellunt Africanis, Gallis, Tusculanis, Amiterminis. Nescio an Beneuentanis. Noscuntur aliquandò in humilibus rebus regionum, iura nobilitatis. In ciuitate & pagis ad mille capita numerantur, quapropter ad quinque millia hominum in eo sinu incolere mihi retulerunt. Illud maximè notatu dignum existimaui, quòd eam ciuitatem ob fidem qua Reges prosequuta est, ob beneficia quæ pace & bello in eosdem contulit, priuilegiorum & immunitatum gloria nobilitauit. tùm prætereà Regum ipsorum animi propensio, qui sub eorum dominio, atque demanio eos retinere studuerunt, qua ex re præcipua in eos beneuolentia atque studium ostenditur. Ioanna II. anno 1420. hæc insinuare cœpit; *Sanè attendentes merita sinceræ deuocionis & fidei vniuersitatis & hominum Castrimaris de Stabia de prouincia Principatus citrà nostrorum fidelium dilectorum, necnon grata, grandia, vtilia, fructuosa, & accepta seruitia per eos Maiestati nostræ in tempore opportuno liberaliter & promptè præstita & impensa, quæue præstant ad præsens, & speramus eos de bono semper in melius continuatione laudabili præstituros, ex quibus eos ampla nostra gratia dignos, & benemeritos reputamus. Eandem ciuitatem Castrimaris ad nostrum principale dominium, demanium, & Coronam tenore præsentium de certa nostra scientia reuocamus atque reducimus; quam in eisdem nostris dominio & demanio perpetuò retinebimus, nec ab illis alienabimus, nec eam pignorabimus, aut donabimus, vel concedemus*, &c. Ciues item huiusmodi extollit, vt veluti Neapolitani ciues habeantur; *Volumus insuper, decernimus, statuimus, & iubemus, quod omnes & singuli homines & personæ præfatæ ciuitatis, ac in ea continuè habitantes, sint, & esse debeant, & teneantur, tractentur, & reputentur ciues, & pro ciuibus, ac tanquam ciues in toto nostro Regno Siciliæ, & præsertim in ciuitate nostra Neapolis potituri & gauisuri de cetero vbilibet in toto dicto Regno nostro Siciliæ, & præsertim in dicta ciuitate Neapolis,*

Lib. 19. c. 6.

Regum liberalitas in Stabianos.

Neapolis, illis honoribus, libertatibus, franchitijs, immunitatibus, exemptionibus, priuilegijs, prærogatiuis, & gratijs quibus ciues Regni demaniales, ac dictæ ciuitatis Neapolis potiuntur & gaudent, ac potiri & gaudere soliti sunt & debent. Concesserat prætereà vt quauis de causa nunquam in aliud iudicium compellerentur, quàm in id quod in ea ciuitate fuisset constitutum, præterquàm in causa appellationis. Vt annis singulis ibidem rerum venalium nundinæ mense Ianuario eadem ratione qua Salernitanæ celebrarentur, quibus ab ijsdem Magister Nundinarum electus præficeretur. Multa quæ ad vinorum genera, & venditionem pertinent, tùm prætereà ad collectarum solutionem, quæ generali subsidio fuerant decretæ. *Aliæ concessiones.*

Vendiderat eam ciuitatem Alfonsus Aragoneus Aloysio de Perilionibus, Raimundi filio, cùm anno 449. eam redimere deliberauit, sic enim in eius diplomate; *Hinc est, quod ex parte vniuersitatis hominum ciuitatis nostræ Castrimaris de Stabia quam nuper ad Coronam, demanium, & dominium nostrum reduximus, luentes & redimentes eam à manibus & posse Magnifici viri Loisij de Perilionibus filij & heredis Magnifici quondam Raymundi de Perilionibus Militis, cui pro se suisq. heredibus eandem ciuitatem cum retentione liciti, & facultates redimendi vendideramus.* Ea quæ Ioanna concesserat, confirmauit, atque addidit, vt ciues, atque nauigiorum patroni, vbique in omnibus quæ ad eorum & familiarium vsum cœmerint, immunes habeantur; atque habitantes in Castromari, *Sint perpetuò immunes & exempti à quibuscunque collectis, impositione ducati vnius pro quolibet foculari nouiter imposita, & alijs quibuscunque fiscalibus functionibus tàm ordinarijs, quàm extraordinarijs cuiuscunque sint generis & speciei, aut quocunque nomine nuncupentur, si & pro ut sunt ciues ciuitatis Neapolis, exceptis dumtaxat collectis quæ in futurum imponi contigerit pro maritagio, Coronatione, aut pro Regijs seu filiorum personis redimendis, quod absit, cùm dicta vniuersitas dictæ ciuitatis Castrimaris pro obtinenda huiusmodi exemptione dederit dictæ Regiæ Maiestati pro se, & suis heredibus, & successoribus, in perpetuum* *Aloysius de Perilionibus.* *Habitatores Castrimaris.*

tuum gabellas boni denarij, vini, & Cartucij eiusdem ciuitatis. Ex qua Regia liberalitate factum existimo, vt quamplures familiæ Castrimaris habitationem delegerint, ideòq. hoc tempore multas nobiles familias ibidem aduentitias reperimus.

Ferdinandus anno 1462. rata omnia habet; atque condonat Ioanni Gallart & Castrimaris hominibus ea quæ cum Ioanne Duce Lotharingiæ acerrimo Aragonum hosti gesserant, perduelles enim fuerant, licet à Rege ea de causa excusentur, quòd eius obsidionem ferre vllo modo potuissent. Quo Ioanne deprecatore, multa etiam ciues obtinuere, quæ difficilia aliquo pacto videbantur, cuius petitionibus adiumento fuere Lansellus Scafartus, Iacobus Coppula, & Nardus de Miranda Vniuersitatis Syndici, & Procuratores. Idem concessit vt in agro Gaurum & Letterensi eius vrbis ciues nec solutionibus, nec vectigalibus pro bonis quæ ibi possiderent, essent obnoxij.

Regis 2 Editio. Idem Rex Baiulationem, officiaq. Portulanatus, & Magistratus Actorum huiusmodi vendidit; *Occurrentibus itaque nobis in præsentiarum varijs necessitatibus habendi pecuniam pro Regni statu, & honoris nostri defensione necessariò conuertendam, prouidimus potiùs ad bona nostra recurrere, quàm fideles nostros regnicolas diuersorum onerum solutione fatigatos importabiles sarcinæ vexatione grauare. Eam ob rem habentes, tenentes, & possidentes iustè, ac rationabiliter, ac legitimis & rationabilibus causis Baiulationem ciuitatis nostræ Castrimaris de Stabia, necnon officium Portulanatus, ac etiam officium Magistratus actorum ciuitatis eiusdem cum prouisionibus, gagijs, lucris, emolumentis, prouentibus, & alijs ad dictam Baiulationem, & officia spectantibus, & pertinentibus. Intendentesq. Baiulationem eandem, & dicta officia cum omnibus eorum iuribus, rationibus, & alijs supradictis in perpetuum alienare & vendere, vt possimus iàm dictis nostris necessitatibus occurrere, de illis vendendum ad tractatum deuenimus cum nobilibus & egregijs viris Russo Vergario, & Minichello Plagensio Sindicis, necnon cum Marino Sicardo, & Paulo de Miranda, ac Gabriele de Afflicto procuratoribus Vniuersitatis ciuitatis iàm dictæ; & volentes*

Russus Vergarius. Minichellus Plagensius. Marinus Sicardus. Paulus de Miranda. Gabriel de Afflicto.

tes tractatum huiusmodi cum eisdem Sindicis, & procuratoribus nomina Vniuersitatis prædictæ tanquàm plus exindè offerentibus ducere realiter ad effectum, &c. Multa item quæ ad lanæ artifices, ad pœnarum solutiones spectant, aliaq. quæ in eorum priuilegijs maxima cum eius ciuitatis laude patent. quæ dùm quis legere voluerit, animaduertet quanto Reges amore eam ciuitatem fuerint prosequuti. Quod si ob Neapolitani Regni iura ab Aragoneis ea ciuitas ad Austriacos deuenit, & inter alia quæ ad dotem Margaritæ Austriacæ pertinebant, Carolus V. Octauio Farnesio Castrum maris constituit, habeat ea ciuitas gloriæ monumenta, quòd eius maximi Ducis successores dominos habet, & patronos, quorum tutela beatissimi sunt iudicandi.

TEMPLA.

In montis qui supereminet fastigio ædicula præclara illa est quam ædificãdam S. Michael Archangelus facem præseferens (idcircò ad Facitum dicunt, nisi à fagis arbotibus malueris nuncupatam, quia licet hoc tempore nullas videas, plures tamen fuisse accolæ dicunt (idcircò Gaurum dictum naualibus aptum) Catello Episcopo Stabiensi, & Antonino Abbati iussit, vt ibi Deo immolarent. Quam cum ex lignorum strue Catellus incredibili adhibita celeritate vellet ædificare, Antoninus ex lapidibus ad perpetuam rei memoriam condere maluit. Bonifacius III. Summus Pontifex Catello deprecatore, tegulis è plumbo, & alijs quæ opus erant naui Roma asportatis exornauit. In ea sæpiùs D. Michael se videndum Antonino obtulit vt Catellum in calamitate constiturum consolaretur, quæ infrà explicabimus. Idcircò non modò Idib. Maij, qui dies festus Michaelis celebratur, sed singulis diebus, tanti numinis recordatione locum ab incolis optauerim venerari. Orta lis est anno 1230. sub Federico Imperatore qua hanc ad se Ecclesiam pertinere Guarnerius quidam contendebat. Sed dùm pro Episcopo Stabiensi Petrus eius Ecclesiæ Archidiaconus iura contrà Guarnerium prosequeretur, & magnam Imperialem Curiam

regeret

regeret Henricus de Morra Magister Iustitiarius, aduocatis Simone & Henrico de Tocco, Roffrido de S.Germano, & Petro de Vinea eius Magnæ Curiæ Iudices. Imperator decreuit, vt quoniam Stabiensis Episcopus iniquo bellorum tempore eam Ecclesiam Henrico Teuthonico Castrimaris arci præfecto commendauit, ne aliquid detrimenti pateretur, multasq. alias ob causas Guarnerius restitueret Episcopo. Qua de re ea sententia subsequuta est, in qua præter magnæ Curiæ Magistratus, & sententiarum eius temporis methodum, Barbati & Vrsi Surrentinorum Archiepiscoporum mentio fit, qui veluti Episcopos Stabienses eligebant, ità etiam Ecclesiam S. Angeli Gregorio, Sergio, & Ioanni Episcopis concesserunt; quemadmodum idem Imperator Palmerio Episcopo & Abbati Matthæo concessit. Quam etiam Ecclesiam cùm ad Regem spectare aliqui dicerent, Gualterius Cataniensis Episcopus, & Regni Siciliæ Cancellarius, Palmerio eius possessionem pacificè dimisit. Hinc Episcopi aliquot Stabienses in lucem prodeunt, qui aliquo pacto delitescebant. Aliquot prætermissis; *Proposuit Petrus Archidiaconus Stabiensis pro parte Episcopi Stabiensis, non ine ipsius Episcopi & Ecclesiæ suæ cuius procurator & œconomus est, quod constitit contrà Guarnerium quod ipse possidet & tenet ecclesiam S. Angeli de Monteaureo ad ipsum Episcopum & ecclesiam suam Stabiens. de iure spectantem, quam ecclesiam dictus Episcopus assignauit custodiendam tempore turbationis Henrico Theutonico olim Castellano Castrimaris pro seruitio & honore D. Imperatoris ne per ipsam ecclesiam & locum in quo sita est dicta ecclesia, ipse D. Imperator, vel fideles sui possent in aliquo damnificari, vndè cùm turbatio cessauit, & dicta ecclesia spectet ad Episcopum, & ad ecclesiam ipsam, sicut prædictum est, petijt nomine dicti Episcopi ipsam ecclesiam à dicto Guarnerio sibi restitui cum omnibus iustis rationibus, & pertinentijs suis, saluo iure &c. Guarnerius litem contestando respondit dicens seipsam petitam ecclesiam tenere cum pertinentijs suis, ignorat tamen ecclesiam petitam ad Episcopum, & ecclesiam Stabiensem pertinere saluis omnibus rationibus suis. Lite igitur*

contestata,

conteſtata, præfatus Guarnerius conſtituit procuratorem ſuum Magn.Benedictum de Iſernia; & ex parte verò præfati Archidiaconi ad probandum de iure eccleſiæ, fuerunt quædam inſtrumenta in iudicio præſentata, in vno quorum vidimus contineri qualiter olim Barbatus Surrentinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus conceſſit dictam eccleſiam S. Angeli cum omnibus ſuis pertinentijs Gregorio tunc temporis Epiſcopo Stabienſi inter cetera quæ eidem Epiſcopo concedebantur. In ſecundo inſtrumento ſimiliter vidimus denotari qualiter idem Barbatus Surrentin. Archiep. inter cetera quæ conceſſit Sergio tunc temporis Epiſcopo Stabienſi, conceſſit nominatam eccleſiam ſupradictam S. Angeli cum omnibus ſuis pertinentijs. In tertio inſtrumento ſimiliter continebatur qualiter Vrſo Archiepiſcopus Surrentinus Ioanni Epiſcopo Stabienſi eandem eccleſiam S. Angeli cum pertinentijs ſuis conceſſit. Præſentauit etiam idem Archidiaconus quodam ſcriptum Palmerio venerabili Epiſcopo Caſtellimaris indultum(nota quot nominibus ciuitas fuerit appellata) *olim à D.noſtro Sereniſſimo Imperatore tunc Rege, in quo continebatur expreſſum quod idem D. noſter conceſſit & confirmauit prædicto Epiſcopo eccleſiam S. Angeli cum omnibus iuſtitijs & tenimentis ſuis ſecundum quod eam idem Epiſcopus & Eccleſia ſua vnquam melius tenuit, & poſſedit. Oſtendit etiam priuilegium D. noſtri Imperatoris, in quo manifeſtè vidimus contineri, quod idem D.noſter Imperator, poſt felicem coronationem ſuam conceſſit & confirmauit Eccleſiæ Stabienſi, & Palmerio prædicto Epiſcopo eccleſiam S. Angeli, quam prædeceſſores eius fundauerunt. Oſtendit inſuper Imperiales litteras miſſas olim Abbati Matthæo, in quibus continebatur quod D. Imperator conceſſerat eidem eccleſiam S.Angeli, quam ſpectare credebat ad ſua Regalia;& quia venerabilis Stabienſis Epiſcopus quædam priuilegia & authentica ſcripta D.Imperatori oſtendit, qualiter prædicta eccleſia S. Angeli ad ipſum ſpectaret de iure; viſis rationibus Epiſcopi, mandauit D.Imperator eidem Abbati Matthæo quatenus viſis litteris eandem eccleſiam cum tenimentis,& rationibus ſuis ſecundum quod ſibi extiterat aſſignata, prædicto D.Epi-*

Barbatus Surrentinus. *Gregorius.* *Sergius.* *Vrſo Surrentinus.* *Ioannes.* *Palmerius.*

scopo resignaret. Item ostendit aliud scriptum sigilli Domini Gualterij Cataniensis Episcopi, & Regni Siciliæ tunc Cancellarij roboratum, in quo inter cetera vidimus contineri, quod idem Cancellarius cùm de mandato Regio venisset ad partes Terræ laboris inquirens ecclesias, & alias rationes suas, cùm dictum fuisset ei quod ecclesia S. Angeli de Monteaureo ad Cancellariæ demanium pertineret, dùm ire ad eam obtinendam intenderet, vidit priuilegia & alias rationes, quas eidem D. Palmerius venerabilis Stabiensis Episcopus de eadem ecclesia præsentauit. Quibus visis, ecclesiam ipsam S. Angeli de Monteaureo cum omnibus pertinentijs suis ad præfatam Ecclesiam Stabiensem de iure spectantem dimisit pleno iure pacificè possidendam. Item præsentauit aliud instrumentum confectum per Dominum Henricum de Vintpiz tunc temporis Castellanum Scafati & Castellimaris roboratum subscriptionibus Gualterij de Buoclumo Iudicis Salerni, & Gualterij Iudicis Summæ, in quo vidimus contineri quod Notarius Thomas de Cicala constitutus ab eodem D. Henrico procurator pro parte Curiæ proposuit contrà D. Palmerium Episcopum Stabiensem, petendo ab eo, & Ecclesia sua, Cappellam S. Angeli de Monteaureo, quam dicebat spectare ad Curiam D. Imperatoris, super quo per negationem Episcopi lite contestata, inductis probationibus pro parte Episcopi, quia per priuilegia, & instrumenta plenè probatum fuit de iure Ecclesiæ Stabiensis, fuit idem Episcopus ab impetitione dicti procuratoris pro parte Curiæ constituti, sententialiter absolutus. Eandem Imperator sententiam edidit, & Archidiacono pro Episcopo agenti ecclesiam resignauit, iussitq. qui contrà egerunt, condemnandos. Aquæ fons ibi perennis est, quæ *Aqua sancta* dicitur. Nescio an hæc sit quam ex petra D. Catellus elicuit. Cum eam ædem in eius festo ciues adeunt, tentoria ad sexaginta, & eo amplius, amicorum & affinium cœtu in eo monte parant, vt etiam aliquandò triduò summa cum hilaritate commorentur. Alia D. Angeli ædes in Reuigliano scopulo à Carolo I. condita est; licet de diæcesi quæstio sit inter Stabienses & Surrentinos. Pontifex Abbatiam cōfert, quam hoc tempore Carolus

Castellanus Scafati, & Castellimaris.

Reuiglianus.

Carolus Carrafa Pauli IIII. Summi Neapolitani Pontificis affinis poſſidet. Collucet in eo Epiſcopo nobilitatis, virtutum, & bonitatis ſplendor. In ciuitate, ſacræ Virgines ſunt Carmelitæ; aliæq. Franciſcanæ D. Bartholomei templum incolunt à Roberto Rege extructum. D. Franciſco condidit templum Carolus II. Maiorem Eccleſiam ſumma impenſa renouant. Extrà ciuitatem ad Orientem, Capucinorum ædes D. Iacobo dicata. Ad Occidentem D. Mariæ ad Puzanum ædes à D. Franciſco è Paula ſub Magno Conſaluo extructa; & nomen additum à puteo in quo Beatæ Virginis imago ex ſerico reperta eſt, cuius pietas atque deuotio maxima frequentia vndique gentes allicit. Vtraque pulcherrimo ſitu poſita, ædificio atque hortis nobilitata. Ad D. Mariæ templum eo qui ad mare vergit loco, quem Phanum nuncupant, Dianæ templum fuiſſe diximus. Erat anteà parochia, cui præerat Hieronymus Caſtaldus, qui ad Lubrenſem poſteà Epiſcopatum fuit euectus. *Templa.*

EPISCOPI.

Quando fuerit Stabijs Epiſcopatus inſtitutus, nondùm cognoſcere valui. Eius tamen antiquitatē iàm indè ab anno 606. quo Sabinianus Pontifex Romæ ſedebat, elicio. A Barbato Surrentino Archiepiſcopo, Stabienſem Eccleſiam Epiſcopis fuiſſe traditam (fortaſſe eius erat electio, & Pontificis confirmatio) ex antiquo diplomate anno 1110. conſtat, quod de Barbato loquuturi in medium proferemus. CATELLVM honeſtis parentibus ortum affirmant. Eius vitæ ſanctitatem, optimiq. Paſtoris mores, Antonini Abbatis ſocietas, & conſuetudo reddidit clariorem. Cùm enim Zothonis Beneuentanorum Ducis barbaries Caſinas monaſterium euertiſſet, & de fuga ſibi monachi conſulerent, Antoninus Stabias diuertit. Tanta cum Catello familiaritate coniunctus eſt, vt cùm in difficili & ſcopuloſo Gauri montis culmine ſolitudini ſe committere decreuiſſet, Catellum quoque à ciuitate ad ſe euocarit. Catellus à ſanctiſſimi viri conſuetudine cùm diuelli non poſſet, con- *Catellus.* *Antoninus.*

Ppp 2 templa-

templationis ardoribus inflammatus, ad ima descendere recusabat. Ideò ab oppidanis apud Summum Pontificem Sabinianum accusatus, Romam accersitus, in carcerem detrusus est, Bonifacio cuidam ex Pontificis domesticis traditus. cui cùm Antoninus visu per noctem se obtulisset, tandē carceres adiuit, cum Catello sermones habuit, qui prædixit Sabiniani obitum, & decretum esse in cœlo vt Bonifacius Pontifex renunciaretur. meminerit cumprimùm in dignitatis illius amplissimam sedem esset euectus, Catellum spoliatum sacerdocio, in maximam miseriam adductum, ciuitate sua pulsum, è carcere dimittere. Pontifex dignitatem assequutus, nullam Catelli habuit rationem. Antoninus pro Catello causam dicere apud Pontificem in somnis visus est. Quamobrem è somno excitatus, Catellum ad se venire iubsit, petijt vt ignosceret, & eum voti compotem facturum pollicitus est. Cui D.Michaelis ædiculæ ornamenta expetenti, libenter concessit. Atque ità miraculis clarus Stabianorum Patronus est effectus. LAVRENTIVS ijsdem Heraclij temporibus sedit, vt ex inscriptione quæ seruatur Aequis,

In hoc tumulo requiescit V.B.Laurentius Episcopus sanctæ
Ecclesiæ ciuitatis Stabiēsis, qui vixit an.plus minus xxxx.
sedit in Episcopatu xij. Depositus die iiij.Kal.Martiarum
Ind.xv. Imperante Heraclio Aug. anno secundo.

Barbati Archiepiscopi Surrentini ætate in eodem quod suprà citauimus diplomate Stabiensis Ecclesia conceditur Episcopis GREGORIO, VRSO, IOANNI, PALMERIO. In Diæcesibus Episcopalibus, VRSVS, Stabianus Episcopus legitur, & subscribit Decreto Symmachi Romani Pontificis; & dicebantur Diæceses Prætorij Italici per Italiam, multiq. ex Senatoribus Episcopi creabantur. SERGIVS, fortasse ille est, qui post Idolorum templum Surrenti euersum, & D. Felici Episcopo Nolano dicatum quò S.Baculi corpus transtulerant, quòd columnam altaris in quo Baculus condebatur, non pio animo sustinere voluit, lateris dolore oppressus, & dimidia corporis parte debilitatus aliquandiù vixit. profusis verò multis lacrimis, Baculo supplicans, sanatus est, & Pontifex Stabianorum factus.

HVGO

HVGO Gallus, anno 1390. sub Rege Ludouico II. & Clemente VII. Frater IACOBVS .... anno 1409. regnante Ladislao. ALOISIVS Certa Sabiensis, Ioannis filius, cuius marmoreus lapis erat antè maioris Ecclesiæ altare, frater vtrinque coniunctus Matthæi, Martini, & Iacobi Andreæ Certæ, anno 1434. LVDOVICVS Certa, anno 1448. NICOLAVS Amfora Surrentinus anno 1452. sub Alfonso I. Is Basilicam imagine decorauit sub titulo Sanctæ Mariæ ad mare; & dùm plures annos vixit, quamplura ecclesiastica bona alienanda permisisse tradunt. PETRVS Flores anno 1510. sub Iulio II. IOANNES Fonseca, sub Iulio III. anno 1538. & Paulo III. interfuit Tridentino Concilio. ANTONIVS Laureus, iuris peritissimus, maior Cappellanus, summa cum tranquillitate administrauit. obijt 1577. LVDOVICVS Maioranus, à quo editus est clypeus militantis Ecclesiæ, & tractatus de vero Sacerdocio ad Reginam Angliæ, cuius lumina mortis vmbra occupauit. IOANNES MIRVS, qui Materanus Episcopus decessit. VICTORINVS Mansus, monachus Casinensis, ex Abbatiarum in sua Religione præfectura, ad huius Ecclesiæ primùm, mox ad Arianensium amplitudinem euectus, vir doctissimus, qui inter multa scripta edidit, De modo procedendi in causis Regularium criminalibus, De vanitate mundi, & solida hominis felicitate, Explicationem libri Ecclesiastes Salomonis, Harmoniam Theologicam, De Ecclesiasticis Magistratibus, & De Sacramentis in genere. Antistes Romano Senatu dignus. HIERONYMVS Bernardus Achiros, nunc Episcopus Puteolanus. HIPPOLITVS Riua, Neapolitanus, ex Theatina familia.

FAMILIAE.

Semper Stabijs nobilitatem floruisse, ex Barbato Surrentino Archiepiscopo præclarum elicimus testimonium, qui ad Stabianos scribens, his verbis vtitur; *Omnibus fidelibus orthodoxis, clero, ordini, & plebi existenti Ecclesiæ Stabianæ*, &c.

Dùm

Dùm ordinem plebemq. distinguit, antiquæ etiam nobilitatis ordinem patefacit, cùm ea ætate non de ordine Decurionum, sed nobilium esse loquutos multos scriptores non dubitamus. Habuit ea semper ciuitas suos nobiles, habuitq. exteros, qui vel ob familiaritatem qua cum Regibus vtebantur, vel ob immunitates tot priuilegiis concessas, quas plurimas fuisse, suprà innuimus, ex aliis ciuitatibus eò se conferebant, perpetuam in tàm immuni ciuitate habitationem sibi deligentes. Has hoc tempore nobiles familias ex antiquis lapidibus, ac Regum diplomatibus, inuenimus. AFFLICTAM, quæ ab D. Eustachio originem ducit, & è Scalis eò confluxit. APVTEAM familiam, de PVTEO quoque dictam in antiquis scriptis reperi. PARIS illi maximam gloriam comparauit Carletti, quem ciuem fecit Castrimaris Ladislaus anno 1412. & Agnesiæ de Aputeo filius, celeberrimus Iurisconsultus. Hic aliquandò in Pimonte ortus dicitur, & Maczeus & Brancaleo de Aputeo fratres Paridis aliqua de bonis Pimontis pollicentur. anno 1465. præterquam quòd sub Alfonso anno 1447. Tironus de Aputeo dùm testamentum condidit, de Pimonte nominatur. Aliquandò Neapolitanus dicitur; aliquando verò de Castromari. Iulius Clarus ex Alexandria ad Mediolanum oriundum censet, cùm in ea ciuitate eadem familia vigeret. Cùm Carlettus pater, maioresq. Pimontani Ducatus Amalfiæ vocentur, ibi quoque proculdubiò eum esse natum confirmant. At diuturna habitatione ciuis Castrimaris effectus, ciuis quoque Neapolitanus potuit appellari, in qua per xl. annos multos gessit Magistratus. Illustres peruagatus est priùs Italiæ scholas, in quibus eximiorum virorum Aretini, Barbati, Imolæ, Prati Veteris (vt ipse testatur) fuit auditor. Neapolim reuersus ab Alfonso doctorum hominum Mœcenate, in Regiam aulam receptus est, & inter Consiliarios S. Claræ adlectus, Ferdinando filio Calabriæ Duce erudiendum tradito. Qui cùm Regni Vicarius constitutus esset, decedente in Etruriam Alfonso cum exercitu, Paridem Auditorem Regni generalem instituit, mortuoq. patre Senatorum Collegio adscripsit anno 1446. Consulendi,

Afflicta. *Aputea.* *Paridis de Puteo patria.* *Paridis magistri.* *Paris Consiliarius.*

sulendi,& patrocinandi munera doctissimè obiuit, tùm maximè in feudalibus iuribus, & monomachijs quas eius perferebat ætas, in quibus veluti oraculum Principes vndique Paridem adibant. Scripsit etiam de Sindicatu librum, de liquidatione instrumentorum, quæ scripta inter peritissimos Iuriscōsultos eum collocarunt. Ex Nardella Galeota duos filios Simonem, & Bernardinum suscepit; tres filias, Lisam, Lucretiam, Magdalenam. Demum honoribus, doctrina, Magistratibus functus, Neapoli octogenarius decessit, anno 1443. & in D. Augustini sepultus. *Paridis opera*

AVITAIAM, quam Auitabulam, & Abitabulam dixerunt (his enim nominibus hæc familia in Castromari nominatur) quæ ex Francorum oppido dimanauit. Milites ex ea gente nobiles dicti sunt, sic enim legitur in Caroli III. Actis; *Carolus tertius, &c. Tenore præsentis scripti fatemur atque testamur quod Landulfus Caraczolus dictus Armagnus de Neapoli miles, fidelis noster, auunculus & tutor Mariellæ & Ceccarellæ de Abitabulo sororum, pupillarum filiarum, & heredum quondam Marini de Abitabulo militis de Castromaris*, &c. Mutuat Regi de dictarum pupillarum pecunia, vncias cxcviij. Sub Ioanna II. Masellus de Auitabulo, eius Reginæ familiaris dicitur, eo pacto quo ceteri eius ætatis nobiles dicebantur. Hæc familia in Parochiali Ecclesia Sanctæ Luciæ, Sancti Cosmæ & Damiani, S. Barbaræ, & sanctissimæ Trinitatis ab hinc cc. annos ex diplomate Gabrielis Episcopi Litterensis præsentat, quod Octauius Auitaia mihi in Castromari commoranti ostendit, dùm vnus inter alios publico Magistratu gubernaret. *Auitaia.*

CASTALDAM, quæ floruit sub Carolo I. militiæ honore decorata; desijtq. in Horatio Castaldo equite Hierosolymitano. *Castalda.*

CERTAM, in qua anno 1144. sub Rogerio Stephanus Certa Domini Marini filius, D. Stephano Prothomartyri ædem ob Christianam pietatem ædificandam curauit. Et in fundatione Ecclesiæ Sancti Iacobi Apostoli anno 1362. inter se conuenere *Laurentius Certa filius Siluij de Castromaris & Benuchus de Raffone, dictæ Ecclesiæ fundatore.* In ea itē Ludouicus Episcopus. *Certa.*

COMPARATAM, in qua Roberti & Ioannæ primę familiares *Comparata.*

liares comperiuntur. Carlucius Comparatus Magistratuum onera à Ladislao accepit. Quædam ex Minutola familia, huic familię matrimonio coniuncta est. COPPOLAM, cum alijs antiquis familijs anno 1255. atque Iudices in ea legimus, quibus nobilitatem fuisse adiunctam, alij ex nobilibus familijs Iudices patefaciūt. CORONATAM, quę nuper ex Angro eò se contulit. LONGOBARDAM, Gaurani quoque, totaq. vicinia nobilem, quæ à Longobardis qui varijs Italiæ locis consedere, originem ducere profitetur, cùm præcipuè Longobardorum iure, veluti etiam Salerni, ciues aliquandò vixisse affirment. Andreæ Longobardi ab hinc ccc. annos in quodam lapide mentio fit in æde Cathedralis Ecclesiæ, quæ ad Scipionis, & aliorum ex Longobardis iura spectat. Is est eiusmodi,

Coppola.

Coronata.

Longobarda.

Hic requiescit Iudex Andreas Longobardus, qui in vltimo vitæ suæ dimisit quædam bona sua in hoc altari maioris Ecclesiæ Stabiens. tali codicillo legauit Missas tres quolibet die in perpetuum per Sacerdotes secundum quæ continentur in clausula testamenti sui. An. M. CCC. XIIII. Die xvij, Decemb. Ind. xiij.

seruaturq. in D. Catelli ædicula nouæ Basilicæ. Bartholomæus Longobardus Caroli tertij Regno, anno 1382. Calabriæ Quæstura, & Magistri Rationalis munere functus ei pecuniam calamitoso tempore mutuauit. Gratias ingentes per litteras Rex egit, multaq. honestissima concessit. Galeotum Longobardum, & Orlandum Mormilem Ioanna Regina anno 1419. ob multa pro Regni dignitate gesta multis honoribus decorauit. Ex Franconis Longobardi filio Annicchino, qui Franciscum, Raphaelem, Aloisium, & Ioannem habuit, Cæsar, Fabricius, Scipio, fratres, alijq. Longobardi in Castromari commorantes, Ioannes Baptista, Aloisius, Ioannes Laurentius, atque Ioannis Baptistæ filij dimanarunt, atque ità SenatusConsulto decretum. Annicchinus Sicardæ familiæ matrimonio coniunctus est, natiq. liberi Oliuerius & Paris, Oliuerij filiæ Hippolita, Iulia, & Lucretia; vna Antonio Felici Vaccario Stabiano, alia Antonio Felici Carmignano ex Montis Neapolitano Sedili nupta;

tertia,

tertia, quæ virgo interijt. Paris qui Ferdinãdo Regi charus fuit, Camillam Afeltriam in matrimonium duxit, quæ Marcum & Iacobum liberos procreauit. Marcus absque liberis decessit. Iacobus Neapoli in D. Claræ fratri Paridi marmoreo lapide parentauit. Ex Iacobo, & Deianira Buccina nobili Neapolitana, Cæsar, Fabricius, & Scipio orti sunt. Cæsar immatura morte peremptus est. Fabricius in Belgio pro Rege Catholico obijt. Scipio Portiam Spinam ex Nilo vxorem duxit; ob Iacobi patris merita à Carolo V. Stateræ, Modijs, & Mensuræ in Castromari munus accepit. Ex his coniugibus, Octauius, Iacobus, Ioannes, & Petrus in lucem prodiere. Hinc posteri cum familijs nobilibus Sanmartina, Auitaia, Plagesia, Coppula, Nocera, Vergara, Certa, matrimonia celebrarunt. MARCHESIAM, quæ nobilissimè ibi vixit. neminem habet hac ætate superstitem, præter insignia in aliquot ædibus. De MASSO familiam quæ antiquitùs Gaurani floruit, vndè nobilem trahit originem. Candidos habuit iurisperitos Bartholomæum, mox Paulum in Neapolitana magna Curia Iudices Criminales. Nobilissimis familijs Mormili, Miroballæ, Afflictæ, Alexandræ Neapolitanæ; Santomanghæ Salernitanæ; Guardatæ Surrẽtinæ; Certæ, Vaccariæ Stabianis matrimonio coniuncti sunt. Iurispatronatus peramplos, domosq. magnificè exstructas primogenitis è familia addictas Castromari possident, quæ profectò familiæ nobilitatem præseferunt. MEDICAM. Egregius miles Marinellus de Medicis de Castellomaris, in Actis Neapolitanorum Regum, qui ex Mormili familia vxorem duxit. Indè originem duxisse aiunt Camillum, causarum patronum illustrem, qui sibi calculum incidi quadragenarius passus est. Non multos annos superuixit, obijtq. cùm in Consiliariorum numerum à Philippo II. esset adscriptus. MIRAM, vel è MIRO. Antonella Monterisij Comes, quæ duos sibi viros adiunxit, Petricassum Barrilem, & Ciccum è Burgo Regni Vicarium sub Ladislao, & Piscariæ Marchionem, eiusque exercitus Præfectum anno 1390. Filiam ex ea habuit Ioannellam Aquinæ familiæ coniugio copulatam, ex qua Vastios & Piscarios descendisse, scribit Ammiratus.

Marchesia. *De Masso.* *Medica.* *Mira.*

Mõtanaria. MONTANARIAM, quam nobilem ſemper fuiſſe, eius familiæ priuilegia oſtendunt. Ioannes Montanarius cum multis Surrentinis nobilibus ad belli ſubſidia Carolo I. pecuniam mutuant. Bartholomæus Montanarius miles ſub Carolo II. cuius controuerſias cum Renfortiato de Caſtellano, & Vgonem de Baucio ſedandas committit Nicolao de Iamuilla anno 1306. Sub Roberto 1336. Franciſcus & Nicolaus Montanarij cum multis nobilibus Caſtrimaris Regem adeunt, rogantes vt quod ſoluendum iuſſerat, abrogaret. Idem Rex anno 1338. *Baiulis & Iudicibus de Caſtromaris* ſcribit vt iuſtitiæ Petri Montanarij de Caſtromaris contrà Primicerium Stabienſem conſulant. A Carolo Illuſtri Regni Vicario, & Roberti Regis filio Butius Mõtanarius Magiſtro Iuſtitiario commendatur, in ijs quæ ad eius feuda à Regia Curia præſtita, pertinebant. A Ioanna anno 1344. Seneſcallo Comitatus Pedimontis Philippus Montanarius etiã commendatur, qui vt fidem Regiæ Maieſtati ſeruaret, in vinculis detentus, multa damna pertulerat. Neapoli ad Capuanæ Sedile habitatorem V.I.D. Dominum Paduanum Mõtanarium reperi anno 1498. Aſcanius Montanarius duas in Caſtromaris Franciſcanorum Baſilica poſſidet ædes, vbi hoc legitur epitaphium,

Domino Ioanni Baptiſtæ Montanario Stabienſi virtute inſigni, patriæ charo, Ioannes Nicolaus, & Ioannes Angelus germani fratres conſtructa ædicula hac, eiuſq. iuſſu tranſlata antiqua generis cappella ad perpetuam memoriam tanti viri eorumq. familiæ poſuerunt anno D. 1591.

Nucera. NOCERAM. Hæc familia ſub Carolo I. & II. & Roberto, abſque patria reperitur. Ex Gallia Nuceriam, indè in Caſtrum maris profectam aſſerunt. Sub Alfonſo I. Rege Petrus Ioannes Nocera legitur eiuſdem alumnus & familiaris, cuius filius Petrus à Ferdinando I. Alfonſo II. Ferdinando II. & Federico, triremibus præfectus, Caſtrimaris portum à prædonum incurſionibus cuſtodiebat. Eidem Caſaſana (Regum deliciæ) & vectigalia aliquot in ea ciuitate conceſſa ſunt, quæ omnia à Petro Ioanne iuniore anno 1598. tranſactione facta, ad Parmæ Ducem trãslata ſunt. Et omnes ex ea familia ſe Neapolim tranſtulere. Eas ædes

Robertus

Robertus Rex ædificauerat in qua à paralyſi ipſe liberatus eſt. Multa ornamenta addiderunt Carolus Illuſtris,& Ioanna I. Et meritò locus ab effectu nomen conſequutus eſt. In Melitenſi oppugnatione Ioannes Angelus eques Hieroſolymitanus admirabilem ſe pugnando præbuit. PANDONAM antiquiſſimam nobiliſſimamq. dominiorum amplitudine,maiorum geſtis præclaram,cum Aquinis,Baucijs,Aquiuiuis,alijſq. illuſtribus coniunctam. Poſt Aquinos, Sangrios, Azzias collocat Ammiratus. Quam etiam Venafrani & Bouianenſis Ducatus inſignem,Longobardam idem exiſtimat, quod Pandolfi & Adinolfi nomine omnes ferè appellantur. Eius elogia volumen expoſcunt. Ioannes Vincentius Pandonus Stabijs degit. PLAGESIAM, quam & Plagenſiam dictam in antiquis diplomatibus inueni. RICIAM familiam duo Michaeles ſenior, atque iunior illuſtrarunt, licet Chriſtophorus Landinus in Dantis vita, familiam Riciam Amalfitanam eandem eſſe aſſerat cum ea quæ cum Carolo primo Rege in Regnum Neapolitanum perducta eſt. Iulianum Michaelis ſenioris patrem fuiſſe,coniectura prouiderunt, cuius in D. Mariæ Nouæ hæc erat memoria antequàm templi ſolum verſum eſſet, *Pandona.* *Plagesia.* *Ricia.* *Iulianus Ricius.*

Hæc eſt ſepultura Magnifici Militis Domini Iuliani Ricij de Neap.& ſuorum antiquitate deleta.A.D.M.CCCC.LII.

verba indicarent aliam fuiſſe familiam, quandò in eo Iuliano deleta fuerat ſuorũ antiquitas.Illud tamen verum eſt,Iulianum Ricium de Caſtromaris de Stabia Neapoli eſſe commoratum. Conſtat verò Michaelem apud Reges Aragoneos plurimùm valuiſſe. Ab Alfonſo I.cum Florentinis pro Venetis bellũ gerente Orator cum Marino Caracciolo ad Pontificem de Italiæ pace acturus,commemoratur à Bartholomæo Facio;qui annus Angelo Conſtantio eſt 1452.& 1453.Tunc ſiquidem ſupremo Regis Conſilio præerant peritiſsimi Iuriſconſulti Baptiſta Platamones Vicecancellarius,Valentinus Claues Regiam Cancellariam Regens (antè Regis Catholici ætatem Regentes reperiuntur) Nicolaus Fillac,& Michael Ricius anno 1449.vt in Annalibus Alfonſi affirmat Zurita. Anno 1445.in Actis Alfonſi,*Conſiliarius* *Michael Ricius.* *Regētes Cancellariam.*

rius dicitur. Anno 1449. *Locumtenens Conseruatoris generalis Regij Patrimonij*; tùm etiam *Consiliarius*. Anno 1450. *Locumtenens, Regius Consiliarius, & Viceprothonotarius*. Anno 1453. *Orator pro Rege Italiæ*, &, *Orator pro Rege Italiæ in Tuscia*. A Pio II. *Orator ad Imperatorem, & Dietam* dicitur. quamuis corruptè legatur, *Pitius*. & addit, *In vituperando quàm in laudando fuisse Oratorem vehementiorem*. Extant de ea legatione, Regis litteræ. Sed anno 1454. ad Marinum Caraczulum S. Angeli Comitem, & ad Michaelem Ricium Consiliarios & Oratores scripserat Rex, vt cum ipsi, atque Oratores Allobrogum Ducis, & Veneti, de peragenda pace coram Pontifice adesse deberent, Allobrogum verò Oratores id recusarent, quid ipse in ea re sentiret, intelligerent. Cùm scilicet Allobroges interesse nollent, Marinus, Michael, atque Oratores Veneti interessent.

Venetorum, & Allobrogũ pax.

Sibi, Venetisq. placere pacis condiciones cum Comite Francisco, & Florentinis recipere, si tamen ij sibi Parmam, Venetis Cremonam, Comiti Iacobo Placentiam ceteraq. oppida quæ Veneti petierant, Carolo, & Nicolao Guerrerijs, & Corregij Regulis fortunas quas abstulerant, restituere noluissent. Anno 1448. Gaurani (*Gragnanum* dicũt, *Granianum* Panhormita) Tillus, Nicolaus, Aloisius Pimontani, eius oppidi Sindici, sacramento à Michaele Ricio de Castromaris adiguntur pro Rege cui fidem pollicebantur; Ioanni item de Miroballis, Neapolitàno, Letterensium, Gauranorum, & Pimontanorum Regulo. Eodemq. die idem præstiterunt Michaeli, Francani, Sindico ex Mira familia constituto. Apud Oliuetanos Neapoli hoc legitur epigramma,

Ioannes de Miroballis.

Antonio Ricio Archiep. Rhegino & Michaeli Ricio militi ac Iureconsulto clarissimo patruo & patri Ben. Perloisius Ricius V. I. D. sacrum hoc instituit. M. CCCC. XCI.

Post Michaelis obitum, Fredericus Imperator Perloisio concesserat, quod pater munus obtinuerat, vt scilicet spurios in Regno Neapolitano legitimaret. Quod etsi Alfonsus I. confirmasset, Alfonsus tamen secũdus reuocauit, vt scribit Afflictus. Et cùm de Vicariæ Curia agitur eodẽ anno, hæc in Actis Neapolitanis leguntur;

Decis. 118.

leguntur; *Magna Curia Vicariæ regebatur in quodam hoſpicio ſito & poſito in platea S. Georgij ciuitatis Neap. iuxtà domos quondam Magnifici Legum Doctoris Domini Michaelis Ricij de Neapoli.* Anno 1465. obijſſe ſcribunt. In oppidum Caſtrimaris Ricios profectos Neapoli plerique cenſent, proptereaquòd Ioanna prima multos fundos in eo agro dederat Humberto Ricio eius pincernæ (quem etiam Cambellanum dixerunt) ob egregias eius virtutes, & res benè geſtas. Addunt cum fundis ei datum Francorum Caſtrum, quod non longiùs Stabijs abeſt.

Aedes Vicariæ.

Humbertus Ricius.

Alterum Michaelem Ricium claro genere Neapoli natum ex Nicolao, & Muliella Curiali Surrentina reperimus. Michaelis ſenioris virtutum æmulus poſt varia litterarum ſtudia, quibus ſedulam operam ab ineunte ætate nauauit, legibus tandem addictus, Doctoratu ſumma cum laude & omnium admiratione inſignitus eſt. Quem cum doctrina & moribus ſplendidum reperiſſet Aloiſius de Ormignacca Dux Nemors, & Ludouici XII. Gallorum Regis cui Neapolitanum Regnum obtigerat, Locumtenẽs, Conſiliarium, & ſacri Conſilij Viceprothonotarium creauit. Tanta cum dignitate Magiſtratum geſſit, vt Regni prouinciam Rex Michaeli commiſerit, nihilq. ipſo inconſultò egiſſe viſus fuerit, cùm ſeſe grauior occaſio obtuliſſet. Quod Ianus Parrhaſius vir eruditus, hiſ verbis expreſſit in epiſtola Michaeli dicata; *O verè felicem Campaniam noſtrarum partium rebus ex voto ſucceſſis, ſi contigiſſet abſte diutiùs adminiſtrari. Non enim magis Athenæ Solonis, Sparthæ Lycurgi conſilio, quàm noſtra Reſpublica tuo floruiſſet. Iniqua mehercule ſors hominibus noſtris inuidit* &c. Robertus Sanſeuerinus Salernitanorum Princeps oppidum Trecchinæ in Lucania anno 1501. Michaeli dono dedit, aſſentiente Duce Nemors, qui Regias vices gerebat. Poſteà etiam inter Nili Sediles nobiles adſcriptus eſt, quod eius anni menſe Septembri publico diplomate factum. Cùm verò de Regni diuiſione inter Chriſtianiſſimum & Catholicum Reges cõtrouerſia orta eſſet de Peucetia, atque Daunia, & cùm Iuriſconſultorum ſcripta vtrinque doctiſſima circumferrentur, Michael ſui Regis iura ſcriptis tàm doctè & auda-

1502

Ricij in Sedile Nili adſciti.

anno 1526.

cter

Hier. Zurita lib. 4. Chronic. c. 66.

cter tutatus est, vt arrogantiæ crimine à Zurita fuerit notatus. Regi verò adeò charus, vt multis eum ornauerit Magistratuum honoribus veluti agnomina declarant, cùm fuerit appellatus, Excellens V.I.D. Dominus Michael Ricius de Neap. *Christianissimi Regis in suo magno Consilio, & Curiæ Parlamenti Burgundiæ Consiliarius, Præsidens Prouinciæ, Mediolani Senator, & in Regno Neap. Viceprothonotarius.* Pulsis Gallis à Ferdinando Rege Catholico anno 1503. Michael Ludouici Regis de se optimè meriti partes in aduersis rebus sequi deliberauit. Quapropter posthabitis vxore, liberis, atque fortunis, in Galliam se contulit, vbi summo loco semper habitus est. Missus ab eodem Rege Orator ad Iulium II. Pontificem, de eius electione congratulaturus. Ad eundem iterum de Neapolitano Regno recuperando. Vt autem omni se doctrinarum genere imbutum ostenderet, historiæ conscribendæ incubuit, scripsitq. de Regibus Francorum, Hispanorum, Hierosolymitanis, Neapolitanis, & Siculis, tùm demum Vngaricis; quæ in otio illo Romano dùm Legatione fungeretur conscripsisse confirmant. Reuersus in Galliam anno 1506. Orator ad Ianuenses Gallorum tunc Imperio subditos legatus est, ad sedandas ciuiles discordias inter nobiles & populares. Deindè ad Florentinos anno 1508. Tandem anno 1515. Parisijs obijt. Veneni suspicionem multi afferunt. Ioannes Sebastianus filius Neapoli in Diui Dominici ædem dicauit cum hoc epigrammate,

Michaeli Ricio Ciuilis Pontificijq. iuris consultissimo, in Italia & Gallia amplissimis bonoribus functo, Io. Sebastianus patri benemerenti. Anno 1515.

Eius domus in Castromari est cum insignibus Riciorum, quæ ipse vidi, & vendita domus Francisco Comparato seniori. Ciuem fecit Castrimaris Ladislaus anno 1412.

Rosania.

ROSANIAM è Gaurano profectam, quæ multos varijs habuit temporibus homines memorabiles. Andream Rosaniam Iurisperitum anno 1390. Paschasium anno 1425. Nicolaum Franciscũ Alfonsi Regis Secretarium, atque Regni Vicarium, quem multis in litteris Spectabilem virum appellat. Hic idem publici

Tabel-

Tabellarij præfectura apud Ferdinandum II. functus est anno 1406. quod ratum etiam Federicus habuit anno 1407. qui nobilem, egregium, fidelem, & plurimùm dilectum appellat. & Andream qui miles dictus anno 1510. SANSONAM, ex qua aliqui in Castromari, aliqui Neapoli degunt, & quæ à Senisibus in Lucania originem ducit, vbi cum alijs nobilibus familijs viget. Ex multis argumentis eius nobilitas claret. In D. Francisci in æde quæ Sansonum dicitur, hæc leguntur, *Sansona.*

Hæc est sepultura Magnifici Bernardi & Siluestri Sansonis patrum, de ciuitate Castrimaris an. 507.

Ioannæ Caroli V. Cæsaris matri Sansones acceptissimo fuisse, multa ostendunt, tùm præcipuè Amelius ille quem Maioris Cappellani dignitate eadem insigniuit, extantq. ea de re ad Castrimaris Vicarium litteræ, quibus Regina quanta eum beneuolentia prosequeretur, ostendit. Eidem agrum ad ciuitatis mœnia concessit, quem Sansones possessionis iure sibi vendicant. Iura possident patronatus quæ ad tantam temporum antiquitatem accedunt, vt instituens Antonius Laureus Episcopus Decium Sansonem S. Angeli beneficio, cui Ioannes Iacobus præcesserat à Christophoro Sansone præsentatus, asserat, *ad aures eius peruenisse quod à tanto tempore cuius memoria hominum* &c. Ioannē Aloisium celebrarunt Campania, vicinæq. Prouinciæ Magistrū Portulanum, cuius munera Aloisius Ram S. Agatæ Comes obierat. Neapolis prætereà Doanerium honorauit. Ab hinc octuaginta annos Vicarij, Archidiaconi, & Cantoris in Ecclesia Castrimaris officia Sansones gessere. Nec prætermittam Ioannem Antonium, qui apud Belgas multos annos militiæ gloriam præclarè gestis ostentauit. Illustribus familijs huiusmodi coniuncti sunt, vt anno 1485. Rainaldus Corneliam Riciam vxorem acceperit, cuius nobilitatis paulò antè meminimus. Cum Rocchis itidem copulati, quorum memoriam D. Ioannis ad Carbonariam templum memoriā seruat. Cum Sassis apud Scalenses & Rauellenses clarissimis quos Lucius Sassus Cardinalis amplissimus illustrauit, cuius frater vxorem ex hac Sansona familia vxorem duxit. Et cum Coronatis,

ex quibus nobilissimis Iuliam Franciscus habuit. Aureus Leo eius insignia sunt, super maritimas vndas pedes habens, duasq. super caput albas rosas, atque in medio stellam, cuiusmodi in eorum sepulcro cernuntur, & in D. Dominici Neapoli vbi sepeliuntur, multis redditibus relictis. SCAFARTAM, de VRSO, NAPOLDAM, LAVREAM ex Antonio Episcopo cum alijs familijs inter nobiles reuocandas, in diplomate reperio anno 1570. quod in D. Francisci publicè à nobilibus Castrimaris cōfectum, legi. & De ROGATIS cum his etiam eadem de causa numeratam, & antiquiorem anno 1284. sub Carolo Illustri. SICARDAM, quæ Rinaldum habuit, qui fortunatissimi Malitiæ Carrafæ filiam vxorem duxit. Cum Gambacurtis matrimonio fuisse coniunctā omnes norunt. VACCARIAM, in qua milites dicti sunt antè Aragoneos, & Prothontini, rei maritimæ præfecti quasi Admirati. Sub Alfonso primo, Bartholomæus Summariæ Præses. VERGARAM, quæ inter alios suæ gentis nobiles, Ciardullum Militem habuit sub Alfonso I. TRENTAMOLLAM, iàm extinctam. YCYAM familiam antiquissimam ostendit lapis in maiori Ecclesia Stabiensi tempore Conf. Lamp. & Orestis.

Scafarta. Vrs. Napolda. Laurea. De Rogatis. Sicarda. Vaccaria. Vergara. Trentamolla. Ycya.

AEQVA. Cap. XI.



AEQVAE montes facillimè huiusmodi Matthæus è Capua Concanorum Princeps æquauit, vt pedibus, equo, rheda ferè iter conficiatur. iter arboribus, fruticibusq. conuestitum; frigidarum perennitate multis in locis irriguum. Aut littus præternauigant, in quo sulphureas passim aquas sub scopulis emanantes sæpè sum admiratus, colore, atque odore mare inficientes, quarum frequentia vereri potui ne aliquandò ignis ex ijs montibus erumpat, cùm tot minerarum genera ibidem consideremus, quæ κρατῆρας obijciunt, loca scilicet ignita quibus Campanos sinus abundare scribit Strabo, quibusq. loca quæ contrà sedent ad Vesuuium lacrimabilia exempla edidere. In eodem littore duo petrarum habent genera quas ad calcem conficiendam multis

passim

passim fornacibus excoquunt; altero, ædificijs consolidandis perutile; altero in eo littoris tractu inter Aequam atque Surrentum, quo vdo dealbandis parientibus vtuntur Neapolitani, vt indè profecta Neapolis vulgari prouerbio dicatur. Subrufa petra Aequensis est, ex qua solidiorem calcem oriri ædificantes sunt experti. Montes itaque inter Stabias & Aequam ea maris parte steriles, petræ tamen hac fertilitate fœcundi. Sed quò viciniùs cum Aequa cõiunguntur, eò vberiores atque amœniores videntur, tãta fructuum copia, sapore, excellentia, vt Stabianis, Surrentinis, alijsq. præstare iudicentur. Arduus inter eos præeminet scopulus in quo Aequam (Vicum nominant) conditam cernimus. Stabianæ atque Surrentinæ ętati eius quoque ędificiũ tribuunt, vt omnem oram Gręco Vlyssi voueamus. At Herculi Marinus Freccia vouit, cùm ait, *Dùm pro Regis munere ad hanc Stabiensem vrbem, & per quinque miliaria morandum properarem, reuisi eo itinere Aequensium vetustates, & veteris Ecclesiæ Basilicam, rectiùs censui Herculeos ibi fuisse hortos quibus Hercules delectabatur, & Vicanos ex Hercule genus trahere*. In Stabiano autem diximus promontorio à Plinio fuisse templum Herculis constitutum; & Herculeam vrbem Herculanium potius quàm Aequam ab Ouidio appellatam mihi persuadeo, licet Herculis toto illo littore relligio fuerit celebris. Antiquam vrbem fuisse, vetera ostendunt ædificiorum monumenta, & sinus ille ab antiquis proceribus atque Imperatoribus habitatus.

Nouam ciuitatem à Carolo II. anno M. CCC. ædificatam ex inscriptione patet, quò sæpissimè ad animi tranquillitatem diuertebat, vbi quòd suos nobiles multis honoribus decoraret, nobilioribus viris frequens facta est, Sedili constituto, quæ tamen antiquata est nobilitas, licet nouo ædificio, à Principe quem commemorauimus fuerit splendidissimè nobilitata. Quamobrem ciuitas præter loci amœnitatem pulcherrima ad libella compitis, domibusq. posita, terdenario numero plateis, quadratis domorum positionibus, parochijs, pagisq. distributa, numero impare gaudentis sit naturæ locus. Aprico, & clemen-

tiſſimo cœlo, hilari atque vberrimo agri ſolo, delicatiora poma, delicatiſſima vina profert, qualia reguſtari ad ſanitatem,& ad voluptatem deſiderantur; quæ tametſi Surrentina quoque veteres appellauerint, omneſq; illos colles dixerint Surrentinos, hac nihilominus ætate proprium ſibi nomen compararunt, & vina Vicana, Ametiſti nitori æmula, cum omnibus generoſis vinis contendunt.

Aedes idcircò Ioanna II. ibi ædificauit, Regulorum nunc domicilium, Principis nunc Muſæum atque oblectamentum. Admirabile in altiſſimo ſcopulo ædificium, illuſtriſſima Bibliotheca, pulcherrimis Statuis, pictiſq. tabulis maximorum pictorum ſtudio elaboratis, ornatum. Bibliotheca helluonem eum librorum indicat. At quos libros deuorat? quibus omnes enumerantur diſciplinæ, quibus recondita atque abſtruſa edocemur, quibus inquam ea curioſi noſcere poterunt, quæ ad Sechnuphidem Heliopolitanum vt noſceret magnis emenſis itineribus acceſſit Plato. Inter Statuas quas præclaras vndique coegit Antinous ille præclariſſimus à doctiſſimis in eo ſtudio viris habetur. Quis verò tabulas obijciet? An verò beatior Aequa in ea re non iudicanda eſt quàm Neapolis cùm ſacrarum imaginum pictura florebat, quam Philoſtratus deſcribit? Omnium ibi ſummorum Pictorum monumenta cernes. Raphaelis Vrbinatis tabula in qua B. Virgo, filius, Ioannes Baptiſta, & D. Anna, in quibus nihil deſiderare ſpectator queat. Tabula rotunda, in qua Mariæ, CHRISTI, & Ioannis imagines quam Puteolis in æde Dominicana inſpexeram, in qua aliquid detrimenti ſulphure ab euaporatione colores acceperunt. tabula in qua eædem imagines & ancilla turturas ferens. aliæ pulcherrimæ icones, Ecce homo, D. Catherina, Saluatoris vultus, & Magdalena. Titiani tabulæ illæ nobiliſſimæ, D. Sebaſtiani, quæ in D. Marthæ Neapoli erat. D. Catherina quæ ſponſa efficitur, qua nihil profectò cultiùs. D. Bonauenturæ, & Diui Thomæ Aquinatis. D. Rocci in pagina delineati. CHRISTI crucifixi, & Titij ad ſaxa deuincti, quæ omnia Titiani opera ſuperaſſe iudicatur, præter eius exemplar è ſpeculo effictum.

Ad

Ad huius venustatem & dignitatem accedit Andreas è Sarto, à quo Dominica Pietas (vt vocant) doctissimè depicta est. Virgo præterea, CHRISTVS, & D.Ioannes, D. Sebastianus, brachium modò nudum ostendens, saggittamq. manu tenens. Accedit & Corregius, qui depinxit Virginem filium brachijs amplectentem, & Angelum cum eo ludentem. Alteram Virginem cum CHRISTO interula indutum. Ibidē Francisci Saluiati, CHRISTVS, Mater, Angeli, CHRISTVSQ. Crucem baiulans. Lucæ Cangiaschi tabula in qua Lazari resurrectio; alteraq. in qua resurrectio filiæ Archisinagogi. Iacobi Pantormi B. Virgo cū filio qui sugit vbera. Perini è Vago, *Noli me tangere*. Bassani, IESVS mortuus, qui ad sepulcrum defertur, idemq. qui Crucem tulit, aliaq. multa. Parmigiani, idem Saluator crucifixus. Tintoreti, Magorum munera. Baptistæ Dossi, Maria natusq. Tadęi Zuccari Dominica sepultura. Israellis B. Virgo cum filio, diuoq. Ioanne & Epiphania. Sodomæ, Magdalena. Boccaccini, Virgo, filius, Martha, Magdalena, D. Antonius, & Iacobus, Sebastiani è Plumbo, Saluator crucē sustinens. Martini Belli, Mater Virgo, natus, Angeli, D. Catherina, & Barbara. Iulij Clouij, Ecce homo. Alberti Durerij, D. Hieronymus, IESVS sponsam D. Catherinam efficiens, duorum nepotum exempla lectissima. Lucæ ab Olanda cuiusdam viduæ, & Caroli V. & vxoris effigies, quibus nihil pulcrius existimari potest. Bronzini Florentiæ Ducis filiorum exempla admirabilia, quæ in Antonij Nauæ Musæo anteà seruata fuerant. Michaelis Angeli Bonaroti cultissima cuiusdam mulieris imago, & rubeo lapillo pagina signata. Fabricij Sanctæfidei, Comitis Mirandæ, vxorisq. ad viuum depictæ imagines. ne alia eius generis commemorem, quæ mehercules libro indigerent. Quid ergo potest Aequa nobilius excogitari, in cuius paruo ambitu preciosarum rerum promptuarium quotidiè conspicimus? Quid eo Principe augustius, qui Leones, Vrsos, Tigrides eò aduectas Romanorum Principum exemplo in spectacula ludosq. profert, vt scopuli fastigium Amphitheatrali scena videatur exornasse? Qui etsi ibi nobiliores habitauerint donec Carolus V. cuidam Germano præceptore suo

oppidum dedit à quo Andreæ Carrafæ S. Seuerinæ Comiti est venditum, qui absque liberis decedens heredem Ferdinandum S. Lucidi Marchionis filium instituit; cum in suam potestatem redegit magnarum rerum nobilitate amplificauit. Potior Parochia in ea est Sanctorum Cyri & Ioannis, qui vt Patroni à Vicanis honorantur, & coluntur, atque ab Aequa ad nouam ciuitatem translata est à Carolo II. sedente primo Episcopo

Ioannes Ciminus Episcopus. IOANNE Cimino ibi orto, qui in sacrario in vrna marmorea sepultus est, & qui non diù superuixit anno 1301. decedens. Ruribus sacrarium dotauit, quæ ab eius iure hoc tempore longè sunt aliena. Ex familia posteri qui pauciores sunt iurepatronatus vigent. Præter Ciminũ anno 1314. Aequensis Episcopus pro decimis agit cum Comite Vici, qui coactus est soluere, quippè causa decumarum est spiritualis. Ab hinc centum annos

Episcopi. hi quoque possunt numerari. PTOLAEMEVS Ptolęmæus Senẽsis, Ferdinandus Marchesius Litterensis, Nicolaus Sicardus Stabiensis, Dominicus Blancus vel Casablanca Messanensis ex Dominicana familia, Antonius Sacra Melitensis ex eadem familia, Constantinus Lanoi ex Sulmonensibus Principibus monachus Casinas, & Paulus Regius Neapolitanus viuens, qui de Romana Ecclesia bonitate, doctrina, & prudẽtia, multisq. scriptis semper est benemeritus; cuius vitæ & saluti tot Sanctos præesse credendum est, quot ipse eorum vitas doctissimè conscripsit, & è tenebris elicuit, atque ità vt cùm multa recondita ignorarentur, sua ipsius industria & auctoritate cognoscuntur, cui in Martyrologio multis in locis Illustrissimus Baronius nititur. Aedi ornatæ & auctæ hanc addidit inscriptionem,


Paulus Regius Aequensium Episcopus, gente Vrseola, familia Regia Neap. nobili genere natus, scientia Theologus, professione Iureconsf. Huius Regni Sanctorum gestis conscriptis, aliјsq. sacris vigilijs piorum commodis in lucem editis, companaria turri ære suo erecta, splendore Cathedrali Ecclesiæ addito, humanæ condicionis memor, marmoreum sibi monumentum viuens hic poni mandauit. A. salutis M. D. LXXXIX.

Quatuor

Quatuor familiæ, Surrentina, Guindacia (in cuius extinctæ locum Ianuaria suffecta est)Longa,& Ferraria,creatum Episcopum, & in vrbem aduenientem excipiunt, & constituunt in Ecclesiæ bonis. Quòd si vna tantùm ex ijs in publico conuentu desiderata fuerit, nihil decernitur; mortuoq. alicui ex ijsdem, vniuersus Clerus parentat;alijs non item. BOZZAVOTRAM quoque familiam Vicanam nobilem esse cõtendit cum ea ciuitate Horatius Bozzauotra,qui Ioannem prçcipuè eius gentis multis honoribus à Ferdinando fuisse ornatũ, & diplomatibus & litteris ostendit. De MARTINO familię nihil mihi addendum censeo, sed cùm Aequę,Surrenti,Massæ reperiã,atque vbique eius mentio facienda sit, ne ijs in locis eadem repetam, hoc primo loco ea mihi dicenda persuadeo, quæ antiqua mihi offerunt monumenta. Etenim Surrenti, vbi & Dominimartina dicebatur, Antonellæ Dominimartinæ Ladislai Acciapacci vxori ex Castrimaris Doana dos addicta fuit anno 1448. & cum Hieronymo Acciapaccia plerique nobiles conueniunt, vt de ijs agant,quæ inter ipsos, & Magnificum Iacobum de Martino intercedebant. Et Massæ huiusmodi probatam eam familiam ostendit Gabriel de Martino, vt quid mihi prætereà de ea sit scribendum, ignorem. Ceterùm nec illud prætermittere volui, vt omnia ornamenta eam sibi familiam comparasse affirmem ab Anello de Martino, cuius virtus animiq. amplitudo effecit, vt Reipublicæ Neapolitanæ administrandæ non tantùm populi propensione, sed Principum etiam voluntate summa cum sua laude fuerit sæpiùs adscitus, ad publica negocia, publicos Conuentus, piorum locorum gubernationem, omnium votis euocatus, atque huiusmodi vt antiquæ Neapolis Demarchiam, summa cum integritate, & prudentia æquarit. Familiæ.

SVR-

SVRRENTVM. Cap. XII.



N amœnissimo Tyrrheni maris littore apricis hinc collibus, celeberrimo indè Crateris fonte septa Surrentina ciuitas, ædificij antiquitate, nobilitatis monumentis, situs felicitate, contrà Neapolim, in omnibus illi æmula sedet. Picentinorum olim metropolis, qui Surrento ad Silarum ad triginta millia passuum patebãt, Regium quodammodo nomen cum Campanæ gloriæ splendore maluit commutare, & secundas partes post Neapolim (qua in re cum Capua, alijsq. vrbibus in publicis Conuentibus contendit) quã primas in Picentinis obtinere. Quænam verò eius gloria in Picentinis fuisset, cùm nobilitatis stemmata ad Neapolitanam amplitudinem accedere, & veluti germina in eius vrbis glebis reflorescere debuissent? Habuit Neapolitana nobilitas Surrentinæ nobilitatis adiumenta, habuit illustrium virorum semina, quæ hac nostra quoque ætate, gloriæ fructibus vberrimè domi forisq. repullulant; vt si Cumanos habuisset Surrentum conditores, altera potuisset Neapolis appellari, quæ tamen à Græcorum delicijs, a Græcis condita non videtur esse aliena. Ab Vlysse enim conditam asserunt (licet ea de re nihil certi possit afferri) coniectura tantùm prouidentes, Græcum Ducem ædificato Mineruæ templo, Surrentinos colles, lociq. naturam admiratum, Surrentum aliasq. proximas vrbes condidisse. Annius in pseudoBeroso, Saræ mulieri Imperiali originem Surrenti tribuit, verax vt in omnibus. Quid si ab Oscis, Opicisq. antiquissimis Campaniæ populis, qui proximos quoque agros tenuere? Si verò ædificatorem ignoramus, antiquitatem nihilominus ex antiquis quæ in lapidibus historiarumq. scriptoribus supersunt monumentis, optimè cognoscimus.

SVRRENTVM itaque Straboni & alijs, Surentum, Σύρεντον Ptolæmæo vnica r, quasi Surenetum appellari, & Pontanus scripsit,

ſcripſit, & Sirenum patefacit habitatio, quamobrem lapides in ea regione olim Sirenum dicti, vt hoc habeat voluptuoſiùs hæc ciuitas, quòd cùm vna tantùm è Sirenibus Neapoli Parthenope contigerit, duas Surrentum habuerit, quaſi verò efficaciùs hominum animos allicere potuiſſet. A Sirenibus ſic fuiſſe dictam docet Papinius,

Eſt inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaq. Tyrrhenæ templis onerata Mineruæ.

Et inter ea loca Surrentinum Pollij collocat. Et Plinius, *Surrentum cum promontorio Mineruæ Sirenum quondam ſede.* Sireum Strabo appellat omnem illam oram quæ à Sarno flumine ad Mineruæ (nunc Campanellæ) promontorium, Stabias, Aequam, Surrentum, Maſſam, & paruas illas inſulas, quæ Salernitanum ſinum ſpectant, amplectitur.

SITVS.

Naturæ miraculo factum videtur vt quæ ciuitas ad voluptatem, atque animi tranquillitatem condita fuerit, quæ clementiſſimi cœli, & ſaluberrimi maris aura perflatur, colles qui à ventorum meridionalium, & occidentalium impetu regionem tuentur, omni fructuum genere vndique vberrimos habet, inter duos duriſſimo ſaxo montes erectos Vicanum atque Maſſanum huiuſmodi planiſſima in rupe haud altius è mari eleuata, variarum arborum lætiſſima, ſcena ridenre, quæ ad quinque millium paſſuum tractum exornat, eſt poſita, vt rupes leui è ſaxo quo Neapolitani concinnandis feneſtris vtuntur, in frigidiſſimis antris aquarum ſcaturigines ſuppeditet, oculiſq. ſe pulcherrimam veluti littorale murum obijciat. Patet ad Caurum planicies, quà nihil poſſe amœnius excogitari, qui viderint facilè exiſtimabunt; perpetuo enim continetur viridario, dùmq. eius iter terirur aut frondium opaco nemore contegimur, aut herbarum florida ſtramina premimus, aut fructuum ſuauitate ſaturamur. Indè Bacchus in craterem liquores fundit, indè tenerrimas vitulas lacte ſaginatas, turrita Cibeles, quæ ibi ſuas collocari ſedes

des à Deorum concilio impetrauit, non ad sacrificiorum ritus, sed ad iuuandos atque exhilarandos mortales tanta mittit cum liberalitate, vt tunc se diuitem præbeat, cùm delicatiori cibo voracissimè homines vescantur; cùm, inquam, sapidissimos fructus quorum tellus redundat excellentia & copia, terra mariq. viciniæ summa cum felicitate distribuat. Romana in antiquis aquæductibus magnitudo conspicitur, quandò per planiciem latericij operis ruinæ vagantur, & faciunt aquæ ad quarum bonitatem nullæ accedunt, varijs cursibus fundos irriguos, quarum perennitas maiori laude regionem reddit celebriorem. Percelebris idcircò Andreæ Romani fundus, qui Lyræ studio Iulij III. Summi Pontificis gratiam est aucupatus, cuiusq. turris Turcarum aliquandò impetum sustinens, dùm ciues fortiter pugnarent, ad septingentos ab eorum seruitute seruauit. Et Formellum Angrisanorum, Surrentinæ aquæ labrum. Percelebre Capuccinorum cœnobium, maxima cum pietate à Surrentinis ædificatum, cuius æde, hortis, habitatione, marisq. recessibus, nihil amœnius, nihilq. salubrius tota Italia reperiri omnes affirmant. Sed in eius rupis littoribus quid præclarius, quam in paruis specubus tot vinorum genera, quæ à varijs mercatoribus seruantur, quorum potum non niuis, non glacies, sed ipsa petræ frigiditas desiderabilem reddit?

Dùm in occidentaliori hac planicie Surrentum sedet curui longiq. littoris sinum veluti Amphitheatrum prospicit, Vesuuij fœdioris ruinas admiratur, Neapolitanorum ferè voces audit, Pausilypana viuaria dinumerat, Puteolana prodigia, & Baianas amœnitates speculatur, Misenatibus aquarum Castellis non inuidet, & æquoris alibi placidos recessus huiusmodi contemnit, vt cum Papinio in Surrentino Pollij dicat,

Mira quies pelagi, ponunt huc lassa furorem
Aequora, & insani spirant clementiùs Austri.

atque ità, vt cum Lyæus corollis redimitus littora, & antra petit, Nymphæ cochlearum thesauris comas implicitæ ex vndis ad Amores prodeant; & dùm suos ibi canistros Pomona connectit, Thetis omnia piscium genera ex algoso gurgite, vel odoris

scopulis

ſcopulis promit, vt nihil Surrentino ſolo, nihil Surrentino ſalo feracius aut iucũdius qui viderint, iudicare poſſint. Aequor ſcilicet nitidis aquarum fontibus, placidorum ſinuum receſſibus, ſcopulorũ viriditate & feracitate, vmbroſis ſpecubus, ex quibus dulcium aquarum guttæ extillant, aquatilium piſcatu celeberrimum. Mare inexpugnabilem vrbem reddit, ex quo vndique negatur acceſſus. Mœnibus, aggeribuſq. fortiſſimis è terra munitur, in quibus tamen ad quingenta numerantur capita; ſi verò pagos adſciueris, ad mille centum ſeptuaginta numerabis. Sed quid vrbem? pomarium potiùs dicam, quod vndique citria mala, & medica, floreſq. ſemper olet. ſuntq. & voluptati, & lucro, propterea quòd quicquid Surrenti naſcitur, non tantùm à Neapolitanis, ſed ab omnibus gentibus deſideratur. Quid aquæ Surrentinæ? Quid aquarum præclara illa monumenta viginti ſeptem ſeruatarum piſcinis, maximum Romanorum opus, maximum vrbis decus? Habeat Surrentum ex ſitu, ex rerum copia, ex ſua nobilitate ſplendores; nihil erit abſque aquarum admirabilibus piſcinis. In ipſo ingreſſu, non arcus, aut porticus hæc ciuitas adeuntibus, ſed nobiliſſimarum aquarum caſtella obijcit, quæ veluti Romæ triumphãtis lumina inter alios illuſtrium rerum radios nitent. Aquæ gelidæ, ſalubres inter ſe mutuò perbellè comeantes, perlucidæ, puræ, ſuaues, omnis penitus qualitatis expertes. tenues dùm bibuntur, & coquuntur facillimè, vt ab alijs aquis alienæ magis potatæ quàm guſtatæ delectent, & iuuent, & ſint medicamento bibentibus, nullam iecori aut viſceribus pondere, vel frigiditate moleſtiam afferentes. Quapropter non immeritò nobilium cœtus Aedilitio munere maxima ſollertia ijs vacat. Nihil tamen ſub cœlo beatum. Pulcritudinis ſpeciem omnem Surrentina ciuitas amiſit, cùm Piali Baſſanus anno 1558. idibus Iunij, die quo D. Antonij Patauini feſtum celebratur, cxx. longis nauibus præfectus, inſpectante Neapoli, barbaram ſæuitiam oſtentans, noctu inopinatò in vrbem impetu facto, ciuibus partim in captiuitatem redactis, partim perterritis, & in fugam per vicinos colles coniectis, Surrentum, Maſſamq. vaſtauit, diripuit, incendit, miſerrimamq. ma-

Horti Surrentini.

Aquæ.

Piali vaſtat Surrentum.

tronarum, & sacrarum virginum raptu calamitosissimo effecit. Nihil reliqui apud afflictos ciues fuit, quod ferociam & immanitatem sæuissimæ gentis non præsetulisset. Quodq. miserrimum existimabatur, à vicinis qui in eandem calamitatem inciderant, auxilium petere non licebat, à Neapolitanis expectare non poterant, terra enim frustra expectabatur, cùm longius iter prohibuisset; mari, quis paucis nauigijs, Imperatoriæ classi occurreret? Surrentinorum itaque maximus dolor erat, quod vxores, liberi, fortunæ rapiebantur; Neapolitanorum verò, quòd vicinis, affinibus, afflictis in eorum conspectu, opem ferre nullo modo valerent. Ad duo millia hominum captiua ducta sunt. *Surrentinorũ pietas.* Tanta verò fuit ciuium, qui reliqui erant, animi nobilitas, vt pietati consulentes, etsi in omnium rerum egestate essent constituti, omnes tamen illicò redimendos curauerint, maximos sumptus erogarint, Constantinopolim se contulerint durissimam ibi vitam multos annos degentes, vt in pristinam libertatem omnes ad vnum vindicarent; nobiliorem vitam absque diuitijs, quàm absque ciuibus & affinibus rati. Animi profectò magnitudinẽ omnibus in rebus semper Surrentini ostenderunt. *Pagi Surrentini.* Situm huius vrbis ambiunt Pagi, Prior, Formura, Cesaranus, Baranicus, Lauaturus, Casola, Sanctus Anellus, Gangarus, Carottus, Cassanus, Meta, Ponsmaior, Alimonus, Sanctus Ligorius, Sanctus Augustinus, Legitimus, Forma, Maianellus, Giomella, Cermena, Trasaiellus, Arbor, Mortorus, in quibus præter delicias, rusticarum viget feminarum cultus. Quinque in ijs sunt Parochiæ, S. Anellus, S. Archangelus, D. Maria Mortora, Trinitas, D. Maria Auri. Finitimis vrbana Parochia ministrat.

ANTIQVA RESPVBLICA, ET COLONIA.

Nihil vicinis Rebuspublicis Surrentina cessit, quæ Colonia quoque a Romanis deducta est, & quæ etiam Minicipiorum Magistratus habuit, vt ex antiquis lapidibus,

IMPERATORI. CÆSARI . . . TRAIANI. F.
. . . . SVRRENTINA. RESPVBLICA.

item,

item,

FLAVIO. FVRIO. FAVSTO. V. C. TRIBVNO
AB. ORIGINE. PATRONO
OB. MERITA. LABORVM. SVORVM. VNIVERSVS. ORDO
ET. POPVLVS. SVRRENTINORVM
STATVAM. NOBILITATI. EIVS
FACIENDAM. CVRAVIMVS.

ibidemq.

FLAVIO. GRATIANO. SEMPER. AVGVSTO
INSTAVRATORI. ORBIS. TERRARVM. PERPETVO
AC. PIISSIMO. IMP. D. N. ET. VALERIO
CONSTANTINO. MAXIMO. PIO
FELICI. SEMPER. AVGVSTO. VICTORI. AVG.
RESP. SVRRENTINOR.

In ſacra turri D. Antonini.

M. VLPIO. PVPIENO. SILVANO. V. C. CIVI. ORATORI
ORDO. ET. POPVLVS. SVRRENTINORVM
PATRONO. PRÆSTANTISSIMO.

Ad Portam,

IMP. CÆSARI. D. TRAIANI. PARTHICI
D. NERVÆ. NEPOTI. TRAIANO. ADRIANO. AVG.
PONT. MAX. TR. P. V. OPTIMO. MAXIMO. PRINC.
DECVRIONES. MVNICIPESQ. SVRRENTINI
PECVNIA. CONLATA.

In D. Antonini, in lapide vermiculato.

L. CORNELIO. L. F. MEN. . . N. . FLAMINI. ROMÆ
TI. C. . . AVGVRI. ÆD. II. VIR. QV. . . PRÆF. FABR.
BIS. HOC. IOC. . . . . CRVSTVLVM. ET. MVLSVM
POPVLO. ÆDILITARE. SPECTACVLVM. GLADIAT.
CIRCENS. EDIDIT. OB. HONOR. . . DECVRIONIBVS
MAGNAM. CÆNAM. L. QVINQVENNALITATE. SVA
LVDOS. . . . HVIC. DECVRION. PVBLICE. LOCVM
FVNER. . . ET. STATVAM.

In maiori Eccleſia,

ARRVNTIO. P. F. L. N. MEN. RVFO. EIEDIO. PROCVLO
VIXIT. AN. XXIIII.

HVIC. DECVRIONES. STATVAS. DVAS
ALTERAM. EX. PECVNIA. PVBLICA
ALTERAM. EX. ÆRE. E. POPVLO. CONLATO
IN. FORO. PONENDAS. DECREVERVNT.

ibidem,

Δ. E. M.
ΑΥΡΙΑΙΟΥC. IN ΠΕΤΡΑ ΤΟΥC. B.K.M. BEI....
ANO. H. MHZEC. S. ΔEI. N. KOZOYCIM BEIA
EIPHNA. MAPITO. BENEMEPENTI. IN. KET.

ibidem,

PIISSIMÆ. AC. VENERABILI. D. N. HELENÆ. AVG.
MATRI. D. D. N. MAXIMI. VICTORIS
AVG. CONSTANTINI
ET. AVIÆ. DD. NN. CONSTANTII
ET. CONSTANTIS
ORDO. ET. POPVLVS. SVRRENTINORVM.

ibidem,

COSCONIÆ. VOLVPTATI
COSCONIA. VOLVPTAS. MATER.

ibidem,

M. STABI. VIRI. CENTVRIONI
COH. II. PR. TRICENARI.

In quodam fonte.

CÆSENNA. GRAPHIA
HIC. SITA. EST.

Apud Archiepiscopum.

D. M.
QVALTERIO. SALVTARI. AVG.
PVTEOLIS. ET. CVMIS. ET. VALERIÆ. ERIFENAÆ
HEREDES.

In ædibus Francisci Vulcani.

ECTO. NYMPÆO. CVM. PLVMBO
SVRRENTIN. DEO.

aliud,

aliud,

D. M.
TARVLLO. TATENTI. NATIONE. SARDO
M. C. E. PRIMIS. HEREDES. B. M. F.

In D. Antonini.

PLOTIÆ. ELIBRODORÆ. CONIVGI. SANCTISS.
BENEMERENTI. EVCHRESTVS.

In D. Annunciatæ.

D. M. S.
GELLIÆ. MYRTALES. V. A. XXV.
L. GELLIVS. PRIMVS. CONIVGI. KARISS. B. M.

In D. Vincentij.

PROBÆ. SYNTYCÆ. F. C. EVEIVS
DIOGENES. LIB. PAT. V. A. LXXVI.

In quibus multa quæ ad antiquorum monumenta pertinent, elucescunt. Habemus Reipublicæ nomine etiam Municipium, cùm sub Gratiano Respublica dicatur, posterioribus enim hisce temporibus alio pactò Respublica Surrentina dicitur, quàm quo sub Græcos floruit. Quod clarius declarat *Ordo & Populus*, sub quo statu Helenæ Imperatrici vouent etiam Surrentini, veluti & Neapolitani, atque is lapis cùm Neapolitano conferendus est, hic enim illum declarat, quippe Auiam Constantini, & Constantis eam dicit, qui Cæsares tantùm in Neapolitano dicuntur. Patronos quoque Coloniæ leges, & M. Vlpium Pupienum habuere Surrentini. Gladiatorum habes spectacula, ludosq. Circenses, Quinquennalitatis præterea Magistratum.

ANTIQVA RELLIGIO.

Θεὺς φρήτορας, Deos Tribules Surrentinorum in Neapolitana relligione commemorauimus, vt eandem quoque Tribuum diuisionem in ea Republica Græco more factam non ignoremus. *Dij Tribules.*

HERCV-

Herculis. HERCVLIS templum inter Surrentum & Mineruæ promontorium describit Papinius,

Est inter notos Sirenum nomine muros
Saxaq. Tyrrhenæ templis onerata Mineruæ
Celsa Dicarchæi &c. -------

vbi sinum templis refertum existimo, cùm dicat, *Saxa onerata templis*. Templa quoque DIANAE & IVNONIS. Laudat enim Pollionem idem Poeta relligionis cultorem, qui cùm in TRIVIAE littore Surrenti conuiuia, festumq. diem parasset sub arbore, exortis nimbis ad tenuem ALCIDIS casam, quæ templi nomine vocabatur, conuiuæ sese receperunt, quos tamen omnes angusta ædes capere non potuit. Qua re commotus Pollio, qui Puteolos quoque & Neapolim templis ornauerat, Herculis ædem vix anni spacio tanto ornatu amplificauit, vt cum alijs templis pulcritudine, & magnitudine contenderet. Mons in eo ædificio excisus est, iter inter saxa facile redditum, arenæ addita frequentia,

Diana. Iuno.

Pollio Surrentinus.

---- quod solidus contrà riget vmbo maligni
Montis --------

Et, *O velox pietas. Steriles hic nuper arenas*
Aspersum pelago montis latus, hirtaq. dumis
Saxa, nec vlla pati faciles vestigia terras
Cernere erat. Quænam subitò fortuna rigentes
Ductauit scopulos?

Et Dijs dignam sedem ait, malarum fraudum insciam; Sidonio achanto puluinar textum, torum signis eburneis crescentem. Quid ergò marmoris, aut columnarum, quid ornamenti deficere potuit? Addit etiam Gymnicos ludos fuisse institutos, vt arenam illam athletarum vestigia sæpissimè presserint. Quid igitur non debent Pollioni Surrentini, qui non modò gratulantur, quòd

Ludi Gymnici.

----- angusto bisseni limite menses
Longæuum mirantur opus ------

& Pollionem ipsum dicentem audiuere,

Fortè diem Triuiæ dùm littore ducimus vdo.

& Io-

& loquentem cum Iunone,

Despicit, & tacitè ridet, mea numina Iuno.

ſed etiam hoc tempore eius nomen littus, antra, arenam reſonare audiunt, nam POLO à Pollione littus dicitur, in quo thermarum ſcaturigines, quibus arena obruti morbo affecti ſanitati recuperandæ incumbant. Atque ità Balneis quoque abundabat Surrentum, quæ nihil Puteolanis cedebant,

------- curui tu littoris ora

Clauſiſti, calidas gemina teſtudine lymphas.

Periere quidem; at Pollionis mèmoria nunquam erit intermoritura, & quod reliqui extat, illi viro Surrentini ſacrum ſeruare debent. Eundem Neapoli & Puteolis templa condidiſſe, huiuſmodi Papinius exprimit,

Tu'ne ergo largitor opum, qui mente profuſa
Tecta Dicarchæi pariter, iuuenumq. repleſti
Parthenopem -------

Surrentinæ Pollionis domus in qua ſaxa imitantia vultus, & viuentes ceras fixerat, in qua virides luci, & columnis diſtinctę porticus, pauimentum extare mihi retulerunt. CERERIS quoque vbi locus qui Caput cerui corruptè dici arbitrantur, & FORTVNAE delubra ibidem fuiſſe affirmant, quemadmodum NEPTVNI & APOLLINIS in ædibus Veſpaſiani Serſalis. Mihi quidem perſuadeo ſplendidiſſimam illam Rempublicam omni relligionis cultu fuiſſe ornatam, tùm præcipuè quòd cùm Tiberius Capreas inſulam incoleret, nobiles Romanos eò diuertiſſe, ædificaſſe domos, templaq. ſcopulos exæquaſſe, balnea extruxiſſe crediderim, quorum ruinæ plurimæ conſpiciuntur. Neſcio quid in ſuperiori lapidę legimus, quod ad eorum etiam relligionem ſpectare videtur, ECTO. NYMPAEO, *Surrentinorum Deo*. Neſcio quid etiam ad Sedile viderim in dimidia ex nigro lapide Statua, quæ inter crura baſim habet Aegyptijs characteribus & ſimulacris ſculptam.

VINA

VINA SVRRENTINA.

Vinorum Surrentinorum præſtantiam ad Falerna vina accedere innuit Papinius, *Lib.2.ſilu.*

Quà Bromio dilectus ager, tolletq. per altos
Vritur, & prælis non inuidet vua Falernis:

Eaq. in ſuis met calicibus bibenda proponit Martialis lib. 14.

Surrentina bibes? nec myrrhina picta, nec aurum
Sume, dabunt calices hæc tibi vina ſuos.

fictiles enim calices ex Surrentina creta fiebant. Quod *ſi Bromio dilectum agrum* dixit Statius, *Generoſos colles palmite Surrentino* appellauerat Ouidius. *Lib.15. Metam.* Vina, & colles laudat Columella; *Verùm & aliæ duæ geminæ, quæ ab eo quod duplices vuas exigunt, Gemellæ vocantur, auſterioris vini, ſed æquè perennis.* Earum maior vulgò notiſſima quippè *Campaniæ celeberrimos Veſuuij colles, Surrentinoſq. veſtit.* Et à Columella Plinius edoctus eſt. Meminit vini Surrentini Proculus Iuriſconſultus in lege fin. quæ incipit, *Qui vinum Surrentinum ff. de vino, tritico, & oleo legato.* Strabo hæc ſcribit; Καὶ μὴν τὸν οἶνον τὸν κράτιστον ἐντεῦθεν ἔχουσι Ρωμαῖοι τὸν Φάλερνον, καὶ τὸν Στάτανον, καὶ Κάλλιον. ἤδη δὲ καὶ ὁ Συρεντῖνος ἐνάμιλλος καθίσταται τούτοις νεωστὶ πειραθεὶς ὅτι παλαίωσιν δέχεται; *Quin & vinum optimum habent Romani Falernum, Statanum, Calenum. Neque hodiè Surrentinum quoque his cedit, quòd ætatem ferre nuper eſt exploratum. Longam habet vetuſtatem*, alia habet traductio. Ex eodem quoque cognoſcimus Surrentina vina ab Auguſti temporibus in vſu eſſe cœpiſſe. *Lib.1.* Athenæus de vinis Italicis loquens ait Surrentinum quinque & viginti annis anteà cœpiſſe eſſe potabile; & quia pinguedine caret, validèq. tenue eſt, vix matureſcere, & inueteratum ijs ſolùm eſſe vtile, qui eo continuè vtuntur. Vocem qua vtitur Athenæus, ψαφαρὸν, *Intractabilem & indomitum*, traducunt. Nihil profectò vino Surrentino tractabilius. Idem, Capuano vinum Surrentinum ait eſſe perſimile. Plinius tenue vinum illud eſſe teſtatur, conualeſcentibus

tibus

tibus idcircò maximè probatam. Tiberius Cæsar (quem meritò Biberium appellabant) dicebat consensisse medicos vt nobilitatem Surrentino darent, alioquin esse generosum acetum. Et nobilis Vappa à C. Cæsare dictum est. Dioscorides austerum appellat, ideòq. intestinorum, & stomachi fluxiones cohibere. Eam tenuitatem fæce Falerni leuari dixit Horatius, *Saty.4.lib.2.*

Surrentina vafer qui miscet fæce Falerna
Vina, Columbino limum benè colligit ouo.

Mollia vina appellauit Statius, *Lib.3 silu.*

Claraq. cum molli iuga Surrentina Lyæo.

FAMILIAE.

A Carolo primo Andegauensi, qui Regni nobilitatem secernere studuit, secreti à populo nobiles Surrentini, duo Sedilia consequuti sunt, alterum Dominouæ, alterum Portæ. In his quæ sequuntur familiæ æquè nobiles atque illustres numerantur. In altero, Boccia, Capicia, Carlina, Cortesia, Donursa quam Dominiursonam quoque dicunt, Eusebia, Mastroiudex, Molegnana, Nobiliona, Sersalis quæ & Dominisaris, Spasiana, Theodora quam Domini Theodoram etiam nominant, & Vulcana. Ex his, Boccia, Carlina, Eusebia defierunt, veluti & Arciafella, Auisa, Domini purpura, Scorsona, Domini Zucca. In altero, Acciapacia, Amfora, Amona, Brancia, Casamarta vel Dominimarta, Correalis, Falangola, Flora, Guardata, Marzata, Pellegrina ex Hieronymo & Octauio eius nepote, quem anno 1606. in pristinum eius Sedilis locum restituere, quem maiores obtinuerant. Defierunt, Domini Alexandra, Casamicciola, Domini dentices, Domini Lauinia, Domini Ligoria. Reperi etiam inter alias nobiles Surrentinas Domini Consulem, Domini Constantiam, Domini Martinam, & Scirifonam, in qua Milites dicti sunt de Surrento, & Trincabarrilem. Indè Neapolim multæ translatæ. Adhuc in Capuano Sedili reliqua Acciapaccia; & in Nilo, Capicia, Sersalis, Vulcana, veluti & familia Domini Vrsonis, quam in eius Se-

dilis centuriam fuisse antiquitùs adscitam, vetera lapidum monumenta, & insignia in D. Dominici Neapoli ostendunt, hoc quoque tempore eosdem petit honores, vt à Fuluio Donurso Surrenti sum edoctus, qui multa ea de re scripta mihi legenda obtulit.

ILLVSTRES VIRI.

Promiscuè sic multorum gloria Surrentinorum nitet.

Crassitius. CRASSITIVS Libertinus, Pasides appellatus, quem Suetonius scribit omni disciplinarum genere fuisse imbutum, & Romam accersitum ad iuuentutem illam instruendam, inter quos fuit

Donursus. Iulius Antonius M. Antonij III. Viri filius. DONVRSVS, qui ob multa egregia facinora contrà Sarracenos, qui Neapolim inuaserant, nomen Neapolitanæ portæ dedit, quæ ea ætate ad D. Petri Maiellæ erat; nunc translata Constantinopolitana dicitur. Quamobrem antiquissimæ ea familia nititur nobilitati, cùm præthereà anno 1100. Bernardo Domini Vrsoni cum nobilium militaribus insignibus sepulcrum in D. Dominici fuerit erectum, ibidemq. eius generis Francisco anno 1322. & Nicolao & Marellæ 1348. & in eodem templo ędes, fornices, columnæ à Ioanne Thoma Domino Vrsone restitutæ, & exornatæ.

1071 Sergius. Anno 1071. SERGIVS Dux Surrentinus Ecclesiæ Casinensis consecrationi cum Sergio Duce Neapolitano alijsq. proceribus adfuit. Ex familia Mastroiudice hunc fuisse asserunt, in mea tamen Ducum serie cognominibus ea ætate Duces non vtebantur, cùm etiam tot Sergij reperiantur Neapoli, & Amalfiæ, aliqua tamen diplomata ea familia insignita fuisse reperta mihi retulerunt. Et Ammiratus antiqua se scripta vidisse testatur, in quorum vno hæc leguntur, *Riccardo Præfecto filio quondam Domini Ioannis Præfecti olim Magistriiudicis, filij quondam Domini Sergij Præfecti, filij quondam Domini Barnabæ Præfecti, qui fuit filius quondam Domini Sergij olim gloriosi Consulis & Ducis istius Surrentinæ ciuitatis.* In altero; *Nos Sergius videlicet & Sergius, hoc est genitor & filius Dei gratia ambo Duces & Consules Surrentinæ ciuitatis,*

offerimus

offerimus vobis Domino Mansoni Abbati nomine vestri monasterij Sanctæ Mariæ de Pasitano omne dacium &c. Atque ità ex longa multorum serie, quæ ad Ducem illum refertur, veluti ea ætate longa nominum serie ad primos progenitores posteri referebantur, vt in Amalfitanis Ducibus leges. ROBERTVS, qui Sersalis creditur Capuæ Princeps. qui multa pro Romana Ecclesia gessit contrà Gulielmum II. sub Adriano IV. Pontifice circà annum 900. Alexander tamen Monachus in historia Casinensi, hunc cum Rogerio Nortmanno manus conserentem propè Neapolim fuisse profligatum scribit anno 1075. Auctor historiæ Monasticæ scribit se vidisse nummos ab hoc Principe cusos cum Sersalium insignibus. Alter SERGIVS anno IIII. sub Gulielmo, Surrēti Princeps. hæc enim in Actis Trinitatis Cauensis leguntur; *Dùm essem ego Ademarius Iudex in partibus Nuceriæ in loco vbi dicitur à Camarella, & vnà mecum adessent Dominus Iordanus filius quondam Domini Iordani Principis Capuani, & Dominus Sergius Princeps Surrenti socer eius, & Dominus Rogerius de S.Seuerino, & Dominus Riccardus Comes de Sarno, & alij quamplures milites* &c. promittit Iordanus fidelitatem Petro Abbati monasterij Trinitatis. PETRVS de Surrento (absque cognomine legitur) Neapolitanus Archiepiscopus anno 1233. cuius mentionem factam reperi in marmoreis lapidibus, qui in turri sacra maioris Ecclesiæ Neapolitanæ repositi, deindè ablati fuere, & ad gradus eiusdem Ecclesiæ redacti. Verba quæ legebantur in Episcoporum Neapolitanorum serie retuli MATIHAEVS & THOMASIVS Spasiani milites anno 1248. regnante Federico, *filij quondam Domini Adenulfi Spasiani, filij quondam Landulfi, filij quondam Ioannis Spasiani.* & ROGERIVS Domini RICCARDI filius, cuius hoc legitur epitaphium anno 1344.

Robertus. 1075 Sergius. Petrus Archiepiscopus. 1233 Spasiani.

Hic requiescit Dominus Rogerius Spasianus Miles.
requiescat in pace. A.D. M.CCC.XXXXIIII.
D.VI. M. Octobris.

PETRVS Acciapaccia de Surrento, Miles, & Regij hospicij Petrus Acciapaccia.

Ttt 2 Magi-

1392 *Turris ciuitatis Massæ.* Magister Hostiarius, & Cambellanus anno 1392. à Ladislao Rege dùm Caietæ commoraretur turri ciuitatis Massæ præficitur, quam sua pecunia ædificauit iubente Rege, & cum auctoritate Cardinalis S. Laurentij in Damaso Apostolicæ Sedis Legati, & Principis Margaritæ Reginæ matris, qui pueri Regis patrimonium curabant, concessis Petro eiusdem ciuitatis fiscalibus functionibus. Ab eodem Rege Surrentinam Doanam (vt vocant) acceperat anno 1389. A quibusuis subsidiorum, collectarum, atque huiusmodi oneribus expers redditur; eaq. in eum & Rentium fratrem, & Ioannellum nepotem Rex contulerat, ob ea quæ pro Carolo III. & ipso Ladislao gesserant.

Capitaneus Neapolis. Ciuitatis Neapolitanæ Capitaneus cum plena meri & mixti imperij ac gladij potestate, amoto Aloysio Gallucio, constituitur. Pignoris loco Cassani ciuitates à Ladislao accipit sex millibus aureorum solutis anno 1408. stipendia militibus erogaturo, & Regium statum, atque Regni Siciliæ Rempublicam defensuro. Sub Regibus Iacobo & Ioanna II. anno 1415. Miles, Consiliarius, & fidelis idem Petrus appellatur, emitq. ab ijsdem multas ciuitates. Anno 1420. omnia eius priuilegia Ioanna confirmat. Petrus hic ille est, à quo cùm Nicolaus Coppula

Capitaneus Surrenti. Neapolitanus Surrenti Capitaneus peteret vt Surrentinam Arcem, cui præfectus Petrus erat, iubente sic Illustrissimo de Bigni Christianissimi Galliæ Regis Locumtenente, nec eam restituere vellet, Coppula Castri fores fregit, eoque potitus est, vt Regiam possessionem retineret. Petri vestigia

Iacobus Acciapaccia. IACOBO Acciapaccia sequuto, Comes Belcastri, Circlarij & Casalis noui terras cedit, quas ab Antonello Pappacoda vnà coëmerant. Mox Ioanna eidem Argentium, Arpaiam, Pironi, & Trentoli feuda concessit, quæ Ioannella Extendarda, & Marinus Boffa possederant, posteà perduelles habiti quoniam Aragoneorum partibus fauere, contrà quos Iacobus dimicans, summam sibi gloriam comparauit.

Nicolaus Acciapaccia. NICOLAVS Acciapaccia anno 1439. Decretorum Doctor, ex Episcopo Tropiensi, Archiepiscopus Capuanus, deindè Præsbyter Cardinalis S. Marcelli renunciatur ab Eugenio xv. Cal. Ianuarias, & obijt Romę Non.

Aprilis

Aprilis anno 1447. & sepultus in D. Petri. Hæc dixerat Panuinius in epitome Cardinalium. At in epitome cum insignibus, ait illum fuisse Neapolitanum. Interfuit Concilio Basileæ, quod Ferrariam, deindè Florentiam translatum fuit sub Eugenio IV. anno 1438. & subscripsit pridiè Non. Iulias 1439. Quod autem fuerit ex familia Acciapaccia Surrentina, non Neapolitana, neque Spasiana, patet ex actis quæ inter eam familiam, & nobiles Sedilis Capuanæ intercesserunt, præter ea quæ in actis Neapolitanorum Regum leguntur, *Nicolaus Cardinalis, Rencius, & Ladislaus Acciapaccia, & alij nobiles Domicelli Surrentini*. Alfonso Regi grauem fuisse inimicum scribit Panhormita, in tumultibus enim Neapolitanis Renato adhæserat. Is Florentiæ cùm esset, & Neapolim cum exercitu Franciscus Sfortia aduentaret, & ideò aliqui dicerent iàm Alfonso Regi cum Renato negocium fore, respondit; Immò mehercule intelliget nunc Sfortia cum alio sibi, quàm cum Philippo Maria rem gerendam. Hæc cùm quidam Regi retulisset; Si mei omnes (inquit) ità de me sentiant, vt inimicus hic & sentit & prædicat, bello certè me nequaquàm lacesserent. Perduellis itaque habitus à Rege, eiecto Renato, Archiepiscopatus possessionem & redditus amisit; quę omnia idem posteà Rex restituit. Qua de re hæc leguntur in veteribus scriptis, quæ in D. Laurentij Auersæ seruantur; *Alfonsus Rex præcepit vt Cardinali Capuano restituatur possessio Archiepiscopatus Capuani, & omnia beneficia quæ possidebat, nempè Abbatiam de Crapolla, & omnia alia eius beneficia, excepta Abbatia de S. Sophia de Beneuento, de qua dicta Regia Maiestas aliter canonicè prouidere iamdudùm destinauit certis bonis ex causis, & dictus Rex cogitur restituere vigore capitulorum, quæ inter Magnificum virum Ioannem Cossa de Neapoli Commissarium Illustris Ducis Renati, & Magnificos viros Raimum Boil Camerlengum, Petrum de Corella, Coperanum Milites, Commissarios, & Consiliarios Regios dilectos super liberatione, seu traditione Castri noui, & Turris Sancti Vincentij ciuitatis Neapolis, superioribus diebus nobis fienda, hinc indè inclusa, & confirmata fuerunt.*

Alfonsi Regis inimicus. Lib. 2.

Ioannes Cossa.

Turris S. Vincentij.

CECCA

Cecca Acciapaccia. CECCA de Acciapaccio Surrentina, Riccardi filia, nutrix *Spectabilis Clementiæ de Duratio cariſſimæ neptis noſtræ*, in actis
Ludouicus Acciapaccia. Ioannæ primæ anno 1348. LVDOVICO Acciapacciæ Carolus V. Imp. ob Iulij Caldoræ defectionem Caſtrum Magliani & pagum S. Crucis cōcedit, quippè in bellis in Inſubria geſtis, & in tumultibus Mediolanenſibus, tùm etiam in pugna contrà Galliæ Regem ad Ticinum, nauiter ſe geſſiſſet, anno 1528.
Landulfus Vulcanus. Nobiliones. LANDVLFVS Vulcanus Cardinalis, qui Arcus antiquam turrim Neapoli reſtaurauit. In NOBILIONA familia Riccardus miles legitur anno 1304. & Antonelli matrimonium cum Margarita è Gatta. Nobiliſſimè ſemper Nobiliones vixere. Atqui animi ſplendida nobilitate à Ioanne Baptiſta, & Antonino Iu-
Sabelluccia Domini Sari. riſconſulto fratribus ſum acceptus. SABELLVCCIA Domini Sari, quam Bonifacij IX. Pontificis nepotem in lapide inuenio, qui eſt huiuſmodi, in Eccleſia D. Mariæ Annunciatæ,

Hic iacet corpus egregiæ mulieris Sabelluccia Domini Sari filiæ quondam Domini Tucilli Domini Sari militis, & Dominæ Marellæ Tomacellæ de Neapoli ſororis Domini noſtri PP. Bonifacij noni, quæ obijt anno D. M. CCC. LXXXXIII. Die XI. menſis Iulij primæ Ind. cuius anima requieſcat in pace.

Anno 1492. Antonellus Serſalis Ferdinandi ſecundi familiaris, à Federico Aragoneo Altamuræ Principe, cui Rex Venuſinam conceſſerat ciuitatem cum Ducatus titulo, procurator conſtituitur ad poſſeſsionem capiendam. Marellam, & Ma-
Amonij vel Aimones. riellam reperio. AMONII vel AIMONES, duos illos fratres Ioannem atque Petrum habuiſſe ferunt, qui ex Gallia in Surrentinum littus diuitijs onuſti appellentes, vt margaritas ſtatera appenderint, ea ſibi loca incolenda ſtatuerunt. Ioannem prætereà equitum fuiſſe ductorem, & Petrum eius vices in militia geſsiſſe. Relligioni maximè incubuere, quippè qui ædem in D. Annunciatæ, alteramq. D. Mariæ Caſarlani ædificauerint, florueruntq. Paulus, Camillus, Marcellus, Iulius Cæſar fratres, atque eorum liberi, poſteriq. inter quos Ioannes Abbas, qui Cathedralis Eccleſię quadraginta ferè annos prudētiſſimè curam

curam gesſit, ſuggeſtum erexit è marmore,cũ hoc epigrãmate,

Ioannes Amonius

Omnes huiuſce templi ferè dignitates adeptus, iam diù aram à ſuis extructam ornatiorem reddidit anno 1573.

ſupràq. hæc addidit Ioannes Amonius Patricius Surrentinus ad Dei verbum erexit.

Idem Abbas in Turcarum direptione quam prænouerat quicquid argenti, vel auri, aut emblematis ad relliquias, & ad res ſacras ornandas Surrenti ſeruabatur, Neapolim in D.Seuerini contulit,ne in barbarorũ manus deueniret.Patrem Antoninum ab eorum poſteà ſeruitute ad mille perſolutis aureis redemit. Montem in ſua ciuitate ad fœminarũ matrimonia,& ſtudentium ſubſidia erexit. Camillus Amonius, multas bellorum occaſiones nactus,Auſtriaco Regi operam ſtudiumq. nauiter præbuit. CONRADVS tertius Capicius Archiepiſcopus Beneuentanus. Quem tertium nomino, quippè Conradus primus ille fuit à quo Capiciorum ſtemma originem duxit, qui Neapolitana nobilitate celeberrimus, Sueuorum partibus fauens, Neapoli decedere coactus eſt, cùm Carolus eos profligaſſet. Conradus ſecundus, quem Surrenti ſibi ſedem conſtituiſſe indè elicimus, quòd templi D.Mariæ fornicẽ ædificauit,in quo hæc leguntur,

Conradus Capicius qui obijt anno 1345.

Conradi tertij amplitudinem prædicant ædificia in Cathedrali Eccleſia Beneuentana, tùm in Xenodochio D. Bartholomæi, quod à fundamentis erexit. Tùm prætereà in Monteſarchio ædes & horti, quò diuertere cõſueuerat Ferdinandus Rex cùm in Apuliam ſe conferebat. A Xiſto IIII. Romam accerſitus, grauiori morbo impeditus,diſcedere haud valuit, obijtq. anno 1482. De his tamen quæ luculenter ſcripſit Brutus Capicius generis decus, & litterarum ſplendor legito. GABRIEL Correalis, vel Curialis, ob corporis elegantiam, & animi virtutes Alfonſo I. maximè charus. Multa ab eo conſequutus eſt, ſed præcipuè Caſtrum maris,Vicum,Maſſam Ducatus inſignibus. Qui cùm immaturè perijſſet,Regiæ virtutis & gratiæ Marinum Correalem fratrem Terrænouæ Comitem heredem reliquit.

Conradus Capicius.

Gabriel Correalis.

Cùm

Cùm verò defuerint ſucceſſores, familia Maſtroiudex heres monumentum ſequetur, quod Octauius S. Manghi Marchio ſepulcris, marmoreiſq. ſignis in Correalium æde apud Oliuetanos ditauit. In Gabrielis obitu eiuſdem Regis elegantiſsimam orationem recitat, Antonius Panhormita, qua ad benè viuendum eum hortatus fuerat. Perſolutis inferijs ſepulcro addidit epigramma,

Qui fuit Alfonſi quondam pars maxima Regis
Gabriel, hac modica nunc tumulatur humo.

ZOTTVLAE Correali anno 1428. Ioanna ſecunda agrum Surrentinum, quod à Porta Capitis cerui cū montis rupibus vſque ad mare donat. Eaq. confirmat Ferdinandus primus, Nicolao Correali, qui quòd ab ea porta ad ciuitatem anguſtæ viæ incommodo commeatus deſierat, viam exciſo monte latiorem reddidit, ſilice ſua pecunia ſternendā curauit, noui portus ædificio lembis, aliiſq. nauigijs locus datus eſt, atque ità vt ab occidentali porta, quæ Parſani dicitur, maritima negocia ad hanc portam fuerint tranſlata. Quamobrem Senatuſconſulto decretum eſt anno 1547. vt noua moles, ædificia, ipſa via, hortiq. molæq. frumentariæ ad Honofrium Correalem Iulij Cæſaris iam viuentis patrem ſpectarent. ALFERIVS Guardatus ſub Ladiſlao, Miles, & fidelis dicitur. Sub Ioanna II. ZACCARIAS Guardatus, Iuriſperitus, Locumtenens, Cancellarius, Conſiliariuſq. ad quem Regina ſcribit, vt cum Aloiſio Galliardo Cauenſi Regiæ Curiæ Præſidenti, vt Antoniæ de Boſco contra Nicolaum ex eadē familia iura reddi ſtudeant. Domini MATTHAEI Guardati mentio fit ſub Ludouico & Ioanna in cauſa quæ agebatur coram Gerardo Domini Conſuli ad vitam Iudici Surrentino; idq. animaduertendum duxi, vt hunc perpetuum Magiſtratum Surrenti fuiſſe ſciamus. DONATVS Corteſius Epiſcopus Bouinenſis. LEO Corteſius Epiſcopus Acerrarum in D. Franciſci ſepultus. GREGORIVM Corteſium Cardinalem, errant qui Surrentinum dicunt, fuit enim monachus Mutinenſis, & Abbas Sancti Benedicti in Padulinoro, Cardinalis Sancti Ciriaci in Thermis, à Paulo III. creatus anno 1542.

Alferius Guardatus.
Zaccarias Guardatus.
Matthæus Guardatus.
Donatus Corteſius.
Leo Corteſius
Gregorius Corteſius.

NICO-

NICOLAVS Amfora Episcopus Stabiensis. Commemoratur in maiori Ecclesia Reinardus Amfora, quem apud Ferdinandum plurimùm valuisse hæc declarant, *Nicolaus Amfora.*

Sepulcrum Magnifici Domini Ioannis Reinardi Amforo de Surrento militis Sereniß. Ferdinandi. Regis, constructum ad laudem Dei, & memoriam ipsius Magnifici Militis. Qui obijt anno D. M. CCCC. LXXIIII. Die xviij. Decembris.

IVLIVS Mastroiudex Episcopus. Volturaræ, & Montis Coruini. NICOLAI Mastroiudicis, hæc ibi memoria extat, *Iulius Mastroiudex. Nicolaus Mastroiudex.*

Heu heu quàm sæpè nocet diù viuere.

En ego Nicolaus Mastroiudex infelicissimus quinque in hac vrna filios, & eos iuuenes omnes ac summos apud Principes educatos XCIII. iàm natus annos, proh fatum, quadriennio sepeliui. Et nunc in mortis & doloris gremio expectans viuo vter eorum prior ex hoc miserrimo sene triumphauerit. M. D. LIIII.

IOANNES Orificius, Scriba portionis, Regij Quæstoris Locumtenens. de quo hæc leguntur, *Ioannes Orificius.*

Heu mihi quas lacrimas coniux gemitusq. dolenti
Linquis? quos reliquos ad mea damna dies?
At tantùm lacrimæ tristes gemitusq. valebunt
Dùm felix tecum condar in hoc tumulo.

Ioannes Orificius Regium officium Scribæ portionis in Regno regens, nunc verò in Regia generali Thesoreria Locumtenens, Hilariæ de Iardino coniugi dilectissimæ, & sibi viuus posuit. Ad Dei cultum in opposito eius sacello sacrificabitur. M. D. XXX.

ANTONIVS Orificius, in Austriorum Regum Curijs, omnibus honoribus perfunctus, tandem Sacro Consilio præfectus fuit. Vir quo maiorem alterũ in Magistratibus obeundis Neapolitani nõ sæpiùs norunt, morum candore, doctrinæ excellentia, grauitatis singularitate insignis, quibus virtutibus Regiæ Maiestatis ornamenta, loquendo, tacendo, iudicando decorauit. *Antonius Orificius.*

IOANNES Franciscus Orificius filius, Episcopus Acernensis, *Ioannes Franciscus Orificius.*

qui mortuo patre, vt rem familiarem prudenter administraret, vt fratris filios, fortunis, virtutibus, dignitatibus ornaret, eandem curam adhibendam suorum regimini existimans, quàm subditorum pietati, Episcopatu se abdicauit. nuper Antonio nepoti Sansanorum Marchionatum à Philippo III. impetrauit.

Achilles Brancia. Franciscus Brancia. Ferdinandus Brancia. Robertus Brancia.

ACHILLES Brancia Episcopus Bouæ. FRANCISCVS Brancia Consiliarius; FRANCISCVS nepos strenuus cohortium ductor. FERDINANDVS Brancia acerrimi Iurisconsultus ingenij, quem suarum causarum Neapolitana ciuitas doctissimum habet patronum & defensorem. ROBERTVS Brancia, Archiepiscopus Surrentinus & Amalfitanus anno 1470. cuius in maiori Ecclesia legitur monumentum,

Quem non euehit ad æthera virtus?
En Robertus Brancia cùm Surrent. Diœcesis Antistes præesset Amalfiæ Clerus Summum Pontificem exorauit vt sibi eum in Præsidem concessisset, nam eius virtutis gloria, & vitæ probitas multum efflorebat. Huic voto Max. Pastor acquieuit. Sacellum hoc in ingressu chori etiam ab eo extructi, erexit. Indè à Reuerendissimo Iulio Pauesio Archiepiscopo Surrentino Maioris Ecclesiæ decoris causa fuit euulsum. Hic modò ab heredibus ex eadem familia iterum vnanimiter erectum. M. D. LXXVI.

Petrillus Brancia.

Nitet inter antiquas nobilesq. hæc familia sub Ladislao anno 1400. cùm PETRILLO Branciæ de Amalfia, Neapoli habitanti, & eiusdem ciuitatis Capitaneo, Cambellano, atque fideli à Rege appellato, Castrum Tropeæ conceditur, cui præerat Bottulus Gattula Caietanus. Magister Rationalis à Ioanna II. idem dicitur, cùm oppida Turturæ, Aietæ, & Turris de naui quæ à Ladislao coemerat libentissimè cum Iacobo Rege eius viro confirmant. A quo sæpiùs eos Reges nummorum subsidia petijsse illud etiam patefacit, quod anno 1415. scribitur; *Significamus vobis, quòd olim Serenissimus Dominus vir noster, & nos propter imminentes tunc necessitates suæ & nostræ Curiæ, vendidimus & concessimus viro nobili Petro Branciæ de Amalfia militi, magnæ nostræ Curiæ Magistro Rationali, & Locumtenenti,*

tenenti, tunc Magni Camerarij Regni nostri Siciliæ, Consiliario, & fideli nostro dilecto tractam frumenti sexcentarum salmarum &c. Eodemq. anno Francischellus Petrilli filius, myoparonem, cui eius nomine Andreas Mararangus præerat, Neapolim nauigare iussit. Anno verò 1429. Dominus hic Francischellus Brancia de Surrento (vt habitatione Surrentinos esse factos non dubitemus) dominam Lisam Ruffam de Calabria vxorem accipit more nobilium, & iure Francorum viuentem, cui dotem Carolus Ruffus frater Sinopolis Comes dotem promittit. Anno 1453. Robertus Brancia Archiepiscopus Amalfitanus, Matthæus Brancia de Surrento, & Archiepiscopus Surrentinus in diuisione bonorum quæ Robertus Archiepiscopus Galeatio & sororibus eius nepotibus donat, arbitri constituuntur. Et anno 1459. Catherina Ruffa, quæ vxor Ottini Caraccioli fuerat, Henrico & Philippo Brancijs nepotibus legat.

Petrus Paulus Theodorus.

PETRVS Paulus Theodorus, Consiliarius, summa probitate, & doctrina præditus, qui suarum virtutum optimum heredem Scipionem reliquit.

Margarita de Fiore.

MARGARITA de Flore nutrix Caroli neptis Caroli II. & filij Roberti anno 1300. Annuas auri vncias octo à Rege etiam pro heredibus accepit.

Ioannes Baptista de Flore.

IOANNES Baptista de Flore florentibus annis Venetarum cohortium Dux in Illyria contrà Turcas Zarã occupare conantes se viriliter gessit.

Bernardinus Rota.

BERNARDINVS Rota, quam familiam ex Allobrogibus apud quorum Ducem summo Magistratu Cambellani ferè hereditario floret, cum Carolo primo Rege in Regnũ Neapolitanum se contulisse plerique existimant, quæ profectò illustrium virorum memoria varijs temporibus viguit. Nicolao de Rota anno 1302. & quinque alijs militibus centum quadraginta auri vnciæ pendebantur. Vtq. eius familiæ antiquitas innotesceret, sub Roberto anno 1312. Rinaldus de Rota, adscitis in ea re Goffredo, & Gulielmo fratribus, petijt vt auitum oppidum quod ad eos ex Ricciardi Rotæ auunculi obitu peruenerat, quodq. iure Longobardorum obtinere asserebat, huiusmodi Rex eorũ dominio addiceret, vt tutò possiderent. Rizacornum id oppidum erat in Reathensi Comitatu, quod Dominorum

Iacobi, Lanzellotti, & Ricciardi de Rota fuisse reperitur. Anno 1326. inter Comites, Barones, Regniq. feudatarios, qui in Tusciam cum Carolo Calabriæ Duce profecturi erant, sunt Henricus Latro, Ioannes Prothonobilissimus, Comes Nolanus, Comes Montis Caueosi, Berrasius de Baucio, Robertus de Rota, & Robertus de Sancto Seuerino. Anno 1334. Gulielmus de Rota miles, Castri terræ Balneariæ Castellanus. Et sub Ioanna 1336. Ioannes de Rota de platea Portæ ciuitatis Surrenti Ioannæ Guindaciæ coniux. Anno 1345. Assentitur Rex *compromisso de vita militia inter Robertum de Rota militem Castri Roti dominum, & Ricciardum de Rota fratrem*. Sub Alfonso primo Aragoneo, Ioannes Rota cum in arce Tropeensi à Ludouico Rege obsideretur, tanta animi constantia ibidem se continuit, vt nunquam eam Regi tradere voluerit. propositis tandem condicionibus, viginti dierum spacium poposcit, quod si subsidio ad dictam diem caruisset, deditionem facere pollicitus est. Venit cum classe Alfonsus; sed cùm è nauibus milites descendere tempestate coorta haud valuissent, seipsum, arcemq. tradere coactus est, anno 1426. Ferdinandi primi Legationibus Antonius Rota alterius Ferdinandi alumnus, à quo tercentum perpetuò auros obtinuit in maiori Neapolitana mercium domo, & vocatur, *Magnificus vir Antonius Rota, nostræ Summariæ Præsidens, Alumnus, & Consiliarius noster dilectissimus.* Vtq. quantum ei deberet omnibus patefaceret subdidit; *Vt neminem cui magis obnoxij simus inter omnes nostros habeamus.* Nec plurimæ desunt litteræ cùm ad Genuenses & Catalanos missus est, quibus Ferdinandi primi, aliorumq. Regum Consiliarius atque Legatus appellatur. Eius filius Ioannes Baptista ad Rauennam pro Rege Catholico nauiter pugnauit, obijtq. Huiusmodi in prima Neapolitana Valdimontis obsidione cecidit Ioannes Franciscus Rota, vt in diplomate Carolus V. Imperator testatur, atque Hugo Moncada Regni tunc Vicarius, qui eum pugnantem ac morientem viderunt, dùm captiuus Alfonsus frater factus est, qui in eadem obsidione, & in secunda à Lautrecco concitata, tùm etiam ad Tunetum apud Cæsarem

stipendia

ſtipendia meruit; quamobrem Berardinus Rota S.Iacobi militię decore à Rege fuit inſignitus. atque hic etiam iam adoleſcens in ijs obſidionibus, & in Florentina ſuam Regibus operam nauanit. Honorem militiæ virtutibus addidit, quippè qui manſuetiores Muſas ità coluit, vt inter præclaros ſuæ ætatis Poetas, Latinis vulgaribuſq. carminibus enituerit, Ioanne Baptiſta filio omniũ virtutum, atque diſciplinarum ſtudio herede relicto. *Ioannes Baptiſta Rota.* TORQVATVS Taſſus, Surrenti natus matre ex familia Ruſſa Neapolitana, & patre Bernardo Taſſo, quorum laudes illuſtria ſcripta, quæ per doctorum virorum ora volitant, ſumma cum laude extollunt. *Torquatus Taſſus. Bernardus Taſſus.* Bernardus ſummorum Principum familiaritate excellens. Torquatus nouo dicendi genere, vt poetices ſtudio noſtra tempeſtate admirabilis. ANSELMVS Marzatus, ex Capucinorum familia, & ex ea in Cardinalium numerum à Clemente VIII. apud quem Oratoris Chriſtiani munus exequutus eſt, anno 1604. cooptatus. *Anſelmus Marzatus.* Alia nobilitatis monumenta ſubijciam. In Annunciatæ templo.

Quæ rapuit Parca Berardinus in hac iacet arca,
De Dominoſaro natus de ſanguine claro,
Egregius, dignus, paſtor ſapienſq. benignus,
Abbas Salerni ſit ei . . . aula ſuperni.

In D. Franciſci,

Hic iacet corpus nobilis viri Aloisÿ Dominiſari Magiſtri rationalis. Qui obÿt An. D. M. CCCC. VII.

In monaſterio S. Trinitatis,

Hic requieſcit domina Maria Acciapaccia, cuius anima viuit in CHRISTO.

item,

Hic iacet venerabilis vir Dominus Riccardus Caracciolus diuina permiſſione Epiſcopus Grauinenſis, qui obÿt anno D. M.CCC.XXXXIII. menſis Madÿ.XI.Ind. cuius anima cum miſericordia Dei requieſcet in pace amen.

item,

Hic requieſcit domina Ioanna Vulcana Abbatiſſa & ſoror Domini L.Car. Vnd.Inditionis.

In

In D. Annunciatæ,

Corrado Capice Equiti, qui fac. hoc sub anno salutis M. CCC. XXXXI. propria impensa à fundam. erexerat, Antonius, Berardus, Georgius heredes, ac Alexander Capice fratres sepulcrum vetustate collapsum restituerunt, in quo ipsi quoque, ac eorum posteri commorantur.

Ad D. Gregorij Magni tempora hoc epigramma refertur,

Qui cupiunt lacrimas, & tristia carmena quærunt, Hic beniant flentes mecum sepulcrum legant. Condetur hoc tumulo serbus Dei sum dictus, nomine Vrsus, qui bona sub sorte natus in Vrbe fui. Vix mihi lecuerunt annorum vitæ ex PAIA PLM. X. GLI. occurrit mors fatis iubentutis meæ. ne doleatis genitores nihil prosunt tempora vitæ si quandoque mori longa senectus habet. Depositus sub D.GNOR. MR. ID. GI. IMP. DN. N. MAVRICI TIBERIO. PP. AVG. Set coniuro vos per tremendum diem iudicij vt hanc sepulturam nulli violent.

Vrsus.

ECCLESIA SVRRENTINA.

Ecclesiæ Surrentinæ præfuerunt Episcopi, IOANNES, ad quem scribit S. Gregorius de S. Agatæ relliquijs collocandis, vt cùm postulauerit ab eo Sauinus Abbas monasterij S. Stephani insulæ Cabis, vt eius Martyris Relliquias ibi collocandas iuberet, eò Ioannes se conferat, & si nullum corpus ibi constiterit humatum, prædicta Sanctuaria sollemniter collocet. In Synodo prætereà habita ab eodem Pontifice in Vrbe Romana imperantibus Mauricio, Tiberio, & Theodosio, inter alios Episcopos subscribit Ioannes Episcopus ciuitatis Surrentinæ. Idemq. subscribit priuilegio, quod Pontifex concedit Gailardo Abbati S. Medandi monasterij Suessionensis. Tùm verò Ioannem misisse scribit Iustum clericum Capitularem, qui Pontifici nunciaret aliquos monachos monasteriorum in Surrentina Diœcesi à proprij Abbatis regula abscedere, quapropter Anthemio Subdiacono mandat, vt monachos qui publicè vxores sortiti fuerant, ad sua monasteria transmittat. AMANDVS præsbyter

Lib. 1. ep. 52.

Lib. 4. ep. 85.

Amandus.

præsbyter Oratorij S. Seuerini in Castro Lucullano Neapoli, electus Episcopus Surrentinus, de quo idem Pontifex ad Anthemium Subdiaconum; *Postquàm is qui ad Episcopatum Surrentinæ ciuitatis electus fuerat, aptus nobis visus non est* (electionem Episcopi habebant Surrentini) *Amandum præsbyterum monasterij S. Seuerini, quod in Castro Lucullano situm est, elegerunt. Ea propter experientiæ tuæ præcipimus, vt eundem præsbyterum excusatione postposita, sub omni ad vos studeat festinatione transmittere, quatenus petentium desideria cum CHRISTI auxilio, si nihil est quod eum impediat, impleantur.* Subdiditq. vt simul cum Fortunato Episcopo Neapolitano de eius vita & actibus diligenter inquirat. Præter Episcopi electionem, noto Clementinam Patriciam tunc Neapoli, vel in Castro Lucullano fuisse. Sic enim ait; *Ne autem gloriosa filia nostra Clementina hoc molestè suscipiat, ad eam experientia tua pergat* (cum Anthemio loquitur) *vt cum eius voluntate hoc faciat. sin autem reniti fortasse voluerit, huc eum, sicut diximus, sine mora experientia tua transmittat.* Alicuius fortasse Ducis Neapolitani Clementina filia erat, aut affinis, quandò maxima ex parte Duces Patriciatus honore insigniebantur, de cuius electione à Surrentinis facta ad eandem scribit. Conquæritur item Pontifex cum Anthemio, monachos quos in Surrentina ciuitate pro complenda Antonini voluntate transmiserat, pecuniam ab ipso acceptam ad emendas possessiones expendere. Quocircà ipse prouideat, vt solidos incautè erogare non debeant. Huius Episcopi hanc seruant Surrentini memoriam in D. Felicis & Baculi,

Lib.8.c.19. *Clementina Patricia.* *Lib.8.c.17.* *Antoninus.*

Hic requiescit Sacerdos Dei Amandus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Surrentinæ, qui sedet annos XVII. dies XXI. depositus est die XIII. mens. April. Ind. V. Imperante D.N. Heraclio R. Aug. anno VII. Ora pro me Sancte Pater.

STEPHANVS germanus frater S. Athanasij Episcopi Neapolitani, ad quem dùm Sergius Consul nepos contrà Ecclesiam sæuiebat inito cum Sarracenis fœdere, confugit Athanasius vt eius indignationem subterfugeret, & cum eo Neapolitanæ vrbis *Stephanus.*

Iaquintus. bis calamitatem deploraret. IAQVINTVS, quem Surrentinum fuisse Episcopum lapis patefacit qui in D. Renati altari positus est. de quo in Concilio Constantinopolitano, *Hiacynthus Episcopus Surrentinus prouinciæ Campaniæ.* Nomen leges in achrostichis,

Iaquintus à Deo sanctificatus, in Episcopati honorem
Consecratus, in numero Apostolorum venit sociatus,
Plerunque sacrificando, ad laudem . . . . . .
Amator fuit supernæ legis diuina seruando præcepta,
Super benignitate dilexit charitatem, prædicta
Charitate . . . .
V hic arduum adeptus Antistitis nomine fulgebat
Quem suis CHRISTVS pastorem ouibus dederat
Vt in grege illius Senatus ingrede . . . . . .
Hic nanque vultu noscitur fuisse mirifico animo,
Dulciori verbo, mellifluo amore, promptus voluntate,
Honestus in charitate . . . . . .
Nempè superna virtutis excelso obsecremur auxilio,
Vt qui æternus pastor pastorem huius sepulcri
Repositi Sanctorum suorum . . . . . .
Tantoq. in eo sanctissimo viro Saluator largitus
Est gratiam, vt fouendo pauperes, diligendo suarum
Ouium animas, iam inquit CHRISTO suo præsentari.
Viuus vitæ noscitur fuisse prospicuus, in iudicio mitis
In viduis, pupillisq. amator, in peregrinis misericors
Et consolator . . . . . .
Sanctitate connexus perenni vitæ premia promeruerit
Esse profectus, ibiq. Sanctorum merita amplexus
Ad astra perrexit illæsus.

Relegens capita versorum nomen reperies. cuius nomen CHRISTO protegente in perenni gratia hereditatem promereat adherentem. Obsecro vos homines, legentesq. quod prouidentes vt vas tanti sanctissimi viri sepulcri nemo audeat violare, nec pedibus calcare, per ipsum obtestor qui venturus est sæculum per ignem iudicare.

S. VA-

S. VALERIVS, Episcopus & Confessor, cuius festus dies xvij. Cal. Februarius celebratur. S. ATHANASIVS Episcopus & Confessor vj. Cal. Feb. S. BACVLVS Episcopus & Confessor pridie non. Octob. AGAPITVS Episcopus, qui Rodoaldum Longobardorum Ducem Surrentinos aggredientem vidit. ROSARIVS, in Decretis Symmachi Romani Pontificis, qui sedit circa annum 490. subscribunt Episcopi, Stephanus Neapolitanus, Rosarius Surrentinus, & Aucupius Puteolanus. & Rosarius pro fratre Vrso etiam subscribit in secunda Synodo. ARCHIEPISCOPATVS concessionem Surrentinis factam ab Innocentio III. Pontifice anno 1208. & xj. sui Pontificatus xv. Cal. Aug. aliqui arbitrantur, & confirmant. Ad priora tempora accedant necesse est, quippè anno 1071. apud Leonem Ostiensem Ecclesiæ Casinensis consecrationi Surrentinus Archiepiscopus interfuit, sic enim ait; *Interfuerunt huic tantæ celebritati Archiepiscopi X. id est, Capuanus, Salernitanus, Neapolitanus, Surrentinus, Amalfitanus, Sipontinus, Trandisis, Acerẽtinus, Hidrontinus, Oiretanus. Episcopi verò XLIIII.* &c. Sed accedunt aliqui ad annum 604. legentes à Gregorio primo Romano dictum in Decretalibus, in cap. Constitutus *de test. & attest. Constitutis in præsentia nostra Archiepiscopo, & M. Canonico Surrentian. dùm ipse illum de simoniæ crimine deferret.* Quæ profectò non adeò perspicua sunt, vt de Archiepiscopo Surrentino loquantur, idem enim Pontifex ibidem titulo *de religiosis domibus* cap. 2. Agapito Abbati hæc scribit; *Ipsum autem monasterium, sic tuæ nos ordinationi commisisse cognoscas, vt tamen iurisditionem illic non Episcopus Surrentinus, in cuius ciuitate monasterium tuum est situm, sed Nucerinus cuius est diæcesis, habeat.* quibus Episcopum, non Archiepiscopum significat, licet Victori Neapolitano Archiepiscopo scripserit de Basilica dedicanda, vt Neapolitanum Archiepiscoparum Surrentino præferamus tempore; vel potuisse fieri dicamus, vt sub eodem Pontifice vtraque Ecclesia Archiepiscopatus dignitate fuerit decorata. BARBATVS Archiepiscopus, qui anno 1110 huiusmodi Stabiensem ordinauit Episcopum; diploma tamen

S. Valerius. S. Agapitus. Rosarius. Archiepiscopatus Surrentinus. Lib. 3. c. 18. Barbatus.

Xxx ad

ad Summum Pontificem mittens, pro confirmatione ab eodem habenda; *Barbatus Dei gratia Archiepiscopus Sedis sanctæ Surrentinæ Ecclesiæ, omnibus fidelibus orthodoxis clero, ordini, & plebi existenti Ecclesiæ Stabianæ, per Apostolicam institutionem Archiepiscopatui nostro subiectis, dilectis filijs salutem in Domino. Probabilibus vestris desiderijs nihil attulimus tarditatis etiam confratrem nostrum scilicet Gregorium præsbyterum vobis ordinauimus Episcopum, eiq. dedimus in mandatis ne vnquam ordinationem præsumat facere illicitam, nec bigamum, aut qui virginem non est sortita vxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expotentem, vel Curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium ad sacrum Ordinem ne permittat accedere*, & quæ sequuntur. Anno 1206. ALFERIVS Archiepiscopus Surrentinus cõsecrauit Ecclesiam S. Mariæ de Auro ad Metam Surrenti pagum. Anno 1227. Frater PHILIPPVS Stroza Florentinus ex Dominicana familia. Anno 1266. LVDOVICVS de Alexandro Neapolitanus, Angeli filius sub Carolo I. Anno 1400. ROBERTVS Brancia in senectute Amalfitanus Episcopus creatus, illi Ecclesiæ multa bona concessit. Anno 1470. DOMITIVS Falangola, de quo hæc leguntur in maiori Ecclesia,

Alferius. *Philippus Stroza.* *Ludouicus de Alexandro.* *Robertus Brãcia.* *Domitius Falangola.*

Hic iacet corpus Reuerendissimi in CHRISTO Patris & Domini, Domini Domicij Archiepiscopi Surrentini, filij quondam Domini Francisci Falangolæ de Surrento militis, qui obijt an. M.CCCC.LXX. Die VIII. mens. Ianuarij III. Ind.

Anno 1485. NARDVS Mormilis, & ALOISIVS fratres, vt apud Afflictum in Decisionibus. Anno 1513. GISBERTVS Archiepiscopus Surrentinus in Concilio Lateranensi sub Iulio II. & Leone X. Eodem anno FRANCISCVS Remolinus Archiepiscopus, Cardinalis, & Prorex Neapolitanus dùm Raimundus è Cardona in Galliam Cisalpinam ad Rauennam profectus fuerat, cuius hæc memoria legitur in quadam Basilica, *Franciscus Remolinus Hispanus*. Aedem sub titulo Sanctorum Philippi, & Iacobi minoris dicatam amplificauit.

Nardus Mormilis. *Aloisius Mormilis.* *Franciscus Remolinus.*

LELIVS Brancacius Basilicam throno illustrauit, & porta egregio opere marmoreo cum hac inscriptione, *Lelius Brancacius.*

Lelius Brancacius Archiepiscopus Surrentinus templum auxit, & fores erexit. M.D.LXII.

A Gregorio XIII. Tarentinus Archiepiscopus posteà creatus est. Obijt Neapoli. IVLIVS Pauesius palatium extruxit anno 1559. atque hæc adscripsit, *Iulius Pauesius.*

Iulius Pauesius Brixianus Archiep. Surrentinus paulò post miserrimam direptionem huic præclaræ vrbi cum vniuersæ ciuitatis vel internecione, vel captiuitate à Turcis illatam hasce ædes eodem exitio incensas, & solo æquatas suo ære, suaq. sponte ad publica commoda piè non minus, quàm benignè à fundamentis instaurauit atque exædificauit. M.D.LIX.

Post cuius obitum post fores hæc scripta fuere ab œconomis ex testamento,

Iulio Pauesio Brixiano ex ordine Prædicat. sacræ Theol. Magist. Vestinorum Episc. Surrentinorum Archiep. Generali Commissario sancti Officij Inquisitionis, & Nuncio Apostolico, in hoc Regno Pij V. Flandriæ Nuntio, vitæ integritate, & omnium virtutum genere ornato. Oeconomi sacræ Aedis Annunciatæ ex testamento heredes P. M.D.LXXV. obijt III. Id. Feb. M.D.LXXI.

Is Vicarius fuit Neapolitanus, cùm Surrentinus esset Archiepiscopus. Multa de eo prædicant Surrentini, multumq. de Apostolica Sede benemeritus est. IOSEPHVS Donzellus, relligione & ædificijs auxit. MVTIVS Bonioannes Romanus eques in Lusitania Nuntius. CAROLVS Baldinus Neapolitanus, doctrina, & diligentia locupletauit. In publica Academia Neapolitana multos annos ius Canonicum professus est. Ea quæ ad relligionem pertinebant ab eo notari & cognosci in Regno Neapolitano Summi Pontifices demandarunt. HIERONYMVS Prouenzalis Neapolitanus, qui inter illustres Medicos anteà adscitus, animo tamen, & candidis moribus relligioni addictus, Galeno, atque Hippocrati, D.Thomã, sacrosq. *Iosephus Donzellus.* *Mutius Bonioannes.* *Carolus Baldinus.* *Hieronymus Prouenzalis.*

Xxx 2 Theo-

Theologos anteponens, tantum in ijs studijs profecit, vt insignis Medicus, illustris Theologus enituerit, atque ità vt Romam profectus, in Clementis VIII. Summi Pontificis aulam fuerit acceptus, à quo post Ferrariensem reditum, eius operam qua vsus fuerat laudante, Archiepiscopatu Surrentino decoratus est anno 1598. Nihil illo viro comius, doctiusq. Præeminet Archiepiscopus Surrentinus Episcopis Stabiensi, Aequensi, Massano. Præest item Abbatiæ Crapollæ, quod cœnobium fuerat monachorum S. Basilij, S. Petri ad Cermennam, S. Benedicti cœnobium anteà S. Petri ad Mare Magnum, addita Abbatia Saluatoris ad Dominouam. Relliquiæ seruantur Os ex brachio Sancti Philippi, Manus Sancti Bartholomæi, Dentium Sanctæ Vrsulæ pars.

SANCTI.

Illustrior ciuitas Surrentina facta est Sanctorum quos colit, retinetq. splendoribus. Ibi RENATVS, VALERIVS, ATHANASIVS, BACVLVS, ANTONINVS, quorum numine, tutela, miraculis regio nitet, & beatissimi ciues existimantur.

Renatus, cur sic dictus.

RENATVS, Honorato Cheothedro viro Senatore, & Bononia primaria femina natus est Andegauiæ circà annum Domini CCCC. post Gratiani necem Imperio ad Theodosium delato.

Maurilius Episcopus.

Steriles cùm se cognouissent parentes, Maurilium Andegauensem Antistitem sanctitate virum præstantem adeuntes, obtestati sunt, vt precibus Deum exoraret, vt ijs procreandi filij tandem aliquandò potestas concederetur. Id quod factum est. Adultum deindè Renatum Maurilio seni commendarunt. Sed graui morbo correptum ad Maurilium ducentes, cùm eum morbo iam liberatum animaduertissent, Renatum appellarunt, quasi verò ex mortuis ad viuos redijsset. Quo nomine anteà appellauerint, scriptores non meminere. Antoninus Archiepiscopus Florentinus puerum hunc à mortuis excitatum scribit, & post Maurilium Pontificem, in eius locum à suis ciuibus esse suffectum. Ideòq. in eius hymno,

Ventre

Ventre conceptus sterili, parentum
Nasceris fletu, lacrimis Renatus
Præsulis, CHRISTO duce, viuus vda
Surgis ab vrna.
Surgis vt candens rosa rore tacta,
Rore ceu surgit folijs apertum
Lilium; surgis veluti profusus
Rore Hiacynthus.
Surgis è mortis gremio futurus
Fulgidum vitæ speculum; futurus
Forma virtutum celebris; futurus
Aetheris astrum.

Id verò certò scimus,nõ Andegauensibus,sed Surrentinis fuisse seruatum,quandò Surrentum petijt, ibiq. ædiculam ædificauit quæ quingentis ferè passibus abest à ciuitate, vbi sanctissimè viuebat. Mortuo Surrentinorum Præsule, Renatum publicè ad eam dignitatem extulerunt. Qui tandem sanctitate clarus III. non. Octob.obijt. Cœnobium eius numini ibi dicatum vbi monachi ex Collegio S. Benedicti Congregationis S. Iustinæ commorantur. S. VALERII originem, tempusq. nescimus. *S. Valerius.* Solitudinis verò amantem D. Renati templo adiunctam ædem condidisse tradunt. Episcopum sibi Surrentini elegerunt. Patronus ciuitatis habitus; & in templo sui nominis sepultus. Nihil quoque de ATHANASIO certi habetur. Sacra tamen *S. Athanasius* eius anniuersaria Surrenti celebrantur vj.Cal. Februar. Quod efficit vt alium hunc existimem ab Athanasio Neapolitano, cuius dies festus est idib.Quinctilis. In Basilica eius hæc mentio fit in quodam sepulcro,

Anno Domini Incarn. M. C. LXXIII. tertia die Iunij Ind. VI. ad honorem Dei, & gloriosæ Genitricis Mariæ, & Sanctorum Renati, Valerij, Athanasij, Baculi, & Antonini, in omni verò anniuersario die Consecrationis huc omnibus aduenientibus pridie . . . criminalibus decenialibus corpus Sancti Athanasij sacro sacris Ost.

Nequè eorũ mihi placet opinio,qui idcircò Athanasium hunc

cum Neapolitano eundem faciunt, quoniam cum Stephano fratre Surrenti fuerit commoratus. Id ne efficere potuisset vt inter suos Patronos illum adscriberent? RENATI, & VALERII Sanctorum corpora in veteri Ecclesia, Iustini Abbatis pro tempore à Generali Capitulo constituti, diligentia inuenta in altari in cuius ferreis fenestris antiquitùs cùm Renati festum celebraretur inter alia lumina lampada accendere consueuerant, ne sine honore iacere viderentur, ex lapideo sepulcro in quo erant reposita, in arcis ligneis serico ornatis collocata, in nouæ Basilicæ sacrarium transtulerunt anno 1602. nonis Febr. maxima cum Surrentinorum felicitate, & acclamatione, quibus tutelarium, & Episcoporum Relliquias licuit seruare.

Baculus Neapolitanus. BACVLVM Neapolitanum, Episcopum & Patronum Surrentinum fuisse, hæc testantur quæ in peruetusto Officio leguntur,

Gloria Sanctorum cùm sit Deus ipse Deorum
Hunc decet hac hora nostra priùs ire per ora.
Parthenope natus BACVLVS fuit iste beatus;
Hic meruit latus Surrentini Episcopatus,
Perq. pios mores sacros conscendit honores.
Vir Domino gratus, cuncti sine labe reatus,
Iurepatronatus nostros depelle reatus.
Pelle malos mores, miseros auerte furores,
Vt solito more festos celebremus honores.
Mœnia Surrenti virtute tuere potenti,
Debilibus palma, sis fortibus arcus & arma;
Tempore procinctus, foris vt vincamus & intus;
Pacis ad accessum tuum concede recessum,
Cum auribus matres, cum natis respice patres,
Vt pius & multis viuentibus atque sepultis.

Eius vitæ sanctitas atque expectatio quam à primis annis doctrina & sapientia concitauerat, ad Surrentinos, defuncto Episcopo, ad eam dignitatem consequendam euocauit. Vixit omnibus charus; obijt omnibus desideratus. Sepelierunt eum primo loco in vrbis muro. Deindè in mediam vrbem transtulerunt in ædem Diui Felici Nolano Episcopo dicatam, quæ

Idolorum

Idolorum templum fuerat, & Sagarum domicilium.

ANTONINVS Campaniæ, Picentinorum ciuitate, patre fabro tignario ex familia Cacciutta ortus est. Stat eius adhuc domus extrà vrbem cum Cacciuttorum insignibus. Ex Casinensi clade (Monachus eius Ordinis erat) quam Zotho Beneuentanorum Dux fracto cum Romanis fœdere anno 580. intulerat, Stabias fugam arripuit, diuertitq. ad eius ciuitatis Episcopum Catellum, quocum inita sanctissima familiaritate, consecrato D. Michaeli templo, felicissimè vixerunt. Sæpè precibus à Surrentinis allectus est, vt Surrentum adiret, ibiq. vitam degeret. Cùm verò à Catello discedere nollet, tandem quoniam intellexerat D. Agrippini Neapolitani templum Benedictinos Surrenti incolere, magis apud ipsum Benedicti nomen, quàm Catelli consuetudo valuit. Quapropter Surrentum petijt, Bonifacium Abbatem adijt, in cœnobium acceptus est. Bonifacius iàm moriturus illud in primis monachos deprecatus est, vt sibi Antistitem Antoninum sanctum virum deligerent. Quod post eius obitum libentissimè facere libuit, atque ità, vt in Antonini moribus atque institutis monachi ciuesq. conquiescerent. Diuinos labores summo studio aggressus est. D. Martino Turonensi Episcopo templum dicauit, atque in marmore CHRISTI passionem sculpsit (erat enim in eo artis genere peritus) & in valuis collocauit. Terræ cultui incubuit ne desidia atque ocio torperet; vineamq. in scopulo plantauit, quæ in fœcundo agri solo non fuisset vberior. Cùmq. ad summam senectutem sanctissimam vitam vixisset, moriturus, vt Surrentinos hilares fidêtesq. relinqueret, suum ipsis patrocinium perpetuò promisit. Et vt locum sepulcro designaret deprecantibus, respondit vt nec extrà vrbem, nec in vrbe sepelirent; id quod huiusmodi interpretati sunt, vt in muro eum collocarent; ideòq. sepulcrum è regione Diui Michaelis posuere. Obijt circa annum 625. xvi. Cal. Martij, sub Heraclio Imperatore, & Honorio Pontifice Maximo. Quem cùm Campaniam affines transferre contenderent, non licuit. Et iure id factum dicebant Surrentini, quandò Surrentinus ciuis iam factus diuturna habitatione Antoninus,

Antoninus Campanus.

Zotho.

Catellus.

D. Agrippinus.

cos

eos heredes instituerat. Superstitem puerum ex eius familia nomine Antoninum, Surrentini Campania euocarunt, & in Seminarij Collegio alendum censuere. Quam verò Surrentinorum fuerit acerrimus defensor declarat in primis sæuissima Romoaldi, vel Sicardi Romoaldi filij obsessio anno 745. qui captis Cumis, & magna Apuliæ parte occupata, in Lucanos & Picentinos irrumpens, Surrentum delere deliberauit. Perterritus tamen Antonini Imagine, quæ nimium seuera & iracunda noctu in somnis apparuit, hominum amentiam tristibus verbis arguens, militibus re communicata, non modò discedit, sed Theodatam etiam filiam ad Diui sepulcrū ductam, dæmoniorū furijs agitatam liberauit. Singulis diebus hoc miraculo claret. Testatur Martyrologium; *Apud Surrentum Sancti Antonini Abbatis, qui è Monasterio Casinensi à Longobardis deuastato, in solitudinem eiusdem vrbis decedens, ibidem sanctitate celebris obdormiuit in Domino. Cuius corpus quotidie miraculis, & præsertim in liberandis Energumenis effulget*. Testantur multi mortales à dæmonibus obsessi, qui ea vident, ea audiunt, quæ absque diuini numinis auxilio vllo pacto effici valerent.

Surrentina obsessio.

Energumeni Surrenti curantur.

Martyres Surrentini.

Meminit item Martyrologium Sanctorum QVARTI, QVARTILLI, QVINTILLAE, MARCI, nouemq. iterum sociorum qui martyrio in hac ciuitate coronati sunt. Sepulturas huc usque reperire nō licuit. Ab hinc paucos annos eorum templum restitutum est à Carmelitis; eorumq. fit commemoratio xiv. Calendas Aprilis. Alia templa & cœnobia ciuitati maximam addunt dignitatem. S.Benedicti cœnobium in D.Renati. Eremitarum S.Augustini in D.Annunciatæ. Dominicanorum alterum in D. Vincentij, alterum in D.Mariæ Casarlani. Obseruantium, in D. Francisci. Conuentualium in S. Euphemiæ. Carmelitarum, in D.Mariæ eiusdem nominis. Capucinorum D.Mariæ portus salui. Monialium S. Benedicti in D. Pauli & Trinitatis. Monialium S. Dominici, in D. Mariæ Gratiarum. Atque ex his sacris Virginibus, adultiores ætate & disciplina, Salernum, Capuam, alióq. ad moniales edocendas sunt euocatæ, qua ex re earum sanctitas, & prudentia dignoscitur.

Templa.

S.Felicis

S. Felicis templum, in quo præter Baculi, aliorum Sanctorum corpora esse dicuntur. D. Petri Cappella, Abbatia, Episcopo Bouianorum addicta; & Saluatoris, cui præest Decius Carrafa.

DVCES, COMITES, PRINCIPES, PRAEFECTI.

Suos Surrentina ciuitas sub Imperatoribus habuit Duces; diximusq. Duces Neapolitanorum ibidem aliquandò imperitasse. Innuimus in Ducibus Ioannem Ducem & Consulem annum circà 933. Surrentinos sub sua ditione habuisse, addiditq. Leo Ostiensis, ab eodem Duce Surrenti S. Seueri cellam Adelperto Abbati Casinensi concessam; & anno 1038. Guaimarium Salernitanorum Principem, Nortmannorum ope, capto Surrento, Ducem eius ciuitatis Guidonem fratrem constituisse. Occiso Guaimario à Salernitanis, Guidonem Nortmannos acciuisse, Salernum recuperasse, & Gisulphum fratris filium, Principem constituisse. Anno 1071. Consecrationi Casinensis Ecclesiæ Sergium Surrentinorum cum Sergio Neapolitanorum Duce interfuisse diximus. Sed à Græcorum Ducatu, in quo Patriciatum sæpiùs intercessisse veluti Amalfię, & Neapoli, non vereor, ad Longobardorum & Gotthorum Comitiuam, Principatum, Præfecturam descēdisse multis ex scriptis cognoscimus. Suprà, Sergij Surrentinorum Principis mentio facta est. Habemus quoque ex antiquis Cauensis monasterij monumentis, Robertum Nortmannorum, Salernitanorum, Amalfitanorum, Surrentinorum, Apuliensium, Calabrensium, atque Siculorū Ducem. In Basilij Imperio commemoratur Marinus filius quondam Domini Sergij, dudùm Præfecti, & Forcioris ciuitatis Surrenti. *Forciorem*, vocē barbaram, à supremo Magistratu non excludo. Comitis, & Præsidis Surrentini mentio fit, cùm S. Tammarus è Lucrina ciuitate eò appulit. Hic quidem Romæ nobilibus natalibus ortus, populi iram fugiens, quòd cùm nutrice coijsse falsò credebatur, Puteolos venit ad Heliam quendam Sacerdotem in spelunca degentem, à quo Euangelium edoctus est, & inter suos discipulos adscitus. Mox ad Lucrinā ciuitatem redjit, *S. Tammarus*

in qua cum Marcellino,Erasmo,& Petro vixit. Indè Surrentum appulit,vbi à Comite non benignè acceptus,in agrum Campanum diuertit, vbi maximè colitur, extatq. eius nominis pagus. Ex Longobardis antiquis scriptis, hæc eruta sunt.

EVENTVS.

Surrentinos rei maritimæ studuisse,& triremibus fuisse vsos, docent nos gesta Caroli Salernitanorum Principis, qui Rogerium Auriam classe inuasit, in qua Surrentinorum triremes numerantur, quorum agrum Auria antè fuerat depopulatus; ad quem victorem Surrentini Legatos miserunt ficus ferentes, & ducentum Augustales(monetæ genus)ad caligas conficiendas. Muneris loco datū est Surrentum à Carolo Rege Alardo è Valleris,à quo optimum consilium acceperat;qui non accepto munere ad Gallum Regem rediјt, sub quo merebat,vt scribit Collenucius. Marinus Capicius Sueuę factionis defensor,cùm multis Pisanorum triremibus præesset, contrà Carolum Conradini partibus susceptis multa damna Aenariæ insulę intulit,Surrentum,Stabias,aliasq. maritimas vrbes cepit Caroli classem Messanam vsque insequens. Ait Panhormita,agro Surrentino peruastato Alfonsum Regem frequenter ingemuisse, crebròq. per Caduceatorem oppidanos orasse,ne id ipsorum pertinacia committerent,quod posteà eius lenitate & misericordia corrigi non posset. Bartholomæus Facius; *Post hæc Surrentum adijt, quod cùm ad deditionem nullis terroribus, aut minis compelli posset, late populato agro Puteolos redijt.*

Rogerius Auria. Triremes Surrentinorum.

Surrētum dono datur.

Marinus Capicius.

ARTES.

Piscatio,& nauigatio ibi maximè viget; multumq. vtilitatis ex transportandis vinis fructibusq. percipiunt. Ex serico leuissima illa texunt vela, mulierum ornamenta, quæ omnibus ferè gentibus sunt nota. Architecturæ studio maximè tenentur accolæ, delineandarum imaginum curiosi, quamobrem multi argentariam faciunt, qua in re excellunt.

MASSA.

MASSA. Cap. XIII.



INERVAE promontorium, ab alijs Prænussum vocari scribit Strabo, ibiq. Fanum Mineruæ ab Vlysse conditum. In vertice tamen Surrentino Mineruæ templum memorat Statius,

—— vel quos è vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi.

Omnis siquidem tractus ille, Surrentinus dicitur. Cùm autem Seneca scribat; *Cùm intrauere Capreas, & promontoriũ ex quo,* Epist.77.

Alta procelloso speculatur vertice Pallas.

Et Statius,

Prima salutauit Capreas, & margine dextro
Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Mineruæ.

conijcere licet, in montis vertice templum Palladis positum, & nautas illi libare solitos periculo maris defunctos. Athenæum quoque appellari ait Strabo, quo finitur sinus qui Κρατὴρ dicitur, à Miseno. Athenæum quoque in Iapygibus commemorat Halicarnasseus quà Aeneas in Italiã descenderat. Quamobrem Athenas in Italia collocari à Stephano arbitror, qui multas Athenas connumerans, ait; Πέμπτη Ιταλίας. Quem mihi locum aperuit Adrianus Turnebus in libris Aduersariorum. Qui etiam alibi; *Erat in Campania Athenæum, promontorium Mineruæ sacrum, ad verbum, Mineruium. cum templo autem aliquid etiam oppidi erat, non enim sine tectis alijs solum desertumq. Mineruæ delubrum procul ab hominum cœtu exulabat.* Et de hoc loquutum esse Liuium arbitror, dùm ait, in oppido Mineruio duas portas, & muri aliquantùm de cœlo tactum; non aliquam Romæ partem designare, cùm nunquam in oppida Roma fuerit diuisa. Nomen quoque inditum Seræum, ob Sirenum domicilium à Plinio, Strabone, Pomponio Mela, alijsq. scriptoribus celebratum. MASSAM, hoc tempore dicimus,

Athenæ in Italia. Lib.1.

Seræum.

Maiores Massam dixerunt nomine, namque
Affluit omnigena commoditate solum.

Paulus Portarellus.

Yyy 2 Cuncto-

Cunctorum hic etiam collecta est massa bonorum,
Vt meritò hoc Massæ nomen habere putes.

Massa Neronis libertus. Satyr. 1.

Hoc nomine Neronis libertus appellatus est. Iuuenalis,
Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat
Carus ------
Bebium Massam dicit Plinius in epistola ad Macrinum.

SITVS, PAGI.

Torque. Galli.

Vndique mari alluitur Massa, eminentiori quodam loco, & natura munitissimo. Quod oppidum olim non procul à mari constitutum, in amœnissimas valles pagosq. abijt, apricis tamen collibus perspicuos, & habitantium frequentia cultos, cùm ad sexcentorum capitum census sit habitus. In ea parte quæ præruptas, altissimasq. Picentinorum rupes spectat, TORQVE pagus est, quippè eò fortasse à ceteris pagis, qui ad xxx. numerantur, torqueatur, ac flectatur paulisper iter. Non procul abest à mari contrà tres pulcherrimas insulas Sirenusas nuncupatas, triangulari grata forma intuentium oculis spectabilis. Theatrum quodammodo piscatorum, in quo selectissimos pisces expiscantur, & prouerbio locus datus, GALLORVM pisces, Gallos enim vulgò insulas appellant. Arce tuentur munitissima hi scopuli editissimaq. accedentes, vt vndique tutò illuc diuertere liceat. Ex hoc pago mare latissimè patet, tractusq. Picenus, Leucosia, Palinuri promontorium, & ora Calabriæ. Indè cùm ad littus accesseris, peruetustum templum aspicies D. Petro Apostolorum Principi dicatum, marmoreis columnis erectum, vndique depictum, vermiculato pauimento stratum, præcelsa turri communitum, Abbatiæ titulo ornatum. Fama quoque percrebruit, multos ibi relligiosos viros ex D. Benedicti familia habitasse, loco scilicet ab hominum consuerudine remoto. Propè adiacet portus, atque insula ad quam ciues primo à Paschate Resurrectionis die, cymbis, phaselisq. conueniunt, & comessantur, piscantur, marinos feniculos, aliasq. odoratas herbas quibus scopulus abundat, colligunt, & læti domum sacras

conci-

concinentes Sanctorum præces redeunt. Curuos hinc & amœnissimos colles adeunt, riuulis inter se distinctos, oleis, myrto, iuniperis, laurisq. natura consitos; indè verò ad littus sexcentis nauibus percommodum, flante nimirum Aquilone, ab Austro enim & Africo maximæ ibi excitantur tempestates, & appellatur ANGVLVS, à cluso maris latere, & inflexi sinus curuitate. *Angulus.*
Maximam ibi Pelamides æstate cladem accipiunt, qui Neapolim deuehuntur. Illinc ad NERANVM progrediuntur, à Nerone fortasse dictum. *Neranum.* Conspiciuntur eo littore antra, & subterraneæ cryptæ, Tiberio Neroni familiares, qui dùm Capreis commorabatur, potuit & in ijs locis ædificia extruere, vel potuere Neronis amici, & obærati. Aedificata ibi à Municipibus publico ære turris, ad Turcarum depopulationes propulsandas. Suprà, mons in cuius vertice templum D. CONSTANTIO *D.Constātius* oppidi Patrono erectū, quò oppidani totaq. vicinia Relligionis causa mense Maio confluit, locū frumento, lignis, pabulo, laudatissimis fungis ex ferularū radicibus pullulantibus, & asparagis abundantē. Tres prætereà turres Regis iussu nuper additæ, quæ insidiarum barbarorū speculatrices vniuersam oram tuentur, quarum vnà contrà Capreas murorum altitudine & longitudine quemque perterret; ibiq. olim Mineruæ sacellum erat, cuius adhuc relliquiæ videntur; & inuenti nummi ærei atque argentei, vasa item ex argilla artificiosè confecta. Hinc ad vallem silua & arboribus peramœnam descendes templiq. peruetusti ruinas reperies. Suprà, TERMINVS pagus est, ob loci *Terminus.* eminentiam, & in vtramque maris partem periucundum aspectum. Indè per valles & anfractus ad Massæ vrbis antiquas ruinas, quæ muro altissimo, & expugnatu difficili, quò bellorum tempore ciues se recipere valeant, publico sumptu instaurātur. Portum hinc adeas nauigijs, domibusq. ad asseruandas merces refertum, aquarum perennitatibus nauigantibus opportunum, maximo D.Mariæ Lubrensis templo illustrem. Quocircà Massa Lubrensis à maioribus dicta, omnium ore scriptisq. nomen retinet. Mox ad magnam planiciem viridarijs omnium pomorum generibus ornatam, ciuium habitatione frequentem peruenies.

Ibi

Episcopi. Ibi Episcoporum Basilica. Et Episcopus Lubrensis anno 1299. agit *pro redditibus contra vaxallos* in Actis Regum Neapolitanorum. Et anno 1343. *quòd ferè totalis redditus iurium, fructuum ipsius Ecclesiæ in vino, oleo, lignis, fructibus, victualibus, animalibus*. Et Episcopos reperi, F. Ludouicum, Ioannem Baptistam Borgium, Hieronymum Borgium, Petrum Marchesium, Iacobum Scannapeco, Nicolaum Castaldum Stabiensem, Bellonum Messanensem, Iosephum Pharaonium . . . . . Messanensem, Ioannē Baptistam è Palma, Laurentium Asprellam. Per accliues deindè vias, florentesq. colles ad aliam planiciem conscendunt, in qua est S. AGATHAE pagus. *S. Agatha.* Dulcissima ibi cerasa, quæ quoniam serotina sunt Neapolitanis munera seruantur. In alijs pagis, fructuum copia, olei abundantia, singulares naturæ dotes. Tota regio non nubibus obducta, sed serena, lenissimis ventis perpetuò purgata, niuium non sentiens rigorem. Oleum, Venafrano ab antiquis laudato præstat. Vinum lene, odorum, ad vires conualescentibus confirmandas à medicis maximè probatum. Carnes vitulinæ, quæ Surrentino celebri epitheto laudantur, & ad lautissima conuiuia deposcuntur, è Massa asportantur. Quisque vaccas nonnullas fœtus tantùm gratia enutriendas curat, tantaq. inest rusticis feminis industria, vt hyberno tempore in calidis tugurijs ad mare constructis eas recludant, fœtum ex matris vtero prodeuntem ipsæ manibus excipientes foueant, & diligentem ad incrementum vsque curam gerant, & lacte solum enutriant. Autumni tempore peregrinarum auium ficedularum, columbium, turturum, turdorumq. aucupio maxima est delectatio. Sed ingens Septembri mense coturnicum volatus vt colles, arua, tecta ipsa occupent, quas venaticis canibus, incensis faculis, lineis retibus prælongis arundinibus affixis, gregatim aduolanres, incolæ noctu sectantur, & studiosè prosequuntur. Fert mare præstantissimos pisces, scopuliq. ostreis (vt Pliniano verbo vtar) annotati Sanandis morbis aquæ calidæ in arena saluberrimæ mensibus Quinctili & Sextili ad frigidas articulorum & membrorum affectiones peruiæ. Tùm aquæ potabiles,

& è

---- & è terris occurrit dulcis amaro
Nympha mari -------

CIVES.

Mulieres ibi natiua ſimplicitate ornatiſſimæ. Viri, antiqua fide habentur; mechanicis artibus addicti, & mercaturæ. Prodiere ex ea ciuitate Bernardinus Turbolus felici proſperaq. fortuna ad negocia peragenda; & Proſper frater qui ad Indos & Aethyopes merces importandas curauit. Ioannes & Auguſtinus Caputi ad diuitiarum culmina aduecti, Auguſtinus Regulus effectus, Briſegnam familiã matrimonio domui adſciuit. Litterarum prætereà ſtudioſi, Leonardus Liparulus Iuriſconſultus Nicoterienſis Epiſcopus, Hieronymus Piſanus ex Canonico Neapolitano S.Marci Epiſcopus creatus, Ioannes Baptiſta Palma Maſſæ Epiſcopus, Ioannes Vincentius Cancianus Regij Fiſci primùm aduocatus, tùm Conſiliarius; Cæſar frater ex Iuriſconſultorum Collegio primarius, qui publicas adminiſtrationes in Foro ſumma cum ſua laude geſſit; Aneilus Turbolus, Mathematicis ſtudijs inſignis. Marcus Cancianus Medicæ artis peritia excellens; & præclari Relligioſi, Valentinus Caſius Minimorum Generalis;& ex Dominicana familia Eraſmus Titianus, & Reginaldus acceptus. Liberalium artium amatores, poetices curioſiſſimi Portarelli fratres. Habuit ſummi ingenij virgines de Martino, quarum nobilitatem præter ea quæ à Gabriele ex ea familia prudenti atque optimo viro oſtenſa diximus, marmoreus lapis huiuſmodi explicat,


Iuliæ Martiniæ nobili Maſſenſi eximiæ formæ virgini pudiciſſ. moribus egregÿs, & præſtanti doctrina ornatiſſimæ, & Laurentiæ ſorori virgini honeſtiſſ. Quæ Parcarum inuidia vna heu adhuc immaturæ migrarunt, Carolus Martinius pius pater, ac ſibi, Suſannæq. vxori iucundiſſ. & dulciſſimis natis religioſiſſimè condidit. Viator CHRISTO nupſimus. Vix.An.Iulia XVIII. Laurentia XIII. M. CCCC. LXXXVIII.

In re

In re militari peritos protulit, Pyrrhum Monfortium qui Vexillifer in Caroli V. Imperatoris exercitu magnam sibi gloriam comparauit. Bernardinum ex eadem familia virium robore omnium laudibus celeberrimum. Cæsarem Cacacem, qui ad Naupactum sub Ioanne Austriaco viriliter se gessit. Thomam Fontanam tractandis armis peritissimum. Iosephum Fontanam fratrem cohortium ductorem strenuum, qui Liburnica nauigans in Lusitanico bello sub Philippo II. aquis submersus perijt, Gigantem Persicum, armis inclitum. Addo & Scipionem Fontanam Thomæ & Iosephi fratrem, qui præter alias virtutes innumeras, Caroli V. Imperatoris imaginem in nummis delineando, illustrissimus in ea arte tota Europa habitus est.
Nec summum Relligionis studium in ijs ciuibus prætermittam, quo Redemptionis montem erigere conati sunt ære publico conlato, auctore Nardo è Palma. Qui tantùm accepit incrementi, vt etiam puellæ in matrimonium collocentur, & pauperibus sint subsidio, dùm plurimis interim à miserrima Turcarum seruitute redimendis incumbunt. Hoc quidem notatu dignum existimaui, nunquam hoc oppidum Regulorum seruitutem promeruisse, Regij tantùm dominatus æmulum. Neque omittam quod Appianus scripsit, cùm Lepidus ex Africa, Cæsar Puteolis, Taurus Tarento soluentes classe Siciliam inuadere vellent, Appio circà Mineruæ promontorium nauigante, partem nauium illisam scopulis, partem hæsisse in breuibus, reliquam sine damno disiectam. *Lib. 5.*

DE CAPREIS INSVLA. Cap. XIIII.

Caprearum nomina.



APREAE insula Capriene Καπρίλων dicitur Stephano, Καπρία Xiphilino, Καπρία Ptolemæo, Καπραία Iuliano in Augustis; Senaria Martiano, si tamen locus sincerus est, cùm scribit; *In octauo miliario Capreæ, Senaria dicta, & Telentea.* Capreæ quoque palus antè vrbem Romam ad quam Romulus ab hominum oculis

oculis ereptus eſt. Capretæ, Aſiæ gens. Capria, locus circà Pamphiliam. Capraria inter Italiam & Corſicam, quam Græci Aegilon vocant. licet & caſtrum Caprariā habeat Gallia apud Gregorium Turonenſem. Et Plinio circà Baleārides, Capraria inſula eſt. Gregorio Pontifici, Capricana inſula iuxtà Maioricam. Apud Rutilium Gallum,

Proceſſu pelagi iam ſe Capraria tollit,
Squalet lucifugis inſula plena viris.

Hanc tamen inſulam quæ in mari Tyrrheno poſita à Mineruæ promontorio trium millium paſſuum interuallo diſterminatur, his verbis deſcribit Cornelius Tacitus; *Capreas ſe in inſulam abdidit* (de Tiberio loquitur) *trium millium freto ab extremis Surrentini promontorij diſiunctam. Solitudinem eius placuiſſe maximè crediderim, quoniam importuoſum circa mare, & vix modicis nauigijs pauca ſubſidia; neque adpulerit quiſquam niſi gnaro cuſtode. Cœli temperies hyeme mitis, obiectu montis, quo ſæua ventorum arcentur. Aeſtas in Fauonium obuerſa, & aperto circùm pelago peramœna proſpectabilia, pulcherrimum ſinum antequàm Veſuuius mons ardeſcens faciem loci verterit.* Lib. 4. Capræarum deſcriptio. Addit præthereà duodecim ibi fuiſſe villas, & multæ libidinis ſpeluncas. Eas villas Lipſius Deorum cenſet ex Suetonio qui Capreis adſignat villam cui nomen, Iouis. Duo habuiſſe oppida Capreas ſcribit Strabo, poſtmodum vnicum. Et cum Neapolitani quoque Capreas occupaſſent, belloq. amiſiſſent Pithecuſas, has ijs Auguſtum Cæſarem reddidiſſe. Inter ſpeluncas, vna reliqua eſt, quam ingreſſu valdè obſcuram cernes, in lucidum deindè ſinum deſinit, in quem ſupernè aquarum ſtillicidijs, mare nimis delectabile redditur. Iacent in littore ædificiorum fragmenta, quæ Romanam maieſtatem præſeferunt. abierunt in ſcopulos, cruſtatis piſcium generibus habitatos. Villa Capræarum.

THELONEM Capreis regnaſſe ait Seruius in illud Virgilij, Thelo Capreæ rū dominus. Lib. 7.

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale, quem generaſſe Thelon Sebethide Nympha
Fertur, Teleboum Capreas cùm regna teneret.

Oebalem (ſcribit) filium Thelonis eſſe, & Nymphæ Sebethidis;

& hunc esse iuxtà Neapolim. Thelonem Capreis regnasse, filium in Campaniam transijsse,multisq. populis subactis,imperium propagasse.Subdit etiam Theleboas,populos Caprearum fuisse. E' Samo hi populi erant oriundi. Silius,

Theleboæ. Lib.8.

------- non antiqui saxa Thelonis
Insula -------

Pharum turrim in qua lumina nautis prælucebant, ibi collocat Papinius,

Lib.3.silu.

Theleboumq. domos, trepidis vbi dulcia nautis
Lumina nocti uagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

Lib.4.c.12. Thelebidas & Paphias insulas easdem esse ait Plinius. Indè facilè Theleboes in hanc insulam commigrarunt. Græca ibi instituta reperit Augustus; Græcoque loquebantur idiomate. Omnes ferè Tyrrheni maris insulæ à Græcis fuerunt habitatæ.

Capreenses Græci.

AVGVSTVS.

Capreæ permutantur.

Augusti ætate insula floruit,quam cum Neapolitanis permutauit Aenaria data; Sic enim Suetonius;*Apud insulam Capreas veterrimæ Ilicis demissos iam ad terra languentesq. ramos conualuisse aduentu suo adeò lætatus est, vt eas cum Republica Neapolitana permutauerit Aenaria data*. Dio extremo libro 52. ait in Neapolitanorum potestate anteà Capreas fuisse, & aliquid nominis à Tiberij habitatione accepisse,& nō procul à Surrentina continente,ad nullam rem vtilem; χρηστὸν μὲν οὐδὲν, ὄνομα δὲ καὶ νῦν ἔτι διὰ τὴν Τιβερίου ἐνόκησιν ἔχουσα. At Strabo, ab Augusto fuisse illustratā scribit; quod & Suetonius expressit; *Ampla & operosa Prætoria grauabatur, & neptis quidem suæ Iuliæ profusè ab ea extructa etiam diruit ad solum, sua verò quamuis modica non tam statuarum, tabularumq. pictarum ornatu, quàm xystis & nemoribus excoluit, rebusq. vetustate, & raritate notabilibus; qualia sunt Capreis immanium belluarum,ferarumq. membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa; & Arma Heroum*. Bellum aduersus Gigantes campis Phlegræis in Campania confecit Hercules. Hinc de eorum ossibus

Augustus Capreas illustrauit.

Ossa Gigantū.

offibus fabula ad noftrum vfque fæculum dimanauit. Qui & Gigantes vulnera lauiffe in aquis Puteolanis, & ex eorum putore Puteolos effe dictos, veluti Puticuli Romæ, Strabo & Dio fcribunt. Cùm caufam valetudinis Auguftus ex profluuio alui contraxiffet, Capreas quatriduum diuertit, remiffiffimo (vt loquitur Suetonius) ad ocium, & ad omnem comitatem animo. Ibiq. Ephebos exercentes fpectauit ludicra, lege propofita, vt Romani Græco, Græci Romano habitu & fermone vterentur. Habitus, vt Græci togam Romanorum, Romani Græcorum pallium fumerent. Hinc Fabulæ Togatæ, & Palliatæ, à Græcarum, & Romanarum rerum argumento. Incolis prætereà à Neapolitanis redemptæ Capreæ ab Augufto frequentes redditæ funt, cui negocio præfecit Mafgabam è dilectis vnum. Nomen, Afrum illum fuiffe indicat; eiufdem nominis Maffiniffæ filium nominat Liuius. Et quafi conditorem infulę Κτίστην vocare eum Auguftus confueuerat. Huius Mafgabæ antè annum defuncti tumulum (inquit Suetonius) cum ex triclinio animaduertiffet magna turba multifq. luminibus frequentari, verfum compofitum ex tempore clarè pronunciauit,

Ephebi Capreis. *Mafgaba.*

Κτίστη δ' ἐ τύμβον εἰς ὁρῶ πυρούμενον.

conuerfufq. ad Thrafillum Tiberij comitem contrà accubantem, & ignarum rei, interrogauit cuiufnam poetæ putaret effe? Quo hæfitante, fubiecit alium,

Ὁρᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον.

Cùm ille nihil aliud refponderet quàm cuiufcunque effent, optimos effe, cachinnos fuftulit atque in iocos effufus eft. Mox Neapolim traiecit. Vicina Capreis infula Ἀπραγόπολις ab Augufto appellabatur, à defidia decedentium illuc è comitatu fuo. Non affentior ijs qui eo græco nomine eafdem Capreas appellatas effe fibi perfuaferunt.

Apragopolis.

T I B E R I V S.

De Tiberio idem Suetonius fic loquitur; *Peragrata Campania, cùm Capua Capitolium, Nola templum Augufti, quam cau-*

An. ab V. C. 778. Mūdi 3995.

sam profectionis protenderet, dedicasset, Capreas se contulit præcipuè delectatus insula, quod vno paruoq. littore adiretur, septa vndique præruptis immensæ altitudinis rupibus, & profundo maris. Aurelius Victor de Cæsaribus; *Adhuc dùm vrbes & conuentus execratur, Capreas insulā quæsierat flagitijs obtentui.*

Lib. de vir. illust. Quapropter Franciscus Petrarcha, cruentissimo Tiberij ocio, famosam & infelicem insulam appellat. A Dione verò causa *Cur Tiberius Capreis.* profectionis in eam insulam hæc affertur, quòd Liuiam omninò à rerum publicarum administratione remouit, rei familiaris tantùm cura ei relicta. Qua in re cùm deinceps molestia afficeretur, ne eius offenderetur aspectu, vrbem deserens Capreas secessit. Quæcunque autem causa fuerit, cùm edicto monuisset, vt ait Tacitus, ne quisquam quietem eius interrumperet, concursuq. oppidanorum disposito milite prohiberentur, perosus mancipia & Colonias, omniaq. in continenti sita, Capreas se in insulam abdidit. Et quoniam hanc insulam incolebat Tibe- *Seianus.* rius, vocabatur Princeps à Seiano illo qui plurimùm sibi sumpserat auctoritatis, & seipsum Imperatorem hac de causa appellabat; αὐτὸν μὲν αὐτοκράτορα (inquit Xiphilinus) τὸν δὲ Τιβέριον νησιαρχόν τινα εἶναι δοκεῖν, *Seipsum Imperatorem, Tiberium verò insulæ dominum prædicabat*. Qui tandem non modò per Consules damnatus est scripta epistola à Tiberio ad Senatum, quippè coniurationis socios disposuerat, sed etiam omnem progeniem ad damnationē redegit; vt etiam filiam eius virginem à carnifice stuprari iusserit atq. occidi, vt iure videretur occisa.

Tiberij amici Capreis. In ea itaque insula, à qua nunquam ab ipso abfuerunt Vesculatrius Atticus, & Iulius Marinus, qui è vetustissimis familiarium Rhodum eum sequuti, in Libonem insidiarum participes fuere, *Lib. 6. Ann.* vt idem Tacitus scribit, ab vrbis oculis remotus omnia scelera vitiaq. profudit, adeò vecors effectus, vt nihil de Rep. cogita- *Meracitas, & libido Tiberij.* ret; adeò petulans, vt diceretur *Biberius Caldius Mero* (Plautinam illam vocem efficeret in Curculione *Merobiba*) adeò libidinosus, vt sedem arcanarum libidinum insulam dixerint, & ipsum, Caprineum, qui Venereos locos passim nemoribus commentus Paniscarum, & Nympharum habitu vtriusque sexus

pubem

pubem ad sceleſtiſſima quæque incitarit. Caldij nomen ad aquæ calidæ potum alludit, quo in delicijs vtebatur. Et Thermopolia Romæ Cauponæ dicebantur, in quibus aqua calida venibat. Et Claudius noluit ὕδωρ θερμὸν πιπράσκεσθαι. Sed quænam facinoroſa tribuit Suetonius? *Seceſſu verò Capreenſi etiam Sellariam excogitauit, ſedem arcanarum libidinum, in quam vndique conquiſiti puellarum, & exoletorum greges, monſtroſiq. concubitus repertores, quos Spintrias appellabat, triplici ſerie connexi inuicem inceſtarent ſe coràm ipſo, vt aſpectu deficientes libidines excitaret.* Cubicula adijcit plurifariam diſpoſita, tabellis & ſigillis laſciuiſſimarum picturarum & figurarum adornauit, librisq. Elephantidis inſtruxit, ne cui in opera edenda exemplar imparatæ ſcenæ deeſſet. Atque huiuſmodi Capreas videtur conſultò elegiſſe, cùm illud animal laſciuiæ ſit ſymbolum. Ioannes Baptiſta Egnatius in ea inſula Tiberij luxuriæ, multas etiam cædes adiecit. Caldius, cur. Thermopolia. Cap. 43.

SELLARIA autem, ſellæ ipſæ ad libidinem diſpoſitæ fuerunt appellatæ. Idcircò Sellaria, domus aurea Neronis Plinio. Et Sellariolas vocat popinas Martialis. Hinc à Iuuenale dictũ, Sellaria. Lib. 34. c. 8. Lib. 3. epig. 112.

------ tutor haberi Satyr. 10.
Principis, Auguſta Caprearum in rupe ſedentis
Cum grege Caldæo ------

Caldæum gregem, Magos, & Mathematicos quos apud ſe alebat intelligens. Sellariolus, vel Sellularius, qui ſedendo opus illud facit. Cellæ, dicuntur meretricum φωλεοὶ ἑταίρων, vt Græcis οἴκημα, teſte Heſichio. In quibus cellis nomina erant præfixa meretricum, & Titulos vocabant. Iuuenalis de Meſſallina,

-------- tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ.

SPINTHRIAS appellabat, quòd ſcintillæ & fomites libidinis eſſent. Græci ſcintillam σπινθῆρα dicunt. Hæc ſiquidem Sabellici interpretatio. Quam Hieronymus Magius in Miſcellaneis non probat, quid enim Spinthriæ cum fauillis? Aliam quoque quorundam opinionem explodit, quibus ſic dictos placet à Spynthurnice aue inauſpicata, quam noſtri Incendiariam vocant. Spinthriæ.

vocant. Plautus Spynthurnicium dixit, de qua Plinius & Aristoteles meminerunt. Censet ipse dictos à Græca voce σφιγκτὴρ, quæ ani musculum significat, quem in libello de veteri dissectione describit Galenus. Qui alibi de recto intestino loquens, σφίγγεται, inquit, *constringitur*, scilicet. Et σφιγκτῆρα, compressorum habes. Confirmat idem Meletius in libro de natura hominis; & prostitutos sic dici ait Turnebus. Ideoque Tacitus; *Tuncq. primùm ignota antè vocabula reperta sunt Sellariorum & Spinthriarum, ex fœditate loci, & multiplici pacientia.* Primæ quoque teneritudinis, scribit Suetonius pisciculos pueros vocabat, instituitq. vt natanti sibi inter femina versarentur ac luderent, lingua morsuq. sensim appetentes, atque etiam quasi infantes firmiores, nec dùm tamen lacte depulsos, inguini ceu papilla admoueret. Spinthrias monstruosarum libidinum (idem auctor ait in Caligula) ægrè ne profundo mergeret exoratus, vrbe submouit. Dionis epitomator Spinthriam vocat πεπορνευκότα, hoc est, *stuprum passum.*

Prostituti. Lib. 1.

Cap. 16.

Elephantidis libri obscæni.

ELEPHANTIDIS lasciuissimi libri, cum quo numerantur Philænis, Astyanassa, Cirene δωδεκαμήχανος appellata, & Botrys, & Democharis, & Heliogabalus (adde impurissimum Petrum Aretinum) flagitiosæ cupidinis inuentores. Varia connubij genera commentus est Elephantis. Martialis,

Nec moles Elephantidis libelli.

Sybaritici libri.

Sybariticos quoque libellos his addere possumus, de quibus idem lib. 12. epig. 97. quibuscum mollissimos etiam Musæi libros coniungit,

Musæi paticissimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis.

ab Hemithcone Sybarita scripti, de quibus Lucianus, πρὸς ἀπαίδευτον; ἢ ὁ Κίναιδος Ἡμιθέων ὁ Συβαρίτης, ὃς τοὺς θαυμαστοὺς ἡμῖν νόμους συνέγραψεν. Quamobrem Claudianus in 4. Consulatu hanc insulam Honorio obijcit, vt à teterrimis Tiberij moribus abhorreret,

----- quem rupes Caprearum tetra latebit
Incesto possessa seni -------

Parrhasij

Parrhasij quoque tabulam in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, in cubiculo dedicauit.

Dùm esset ibi Tiberius, piscatori cuidam qui grandem mullum sibi inopinanter obtulit, perfricari eodē pisce faciem iussit, quoniam audacter per aspera & deuia insulæ ad eū aduenisset. Cùm autem gratularetur piscator, quòd locustam non obtulerit ne maiori malo premeretur, eadē locusta lacerari imperauit. Qua de re Iulianus in Augustis; Λέγεται γὰρ αὐτὸς καὶ γραμματισάντινα τοῦτο ἐργάσασθαι, Οἰμώζων μὲν σοι εἶπεν, ἐν μονῇ νήσῳ δ'ιϰ (τὰς Καπρέας αἰνιττόμενος) τὸν ἄθλιον ἁλιέα ψηχέτω; *Fertur enim ex hoc in Grammaticum quendam admisisse. Ille verò (respondit Silenus in solitudine insulæ plorans) Miserum piscatorem defricando conficiat licet.* Ibi etiam Carnificinæ locus erat, vndè damnatos, dùm ipse adesset, in mare præcipitari iubebat, excipiente Classiariorum manu, & contis atque remis elidente cadauera, ne cui residui spiritus quidquam inesset. Plinius vocat Capreas nobiles arce Tiberij. Iosephus Agrippæ gesta cum *Lib. 18.* Tiberio Capreis fusiùs describit. Miror tamen quo pacto Ca- *Tiberius Græcæ linguæ o-* preenses græcè loquentes audiret, qui cùm Romæ vetuisset ne *diosus.* vasibus aureis vterentur, & à quibusdam dubitaretur an quæ haberent emblemata interdicta essent, & si latinè id propriè significare non poterat, tamen quod verbum græcum esset, inseri edicto noluit. Et Centurioni in Senatu testimonium dicere volenti, non permisit. Et ipse, Monopolium, in Senatu nominaturus, veniam petijt si verbo peregrino sibi esset vtendum. Antè paucos annos quàm Tiberius obiret Pharus Capreis terræmotu concidit.

CALIGVLA, VITELLIVS, ALII.

Vicesimo ætatis anno Caligulam Tiberius Capreas accersiuit, & vno atque eodem die & togam sumpsit, & barbam posuit sine vllo honore, qualis fratrum tyrocinio contigerat. Tacitus C. Cæsarem discedenti auo Capreas comitem dixit, & Claudiani M. Silani filiam coniugio accepisse. Vitellius quoque *Vitellius.* pueri-

Spinthria. Lucilla. Crispina. pueritiam primamq. adolescentiā Capreis egit inter Tiberianā scorta. Et ipse Spinthriæ nomine notatus. Lucillam & Crispinam Commodi sorores Capreas relegatas scribit Dio; quarum altera Pompeiano viro infensa persuasit vt Commodum occideret, atque huiusmodi detecto scelere, virum perderet, sed re patefacta, interfecta est. Altera occisa adulterij causa.

Alfonsus Rex. Alfonsus Rex Aragoneus cum Renato de Regno contendens, Capreas oppidum in insula eius nominis situm (vt ait Aeneas Siluius in Europæ cap. 64.) Tiberij quondam Cæsaris siue delicias, siue latebras dicere malis, tradentibus quibusdam oppidanorum recepit. Quo capto, reliqua insula, missis eò triremibus quas tùm habebat, absque certamine potitus est. Ad hanc insulam cùm fortasse rostrata nauis appulisset, qua pecunia ex Gallia Renato afferebatur, facti nescia, comprehensa atque direpta est; *omnia iam Alfonsi felicitati permittente Fortuna*, inquit Facius. *Lib. 7.*

STATVS.

In ea insula Capreæ ciuitas, munitissima arce, quam vel vnus *Anacaprea.* facilè possit tueri, in qua ad ducentum capita; & Anacapreas oppidum in altiore rupe conditum, in qua ad ducentum numerantur, angusto, accliui per gradus difficile ascensu, qui facillimus accolis exercitatione redditus est, dùm etiam onera portant. Ab ἄνω, suprà scilicet, nomen habet. Hinc indè vagas habet habitationes, quæ ad Septentrionem vergunt. Accolæ, aut piscantur, aut conficiendis triremibus nauibusq. incumbunt, quapropter Neapoli in Regio nauali aptissimi habentur. Hac de causa impetrarunt à Regibus, ne ij qui in eam insulam in exilium eijciuntur Anacapreis noctu commorarentur, ne petulanter in mulieres sæuiant, quas solas destituere mariti coguntur.

Anacapreanorum, & Caprearum dissensio. Ceterum Capreenses, & Anacapreenses tantùm inter se dissident, vt cùm immunitates sibi à Regibus Aragoneis concessas, à Carolo V. etiam exposcerent, de Capreārū ciuibus conquesti sunt, quòd inimicitias cum ipsis exercendo domos deturbauerint,

rint, vastarint agros, cymbas combusserint, multas item intulerint iniurias, & in mari quod in diuisione ipsis contigerat, sæpiùs Acuum (quorum maximum numerum sale condiunt) piscationem vsurparint. Petierunt præterea vt quotannis Prætor in insulam mitteretur, quem de repetundis accusare liceret; quiq. ius in Anacapreis tribus hebdomadæ diebus diceret de ijs rebus quæ ibi euenirent, ne Capreas in ius raperentur, ne adimi sibi Prætoris potestas videretur. Ab omnibus vectigalibus sunt immunes. Armati quouis impunè incedũt. Nunquam fidem violarunt Austriacis. In summa tamen egestate viuunt, superbia contendentes, Turcarum prædonibus semper obnoxij, cùm quotidiè aut piscantes, aut nauigantes in eorum seruitutem incidant. Dùm hæc scriberem, duo ex hac insula ciues libertate donati, inter quadringentos ex alijs nationibus domum rediere ex Chio insula Aegei maris, quo Florentini Virginio Vrsino ductore quinque instructis longis nauibus appellẽtes, & magna tempestate coorta in altum regredi coacti, aliquot qui iam in insulam descenderant, reliquerunt, qui etsi acriter pugnarent, & Turcas qui præsidio erant summa vi adorirentur, ac trucidarent; multitudini tamen ac furori resistere non potuere, atque ità ad vnum occisi, & triginta capita è corporibus abscissa, ad Turcarum Imperatorem missa sunt, qui grauiter illud facinus tulerat, sed vindicta iræ flammam in suos restrinxit. Neque verò paucis cum militibus nauigijsq. in remotissimas regiones, & loca præsidio munita, Christianis quoque culta (in omnibus enim illis insulis Christianorum relliquiæ sunt) in ipsis hostium oculis, impetus faciendus est, ne inconsultò factum obijciatur. *Virginius Vrsinus.*

N O B I L I T A S.

ARCVCII (quos aliqui ex Amalfitana nobilitate commemorant, & Capreis habitantes) & FARACII eam profectò insulam nobilitarunt. Elisëus Arcucius Caprearum dominus, classis Imperatoriæ (Federici scilicet) præfectus, Magdalenam *Arcucij. Faracij. Eliseus Arcucius.*

Aaaa filiam

& Zurlos, siue Piscicellos, quorum vnum Alfonsus Piscicellus Luciti Dominus seruat; & Caracciolos, vel Capicios qui sub ijsdem Regibus varijs Magistratuum honoribus floruere. & Dentices, & Daualos.



Non posse familijs tribui hoc dignitatis genus aliqui contendunt, propterea quòd nomen alicuius in ijs non inscribitur; id quod Daualorum nummus patefacit cum Ignici nomine, à Macedonio mihi traditus; ex quo etiam cum Siclæ symbolo elicimus, id nummorum genus non Misile aliquid à supremis Magistratibus in Regni possessione per ciuitatis compita erogatum, neque aliquod aliud priuilegium significasse, quam Siclæ præfecturam, atque idcircò Magistros nouæ monetæ in Regum actis sæpè inuenimus, vt inter ceteros Stephanum Mocciam, & Iacobum de Auersano, alterum ex Portænouæ, alterum ex Capuanæ Sedili. Illud quoque addendum censeo, ijsdem viris in supremis Magistratibus constitutis, monetarum fuisse dignitatem adiunctam, & à Regibus concessum vt ad eam significandam eorum insignia cum Regiis insignibus coniungerentur, veluti & in vexillis magnis Ducibus quoque concessum, cuius rei in Aldemoriscorum sepulcro in Diui Laurentij extat memoria.

Magistri nouæ monetæ.

Aaaa 2 Anno

Rebelles. Anno 1388. inter eos quos Carolus III. perduelles damnauerat, quod Ludouico Andegauensi Duci opem tulerint, tres ex hac insula nominantur, Augustinus de Capro, Alfirellus de Capro, & Bonuianus de Capro, quos sic dictos, veluti qui è Capua dicuntur, & in eodem diplomate Onufrius de Sulmona, non vereor, cùm sciamus multas familias, relictis veteribus cognomina sibi ex ciuitatibus comparasse. Iacobus quoque rebellis fuit, vt in Federici Regis actis liquet. Alibi, Alfirellum Faracem de Capro inueni, qui etiam miles dictus est, & in re nautica plurimùm valuisse mihi persuadeo, quamobrem multa nobilitatis insignia à Regibus accepit. Extant apud me Iacobi litteræ ad Antonium Vulcanum Lucaniæ Iustitiarium missæ, quem militem & honorabilem fratrem suum litterarum initio appellat, & latino quoque idiomate subscribit, Iacobus de Capro. Earum litterarum exemplar, antiquam redolet simplicitatem, & bonitatem. Habes in ea insula nobiles præter Arcucios, & Faraces, etiam Strinas, ex qua familia Petrucio Strinæ, quem Maria Regina familiarem appellat, dilectumq. ob seruitia Regi Ludouico eius coniugi præstita, multa concedit anno 1387. Et Ludouicus secundus, *Statutoriam fundici salis* ciuitatis Salerni eidem concessit, quam à Ioanna Regina acceperat, quæ nobilem appellat, anno 1390. Pudericos, Russos, Maczolas quos ab Episcopo nobilitatem comparasse contendunt. Hi cum Spathaphoris Neapolitanis matrimonium contraxere anno 1501. fuitq. Viola Maczola. Anno 1423. Ioannem Baptistam Caramanicum Caprearum arci præfecit Ioanna Regina. Coemerat à Regia Curia Hieronymus Pellegrinus pagos S. Cipriani, & Ducentæ, vt ex Hugonis de Moncada tunc Regni Vicarii priuilegio constat, anno 1528. cùm eodem anno Caprearum insulam ab eadem coemit, vendente Philiberto de Cialon etiam Vicario, qui in priuilegio hæc asserit, *In recompensam seruitiorum vestrorum fidelissimorum, qui vltrà quod mutuastis Regiæ Curiæ magnam pecuniæ quantitatem, & subuenistis Regio exercitui de multa frumenti & farinæ quantitate sine quibus hæc magnifica, & fidelissima ciuitas minimè*

Margin notes: Alfirellus de Capro. — Strina. — Puderici. Russi. Maczola. — Ioannes Baptista Caramanicus. — Hieronymus Pellegrinus.

minimè conseruari potuisset contrà obsidionem exercitus Ligæ, non cessastis, nec cessatis dies noctesq. insudare pro rebus omnibus tangentibus statum prædictarum Maiestatum, & conseruationem exercitus prædicti felicissimi Cæsareæ Maiestatis, & dictæ ciuitatis Neapolis, non solum pro rebus bellicis, & expellendis inimicis, sed etiam pro extirpanda peste, ijs & ex alijs iustis causis mentem nostram dignè mouentibus & inducentibus, damus, & donamus, &c. Comitatus titulo eum Rex in ea insula insigniuerat, quo frui mors vetuit. Diplomatis verba virum illustrem Hieronymūm, in Neapolitana administratione celeberrimum prædicant, qui & virtute & dominio ad xxx. oppidis relictis, amplificauit.

ECCLESIA CAPREARVM.

Diuum Constantium maiori in templo, quod M. D. passibus ab vrbe aberat, Caprearum Patronum venerabantur, cuius corpus Massæ seruari plerique affirmant. Deindè Basilicam in ciuitatem transtulerunt, & D. Stephani nomine appellarunt. Maior hæc Parochia. In eius ædicula hoc legitur epitaphium, *S. Constātius.*

Philippus Maczola Capretanus Antistes, ac eius templiq.
D. Iacobi Hispanorum Neap. maior Cappellanus lapidem hunc suis iàm casuris ossibus viuens parari curauit.
A. D. M. D. LXXXIII.

Aedes D. Laurentii, Saluatoris, Anelli, Ioannis Euangelistæ, Seuerini, Vincentii, Ioannis Baptistæ, D. Mariæ Scalæ, De commendatis, D. Antonii, Nicolai, Andreæ de porta. Altera Parochia D. Petro instituta. In D. Sophiæ exilio mulctati conueniunt. D. Iacobi templum Carthusianorum cultu nobile, pulcra turri munitum, ad D. Martini in monte Hermite Neapoli exemplar conditum, à Iacobo Arcucio, qui cœnobio octingentos aureos singulis annis legauit, in quo D. Iacobi Ioannis Euangelistæ fratris brachium visitur, ideoq. fortasse D. Iacobo dicatum. Ibi hæc leguntur,

Clauditur

Clauditur hoc tumulo Magnificus Dominus Iacobus Arcucius de Capre, Regni Siciliæ Magnus Camerarius Comesq. Minorbini, & Altemuræ Dominus, sacri huius monasterij fundator, defunctus An. D. M.CCC.LXXXVI. XXIII. Die Nouemb. feliciter. Amen.

Plasticum est hoc sepulcrum ad altaris dexteram. Ad sinistram lapis marmoreus cum hoc epigrammate,

Io. Nicolao Bernardi F. Arcucio ex veteri familia viro ornatiss. Romæ quò pietatis ergò LXX. annum agens iuerat defuncto, Ioannes Vincentius, & Io. Baptista parenti opt. inter Gentiles Pos. An. Christi Iubilei M.D.LXXI.

Fontes. Propè littus D. Francisci ædes, quatuorq. fontes, quorum vnus *Maris aqua dicitur*; alius, *Truglifons*; tertius, *Aquauiua*; quartus, *Aqua marocellæ*; & nuper ad meridiem, maxima aquæ scaturigo erupit. *Anacaprea.* In Anacapreis ædes D. Mariæ Cetuliæ, quæ suprà montem extructa. D. Mariæ Parochia. D. Annunciatæ, D. Nicolai, olim Parochia. D. Sophiæ, D. Petri, D. Ioannis de Romeis.

Episcopi. In Concilio Lateranensi sub Iulio II. adscriptus est Reuerendus Dominus Raphael Capretanensis Episcopus, nam Caprensis Episcopus in Africa est apud Vict. Vticensem. Et anno 1313. *Capri Episcopus, familiæ contrà eum coniurata.* In actis Caroli Regis anno 1284. Venerabilis in CHRISTO Pater I. Episcopus insulæ Caprearum. Numerantur etiam Eusebius . . . . . Angelus Barretta, Leonardus de Magistris ambo Neapolitani Vicarii, Alfonsus Sominus Hispanus, Philippus Maczola Capreensis, Franciscus Liparulus Neapolitanus.

Donatio Caprearum. Iustinus Imperator confirmat donationem insulæ Caprearum factam à Flauio Iustiniano auunculo monachis Casinensibus, apud Leonem Ostiensem. Et Caprariam insulam in salo Neapolitano à Tertullo datam Beato Benedicto cùm eum ad Casinum inuisisset, scribit Gordianus in vita Placidi, apud Surium.

DE INARIME, SIVE AENARIA, PITHECVSA vel Pithecusis, & Pithecussis. Cap. XV.



APREAS, Prochytam, Pithecusas, Leucosiam, Sirenusas, & Oenotrides, partes esse continentis auulsas affirmat Strabo. Cùmq. dixisset ab Aeschylo Rhegium esse dictum quoniam terræmotibus Sicilia à continenti fuit abrupta, & ῥήγνυσθαι rumpi significat; mox addit, ἔτι δὲ τῶν κατὰ τὰς Πιθηκούσας, καὶ τὴν προσεχῆ περαίαν οὐκ ἀπεικὸς ὑπάρχειν καὶ τοῦτο συμβῆναι; *Sed & Pithecusas ac opposita continens habent, quibus probabile reddatur Siciliæ hoc euenisse.* Philostratus in Imaginibus cùm de insulis loquitur post descriptam Inarimem, quam tutam dicit, natura munitam, fluidam, & verticem omnia speculanti Neptuno attollentem; & Prochytam, supinam, feracem, piscatoribus & agricolis habitatam; geminas contiguas appellat insulas, à pelago in medio scissas, idq. Europam quondam circà Thessala Tempe esse passam. Et vt apertiùs de Inarime loqui assereret, subdidit, ignem insulæ meatus subeuntem, totam incendisse, ibidemq. ignis amnes, asphaltum, & sulphur esse confirmat; tùm prætereà Giganti detruso, & ægrè morienti insulam impositam, veluti Sicilia Typhoni. Montem ex quo fulgura in Gigantem cõtorquentur à Dracone habitari, thesauri eiusdem custodem, scribit, & qui humo conditus erat. Tandem ad Balneas accedit, & auream idcircò fortasse nominat, pulcramq. & omnibus admirabilem. Fontibus etiam scatere partim liquidis & frigidis, partim feruentibus; adeòq. esse fluidam, vt & mari vndas immittat. Accedit quoque ad Simias, dùm enim Theatrum describit, & Regium puerum qui ibi educabatur, in Hippodromo canes Melitenses statuit ad cursum, & eas belluas. Hæc omnia Philostrato condonare possumus; à continenti autem fuisse abscissam, veritati statuendum relinquimus.

Lib. 5.

Inarime.

Typhæus.

Arime

Arime. Arime dicitur ab Homero,

Γαῖα δ' ὑπεστονάχιζε Διὶ ὡς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφώει γαῖαν ἱμάσσῃ
Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς;
Terra autem resonabat, sicuti Ioui fulmine gaudenti
Irato, quando circà Typhœum terram verberat
In Arimis, vbi dicunt Tiphœi esse cubilia.

Et à Pindaro, qui ea quæ in hac insula sunt, cum ijs quæ sunt in Sicilia, Puteolano, Baiano, & Neapolitano agro commiscet,

Ἀλλ' οἷος ἄπλατον κεραΐζε θεῶν Τυφῶνα
Πεντηκοντακέφαλον ἀνάγκα Ζεῦ πάτερ
Ἐν Ἀρίμοις ποτέ ------
Qualis immensum Iuppiter Typhonem
Quinquaginta mouentem capita prostrauit
In Arimis quondam ------

Ab Hesiodo, ἐν Ἀρίμασιν dictum est. Ex Pindaricis vocibus, ἐν Ἀρίμοις, & Homericis, εἰν Ἀρίμοις, quæ præpositio Ionum est, Inarimem dictionem conflarunt. Sed contendit Erythræus in indice Virgiliano contrà Plinium & Hermolaum, ab Homero Arimem, non Inarimem nuncupatam. Arimorum nomine, aliqui Syros intelligunt, & Callisthenes in Sarpedonio promontorio ad ipsum Corycium antrum Arimos collocat. Sic igitur insula dicta à populis, qui fortasse eam incoluerunt; vel à Simijs, quæ prisca Etruscorum lingua Arimi dicebantur, quod probabilius videtur, nam Pithecusa dicitur, & Græci Πιθήκους simias dicunt. Qua de re sic Lycophron in Alexandra,

Arimi, populi.

Ὅθεν Γιγάντων νῆσος ἡ μετάφρενον
Θλάσουσα καὶ Τυφῶνος ἀγρίου δέμας
Φλογμῷ ζέουσα δέξεται μονόστολον
Ἐν ᾗ Πιθήκων πάλμυς ἀφθίτων γένος
Δύσμορφον εἰς κηκασμὸν ᾤκισεν τόσον;
Vnde Gigantum dorsum insula
Collides, corpusq. Typhonis efferi
Flamma feruens recipiet vna cum naue
In qua Simiarum genus Deorum Rex
Deforme

Deforme collocauit in eorum opprobrium.

Quam fabulam exprimit Suidas, aitq. Cercopes duos fratres fuisse in terra (Lydia) omni deditos industriæ, cognomentum hoc adeptos ab atrocibus factis; alter enim eorum pessulus fiebat, alter incus. Quæ mater eorum Memnonis cùm videret, monuit vt cauerent ne in Melampygum inciderent, hoc est Herculem à nigris natibus ità dictum. Xenagoram eos in simios mutatos scripsisse addidit ob improbitatem, & Pithecusas insulam ab eis accepisse nomen. Hanc Xenagoræ opinionem sequutus Ouidius ait, *Simiorum fabula.* *Lib. 14. Met.*

> ——— *steriliq. locatas*
> *Colle Pithecusas habitantum nomine dictas,*
> *Quippe Deum genitor fraudem & periuria quondam*
> *Cercopum exosus, gentisq. admissa dolosæ*
> *In deforme viros animal mutauit, vt ijdem*
> *Dissimiles homini possent similesq. videri.*

Et Cercopes impostores Græci appellant, quales hi præcipuè fuere (nominant aliqui Candaulum, & Atlantem) ab animalibus quæ κέρκῳ, idest caudæ motu blandiuntur; vndè κερκωπίζειν, *decipere* est. Plinius Aenariam appellat ab Aenea, & nomen Græcum ad dolia ex Creta refert; *Aenaria ipsa à statione nauium Aeneæ, Homero Inarime dicta, Græcis Pithecusa, non à simiarum multitudine, vt aliqui existimant, sed à figlinis doliariorum.* Græci siquidem πίθον, dolium dicunt; & prouerbij loco, ἐκ πίθου ἀντλεῖν, de ijs qui omnium rerum copia affluunt. Creta locus abundat, doliaq. ex ea conficiebant, quemadmodum hoc tempore eadem creta nō ad vasa, sed ad lateres quibus Neapolitanæ vrbis plateæ sternuntur, conficiendos vtimur. Atque in scopulo qui Gigantis dicitur, ardentes fornaces figulorū vsui extant. Stephanus Pithecussas scribit, pluresq. insulas facit, Πιθηκοῦσσαι; νῆσοι περὶ Τυῤῥηνίαν. οἱ οἰκήτορες, Πιθηκουσαῖοι. *Cercopes, qui.* *Lib. 3.* *Aenaria.* *Pithecusa.*

HABITATORES.

Hanc insulam ab Eretriensibus fuisse habitatas ait Strabo, in qua diuites fieri videbantur ob agri feracitatē, auriq. venas; *Eretrienses Aenariæ habitatores.*

ſed coorta inter eos ſeditione, eam deſeruiſſe. Id etiam terræmotibus, & calidarum aquarum eruptionibus tribuit. Cùmq. murum perducendum curaſſet Hiero Syracuſanorum Tyrannus, eos qui miſſi fuerant, opus quoque deſtituere coactos eſſe ſcribit, & Neapolitanos inſulam in ſuam poteſtatem recepiſſe. Subdit Fazellus, Hieronem non modò Aenariæ, ſed omni Campaniæ fuiſſe dominatum, & Eretrienſibus, & Chalcidenſibus ob ſedicionem indè expulſis, colonos è Sicilia tranſmiſiſſe, qui Gerundam oppidum ibi ædificarunt. Eoſq. Epomei incendio perterritos oppidum inſulamq. deſeruiſſe. Qui mons L. Marcio, & Sex. Iulio Coſ. deindè, Tito, Antonino quarto, & Diocletiano Imperatoribus ignem euomit. Alberti præthereà primi anno tertio ad menſes duos arſit, vt cùm multa conſumpſiſſet, in Pandatariam, Capreas, & Baias confugerint qui reliqui fuere. A Iulio Obſequēte ſcribitur anno 663. ab V.C. antè CHRISTVM natum 89. Aenariæ terræ hiatu flammam exortam in cœlum emicuiſſe. A multis proditum Cumanos in hanc inſulam appuliſſe, continentem haud multo poſt incoluiſſe. Hi tamen Chalcide Euboica profecti ſunt; atque ità eoſdem exiſtimo cum Chalcidenſibus eiectis ab Hierone, & cum Cumanis qui Cumas deindè condiderunt. Romanorum quoque ſtatio fuit. Appianus Alexandrinus ait, cùm Antonius Libonis familiares moneret vt eum è Sicilia euocarent, Libonem in ea nauigatione ad Pithecuſas, quæ nunc Aenaria eſt, appuliſſe, rogatumq. eſſe Cæſarem à populo vt Liboni litteras fidei mitteret. Pompeium quoque ſequutum traieciſſe in Aenariam cum multis ſelectis nauibus, ipſum inuectum ſexireme ornatiſſima, atquè ità ſuperbè Puteolos prærternauigaſſe circà veſperam hoſtibus inſpectantibus.

Cumani in Aenariam.

Lib. 5. Rom. hiſt.

T Y P H OE V S.

Totum maris tractum qui Cumis in Siciliam vſque procurrit, eſſe ignitum, & quaſdam habere cauernas continenti finitimas, quales in Aetna cernuntur, ſcribit Strabo. Idcircò huic regioni

regioni Typhonem subiectū n dicunt. Proptereaquòd Typhones Græci turbines appellant, quòd Τυφῶν ventum repentinum & verticem ex igne conflatum significat, & Hesiodus tempestuosum flatuum parentem Typhonem facit, quamobrem allegoricè à Poëtis pro terrenis vaporibus,& æstuationibus nomen vsurpatū, cuius fabulam Hyginus planissimè curiosos docebit. Aeschiron in Ephessidis, ait in hac insula Gigantes in Iouem irruisse, idcircò eorum immania dorsa petris esse compressa. Timæus apud Strabonem, priscos illos multas de Pithecusis fabulas edidisse ait; collem Epomeum in insulæ medio situm per quosdam terræmotus incendia euomisse, & terram intermediam in pelagus ignes non paucos eiectasse;quodq. telluris redactum est in cinerem cùm sublimiùs exhalet Typhonis,idest ardoris in morem, rursus vt fulmen recidere in insulam; quæ cùm in pelagus ad tria excurrisset stadia,nō multò post regressa est,indè recursu maris insulam immersisse,atque ità ignem esse restinctum. Hinc recondita illa quæ Plutarchus recenset, eliciuntur,Typhonem Seth,Bæbon,& Smy nominari, quæ vocabula violentiam quandam, & interpellatricem remoram, repugnantiam,retorsionemq. demonstrant.Cùm Isidem genitricem dicit, & in mundo visibili plenam materiam versari cum bono, puro,& ornato,& Platonis locum generationis & recipientem, subdit Hesiodum dùm prima omnia Chaos,Terram,Tartarum, & Cupidinē decernit esse,non alia sumere principia quàm hęc, & nomen terræ Iside permutare, Osiridi cupidinis, Typhone Tartari, vt in Typhonis fabula, chaos conceptaculum quoddam, & sedem vniuersitatis positam cognoscas. Hinc inter Osirim, Typhonem, Isim, Nephthin concursus. Cùm enim in materia incurrit Typhon extrema adoriens, ibi videtur mœsta, ac lugere, & frustra Osiridis amicire partes emorientes, & abdere. Et iungitur connubio Typho Nephthyi, & furtim insinuatur Osiris; vbi obitus, & vis perimens recensetur. Hinc etiam fabula illa qua Mercurium excisis Typhonis neruis pro chordis vsum dicunt; qua docent concinnatam à ratione vniuersitatē, ex dissonis partibus concinnam esse effectam, neque

Typhones allegoricè.

Lib. de Iside, & Osiride.
Seth.
Bæbon.
Smy.
Isis.
Osiris.
Nephthys.

perniciosam sublatam portionem eius, sed completam virtutem. Itaque imbecillis illa & languida, cum flexibilibus membris confusa, terræmotuum. siccitatum, ventorum in aëre horrendorum, & fulminum opifex efficitur; pestilentijs aquas & ventos inficit, & ad Lunam sæpenumero recurrens, eius splendorem denigrat, vt Aegyptij arbitrantur. Hinc vmbram terræ Typhonem nuncupant. Hinc in Aethiopia Typhon ardet, & eius insidiæ discutiunt madorem gignentem Nilum, eundemq. inflant. Hinc etiam sapientiores Sacerdotes Nilum Osirim nominant, & mare Typhonem; & Osirim generationis & seminis naturam; Typhonem contrà quicquid squalidum & igneum est, humiditati inimicum. Recondita hæc habes in igne, fremitu, ac sicca Aenariæ terræ natura, quamuis mare fluida. Habes eadem in Baianis & Vesuuinis eruptionibus; habes in tota Campania, vt Typhonem non Aegyptium, sed Campanum appellemus. Quod si locis flammas eructantibus Typhonis miseria conuenit, huic tamen insulæ dicatam scimus. Virgilius,

----- durumq. cubile
Inarime Iouis imperijs imposta Typhœo.

Et Lucanus,

---- ceu Siculas flammis vrgentibus Aetnam
Vndat apex, Campana fremens ceu saxa vaporat
Conditus Inarimes æterna mole Typhœus.

Et apud interpetrem Apollonij lib.2. Argon. Pherecides scribit, Typhoni insulam Pithecusam iniectam, ὅπυ τὴν Πιθηκοῦσαν αὐτῷ πέῤῥι φλῶ αἰνῆσον Φερεκίδης ἐν τῇ θεογονίᾳ ἱστορεῖ. Quem ta-
Lib.12. men, Iapetum Gigantem nominat Silius Italicus;

Apparet procul Inarime, quæ turbine nigro
Fumantem premit Iapetum, flammasq. rebelli
Ore eiectantem. & si quando euadere detur
Bella Iouis rursus superisq. iterare volentem.

Ex Theodontio affert Ioannes Boccacius Typhœum Titani & Terræ fuisse filium, eumq. antiquissimum Ciliciæ fuisse Regem, & Osirim fratrē bello superasse, fabulamq. ad ignes qui è terræ visce-

visceribus erumpunt, refert. Pindarus in Pythijs, Typhœum ἑκατοντακάρανον Cumis, & Siciliæ tribuit. Addit Hesiodus in Theogonia ex eius humeris centum draconis capita exijsse, flammas emicuisse ex oculis,& suam cuique capiti vocē fuisse.

DESCRIPTIO.

Decem & octo millia passuum insulam circumplectuntur, si littorales sinus metiri libuerit; si autem rectà, quindecim. Cont neturq. promontorijs, Locio, Sarillo, Acu, Cephaliono, S.Pancratio, Caballo, Marontio, S.Angelo, Pedoro, Falconario,Scannello,Seni,Mancipio,Imperatori,D.Maria gratiarum, Scropha,S.Petro, Arena, Cornice, quæ summa cum venustate in mare prosiliunt. Portubus, S. Angelo, Pansa, Montano, Scopulis,Naui,Caruso,Formicula,Triglia, Scropha, Gigante, & ijs qui proprio vocabulo Scopuli dicuntur trans suburbium. Montibus,Epomeo in medio insula, qui hodie Mons S.Nicolai dicitur; altero proximo, quem Pontanus Abocœtum videtur appellare,in cuius vertice fontem scatere scribit eiusdem nominis,ab auium frequentia dictum,quæ ad eas aquas confugiunt, cùm gelidorum fontium penuria insula laboret; in quo etiam frugum vbertas & bonitas; Latina item vina,& Caudacaballa, leuiora quàm Sorbigna & Græca. Monte Custodiæ,in quo vigiles sunt continuò ad prædonum incursiones vitandas.Monte S.Angeli, qui ferè peninsula in mare proijcitur, & frequenti & numerosa locustarum piscatione celebris est. Montibus, Tertiana, Capimontio, quibus amœna terminatur vallis, in cuius medio rupes nitro albescunt,& nitrolis fons dictus, cûius aqua natura decocta lina trium dierum spacio maturat,albumq. reddit,eiusq. potus ægris vtilis, & ad habitantium pulcritudinem, & incolumitatem plurimum confert. Montibus, Beluedere, & Stabia,aëris salubritate celebres,ijs maximè vtiles qui pulmonis vlceribus afficiuntur. Montibus etiam,Marontio,Equitatu, S.Pancratio ab æde illi dicata, pulcherrima valle circundato, phasianis, leporibus, cuniculis referto, castaneis nemoroso.

Promontoria Aenaria.

Montes Epomeus, Abocœtus,

Testa

Testa item & Casacumano, quò Sibyllam diuertisse antiqui tradiderunt.

Lib. 2. de bell. Neap. Descriptio Aenariae. Oppidum sic describit Pontanus; *ISCLA oppidum edito atque adeso in monte situm, mari olim vndique cingebatur; nunc mole iacta, satis longo tractu insulae coniungitur. Mons ipse breui admodum à Prochyta freto dirimitur. Indè circùm adesis rupibus ab meridie, occasuq. mari sinuatur, stationemq. efficit, qua parte post ipsum molem insula procuruato in sinum mari abluitur. Statio ipsa ab Euris Notisq. malè omnino tuta à fluctibus. Ad ipsum autem oppidum accessus est peraccliuis maximaq. è parte saxo caeso, atque excauata rupe manufactus. Munitiones igitur ità erectae sunt vti tormentis aeneis, & offensitari nauium statio, & oppidi porta, finitimaq. illi quassari aedes possint.* Ischia, quid. Atque idcircò ISCHIA, vt Volaterrano placet à Graeca voce, quae fortitudinem significat, dicitur; & munitissimum locum Graeca voce exprimi ait Iouius. Tùm praetereà Lib. 16. Sophocles anchoram nominat ἰσχάδα, propterea quòd nauem lib. 3. Dipnos. retinet, apud Athenaeum. licet ingeniosissimo Francisco de Petris, non ἀπὸ τοῦ ἰσχύω, *robustus sum*, sed ἀπὸ τοῦ ἰσχίος, Coxa, Ischiam dictam placet, & nobilissimā illam familiam à dominio nomen accepisse. ἰσχίον, neruum dici coxam femori colligātem, ait Pollux. ISCA, Dumnoniorum vrbs est in Albione insula apud Ptolemaeum. Idem Pontanus scribit multos docuisse terraemotu aliquandò à continente auulsam Aenariam, exesis rupibus, solo cauernoso, aridam, calidisq. fontibus scatentem, & alumine abundare, quoniam intestina incendia nutrit. Scribit praetereà cum annis circiter centum & sexaginta tribus antè sua tempora insula conflagrasset, prouolutis ingenti magnitudine saxis quà ad Cumanum littus vergit, fumo, flammis, puluereq. immixtis, facto per agros impetu, & amoena regio esset vastata, Bartholomaeum quendam Perdicem, quem vulgus Pernicem appellat, Ligurem negociatorem, in saxa fornacibus excocta in alumen dissoluisse, eamq. artem reuocasse, quae multis annis iacuerat, & quam ipse in Syria didicerat. Sed ISCIA, quoque Aenaria dicta est, & simul cum Pontia, Oenotrides à

Strabone

Strabone dictæ sunt antè Veliam maris Tyrrheni, quas à Volscis habitatas quoque fuisse scribit. Septem ferè stadia scopulum ex viua silice ambiunt, ascensu per cuniculum difficillimo, vallo, ferreis portis, militumq. Italorum (& ferè ciuium) præsidio custodito, quod Regijs arcibus videtur nouum, Isclanorum præcipuum erga Reges fidei testimonium. Locus firmior ab Alfonso primo Rege Aragoneo, fossa, muro, tormentis est factus. Arcis præfectus Vasti Marchio necis & vitæ in ciues habet potestatem. Omnes ciues à Fiscalibus functionibus sunt alieni. Vicos habet Pansam, Fontanam, Testaceum, Baranam, Campagnanum, Casanizzolam, Laceum, Forium qui maior ad octingenta capita continet, & munitior multis turribus in occidentali plaga, situ, fructuum vinorumq. copia, & aprico cœlo, ceteris insulæ locis præstantior. Hanc aliqui laudem tribuunt S. Montano, & scopulis qui D. Annæ dicuntur. Hinc Romam & ad loca mediterranea vina asportantur.

Ciues, vel quòd ignis nimium sanguinem exiccat, vel quòd insulanorum mores sectantur, procliues sunt ad iniurias, atque homicidia. Et quamuis vt plurimùm egestate laborent, nobiles ibi tamen multæ familię numerantur, Cossa, quæ & Saluacossa, (etsi Ammiratus sine causa diuidat) quæ Petrum Bellantis Comitem habuit, qui pro Federico Rege insulæ imperitabat. Atque indè planè constat ex Gallia hanc familiam eò se contulisse. Mellusia ex Stella, alteraq. Incerbera, Incoruera, Mansa, Nauarra, Innarza ex Hispania, Torella, Capicia, Lamberta, Palagana, Afflicta, Infrisca, Russa, Canetta, Scotta, Albana, Menga, Pescia, Amalfitana, Guarina, Martina, Pagana, quòd Iacobus Paganus Neapolitanus ex Liuia Infrisca liberos duxerit. Manotiam quoque familiam reperio, cùm ex insulanis aliqui Cossarum, aliqui Manotiorum partes sequebantur. Vicerunt tamen Cossæ Michaele Duce, qui in insula plurimùm poterat, quam cum Alfonso Rege repente adortus, in Regiam potestatem redegit anno 1423. Ab antiquo scriptore hæ familiæ in ea insulæ nobiles numerantur, & cùm Cossam non nominet, eandem cum Saluacossa eam esse familiam, proculdubiò

ostendit,

ostendit, Malphia, Turris, Pappacoda, Saluacossa, Papa, Calasirta, Barbara, Galatola, Manochia, Manus.

Tota insula pomaria, & nemora, depictaq. prata cernuntur. Carduorum memorabilis copia qui cineras gignunt. Gariophylorum siluæ; phasianorum aliarumq. auium aucupia; quadrupedum venationes. Auri fodinæ, de quibus fortasse Strabo loquutus est. Nigra arena quæ Magnetem trahit. Ferri venæ in altissimis rupibus, quæ in insulam aditum prohibent. Vndecim tota insula frigidæ aquæ fontes; quas frigidas appello, si trigintaquinque calidas & medicatas proposuero. Lacus etiã erumpit, in quo præter piscium piscationem, folicas eo tempore quo Martinalia celebrantur ad mille & quingentas occidere solent; quod auium genus eo tempore delicatiùs quàm phasianorum, ob mirti, & lentisci pabuli bonitatem. Græcum vinum quod ex eius agro promitur, laudabile. Latinum, non contemnendum. Sorbignum vt aliquibus austerũ, ita alijs delectabile. Substringens est, & leui punctione demulcet palatum. Et id quidem album, inquit Baccius, ac substantia vini noui instar mustea. aliud verò colore vermiculum, & aliud tenue. Primi verò meriti album habetur non aquosum quidem, sed in substantia illa crassicula, dulci, & delectabili, suctu quodam os, palatum, ac linguam contrahens; iucundo odore, & cum ingenito in ea crassitie pertenui spiritu, in quo tota huius vini consistit virtus. Vndè cùm inter primaria vina, & olygophora antiquorum id rectè dixerim obtinere mediocrem laudem; gratum naturæ est ac stomacho, corroborãs, & tamen citò descendens ac nutriens, nec æstuat in hypocondrijs, nec tentat caput, sed citò transit ad vesicam, & renes, & vrinam prouocat. Nec clarificandum vinum ex hac insula statuit, veluti fecere Medici Paulo III. Pontifice, nam totum huius vini robur in ea matrice est, quæ χαῖτὸν καὶ στόμωμα dicitur, qua exempta, vini substantia exolescit. Ligna quoque pauperibus laribus idonea mittit.

Folica. *Vinum.*

Anno 1305. Episcopo Isclano in Actis Regum Neapolitanorum conceduntur decimæ solitæ, licet introitus fuerint diminuti ob incendium quo insula è terrenis visceribus Na-

turæ

turæ secreto vastata est. Anno 1310. percipit pro decima. In oppido maior Basilica est, templaq. Trinitati, D. Nicolao, D. Annuntiatæ, D. Mariæ Turrium à Turra familia iam extincta, & D. Stephano dicata. Aedes D. Mariæ Hortidonici à loco in quo sita est, quam Constantia Caretta illa inter primarias feminas instaurauit, via amplificata. A scopuli radicibus stadij ferè longitudinis pons ad suburbium pertinet, quod Celsa dicitur, in quo cœnobium D. Mariæ Scalæ vbi ex Augustiniana familia ad xx. Sacerdotes commorantur. Aedes quoque D. Mariæ Gratiarum, quam Franciscani incolunt, & D. Dominici. Duo Sanctorum corpora habere se affirmant, S. Restitutæ, & S. Oliuæ, vel Oliuatæ. Aliter Martyrologium decernit, in quo legitur, Neapoli in Campania S. Restitutæ virginis & martyris, quæ Valeriano imperante, à Proculo Iudice in Africa variè torta, & in nauicula pice & stupa referta, vt in mari combureretur imposita, immisso igne, cùm in incensores flamma conuerteretur, ipsa in oratione spiritum Deo reddidit; cuius corpus cum eadem nauicula Dei nutu ad Aenariam insulam propè Neapolim deuectum, à Christianis magna veneratione susceptum est, & in eius honorem Constantinus Magnus Basilicam posteà Neapoli erigendam curauit. Quod sanè ab Imperatore factum non esset, nisi corpus eò esset translatum. Condiderat autem in Aenaria templum Restitutæ Licinia nobilis matrona cum anno 257. xiv. Calendas Iunias Restituta Cipriani Episcopi Carthaginensis discipula, in Ponizario eius patria martyrij palmam consequuta, in hanc insulam est aducta. Quod verò ad Oliuam pertinet, vnam Anagni asseruari scribitur in Martyrologio; aliam quæ cum Nympha etiam virgine Panhormi orta fuit. Diuæ Restitutæ nundinæ in Aenaria celebrantur. Antiqua epigrammata in eius æde leguntur,

S. Restituta. *S. Restitutæ templū Neapoli.* *Licinia.* *S. Oliua.*

D. M.
L. FAENI. VRSONIS
THVR. CONIVGI. BENEM.
TYCHE. LIBERTA. FECIT.

Cccc aliud,

aliud,

MEMORIÆ. SAILVVIÆ. NAF. VILLÆ
FILIÆ. PIENTISSIMÆ. PARENTES
GEMINVS. ET. ARTEMIS.

item,

M. ANTONIVS. AVGVSTALIS. BATYLLVS
ET. ANTONIA. AVG. STAEIAISII. M. ANTONIVS
..... ICTERES. SIBI. ET. SVIS.

BALNEA.

Nec habitatores Græci, nec Hieronis maiestas, aut figlinorũ creta, aut Typhonis fabulæ tantùm gloriæ attulerunt Aenariæ, quantum attulere Thermarum perennitas, & medicatarum aquarum scaturigines, quarum maximam partem Iulius Iasolinus Chirurgiæ doctrina peritissimus inuenit, & instaurauit. Nihil thermæ illæ à Baianis differunt; fortasse aliqua ex parte, ob procerum cultum, superiores euaserunt. Debent plurimùm Neapolitani Iasolino, cuius opera ad sanitatem tuendam, ad morbos depellendos, saluberrimæ aquæ patent. Debent aquæ Francisco Lombardo, qui eas quas anteà nouerat carminibus illustrauit.

Iulius Iasolinus.

Franciscus Lombardus.

Fornellum.

AQVAE igitur FORNELLI, quartanæ spuriæ, veræ, lieni, hydropisi, capitisq. dolori medentur. Hipocondriacam affectionem, vel Mirarchiam incipientem sanant. Calculo laborantibus, & apoplepticis maximo sunt subsidio. Vesicam aperiunt. Podagricis sunt adiumento. Nauseam stomachi sedant. Asmaticis vtiles, si tamen parosismo cessante, purgatoq. corpore aquas introierint. Aurium tinnitum, surditatem, vertiginem tollunt, & paralisim. Quod si earum aquarum cœno vtaris, tumores pituitosos expellit, articulorum duricies quæ reliquæ fiunt ex vulneribus fugat, frigidam atque humidam intemperiem remouet. Primam substantiam tenuis habent sulphuris, secundam nitri, tertiam salis, quartam aluminis, & quinctam ferri. Scatent ad D.Petri ad Pantanellum ex montis radicibus.

De

De quo balneo sic Lombardus,

Quartanæ confert, spleni, capitisq. dolori,
Subuenit hydropi, phlegmaticæq. febri.
Vesicam reserat, lapidem perfringit, arenas
Educit, prodest mirificè podagris.
Omnia languentis stomachi fastidia sedat;
Furnelli à furni schemate nomen habet.

FONTANAE; cuique plagæ huius balnei aquæ sunt medicamento; & quasi miraculo quodam ex humanis corporibus ferrum eliciunt. Hepati, pulmoni prosunt, fractaq. ossa mirum in modum trahunt. Scabiem purgant. Capillos nitidos & longos efficiunt. Corporum vires restaurant. Coercent, refrigerant, siccantq. Argentea minera & aluminosa cum magnete, terræq. aliqua salis parte, & nitrosa. *Fontana.*

Succurrit plagis, ferrum extrahit impete magno,
Pulmoni confert, hepatis atque malo.
Consumptos reparat citò, prolongatq. capillos,
Emundat scabiem, fragmina ab osse trahit.

CASTIGLIONIS; calidissimæ, ac lucidissimæ aquæ, quæ quamuis aliò perducantur, diutiùs tamen quàm reliquæ calorem retinent, atque in ipsis crassitiem cognoscimus. Sulphur olent, minori spiritu cùm frigida fuerit aqua. Potu & ablutione his vtimur. Ebibitæ intestina purgant, renum obstructiones aperiunt, vrinam cient, lumbricos enecant, & remouent disenterias. Frigido rheumati, strumosis tumoribus, ventris prosunt inflationi. Hepatis auferunt maculas, & omnia scabiei genera arcent. Aquarum quæ Senis, Auinione, Pisis enascuntur vim retinere affirmat Baccius in libro de Thermis, *Castigio.*

Languentem reficit stomachum, vt benè concoquat vrget
Morpheam humano vultu abigitq. lepram.
Visum acuit, cor confortat, plagisq. medetur,
Ventriculum soluit, prouocat vsque famem.

SPELVNCAE vel SCROPHAE aquis, suo loco vti non licet, maris enim vndæ in cuius margine positæ sunt, & nimia caliditas impediunt. Quibusque fluxionibus commodæ, neruorumq. *Spelunca, vel Scrofa.*

& articulorum doloribus. Frigidis ac flexuosis visceribus Vere præsertim, & Autumno aduersantur. Fœmorum, articulorum dolorem, tussimq. sanant. In labro (tantum in ijs caloris inest) ijs vtamur necesse est. Inter sulphureas quarto gradu calidas numerantur.

Aluum subducit, tussim, & nephritida pellit,
Arthritim, chiragram, ischiada, & podagram.

Gurgitellum. GVRGITELLI, præclarissimæ à Medicis celebrantur. Sterilibus prosunt feminis. Consumpta ferè membra reficiunt. Stomachum recreant. Calculum extrudunt. Hepati subueniũt. Scabiem explodunt. Cibi appetentiam reuocant. Ferrum ex humano corpore extrahunt. Atque diuinitùs factum videtur vt hisce aquis omnia ferè mala curentur. Et quoniam in summa temperie sunt constitutæ, viscerum intemperiem moderantur, gracilia corpora pinguia reddunt, & scirrosos tumores à lenta pituita exortos, propulsant.

Hepaticis prodest, à psora purgat, ὀρέξιν
Proritat, ferrum mirificèq. trahit.

Stomachi. STOMACHI, cum aquis Gurgitelli conueniunt, puriores tamen ac tenuiores quasi ex stillatorio deductæ. Stomachum roborant, phlegma vacuant, purgantq. vterum. Post potionem ad vncias octo, nec dormito, nec aliud quidpiam bibito, aut edito. Biliosis (vt cum Celso loquar) mirificè prosunt. Cum ex aquis Gurgitelli discesseris, iter ad dexteram faciens Orientem versus alias reperies ex radicibus Epomei scatentes claras, pellucidas, gustatu dulces, & crassas. Antiquis vulneribus præstò sunt, aluminis vigorem præseferentes. Morbo Gallico, aphritidi, sporæ, hepati subueniunt, & potu, & ablutione, & fomentis.

Dentium. DENTIVM. prædominatur aurum his aquis, ferrumq. subsequitur, exilisq. sulphuris vapor. Parua enim huiusce aquæ potio, nunquam liquescere potuit, nisi aquæ chimicæ auxilio, salis armoniaci parte addita. Dentium dolori, gingiuisq. excarnificatis affert medicinam potu, & gargarizatione. De his aquis, hæc carmina,

Est

Est & ad occiduam partem qua vertitur vnda
Languentem stomachum qua reparare valet.
Quiq. Orientales spectat calidissimus oras
Fons, dentem haud vlla parte dolere sinit.
Fons quoque ad occiduam plagam conuersus, ocellis
Prodest, & capiti mite leuamen adest.
Quam vulgo, Sinigalla vocant, podagrae atque dolori
Iuncturae, ischiadi praestat opem, & chiragrae.

COTTI, vel, CAIVNCARVM, ex vno erumpunt capite. Aes, chalcantum, sulphurq. redolent. In petrosis rupibus coguntur, & ex quadam materia guttae prorumpunt, quae musco, licheni, vel pulmonariae comparatur. Guttam oculorum gingiuarumq. affectiones iuuant, capitisq. fluxiones praesertim atque calidas. Visum, auditumq. recreant. Asmaticis maximo sunt adiumento, curantq. vulnera igne, aqua, oleo calidis, & bombardarum ictibus inflicta. *Caiunca.*

Confert affectis arthritide, pondera splenis
Aufert, inflatum ventriculumq. premit.

FERRI balnei aqua mediocriter calida, clara tamen dulcisq. sulphur olens, quem odorem translata amittit. Potione, ablutione, & gutta est in vsu. Et quoniam ferri naturam continet, roborat viscera, sanguinisq. sputum coercet, quod omnibus ferratis aquis contingere scribit Auicenna. Hepatis, renum, vesicae intemperiem moderatur; stomachum reficit, vomitionemq. retinet. ictericiem, hydropisim, nocturnas pollutiones, scabiem & gomorraeam sanat. Podagrae, paralysi, rheumati, strumis, putridis vlceribus, articulis, flatui, spleneticis subuenit. *Ferri.*

AVRI. Aureae quidem aquae naturae miraculo obseruatione dignae. Cùm enim fons plenus est, aquarum superficies aureo velo obducitur, atque ità vt totus fons auro pellucidus conspiciatur; tunc verò maximè cùm aquae Solis radijs verberantur. Quod si quis balnei virtutem noscere cupit, auri virtutes non ignoret. *Auri.*

ARGENTI. Propè Aureum balneum, exiguo fonte, nitidis dilucidisq. aquis, Argenteum balneum est, quod argentea quo- *Argenti.*

que

que tela tegitur. Et quæ in Auro insunt, in Argento esse docti viri iudicarunt. Eà tantùm re differunt, qua & industria, & naturæ actione differre coguntur.

Cal umbraschi. CALAE VMBRASCHI, saliens aqua, quæ illicò veluti ex rupe præcipitat. Calida, lucida, dulcis, æris aluminisq. mixtione. Capitis, neruorum, articulorumq. morbos soluit.

Colata. COLATAE, calidissimæ aquæ, quibus linteis abstergendis lixiuij loco mulieres vtuntur. In ipsis oua coquunt, glabrant sues, ceteraq. conficiunt, quæ calida ad ignem aqua confici solent. Quapropter caliditate excellunt. Excrementa nitida apparent, atque ità aliquid æris ostendunt. Morbos frigidos & humidos; oculorum, aurium, capitis affectiones, tùm in primis emicraniam, pituitamq. expellunt. Paralyticis, epiplepticisq. medentur. Frigidas ex memoria superfluitates eijciunt. Asmaticos iuuant. Perpetua æstate, tùm regnante Canicula prosunt. Si quæ mulier lacte caruerit, panemq. in hoc balneo intinxerit, ederitq. lac copiosè prouocabit.

Sinigalle. SINIGALLAE, odoratis aquis, lacteo colore, liquidi aluminis mixtione, etsi argillosa ibi terra, cinere, calce, gypso illita. Non tantum adultis, viribusq. valentibus, sed etiam puerulis, veluti balnea Gurgitelli, & Fontanæ, est vtilitati. Pituitosos morbos, neruorum articulorumq. dolores, membrorum contractiones subleuat. Nullusq. morbus est ex busto ad pedes, quin aut prorsus sanet, aut aliqua ex parte leuet. Luto balnei, ad membrorum contractiones sanandas vtuntur.

Bagnitellum. BAGNITELLI, exiguum profectò balneum, sed aurium surditati præsto est. Cuius rei figuli quotidiè periculum faciunt, cùm accenso in fornacibus igne, sibilo & surditate laborare consueuerint.

Fons retis. FONTIS RETIS, visceribus, renibus, & vesicæ est medicamento. Conuulsiones, scabiem, lienis morbum sanat. Lentigines, impetigines, capitis & stomachi dolorem, oculorum lacrimas, & egilopas aufert. Vomitionibus prodest. Phlegma soluit.

Deterget scabiem, neruos mollescere cogit,
Fit procul hinc capitis, fit stomachiq. dolor.

Con-

Constringit lacrimas, vomitum, pellitq. rigorem,
Phlegma liquat, grauidis est medicina potens.

CAPITELLI, salsis aquis, sulphureisq. secundo grado calidis, quæ affectiones per cutem serpentes, & scabiem, impetigines, dothienosq. apud Græcos, sanat. Capitellum.

S. RESTITVTAE, calidas habet aquas exiccantes, & roborantes. Podagricis afferunt vtilitatem. Inflationes hypocondriorum prohibent. Flatuosam congeriem, & ventris atque vteri tumorem dissoluunt. Cholicos dolores repellunt, albasq. humiditates in mulieribus purgant. Nemini hoc balneum, nisi Iasolino cognitum. S. Restituta.

S. MONTANI, calidum, salsum, pellucidum, cui sal, sulphur, æs dominatur. Articulorum doloribus, colli præsertim, ischiadi, podagris, crurum tumoribus, stomacho, est valdè commodum. Crassos humores dissoluit. Intestinorum ventum fugat. Mulieribus quæ abortum facere solent, vterum reficiendo, nimis familiare. S. Montanus.

CITHARAE balneum phræneticis, thenasmo, sterilibus mulieribus, capitis dolori, quartanæ nimiùm confert. Semine viros auget, & mulieres lacte. Conuulsiones, anusq. onus deprimit. Vomitionem prouocat, aluumq. ciet potione. Vires roborat, & Venerem excitat. Cithara.

Tinesmum, sterilem, curatq. phrenitida, spasmo
Succurrit, capitis hinc dolor omnis abest.
Quartanam delet, mammis lac, testibus auget
Sperma virum (iuuenes quod faciunt hodie.)

AGNONIS aquis ad littus calidis, salsis, & sulphureis. Scabiem, furunculos, psoram, impetigines, pellis asperitatem tollit. Agno.

SOLICETI, perennibus, & calidissimis aquis, Colatæ, & Gurgitelli similibus. Sulphureo odore, ferreo colore. Siccant vehementer. Morbo articulari, podagræ, renibus, asmaticis, ossium fracturis, scabiei, vtilissimum. Solicetum.

GRADONIS, tertio caliditatis gradu, sale, & bolo Armeno illitum. Calidis morbis sanandis efficax. Crurum tuberibus Grado.

vtile,

vtile, eorumq. peruetustis vlceribus. Dilatatis testiculorum venis, digitorum reducijs, scabrosis vnguibus salubre.

S. Angelus. S. ANGELI, efficacissimè morbos sanat, qui ab aquis Calaumbraschi sanantur.

Doianum, vel Vlmitelli. DOIANI, vel, VLMITELLI, balneum secundo gradu calidùm, tenditq. ad tertium. Eius origo nitrosa cum aliqua salis gemmæ parte, & alumine, immixto chalcante, & bitumine, quæ omnia optimè in Stillatorijs dignoscuntur. Guttam frigidam, stomachi rugitum, tinesmum, calculum, renum dolorem, oculorum lippitudinem, anhelitus difficultatem, olentem animam, spleniticos, cordis palpitationem sanat.

Arthritim pellit, lepram, stomachiq. rugitum,
Tinesmo prodest, iliacosq. iuuat.
Spiritui, lippis, quartanæ subuenit, artum
Dilatat guttur, diminuit lapidem.
Liene affectos παλμοῦ καρδίης καὶ ἰᾶται
Præsto est, pulmoni, è corpore phlegma fugat.

Fons nitrolis. FONS NITROLIS, extremo Epomei ventre scatet. Et quamuis calida aqua, cùm tamen friguerit, coquendis cibis, potusq. vsui commodior. Refrigerat viscera, quapropter mulieribus optima corporis habitudo, quæ in illis sæpiùs lauant.

Succellarium SVCCELLARII, balneum vesicæ morbo, vrinæ ardori, calculo, tinesmo, lentibus febribus medetur. Lætitiæ & animi tranquillitati confert. Tussim expellit. Stomachum roborat. Scabiem sanat. Labiorum fissuras conglutinat. Dentibus, gingiuis prodest. Mulierum faciem purgat, liuorem sanguinis quem verbera induxere auertit.

Tinesmo, intermittenti confertq. τριταίῳ,
Vesicæ prodest, phlegmaticæq. febri.
Prolongat crines, & frigida membra resoluit,
Deterget vultum, liberat à scabie.

Plaga Romana. PLAGAE ROMANAE, quod non longè abest à Succellario, in hortis qui fructuum, plantarumq. amœnitate, Nympharium, appellantur; æris, ferriq. mixtura. Aquis primo gradu calidis, tantæ tenuitatis, vt cùm aliò trãsferuntur, subtiliores soluantur partes,

partes, virtutemq. amittant. Oculos iuuant. Visus aciem acutiorem reddunt. Crurum fracturæ conferunt, callum fractis ossibus inducunt. Capillos decidentes, & dentes immobiles firmat. Vertigini, calculo, sterilitati, menstruo, asmaticis, cordi, pulmoni, tussi, cholicis doloribus, hemorroidibus adest.

Pituitæ confert salsus quam procreat humor,
Pruritum ex oculis tollere fama refert.
Lacrimulas cohibet, teneros confortat ocellos,
Expurgat bilem, pectora læta facit.
Cordi imbecillo robur mirabile præstat,
Gutturis amplificat πνεύμονος atque sinus.
Tussim sedat ne'ue cadant firmatq. capillos;
Pruritum, & crurum fragmina sanat aqua hæc.

NITROSI, in eadem plaga balneum calidissima aqua. Scabiem & pruritum ab atra bile & pituita proficiscentem sanat. Iuuat renum dolores, & ictericos. Aluum ciet. Debilibus vires addit. Rheuma & tussim remouet. Genitalium quoque pruritum explodit. *Nitrosum.*

Phlegmate pruritum fugat aut ex bile μελαίνῃ,
Nephritis, tussis, fit procul hinc scabies.
Ventriculum soluit, consumptos recreat artus,
Subuenit ictericis, rheumaticisq. malis.

SAXI, semper incognitum. Alterum inter saxa morbo articulari frigido, alterum propè littus calido, idoneum. *Saxeum.*

Sunt duo quorum vnum gelidæ est medicina podagræ,
Ἀλλὰ δὲ τῆς θερμῆς φάρμακον ἐλλόγιμον.

HORTORVM Pontani; potu renum dolores, ictericos, hypocondriacos sanat, atram bilem, impetiginesq. arcet. Sunt & aliæ passim aquæ aut inter vepres & saxa, aut inter terræ aggeres absconditæ; quarum aliquandò vt ceterarum virtus, alicuius industria enitebit. *Horti Pontani.*

SVDATORIA.

Medicinam multis morborum generibus in ea insula Sudatoria etiam afferunt. Sudatorium CASTIGLIONIS, inter *Castiglio.*

antiquorum monumentorũ parietinis. Ibi arcem positam fuisse arbitrantur. Ex tribus rimis saxi copiosus fumus exit, qui suauem & mirificam elicit sudationem, articulorum doloribus, cholicæ, renibus, ictericiei, matrici, stomacho, vesicæ, podagræ, lieni, hydropisi, tympanitidi, paralisi, membrorum debilitati, cicatricibus, morphœæ, hepati, impetigini conferens.

Cacciottum. CACCIOTTI, suaue aluminosum, & bituminosum. Soluit reficiendo tumores qui ex phlegmate enascuntur. Obduratos articulos, & lienem sanat. Flatum excutit. Mirarchiam, tympanitidem, cholicos dolores leuat. Sudatoria in Valle Negropontis, vetus adhuc nomen Eubœæ retinente, cùm ibi Cumanos habitasse, & antiquarum vocum vsu, & dirutis ædificijs, non sit dubitandum. Plures in hac valle oriuntur aquæ, quæ horribili sonitu audientes perterrent. Articulis neruisq. contractis, & phlegmati efficacissimè prosunt.

Frassum. FRASSI. tribus locis, suaui & moderato calore, haud à superioribus differt.

Cottum. COTTI, à vetula quadam in vinea inuentum, antiquus auctor scribit. Crurum fracturam, ventris & lienis inflationem, stomachum, hydropicos, ischiadam, podagram subleuat.

S. Angelus. S. ANGELI, spasmo, stomacho, paralysi, scabiei, crurum vlceribus, surditati, epiphoris, renibus, calculo, lieni, est medicamento.

Baranum, vel Testaceum. BARANI, vel, TESTACEI, suaui, & moderato calore, fumo non nimis molesto, quamobrem, veluti alibi contigit, ægri non intermoriuntur. Calefacit, & emollit, inter terrarum orbis sudatoria celeberrimum ad membrorum duriciem expellendam. Ictericis, mulierum doloribus, interioribus vlceribus, hydropisi, tympanitidi initio, cruribusq. medetur.

Testæ. TESTAE, exiguo loco quinque inter exesas rupes quæ ab ignis conflagratione, Crematæ, dicuntur, terrorem oculis incutiunt. Alia duo præterea ad D. Hieronymi ædem; quibus tamen ob locorum difficultatem vti non possumus.

ARENATIONES.

Accedunt arenarum medicamenta. Inter Giganteum scopulum & Crematas ad D. Petri montem quò ægri descendunt, Arena-

Arenationis exiguus locus est, calido solo, & secundo gradu sicco; salsa, sulphurea, & aluminosa materia. Discutit, soluit, roborat. Neruis,cerebro,articulis,phlegmati confert. Frigidas affectiones soluit. S. RESTITVTAE celeberrima Arenatio, antiquis incognita, à Baccio antè Iasolinum laudata. Collecta saburra,aut corpori, aut corporis partibus aptatur scrobs; quæ tamen altiorem trium pedum profunditatē non excedat. Quod si profundiùs effodere volueris, scatet aqua, & saburrationis vsus nullo modo proderit. Sed ne calor nimius impediat,linteo corpus obuoluito, sepultis vsque ad ceruicem humeris,si morbus id postulauerit. Aestas saburrationi commoda vsque ad Caniculæ initia, manè tribus horis post ortum Solem, totidemq. antè occasum vesperi. Quindecim diebus si semel die arena obrueris, si verò bis, septem. Quod si initio ægros exanimet, argumento planè est iam adesse salutem. Artritridem, podagram, cardiacam, elephantidem, contractos neruos,tumorem, vteri inflationē,ischiadam,hydropisim sanat. Sub GRADONIS balneo, arenatio est, quæ balnei vtilitates affert. S. ANGELI arenatio longitudinem centum passuum, latitudinem verò nouem continet. Alibi moderatè calida, alibi verò pedes vrit, D. Restitutæ arenationi non absimilis. Potuit'ne ad Neapolitanorum commoditatem Natura ditiorem insulam producere?

S. Restitutæ. *Gradō.* *S. Angelus.*

HISTORIA.

Anno 1135. sub Lotario Imperatore à Pisanorum classe Amalfis,Rauellus,& vicina oppida capta sunt, cui tamen Fratta Rauelli arx mirificè restitit. Deindè Aenariam populati sunt vj.id. Decemb. sequenti anno Romam rediere. Anno 1299. Carolus II. Neapolitanis præcepit vt quadringentis militibus instructis, cum Rege Aragoneo filiæ viro (quem idcircò filium ipse appellabat)ad vastandam insulam Aenariam securibus falcibusq. accederent, propstereaquòd insulani ab ipso deficere non veriti essent. Anno 1328. in quadam huius insulæ turri comburi maluit Ioānes Caracciolus arcis præfectus cùm insula

Pisani. *Carolus II. Aenariam vastat.* *Ioānis Caraccioli fidelitas.*

defeciſſet à Federico II. quàm aut deditionem facere, aut in hoſtium poteſtatem deuenire. Ligorius filius ea de cauſa multa ab Imperatore accepit beneficia. Circà ea tempora cùm pro Federico Petrus Saluacoſſa inſulam gubernaret, & in ſingula vini dolia quæ indè Neapolitani exportare voluiſſent, ſinguli aurei eſſent decreti, quod nimis aſperum ijs videbatur, nouem nauium claſſe parata inſulam ſunt aggreſſi. Tunc Petrus in quaſdam quas habebat naues milites Siculos, qui in inſula erant, conſcendere iuſſit, & audacter hoſtes adortus, ſtrenuè eos in fugam impulit, quinque nauibus, & magno captiuorum numero potitus. Anno 1302. conflagraſſe inſulam duobus perpetuis menſibus ſcribit Collenucius. Ceterùm tunc temporis à Sarra Columna Bonifacius VIII. captus eſt. Quæ prodigia, Thomas Coſtus diligētiſſimus ſcriptor adnotauit. Anno 1382. Aloiſius Dux Andegauenſis cùm prouinciæ in Gallia Comitatum adeptus eſſet, in Regnum Neapolitanum cogitans xxij. longas naues præmiſit quibus aliquo pacto excitarentur ij qui Ioannæ Reginæ fauebant. Cùmq. ea claſſis ad hanc inſulam perueniſſet, ſuburbium occuparunt, inſulanis ad D. Reſtitutæ feſtum celebrantibus. Quapropter vt quiſque ad ſuam domum reuerti potuiſſet, fœdus ferire coacti ſunt, pollicentes Andegauenſium nauibus tutam ſtationem, & commeatum deinceps ſe daturos. In eam inſulam Alfonſum Regem ſcribit Pontanus, eiectis antiquis colonis victorem, è militibus qui ſequuti eum eſſent, Hiſpanis præcipuè, coloniam deduxiſſe, arcemq. illam munitiſſimam ædificaſſe. Catalanos nominat Panhormita, qui cum virginibus & viduis Iſclanis connubia copularunt; ratus videlicet id quod euenit, animos illorum deliniri, & conciliari poſſe prole ſuſcepta. Eius arcis & inſulæ præfecturam Lucretiæ Alagnæ demandauit, quam ipſe adamauerat. Et cùm ea Ioannem Torellam Antoniæ ſororis virum ſubſtituiſſet, mortuo Alfonſo, Lucretiæ Torella inſulam reſtituere noluit. Quam poſteà iniuriam Ferdinandus vltus eſt. Sed multa detrimenta inſulæ Torella afferre conatus, Regios milites qui ibi præſidio erant loco expellere deliberans, multis prœlijs eos laceſſens, noctu

Petrus Saluacoſſa. *Arenariæ conflagratio.* *Thomas Coſtus.* *Aloiſius Andegauenſis.* *D. Reſtitutæ feſtum.* *Alfonſus Coloniam ducit.* *Lucretia Alagna.* *Ioannes Torella.*

diuq.

diuq. pugnando, nullum locum quieti relinquebat. Regij, et si maximo conatu resisterent, quo tamen in statu Regis esset negocium ignorabant, nec suam ipsorum calamitatem illi nunciare poterant. Qua iàm à Rege cognita, cùm conuentu habito nullam subsidij rationem inueniret, vnam enim tantùm triremem in portu habebat; Ioannes Pous Admiratus, militum manum se in insulam expositurum dixit, atque occupato monte qui mari imminebat, non modo ad hostium propugnacula accessurum, sed etiam arcem frumento muniturum, & obsidione suos liberaturum pollicitus est. Quocircà cùm in triremem, duosq. myoparones trecenti lecti milites conscendissent, noctu, maximo cum silentio ad insulam peruenit. Milites sub monte descendere iussit; nauigia illa tria ad Caietam misit. Interim monte potitus duos ad obsessos misit exploratores, qui eius aduentum nunciarent, & statuerent signum aliquod, quo vno impetu in hostem irruerent. Exploratoribus ad Aragoneorum munitiones aditus non patuit, quas hostium copiæ circumsederant. itaque quid consilij caperet Pous, nesciebat. Bombardæ ictu quem Torella exploderat cùm arbitratus esset Pous, eum Regias munitiones incendere voluisse, celeriter triplici instructa acie, vnam Fantaguzzo, aliam Oriolæ strenuis militibus commisit; tertiam, ne à se discederet, iussit. quas in planiciem ducens, impetu repentè facto, tantæ fuit hostibus formidini, vt magnam cladem à paucis militibus acciperent. Et cùm animaduertissent ab ipsis Regios numero superari, prœlium redintegrare cœperunt, multisq. illatis, & acceptis vulneribus, fortiter restitere. Obsessi, quòd decipi hoc quasi ficto prœlio sibi persuaserant, continuere se. Mox re optimè cognita, ex munitionibus eruptionem cum omnibus copijs fecerunt, atque integri defessis militibus succedentes, hostem terga vertere coegerunt, vt multi se in mare præcipites dederint, multi saluti consuluerint in nauigia conscendentes. Cùm Ioanna rescissa Alfonsi adoptione Ludouicum Andegauensem substituisset, grauissima sequuta sunt bella, mortuoq. Ludouico, ad Renatum bellum translatū est; durauitq. ea contentio vsque ad Ioannem Renati

Pous acies instruit.

Manus conferunt.

Victor euasit.

Ioanna, Ludouicus, Renatus.

Ioannes Renati filius.

Renati filium, qui regno, atque Aenaria pulsus, cùm in Galliam adnauigasset, non multò post febre correptus interijt. Francisco Scondito cubiculario Ioanna Arcem Aenariç cōmisit. In bello inter Aragoneos & Gallos, Caietani qui à Gallis desciuerant, suppetias à Roderico Daualo Moderisij Comite petierunt, qui à Ferdinando Isclæ præsidio præpositus erat, quandò ad patrem se in Siciliam contulit. Antequàm verò Daualus administraret, in ciuium potestate claues vrbis erant, quas *Regiminis Consiliarij* (nunc Deputati) seruabant. Hunc Rodericum appellat Iouius in vita Piscarij, sed Ignicum fuisse non est verendum, quem Aenariæ administratorem alibi dicit. Capta Neapoli à Carolo VIII. Ferdinandus ad Aenariam traiecit. Vbi cùm portæ à Iusto è Candida Arci præfecto essent occlusæ, animi magnitudine, & virium robore, ei maximo terrori fuit. Omnes miseriarum relliquias ex Aragonensium gente in Aenariam conuenisse tradunt historici, cùm Federicus Rex Gallorum gratia Regno cessit; eundemq. Federicum, Vasti Marchioni insulæ curam tradidisse. Qui scribens deindè vt Gallis sese dederet, noluit, semperque Federici insignia inuicto animo retinuit. Non est igitur cur miremur Dualis tantum fidei semper Reges adhibuisse. Quàm præclara in feminis gloriæ monumenta? Pulsis Nauarri opera Gallis ex Neapolitanis arcibus, cùm serò aduenisset eorum classis ad opem ferēdam suis, infecta re quam in animo habebat, Aenariam insulam aggressa est, vt Isclam occuparet, & Hispanorum classi quæ ibi commorabatur, esset impedimento, atque opprimeret. Tunc Constantia Dauala quæ duos illos fratres Piscarium & Vastium edidit summos inter maximos Duces, quam Federicus in arce reliquerat, Hispanos egregiè defendit, & Aragoneum vexillum illustri fide explicauit; atque ità, vt tantæ feminæ robur & constantia Regium nomen amplificasse iudicarint. Gratissimum se Philippus II. Ignico Piscariæ Marchioni, Cæsaris filij, Patrimonij ius, quod à Cesare Piscicello eius nomine anno 1598. est receptum, & Aenariæ arcem maiorum exemplo constitutam tradens. Vidit Aenaria Vasti Marchionem, & Ascanium Columnam in mari-

Caietani, & Rodericus Daualus.

Ignicus Daualus.

Carolus viij. Ferdinandus.

Aragonei relliquias Aenariam transferunt.

Federicus Aenariam Vasti Marchioni administrandam tradit.

Constantia Dauala.

Ignicus Piscariæ Marchio.

Vasti Marchio. Ascanius Columna.

maritimo prœlio à Comite Philippino captos, quos Andreas Auria cùm à Gallis defeciſſet, in hac inſula reliquit, in qua vxores & liberi erant. At Ariadenus Oenobarbas à Gallo dimiſſus, in Aenariam delatus, odij ſui ad Nicæam (inquit Iouius) in Alfonſum Daualum concepti, omnem acerbitatem effudit, cùm nocturna deſcenſione facta, vndique inſulam complexus, omnes propè incolas nequicquam in Abocœti montis culmina euadentes intercepiſſet, treſq. præcipuos pagos Forium, Panſam, & Varanium vaſtaſſet. Ad quatuor millia hominum capta, hoc ſtratagemmate, vt cùm Chriſtianorum claſſis præternauigaret, & à cuſtodibus nautæ interrogarentur, Quinam eſſent? & reſponſum, Auria; Turcarum claſſis inſequens Auriam quoque exclamauit. Qua re decepti inſulani, in hoſtium manus deuenere. Sub Roberto Rege aliqui ex familia Coſſa ex hac inſula Regiæ claſſi præfuerunt, quæ xxv. triremium erat. cui etiam præfuerunt ex familijs, Maramalda, Iudice, Amalfitana, præter Conſtantios Puteolanos.

Philippinus. *Andreas Auria.* *Ariadenus.* *Præfecti Regiæ claſſi.*

In hac inſula ortus eſt Fabius Orontius. Doctus vir habitus eſt, ſcripſitq. Etruſco verſu elegans opus cui nomen, Europa. Illud in eo viro dignum eſt admiratione, quod poſteri non ignorent, quòd cum riuali in amore contendens, virginis cuiuſdam gratia, quam vxorem ambo ducere cupiebant, amicitiæ iura potius veneratus, quàm petulantiæ fructum ſequutus, amico ſuos condonauit amores, tulitq. vt virginem in matrimonium duceret.

Fabius Orontius.

Anno 1601. Dùm Fratres Auguſtiniani in D. Mariæ Scalæ ædificarent, vas è creta ab ædificatoribus repertum eſt, quod ex auro erat ornatum, & D. Mariæ Annunciatæ imagine inſignitum, in quo magnus aureorum nummorum numerus erat, in quorum vna facie lilia, in altera eadem Annunciatæ imago ſculpta. ſic reperiuntur theſauri cum verè adſunt.

Theſauri inuentio.

PRO-

PROCHYTA. Cap. XVI.



Lib. de urb.
Lib. 1.

ROCHITAM quam πρὸ Συκελίας esse scribit Stephanus, Dionysius dictã asserit à nutrice Aeneæ sic appellata, qui ad insulã Prochytam, & promontorium Epityches appellens, nomina ibi defunctarum mulierum imposuit, altera enim eius cognata fuerat. Quod improbat Plinius his verbis; *In Puteolano sinu Pandataria, Prochyta, non ab Aeneæ nutrice, sed quia profusa ab Aenaria est*. Et quidem προχέειν, profundere significat. Seruius verò ad ea Virgilij verba,

Lib. 3. c. 6.

Lib. 9.

Tùm sonitu Prochyta alta tremuit, durumq. cubile
Inarime Iouis Imperijs imposta Typhoeo.

sic ait; *Atqui hæc insula plana est, sed epitheton de præterito traxit, nam, vt dicit Plinius in naturali historia, Inarimes mons fuit qui terræmotu diffusus alteram insulam fecit, quæ Prochyta ab effusione dicta est, fundere enim est ἐκχύειν*. Sic dictam ipse arbitratus sum, quòd πρόκειται, *iacet*, vt loquitur Strabo, πρόκειται νῆσος ἡ Προχύτη, *iacet insula Prochyta.* Quod si altam appellat Virgilius, & Sannazarius,

------ *Prochyta venit Eutychus alta*,

id de præterito dixere, vt ait Seruius, cùm scilicet monti esset adiuncta, si Poetarum fabulam respexerimus. Quid si alta dicta est à contrario sensu, vt, bellum? vel quòd æqualis ferè mari iaceat, quod altum appellatur? vel quòd in imo collocetur, & ima alta à Poetis appellantur? Ea quæ Plinius ait à Seruio citatus, hæc sunt; *In eadem oppidum haustum profundo* (loquitur de Epopo, vel potiùs Epomæo, & sic legendum apud Strabonem) *aliquo motu terræ stagnum emersisse, & alijs prouolutis montibus insulam extitisse Prochytam*. Et vt Strabonis verba amplificet, ait etiam Siciliam ab Italia auulsam, Cyprum à Syria, Euboeam à Beotia, & Leucosiam à Sirenum promontorio. Dabimus fortasse locum Herculis fabulæ vt Abylam in Mauritania

Lib. 2. c. 88.

tania,& Calpam in Hispania montes (quos Columnas Herculis dicunt) perpetuo iugo coniunctos separauerit? Sannazarius id de Typhœo factum fingit,

Vt nisu ingenti partes de monte reuulsas
Aenariam, Prochytemq. altis immiserit astris,
Ac totum subito cœlum tremefecerit ictu.

Silius fingit Mimanta Gigantem in hac insula pœnas luere, Lib. 12.

Apparet Prochyta sæuum sortita Mimanta.

Horatius cum Typhœo coniungit, Lib. 3. od. 4.

Sed quid Tiphœus, & validus Mimas.

quem Hesiodus vnum facit è Centauris in pugna cum Lapithis. Deliciosissimã Pontanus Nymphã Prochytã facit in Lepidina,

----- Mergilline
Inuideant tibi vel digitos Prochyte, Capriteq.
Nerine o formosa ------

&, *Hunc iuxtà coniux Prochyteia incedit, & ore,*
Et gestu spectanda, & picta tegmine pallæ,
Nexilibus Cochleis limbus sonat, horrida echinis
Zona riget, viridiq. sinus frondescit in alga.

Nec Apelles doctiùs pingere maritimæ Deæ vestem potuisset. Quod si asperam describit eam Statius, Lib. 2. silu.

Hæc videt Inarimem, illi Prochyta aspera paret.

& cultam hoc tempore admiraretur, & Inarimi non inferiorem cognosceret. Adeoq. pulcram describit Iuuenalis, vt pluris, quàm Romam fecerit,

---- ego vel Prochytem præpono Suburæ.

Erat autem Subura vnus è septem collibus, auctore Festo. In origine gentis Romanæ hæc leguntur; *Cùmq. comperisset ibidem Sibyllam* (de Aenea loquitur) *mortalibus futura præcinere, in oppido quod vocatur Cimbarionis, venisse eò sciscitatum de statu fortunarum suarum; aditisq. fatis, vetitum ne is cognitam in Italia sepelirent Prochytam cognatione sibi coniunctam, quam incolumem reliquerat. Et postquàm ad classem rediýt, reperitq. mortuam, in insula proxima sepelisse, quæ nunc quoque eodem est nomine, vt scribunt Vulcatius, & Aurelius Piso.*

DESCRIPTIO.

Septem millia passuum insulam Prochytam ambiunt ; ab Inarime verò duobus , Puteolis octo , Neapoli quatuordecim millibus abest. Plano in scopulo admirabilis, vt in ædium area , quas Cardinalis Aragoneus ædificauit , trocho commodissimè luditur . Angusto oppidum situ, in quo ad septingentorum capitum census habitus est . Arce à Benuenuto Tortella delineata, à Ioanne Baptista Cauagno Architectis, absoluta . Horti ibi celeberrimi , *Starzam* vocant , Vastijs , & Piscarijs extructi . Cineris , carduisq. adeò ferax , vt perpetuo commeatu Neapolitanos locupletet . Feniculo quibusque anni temporibus mensas ornat . Vuis, dulcioribusq. ficubus , quæ præcoces esse solent, abundat . Duplici littorali plaga nobilis, altera Occidentem versus (sanctum Catholicum , dicunt) quò insulæ commeatus deducti , hospitum diuersorijs non carent ; altera quæ ad Orientem spectat (Cornicella appellatur) piscatorum habitatione omnibus cognita . Vbique verò aquæ dulces ex arena erumpunt . Et plumbeam arenam in littore Annanello , quæ nusquam nisi in Prochyta reperitur, tota cognouit Italia .

Phasiani. Attagenus. Phasianorum , Attagenumq. (Francolinos nominant) exercitus , & σόλας volantes ibi conspicias , vt vesperi quando libentiùs pascuntur , in dimidio agri modio , inter milij sata , ad tercentos Phasianos pulcherrimè pictos , cernas . Qua de causa nemus quoque , sarctum tectum est , ne illarum auium diminutio fiat . *Cuniculi.* Lepores , cuniculiq. ad arenæ numerum accedunt , pisciumq. piscatione ceteris nostris insulis antecedit . Vrinatores , & remigantes habet peritissimos , & senes , qui diuturnam , & beatam vitam degunt , tanta cœli est clementia , tanta soli illius salubritas . Haud longiùs separatum habet insula *Viuarium.* scopulum, Viuarium nuncupatum, in quo venatio vigebat olim, *Templa.* nunc verò agricultura . Templa in ea sunt D. MICHAELIS Archangeli, quo titulo Cardinalis Aragoneus decorabatur , cuius obitum nuper, non tantùm insulani, sed tota Italia ægerrimè tulit, tulitq. Romana Ecclesia cuius administrandæ onus

à Clemente VIII. Ferrariam profectò demandatum, sanctissimè, & prudentissimè gesserat. In eius Abbatiæ locum ab eodem Pontifice Cardinalis Bellarminus suffectus est, quem postea in Capuanorum Archiepiscoporum numerum cooptauit, quo & se abdicauit; vir doctrina, & relligione laudatissimus. Iura quædam in rebus venditis, & emptis hoc monasterium habebat sub Carolo primo. Templum D. MARGARITAE, quod antiquitùs in colle positum ad venationis loca, ne phasiani auferrentur, intrà Prochytæ mœnia ab Aragoneo translatum, & a Dominicanis cultum. Nec contendant ibi eius Virginis, & Martyris esse corpus, quoniam Antiochiæ passam Martyrologium affirmat x. Calend. Augusti. Templum DIVI VINCENTII, in quo etsi non incolunt, celebrant tamen Dominicani. In media insula ædes DIVAE VIRGINI Annunciatæ sacra est, quæ olim metropolis erat, ibiq. monialium cœnobium institutum, quæ Turcarum pertimescentes iniuriam, Neapolim in D. Patriciæ se contulere, ob cuius rei memoriam, Monastile, locus dicitur. Celebrabatur in ea æde Assumptionis dies festus; & ijs, qui aderant, nuces, & vinum virgines distribuebant.

Cardinalis Bellarminus.

PROCHYTAE DOMINI,

IOANNES E PROCHYTA.

Ioannem è Prochyta eiusdem insulæ fuisse ciuem, videtur innuere Franciscus Petrarca in Itinerario, cum ait; *Prochyta est parua insula, sed vndè nuper magnus quidam vir surrexit Ioannes ille, qui formidatum Caroli Diadema non veritus, & grauis memor iniuriæ, & maiora, si licuisset, ausurus, vltionis loco huic Regi Siciliam abstulisse*: & quæ sequuntur. Collennucius, Ioannem è Procula dicit, & Manfredi Medicum. At Fazellus in historia Sicula, Ioannem Prochytam vocat, & Prochytæ insulæ Dominum. Lapis tamen, qui ad molem Salernitanam positus, ne ab vndis labefactaretur, à Marsilio Columna Archiepiscopo ad maiorem Ecclesiam translatus

Ioannes è Prochyta.

Decad. 11.

est; ciuem fuisse Salernitanum, è familia Procida, proculdubio declarat,

A.D.M.CCLX. Dominus Manfredus magnif. Rex Siciliæ Domini Imperat. Frider. F. interuentu Domini Ioannis de Procida magni ciuis Salerni, Domini insulæ Procidæ, Tramonti, Caiani, & Baroniæ Pistilionis, ac ipsius Domini Regis socij, & familiaris, hunc Portum fieri fecit.

Vbi, *Magni ciuis* encomio, nobilitatem viri consideramus. Ea quæ ausus fuit contrà Regem, ostendunt profectò non medicum, sed insignem, ac potentem virum fuisse. Quid enim medicus tantum audere potuisset? Is quidem cùm malè à Gallis Siculi acciperentur, vt maximam ab eorum ceruicibus calamitatem auerteret, cum Siciliæ proceribus egit, vt Petro Aragoneo Regi sese dederent, ad quem Regnum pertinere dicebat, quòd Manfredi filiam in matrimonium acceperat. Cuius rei conficiendæ causa, Regem Petrum Ioannes in Hispanias, & Constantinopolim Michaelem Palæologum Græcum Imperatorē adijt. Bis etiam cum Nicolao III. Pontifice Romæ egit, vt ad Petrum Regnum deferret. Cùmq. negocium diù distulisset, anno tandem 1281. Paschatis die celeberrimo, cumprimùm vesperi campana pulsata est (sic enim inter se conuenerant) à Siculis arreptis armis, eadem hora, tota insula Gallorum facta est internecio, Vesperasq. Siculas appellarunt. A Ioanne id factum aliqui scribunt, nam ei Carolus Prochytam abstulerat. Aliqui, ad vxoris violatam pudicitiam referunt, quam grauiorem iniuriam appellat Petrarca. Magnus Cancellarius à Petro effectus est, & in Regno Valentiæ Regulus, & Dominus Luxen, Benizzani, & Palmæ, vt scribit Zurita in historia Regum Aragoneorum. In Roberti Regis Actis, Ioannes è Prochyta miles appellatur, cùm assentitur vt Marino Cossæ Prochyta vendatur anno 1339. Ab Adinolfo, vel Adenulfo Ioannis filio Salernitano, à quo ad Cossam familiam insula deducta est; quam permutauit posterioribus annis Alfonsus Daualus cum Presenzano, & Petra Bairana, assentiente Carolo V. Imperatore. Habuit fratrem Ioannes, Landulfum. Quæ nomina quoniam Longobardica sunt, à Lon-

Prochyta venditur Marino Cossæ.

à Longobardis Ioannem originem duxisse, scribit Ammiratus. Legimus etiam Thomam è Prochyra Capreatum, Aenariæ, & Prochytæ Dominum. Alterum Ioannem è Prochyta medicum apud aliquos fuisse commemoratum non negabo. Et semper medicos hæc insula protulit, viuuntq. hodie, mortuo doctissimo Saluo Sclano, Antonius frater, Ioannes Baptista Gagliardus, Ioannes Baptista Ambrosinus.

MARINVS Cossa, Stephani filius, qui in ea insula florebat, Camberlanus, Portulanus, Iustitiarius, Caroli I. classi præfectus cum Liparim à Siculis ablatam, recuperare studebat. Mauris etiam in insula Lotophagite (quam Zerbum vocant) classe opem tulit, quam à Roberto Rege petierant, inter eum, & Federicum bello intercedente. Eius temporis Isclæ hoc legitur epigramma, ex quo eius insulæ dominium, quod suprà innuimus, & eius familiæ amplitudo maximè patet, Marinus Cossa.

Dux iacet hoc felix tumulo vocata Beatrix
Cum nato Domino Isclano, Comiteq. Marino.
Qui leget hoc metrum, sciat & sub marmore Petrum
Natum felicis geniti dictæ Beatricis
Hoc fieri iussit felix Comitissa Beatrix
Tempore sub Petri, qui Sedem VI. retinebat,
Pro quibus cretis, mortis qui iura timetis.

IOANNES, ex quo, & Cicciola Barrili Monderisij Comitis sorore, prodiere Baldassar, qui Ioannes XXIII. in Pontificatu appellatus est, Marinus qui Regni Marescallus reperitur anno 1398. Gaspar, & Petrus sub Ladislao. Huius nepos Gasparis filius, alter Ioannes Troiæ Comes, in Galliam profectus, multa pro ijs Regibus gessit, & sub Ludouico XI. & Renato plures honoris gradus consequutus, Senescalli præcipuè in Prouincia, tantum sibi, & familiæ laudis adeptus est, vt alij ex familia in Galliam profecti fuerint, qui præclarè gestis rebus, familiæ ibi seriem confirmarunt. Duo summi Duces, & Marescalli in historijs celebrantur, quorum alter anno 1580. viuebat, alter Brisacci Comitis nomine, maxima sibi parta gloria, obijt. Cum Nemursio Duce anno 1606. Neapolim Brisacci Comes Ioannes.

aduenit,

aduenit, cui nihil antiquiùs fuit, quàm de Cossis percunctari, & Petrum S. Agatæ Ducem, Ioannem Iacobum, Ioannem Thomam Vincentium, Scipionem fratres, Ioannis Pauli prudentissimi equitis filios affines prædicare. In Cathedrali Aenariæ insula hoc legitur epitaphium,

Hic iacet corpus Magnifici Domini Ioannis Cossa de Iscla, militis Protbontini, & cetera; insulæ Procida Domini, qui obijt Iscla anno Domini 1397. die 4. Aug. V. Ind. cuius anima requiescat in pace. amen.

Michael. MICHAEL Petri filius, in quem insulæ ditionem Ioanna Regina contulit. Mox Alfonsi partes sequutus est, quòd Sergiano Caracciolo infestus inimicus esset. Eius opera Aenaria in Alfonsi potestatem redacta est, dùm duæ factiones essent in ea insula, vt suprà diximus, idq. intercisi pontis stratagemate, quo præruptus mons insulæ coniungitur, vt libro 2. Bartholomæus Facius scribit.

Petrus. PETRVS Michaelis primogenitus anno 441. quo pater obijt. Huic negocium facessiuit Ioannes Torella, de quo multa scribit Pontanus. Debuit plurimùm Ferdinando Regi Petrus, qui Torellæ obsidione eum liberauit, & commeatu, & militibus iuuit, & Torellæ militem Prochyta expulit. Quapropter hac Torella capta occasione, ad Andegauienses desciuit. Prima tunc Regulorum contrà Ferdinandum coniuratio desierat, anno 1464.

Michael. MICHAEL Petri filius à Ferdinando anno 1466. insulam accepit, qui iàm ingrauescente ætate sub Rege Catholico anno 1510. Petro filio, & Michaeli nepoti eandem dedit, Ex Lucretia Milana multos suscepit liberos.

Petrus. PETRVS ex quo, & duabus Carafijs vxoribus altera Lucretia, altera Camilla Antonij Stiliani Principis sorore, orti sunt ex prima, Michael; ex secunda, Ioannes Iacobus, & Ioannes Antonius, qui singulari certamine ad portam Nolanam Fabricium Maramaldum iugulauit.

Michael. MICHAEL, sub cuius postremo Prochytæ dominio permutatio facta est, vt suprà innuimus. Cùmq. 180. annos in Cossarum familiæ potestate insula fuisset; tandem in aliorum potestatem deducta est. Vidit hæc insula, passaq. est tumultus illos, quos Alfonso I. mortuo, Ioannes Torella violata fide excitauit.

citauit. Vidit anno 1495. Ferdinandum, qui Carolum VIII. timens, sese in Prochytam abdidit; aliqui in Inarimem, dicunt. Vidit Ariadenum onustum præda Surrentina, suos ipsius lares depopulantem. Vident hoc tempore Neapolitani deliciarum apparatus, qui terra, mariq. varijs voluptatum lenocinijs, omnium rerum copia proponuntur.

PANDATARIA, PONTIA, PALMARIA.
Cap. XVII.

TRES Tyrrheni maris insulæ antè Campaniam; quas ità collocat Plinius, *Vltra Tyberina ostia in Antiano Astura, & Palmaria; aduersus Formias, Pontia; in sinu verò Puteolano Pandataria, & Prochyta.* Lib.3.c.6. Varro huiusmodi quoque coniungit; *Hoc ità fieri apparet in insulis propinquis, Pontia, Palmaria, Pandataria.* Lib.3. de re rust. loquitur de auium peregrinarum aduentu, quæ quotannis trans mare in Italiam aduolant circiter Aequinoctium autumnale, reuolantq. ad Aequinoctium vernum. Idq. ità fieri apparet in ijs insulis, in quibus in prima volatura conueniunt, & morantur dies paucos requiescendi causa, idemq. faciunt cùm ex Italia trans mare remeant.

PANDATARIA, quam, Ventum tenentem, vulgus appellat, Pandateria etiam dicitur, & Pandetaria, sed Ptolemæo, Pandatoria. Sic cum Pontia à Strabone coniungitur, πελαγίαι μὲν Πανδαταρία τε καὶ Ποντία, & è Spelunca se conspicuam præbere scribit. Lib.5. Vtramque insulam Volscos incoluisse, & Romanos ibi quoque habuisse Colonias, scribit Liuius. Lib.9.Dec.1. Et quamuis hac tempestate in solitudinem abierint, vestigia tamen antiquæ retinent habitationis, cuius memoriam seruat Strabo, qui ait, μικραὶ μὲν, οἰκούμεναι δὲ καλῶς, *paruæ quidem, sed benè habitatæ.* Sunt tamen aut illustrium virorum, aut Sanctorum Martyrum exilio illustres. In Pandatariam Augustus filiam Iuliam relegauit, Iulia.

gauit, & neptes, vt lanificium exercerent, vtq. in bona custodia essent, omni conatu enixus est, quanquam frustrà, quippè omnibus stupris, atque flagitijs exponebantur, licèt vini vsum, & omnem delicatiorem cultum ademerit. *Iulia supremum diem obijt* (inquit Tacitus) *ob impudicitiam olim à patre Augusto, Pandetaria insula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa*. Dio Nicæus subdidit Setiboniam matrem spontè eam esse consequutam. Et eos, qui cum ea rem habuerunt, Iulium Antonium, qui spe Regni id fecerat, & alios illustres viros occisos esse, & alios etiam in insulas relegatos. Idem auctor scribit populum petijsse ab Augusto vt filiam restitueret, & illum respondisse, citiùs ignem cum aqua commisceri posse, quàm illam restitui. Et cùm populus multum ignem in Tyberim coniecisset, nihil egisse, licèt eum posteà coegerit, vt saltem eam ex insula in continentem reduceret. Tyberius Cæsar in eandem insulam nurum Agrippinam post viri obitum exilio mulctauit, quæ post flagra, & graue oculorum discrimen, septem dierum inedia decessit. Nero Cæsar Octauiæ vxoris consuetudinem aspernatus, eandem frustrà strangulare meditans, dimisit vt sterilem. sed improbante diuortium populo, relegauit primùm in Campaniam, deindè in insulam Pandatariam. *Non alia exul femina visentium oculos* (idem scribit auctor) *maiore misericordia affecit*. Suetonius in Caligula, Tiberium, ait, cum plurimis lacrimis pro concione laudato, funeratoq. amplissimè, confestim Pandateriam, & Pontias ad transferendos matris, fratrisq. cineres festinasse, tempestate turbida, quo magis pietas emineret, adiisseq. venerabundum, ac per semet in vrnas condidisse.

Scribonia. *Ann. lib. 1.* *Agrippina.* *Octauia.* *Cap. 15.*

PONTIA ad portus fauces arcem habet, atque tanta habitationis commoditate homines allicit, vt eam coloniam deducere conatus fuerit Vincentius Staraceus cùm in vrbe Neapolitana vnus ex sex Viris populo administrando incumberet, ne fertilis insula, ex qua plurimùm vtilitatis capi posset, Turcarum latrociniis frequens redderetur. Sed cùm inter Hispaniarum Regem, & Summum Pontificem disceptaretur, vtriusnam insula

ditionis

ditionis esse deberet, ea subsequuta conuentio est, vt alicui fideli viro concederetur, qui tamen in ea nec sementes fieri, nec habitationes ædificari pateretur. Quamobrem Parmæ Duci tradita est, qui turrim tantùm extruxit in qua tres quatuor'ue alit milites, quibus ipse stipendium soluit. At verò Staracio idem locandam cùm censuisset, supremi ordinis edicto iussum est ne Staracius ad insulam accederet, sin secus faceret xl.millia aureorum soluturus. Missus ad turrim expugnandam Antonius Berrentius qui Caietæ militaribus copijs præerat. Sed Parmenses bombardis eam tutati sunt. A Nerone ex Germanico nepotem in eam insulam relegatum, & ad voluntariam mortem actam, Suetonius scribit. In eandem Siluerium Pontificem Theodoræ Augustæ præcepto à Belisario in exilium esse coniectum, ibiq. obijsse, quòd Anthinum Constantinopolitanum Episcopum hæreticum recipere noluisset, scribit Paulus Diaconus. Quamuis Liberatus Diaconus, quem citat Illustriss. Baronius, scribat eum Pontificem in Pataram Liciæ fuisse missum in exilium, deindè Episcopo illius loci agente apud Iustinianum, Romam reuerti iussum, & ab aduersarijs in Palmaria esse detentum, vbi fortasse Liberatum arbitratur Palmariam loco Pontiæ posuisse. Ibidem Nereus & Achilleus cum Flauia Domitilla cuius erant Eunuchi, longum pro CHRISTO duxerunt exilium, deindè à Memmio Rufo capite cæsi, vt in Martyrologio; eodem tempore missus in exilium est in Pathmon insulam Ioannes Euangelista. Flauia Cocceio imperante à Pontia reuocata est, vt apud Eusebium in Chronicis, quæ posteà Tarracinæ cum Euphrosina & Theodora, martyrij coronam adepta est. De Domitilla, hæc Hieronymus Paulæ nauigationem Hierosolymam describens; *Delata ad insulam Pontiam, quam clarissimæ quondam feminarum sub Domitiano Principe pro confessione nominis Christiani, Flauiæ Domitillæ nobilitauit exilium, viditq. cellulas in quibus illa longum martyrium duxerat* &c. Mira Paulæ pietas, quæ sanctarum martyrum tanto studio cupijt inuisere domicilia. Duæ tamen fuerunt Flauiæ Domitillæ, altera vxor Flauij Clementis Consulis, Domitiani

Siluerius Pontifex.

Lib. 6.

Nereus. Achilleus. Domitilla.

Flauia. Euphrosina, & Theodora.

Ep. 27. Paulæ.

Duæ Domitillæ.

Imperatoris neptis, quam ille in Pandatariam relligionis causa relegauit; altera eiusdem Flauij ex sorore neptis, quæ in insulam Pontiam extrusa fuit. *Montanus martyr.* Montanus martyr ex Romano milite CHRISTI athleta sub Adriano & Leontio Consulari factus est. In Pontiam insulam missus, indè Tarracinam ductus plagas, & equuleum subijt, mox præcipitatus in mare, ab Angelis in Pontiam reportatus ibiq. semiuiuus relictus, editis multis miraculis obijt. sepultusq. à Christianis in crypta quadam ad maris littus xv. Cal. Iulias. *Venus Pontia.* Pontiæ Veneris fanum aliqui in ea insula prædicant, eius tamen nominis Venerem non nisi apud Pausaniam reperi in Laconicis, vbi Pontiam & Limeniam Venerem nominat, quasi marinam, & opportunam dixeris. Pontiam, *Lib.3.c.7.* & Isciam, Plinius Oenotrides appellatas scribit, & contrà Veliam ponit. Decimas eius insulæ Ferdinandi Carrafæ, & Lucretiæ Carrafæ solutas reperio anno 1520.

PALMARIAM, martyrum palmis affluentem cernimus, quãdò de Anastasia in Martyrologio hæc leguntur viij. Cal. Ianuarij; *Anastasia.* *Eodem die natalis S. Anastasiæ, quæ tempore Diocletiani primò diram & immitem custodiam à viro suo Publio perpessa est, in qua tamen à Chrysogono Confessore CHRISTI multum consolata & confortata fuit; deindè à Floro Præfecto Illyrici diutina custodia macerata; ad vltimum manibus & pedibus extensis ad palos, & circà eam ignis accensus, in quo martyrium consummauit in insula Palmaria, ad quam cum cc. viris, & lxx. feminis deportata fuerat, qui varijs interfectionibus martyrium celebrarunt*. Vbi de duabus Anastasijs doctissimè decernit Illustrissimus Baronius.

CAIETA. Cap. XVIII.



N sinu Formiano Caietam positam esse scribit Strabo, ab eodem sinu interiecto, vel curuo sic appellatam; Καὶ μεταξὺ δὲ κόλπον ἐκεῖνοι (Lacones) Καϊάτταν ὠνόμασαν τὰ γὰρ κοῖλα πάντα Καϊάττας οἱ *Caiata Laconum.* Λάκωνες προσαγορεύουσιν; *Quin & sinum interiectum Lacones*

Caiattam

Caiattam (Caieta vſurpatur) *appellarunt, quo nomine ij omnes ciuitates afficiunt*. Caiatas autem, vel Caiadas vocant barathra, & foſſas in quas cadauera eorum qui publico ſupplicio fuerant affecti, proijciebant. Thucidides in Pauſania, Καὶ αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν ἐν τὸν Καιάδαν, ὅπερ τοὺς κακούργους ἐμβάλλειν εἰώθεσαν; *proiecerunt in foſſam, vt proijcere maleficos conſueuerant*. Et apud Heſychium, Καίατα ὀρύγματα, *foueæ ſubterraneæ*. Sed quis hoc de Caieta affirmabit, quem locum non ſupplicio, ſed voluptati deſtinatum cernimus? Quis fontium carcerem, & non omnium delicias eam ciuitatem appellabit? Virgilius nominis cauſam affert, quam nec Strabo prætermittit, *Caieta nutrix Aeneæ.*

Tu quoque littoribus noſtris Aeneia nutrix
Aeternam moriens famam Caieta dediſti.

Quo loco Seruius, hanc alios Aeneæ, alios Creuſæ, multos Aſcanij nutricem arbitratos eſſe ſcribit; ſed lectum eſſe in Philologis, in hoc loco claſſem Troianorum caſu fuiſſe concrematam; & hinc Caietam, ἀπὸ τοῦ καίειν eſſe dictam. Et in illud Virgilij lib. 10.

Quid repetam exuſtas Erycino in littore claſſes?

Secundum (inquit) *ſuam opinionem dixit; nam alij apud Caietam dicunt exuſta nauigia, vndè & Caieta dicta eſt*. At Aurelius Victor lib. de origine gentis Romanæ, ait Aeneam perueniſſe in eum locum, qui nunc Portus Caietæ appellatur, ex nomine nutricis eius, quam ibidem amiſſam humauit. Cæſarem & Sempronium dicere, Caietæ cognomen fuiſſe, non nomen, ex eo ſcilicet inditum, quòd eius conſilio impulſuq. matres Troianæ tædio diuturnæ nauigationis claſſem ibidem incenderint. quamobrem ad Καίειν potiùs alludunt. Diodorus Καιήτην poſteà portum appellatum ſcribit, qui priùs ab Aeta, Αἰήτης dictus fuerat. Sunt qui ab aliqua ſummi alicuius Ducis cæde Caietam appellari dicunt. At caiationem, puerilem cædem ſignificaſſe ſcribit Turnebus. hinc Plautus in Ciſtellaria, *Caieta, ab exacta claſſe.* *Caiatio.* *Aduerſ. lib 26 c 22.*

Quid tuam amicam times ne te manuleia caiet?

Eius ædificationem, ſi Solino credimus, apud Coſconium antiquum auctorem, ad quartum annum poſt Troiæ excidium re- *Aedificatio.*

Aeneæ ædificia. feremus; nec ab Aenea discedendum, quem omnem illam oram perlustrasse perhibent, & à gubernatore Palinurum, à tubicine Misenum, à sorore Leucosiam, à nutrice Caietam, ab vxorem Lauinium vrbes ædificatas nominauit. Nescio quid de Dardanis scribat Martialis lib. 10.

Non blanda Circe, Dardanis've Caieta
Desiderantur, nec Marica, nec Lyris.

Virgilij opinioni adstipulatur Halicarnasseus. Strabonis plurimùm apud alios valet auctoritas, qui Laconibus oppidum illud tribuit; sed quæ auctor ille dixerat, Formijs tribuenda sunt, quæ sic dicebantur ab optimo portu quem Lacones Euormion dicunt, & ædificium loci Hormiæ dicebatur. Sic Stephanus, Hormia. Λακωνικὸν κτίσμα Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον διὰ τὸ εὔορμον.

Caietæ portus. Caietæ portum celeberrimum omnes auctores nominant. Opus Antonini Pij fuit apud Iulium Capitolinum, sed restituisse Laconum ædificium arbitror, veluti & Tarracinensem quoque portum idem Imperator instaurauit. Cicero de eo portu sic loquitur pro Lege Manilia; ***An verò ignoratis portum Caietæ celeberrimum, atque plenissimum nauium, inspectante Prætore à prædonibus esse direptum?*** Portus, atque aliarum rerum nomina Formiæ amiserunt cùm à Sarracenis destructæ anno 856. in Caietam fuerunt translatæ. Quinque vicinos portus recenset L.Florus lib. 1. c. 16. ***Hic illi nobiles portus Caieta, Misenus, & tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus, & Auernus quædam maris otia.*** Hinc vetera Formiarum monumenta Caietæ cernimus. In fragmento columnæ, nomina Ventorum Λὶψ, Λιβονότος, Νότος, Εὖρος, deinde Latini characteres, Africus, Austro Africus, Auster, Eurus, Subsolanus. Ex ijsdem ruinis Crater ex Pario marmore candidissimo ibidem seruatur, quo pro sacro Baptismatis lauacro vtuntur. Cœlatura in eo Græca conspicitur, qua nihil pulcriùs, nihilq. perfectiùs. Sculptor nomen apposuit, ΣΑΛΠΙΩΝ. ΑΘΗΝΑΙΟΣ. ΕΠΟΙΗΣΕ. *Salpion Atheniensis fecit.* Ad materteram Leucotheam Mercurium ex Iouis mandato Dionysium bimatrem ignigenam ferentes in eo vase conspicies elegantissimè effictum. Sedet in rupe Leucothea,

thea,& infantem sinu recondere velle videtur; interim Bacchæ Satyriq. ad tympana & tibias choros ducunt. Imminet Caietæ mons in cuius supercilio L. Munatij Planci, qui cum Paulo Aemilio Lepido censuram gesserat anno ab V.C. 731. & cuius sententia, vt scribit Suetonius, Octauius Augusti nomen accepit, cùm Thurinus à M. Antonio appellaretur, & C. Cæsar ex testamento maioris auunculi, dùm alij censerent Romulum esse appellandum, sepulcrum veluti trophœum quoddam cernitur, quod Orlandi turrim vocant, tanta antiquitatis veneratione, tantaq. animi Romani excellentia, vt illustre suæ pulcritudinis Caieta habeat testimonium. Rotundo ædificio illud extructum est, quadratoq. exterius ingenti saxo, cuius ordinibus altiori fornice extollitur, dùm interiori pariete marmore conuestito, splendore enitebat per ostium tantùm emittebatur. Quatuor ibi statuas fuisse collocatas ex loculis patet. Planci meritorum memoriæ fuisse dicatum, hostilia spolia quæ turris coronæ sunt ornamento, & appositus lapis ostendunt, *L. Munatius* *In Augusto.* *Orlãdi turris.*

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON. PLANCVS. COS.
CENS. IMP. ITER. VII. VIR. EPVLVM. TRIVMP.
EX. RAETIS. AEDEM. SATVRNI. FECIT. DE. MANVB.
AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA. BENEVENTI.
IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICAM.

Ad eius montis radices, Faustinæ ædificia cernuntur, in quibus voluptuosè viuens repudio digna videbatur, sic enim Iulius Capitolinus in vita M. Antonini Philosophi, *Multi autem ferunt Commodum omnino ex adulterio natum; si quidem Faustinam satis constat apud Caietam condiciones sibi & nauticas & gladiatorias elegisse; de quo cùm diceretur Antonino Marco, vt eam repudiaret, si non occideret, dixisse fertur, Si vxorem dimittimus, reddamus & dotem.* Ad ea ædificia duodecim millium passuum ductu aqua ducebatur, atque vestigia hac ætate extant. Sempronij Atracini quoque trophœum extrà Caietam in colle positum commemorant, cum Munatiano pulcritudine contendens, cuius lapides qui templi faciem exornabant ad *Faustinæ æd.* *Sempronius Atracinus.*

Caietanæ

Caietanæ Basilicæ ædificationem translatos fuisse accolæ affirmant, veluti alios qui ex Formianis ruinis ibidem positi cernuntur. Eandem fortunam pertulere lapides ex Apis Fano, quod haud longiùs Caieta aberat Amiclas oppidum versus, alijq. ex Iani templo quod ad Minturnas vergebat,& ex Aemilij Scauri ædibus, quæ in ea quoque regione erant. Quid Vittruuij sepulcrum commemorem? Id quidem M. Tullij sepulcrum esse à Caietanis Alfonso Regi dictum fuerat. qui lætitia perditus, ire nihil cunctatus, sentibus tumulum purgans, mox legens,non Tullij, sed Vittruuij sepulcrum comperit; aitq. Caietanos ex Minerua oleum accepisse,sed non sapientiam. dubitat Aeneas Siluius an de Vittruuio Architecto dictum fuerit. huiusmodi etiam in obsidione cùm defecissent saxa quibus tormentis æneis vtebatur, nec aliundè possent haberi quàm ex villa quæ adhuc Ciceronis asseritur, dixit, si saperent sibi Ciceronis villam inuiolatam seruarent.

Apis Fanum. *Ianus.* *Vittruuius.*

VARII EVENTVS.

Post Lestrigones, Romanos habuit dominos, mox Græcorum Imperatorum iuga subijsse Patriciorum & Ducum docent Magistratus. Romano tantùm Pontifici subditos anno 883. affirmat Leo Ostiensis,cùm scribit Pandenolphum Capuæ Principem rogasse Pontificem vt ditioni suæ Caietam subijceret. Quod cùm impetrasset, adeò se illis infestum præbuit,vt neque Formias accedere liceret. Cùmq. eorum Dux Docibilis id ægrè pertulisset, Agropoli Sarracenos accersiuit, quos ad lacum Fundanum primùm perductos, per fluuium posteà in Formianis collibus constituit. Indè agrum Caietanum populabantur. Pontifex eius rei incommodo pœnitentia ductus,cum Caietanis per litteras egit, monuitq. se animi sententiam mutasse, idcircò bono animo essent,& vnum tantùm efficerent,vt Sarracenos prorsus ablegarent. Quod à Docibili factum. In Sarracenos impetum fecerunt,& multi ex Caietanis pugnando ceciderunt. At rursus cum ijsdem icto fœdere, captiuis restitutis,

Lib.1.c.45. *Sarraceni.*

ad Lirim eos habitare permisit. Haud multò post Neapolitanis Capuam obsidentibus, Atenulphus Capuanus Gastaldeus, Maionem S. Vincentij Abbatem ad Stephanum Pontificem misit, qui diceret, si ei contrà Sarracenos ad Lirim opem ferret, Caietanos quos nuper ceperat redditurum, & fidem deinceps seruaturum. Sed quoniam nihil à Pontifice impetrauit, nec sibi fidem esse seruandam statuit. Cùm adhuc Caietani cum Sarracenis familiariter viuerent, & criminum socij haberentur, idem Atenulfus coacto cum Gregorio Neapolitano Duce, & Amalfitanis exercitu, iacto ad Traiectum ponte, contrà Sarracenos castra posuerunt, ac noctu pugnantes, fugientesq. profligarunt. Dubitarunt plerique ne aliquandò Gregorius Neapolitanorum Dux Sarracenis fauerit, atque idcircò ab Imperatore Græco, ipsi, & Ioanni Docibilis filio Caietanorum tunc Duci Patriciatus honorem conlatum, vt huiusmodi eos alliciens à barbarorum societate, & amicitia reuocaret. *Neapolitani Capuam obsident.*

Circà ea tempora inter Caietanos Duces, & Traiectenses Comites contentio orta est, pro monasterio Barragense ab Atenulfo Casinensi Abbate instaurato, quoniam monachi agros in Aquini finibus ad eos pertinentes repetebãt veluti à Ioanne III. Pontifice concessos, quippè strenuam operam ostenderant in expellendis à Liri Sarracenis. Lis tandem apud Argenteum castrum perducta est, lectisq. priuilegijs Caroli, Hugonis, atque Lotharij, qui omnia Casinensibus confirmauerant, Romanorum & Longobardorum legibus agrorum possessio Caietanis est ablata. *Comites Traiectenses.*

Otho Imperator anno 997. monasterio Casinensi Ducatum Caietanum, Fundanum, Suessanum confirmat, præter oppida atque eorum Episcopatus. Anno 1041. cum Conradus Imperator Italia excessisset, Atenulfum Caietæ Comitem Landonis Aquinensis Comitis fratrem, Landulfus Theanensis Comes in Guaimarij Principis potestatem dederat. Quocircà Aquini Comites Nortmannorum exercitu coacto in Theanum cogitantes, à Casinense Abbate sunt impediti. Caietani ob Guaimarij inuidiam Atenulfum euocantes Ducem sibi præfecerũt. *997* *1401* *Atenulfus Dux.*

Guaima-

Guaimarius hac re cognita arma in Atenulfum mouet. Occurrit cum suis copijs Atenulfus, sed profligatur, capitur, & traditur Guaimario. At quoniam Pandulfus Nortmannos illis sedibus pulsos accersiuerat quamobrem tota iterùm regio deuastata est, Atenulfus ad Guaimarium contrà quem Nortmanni venerant, nuncium mittit, qui diceret, si liber ab eo abijsset, Pandulfi conatus irritos facturum. Prodeunt in aciem Pandulfus & Atenulfus. Hic verò victor, pacificè ad Caietanum Ducatum redijt, quem Guaimarius confirmauerat. Huius hoc legitur epitaphium,

Dormit Aquine tuus Comes hic, Caieta tuus Dux
Magnus Atenolfus Capua quem genuit.
Magnanimus, sapiens, fortis, pius, impiger, acer,
Vrnam iam mediam Sole tenente ruit.
Ad patriam cœli lux est vbi vera diei
Dextra beata Dei tendere donet ei.

Citauit in libro Epitaphiorum Alfanus Archiepiscopus Salernitanus, monachus Cauensis Ordinis S. Benedicti, & manu-
1063 scriptum seruatur in monasterio Casinensi. Anno 1063. Riccardus & Iordanus eius filius Principatus Capuæ anno vij. &
1072 Ducatus Caietæ anno vj. Anno 1072. Riccardus & Iordanus
Duces Caietani. anno xv. Capuæ Principatus, & Giffridus Ridellus Dux Caietanus. Hic etiam, Loffridus dicitur, qui S. Benedicto mona-
1073 sterium S. Erasmi de ciuitate Formiana obtulit, anno 1073.
1075 Anno 1075. *xvij. anno Principatus domini Riccardi, & domini Iordani eius filij, Goffridus Ridellus Nortmannus & Dux Caietæ, necnon Comes Pontis Curui, obtulit monasterio montis Casini sub Desiderio Abbate tria monasteria, Ecclesiam S. Erasmi de Imola in Caieta, S. Petri in Foresta, & S. Petri in Curulis.*
1079 Anno 1079. Ioannes & Marinus Comites & Duces Caietæ, filij domni Vguonis Comitis & Ducis vnà cum Silvilgrima coniuge ipsius Ducis Ioannis, *tradiderunt pro suorum venia delictorum monasterio montis Casini sub Abbate & Cardinale Desiderio monasterium S. Erasmi in Caieta, & alia quamplurima*
1080 *ma in pertinentijs eorum.* Anno 1080. numeratur xxiij. annus Princi-

Principatus Iordani, & xviiij. Caietæ Ducatus. Anno 1082. Principatus Capuæ Iordani annus xxv. & Ducatus Caietani anno xxi.& Principatus Riccardi filij,annus iiij. Anno 1093. *Lando Comes Traiecti, olim Dux Caietanorum offert Casinensi Cœnobio quicquid illi sibi contingit de paternis, & maternis castellis, villis, terrisq. tempore Oderisij meritissimi Abbatis. anno viij. Gregorij Papæ, & viij. Henrici Imperatoris.* ex Registro Petri Diaconi in Casinensi monasterio. Anno 1116. quartus annus Ionatæ in Ducatu Caietano. ex Diurnalibus Riccardi è S. Germano. Anno 1153. xiiij. annus Regni Rogerij in Sicilia, Ducatus Apuliæ & Caietæ, & Principatus Capuæ. fitq. mentio Adalissæ Caietanæ Comitis, quæ vxor fuerat Gaufredi. Et veluti Duces Comitesq. Græcorum & Nortmannorum ætate Caietæ cognoscimus, sic etiam Littofridum, & Leonem Fundanos, veluti Andream de Castro Pontis Curui Consules legimus. Anno 1031. mortuo B. Dominico apud Soram Campaniæ, ab eius monasterij fratribus Caietæ in honorem Sanctæ Virginis CHRISTI Scholasticæ, iuxtà veterem, quæ ibi fuerat eiusdem nominis Ecclesiam templũ condiderũt, à Stephano Caietano Episcopo benignè concessum. Miraculum in eius ædificatione cõmemoratur de ferro, quod in mare ceciderat ad manubriũ reuocato, quale Pater Benedictus ediderat. Rainaldus Caietanus Episcopus S. Martini monachus anno 1090. S. Erasmo altare dedicauit, cui aliud Ioannes Tusculanus, tertium Honestus Barularum Episcopi dicarunt. Anno 1017. mortuo Caietanæ Ecclesiæ Sacerdote, Riccardus monachus Casinensis Pontifex datur. Anno 1119. mortuo Alexio Constantinopolitano Imperatore, & ad Ioannem Porphyrogenitum filium imperio delato, Paschalis quoque Pontifex mortuus est, & in eius locum Gelasius suffectus, qui anteà Ioannes appellabatur Casinensis Cœnobij Cancellarius. Tunc Romam Henricus Imperator venit, petens à Pontifice ea fœdera quæ inter Paschalem, & Romanum Imperium intercesserant. Quæ cùm Pontifici non placerent, & intelligeret fieri non posse vt inter se benè conuenirent, per Tyberim cum Episcopis & Car-

Margin notes: 1116; 1153; *Consules Fũdorum.*; *Stephanus Episcopus.*; *Rainaldus Episcopus.*; 1119; *Gelasius Pontifex.*

dinalibus Roma egressus, Caietam appulit. Ibi in Quadragesima Presbyter ordinatus, ab Episcopis & Cardinalibus in Pontificem consecratus est. Vnum hoc profecto Caietam beatam, atque illustriorem potuit efficere. Tunc Pontificem adiere Robertus Capuanus Princeps,& Gulielmus Dux,pollicentes semper ipsi fidem praestituros. Quapropter Capuam profectus est, vbi Henricum clientesq. excommunicauit. Mox sequente celebritate Paschali, imposito sibi diademate in Capuano monasterio sollemniter celebrauit.

SANCTI.

B. Erasmus. Ioannes Subdiaconus & monachus Casinensis ex Eusebij Caesariensis historijs B. ERASMI passionem fusiùs conscripsit, quam Gelasius II. Pontifex conscripserat. Duorum verò Tyrannorum saeuitiam pertulit. Primò Diocletiani, qui cùm Maximianus in Dalmatiam profectus esset, in Antiochiam se contulit, cuius ciuitatis Episcopus Erasmus erat, qui humanae fragilitatis non ignatus, timens ne tormentorum vi, quibus Christiani afficiebantur, Dijs sacrificare cogeretur, in montem Libanum fugiens,in eius speluncis atque cauernis latitabat, dùm quotidiana pasceretur alimonia quā coruus deferebat. Septem ibi fuisse annos scribit Breuiarium Gallicanum. Orabat assiduis praecibus Deum Sanctus Episcopus vt reuelatione cognosceret, an fortis futurus esset athleta, qui nunquam diuino defuturus honori,martyrij palmam consequeretur. Impetrauit quae poposcerat, vtq. in ciuitatem alacriter rediret monitus est. Quaenam in itinere miracula Sanctus non edidit? quot daemones manus impositione expulit? quot Idolatras,Baptismatis lauacro renouans, ad Dei cultum reuocauit? A Diocletiano accersitus, fortitudinis spiritu roboratus, disceptauit, confutauit, vicit. quamobrem crudelior factus Imperator, alapis caedi, plumbatis vexari,fustibus flagellari iussit,quorum cum ne liuoris quidem vestigium appareret,metuens ne vidētes à Deorum falsitate abduceret, Magum Sanctum virum appellabat, qui praesti-

præstigijs, & carminum virtute homines illudebat. At populo in admirationem adducto, & clamante, Erasmi costas vngulis radendas, & viscerum penetralia patefacienda, mox pice, resina, sulphure corpus perfundendum mandauit. Positum huiusmodi esse in refrigerium à Deo prædicabat Episcopus; tyranni tormenta, atque minas in gloriæ triumphum esse conuersas. Tantusq. terræmotus subsequutus est, tantusq. aereæ potestatis fragor, vt tunc cœlum ipsum decidere, terram in cœlum ascendere existimarint. Aufugit relicto tribunali Diocletianus, præcepitque vt in teterrimos carceres Episcopus detruderetur. Quid verò hominum potestas, cum diuina potentia? Carcer cœlum sancto viro factus est, accessit enim in tenebris ad eum Angelus, qui maximo cum lucis splendore effulxit, & reseratis portis, solutisque compedibus eum Ocridam (alia lectio, Lucridam habet ciuitatem à lacu Lucrino sic dictam) Asiæ ciuitatem eduxit, vbi CHRISTI Euangelium prædicans, dæmones pellens, infirmos, cæcos, claudosq. sanans, Anastasio eius vrbis ciui mortuum filium viuum restituens, tantùm profecit, vt gentilium corda nouo salutari dogmate ad Christianam Fidem conuerterit. Quæ cùm animaduerteret Probus, qui Iudex ciuitati præsidebat, ad Maximianum scripsit, Sirme in Dalmatiæ finibus commorantem, ne pateretur vt Antiochenus Magus regionem illam maleficijs inficeret, non decere in eius conspectu maiorum relligione neglecta, subditorum animos imbui culto superstitioso. Maximianus ad se sanctum Episcopum euocatum, ad Deorum delubra perduxit, tùm præcipuè ad Iouis templum, cuius sollemnia erat celebraturus. Vix ingressus Erasmus est, cum Iouis colossus collabens confractus est, enato repentè Dracone, qui magnam cladem infidelibus afferens, nunquam à maleficio abstinuisset, nisi in nomine IESV CHRISTI imperasset Erasmus ne quempiam læderet. Multorum hac de causa ad CHRISTVM conuersio facta est, quos cùm capite plectendos iubsisset Imperator, verbo Dei reficiens, martyrium libentissimè subiere. Ignea aerea tunica Erasmus indutus est, sub qua feliciter exultans aiebat, *Transi-*

uimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Cumprimùm enim Martyris carnes tetigit, restincto igne, frigido veluti marmore recreauit. In feruentis olei & picis dolium deindè immissus, Angelo confortante illæsus euasit. Vinculis detentus, iterùm ab Angelo eductus, ab eodem monitus est vt Dyrrachium, indè Formias in Italiam adeat. Dyrrachio naui Formias aduectus est. Septem ibi dies commoratus, edito apud Formianos suarum virtutum specimine, diuina voce præuia, ad cœlestia regna euolauit. Ad occidentalem eius ciuitatis plagam sepultus est iuxtà Amphitheatrum à Probo Episcopo

Lib.1.ep.8. iv.non. Iunias. De eius Sancti corpore hæc Gregorius ad Bacandam Episcopum Formiensem; *Et temporis necessitas nos perurget, & imminutio personarum exigit vt destitutis ecclesijs salubri ac prouida habeamus dispositione succurrere. Et ideò quoniam Ecclesiam Minturiensem funditùs tàm cleri, quàm plebis destitutam desolatione cognouimus, tuamq. pro ea petitionem, quatenus Formianæ Ecclesiæ in qua corpus beati Erasmi martyris requiescit, cui fraternitas tua præsidet*, &c. Minturnensem, & Formianam Ecclesias coniungit. Sed vtraque in propinquum locum Caietam (ait Illustrissimus Baronius) vnà cum corpore eiusdem Sancti Martyris, quod ibi decentissimè asseruatur & colitur, translata est. Addit etiam adnumeratam esse Caietanam Ecclesiam inter illas, quæ sub nullo Metropolitano positæ, immediatè subiectæ sunt Romano Pontifici, quarum Episcopi suffraganei dicebantur Papæ vrbis Romæ, eaq. accepisse ex libro censuum in Bibliotheca Vaticana. Gregorij III. temporibus, & Ioannis Magni Caietæ Patricij in Ecclesiam Caietanam corpus translatum legi, & in D. Mariç conditum; & tunc primùm Episcopum ab eodem Pontifice Caietanis datum. Post annos verò xxx. Ioanne X. Pōtifice, & Bono Caietano Episcopo, & Docibili Ioannis Patricij defuncti filio, effossa terra, altare conditū est, in cuius lapide hoc fuit inscriptum epigrāma,

Minturnensis Ecclesia. *Caietana Ecclesia.* *Bonus Episcopus.*

In hoc loco inuentum est corpus beati Erasmi martyris illibatum & integrum, temporibus Ioannis Papæ à Bono Caietano Episcopo.

Semper

Semper miraculis claruit, & vbi nunc positum est, & vbi positum fuerat ad Formias. Anno 1594. Congregationis Cardinalium iussu, cùm adessent Iacobus Spina Caietanæ Ecclesiæ Vicarius,eiusdemq. ciuitatis Iudices,atque Canonici,in eo loco effoderunt,& ad læuam altaris S.Erasmi arca marmorea reperta est,in qua relliquiæ S.Erasmi,S.Probi, S.Innocentij erãt. *Relliquiæ.* Et in altera arcula, relliquiæ S. Marciani, cum nummo in quo hi characteres erant, S. M. eamq. opertam reliquere; à qua etiam sic inuenta, Antonius Lunel Episcopus, abstinuit. Commemoratur præclarum illud miraculum sub Carolo II. anno 1301. cùm venerabilis Pater Dominus Matthæus Caietanus esset Antistes; cùm Catalanus quidam in Prouintia iniustè mala cruce suspensus, S. Erasmum inuocans, hominem ensem manu tenentem vidit, quo funem præcidens, suspensus, nihil detrimenti passus est, Bonifacij VIII. anno vj.

Quinquaginta ferè annos antè Diocletianum Decio Cæsare in Cæsaream ciuitatem adueniente decretum fuerat, vt si quis ab Idolorum sacrificijs abhorreret,carnificibus diuersis tormen torum generibus obnoxius traderetur. ALBINAM virginem *Albina.* in ea ciuitate pulcherrimam esse, nobili genere natam,eleemosinis atque ieiunijs Christianorum operibus incumbentem, ad Tyrannum detulerunt. Is vel pulcritudinis fama illectus, vel Christianorum sanguinem sitiens, virginem ad se accersendam iussit. Cumprimùm eam alloquuta est, ad dæmonum cultum irretire minis, præcibus, pretio tentauit. At virgo generis nobilitatem, fidei splendoribus illustrans, mortis, & crudelitatis tenebras non extimescens, tanto fulgore enituit,vt tyranno vesaniam,atque amentiam exprobrarit; Fidei, CHRISTI, diuinæ legis cultus se studiosam ostenderit.Quapropter in olla feruenti,olei,plumbiq. cruciatibus affecta est. Cùm verò incolumis euasisset, clarissimo miraculo multos ad Fidem reuocauit. Angeli ductu cum plerisque Christianis nauiculam conscendit,qua ad Scaulum, vel Scaurum perducta est, ibique obijt. *Scaulum.* Formiis ab Agarenis destructis diuino numine factum est, vt reuelatione ostenderetur quo in loco corpus esset humatum,

vndè

vndè Caietani eodem Epiſcopo BONO ſedente, Caietam tranſlarum iuxta tumulum Beati Eraſmi collocarunt in D. Mariæ. in cuius templi dedicatione, quæ à Pontifice Paſchali facta eſt cum ALBERTO Caietano Epiſcopo, corpus inuentum ſub maiori altari condiderunt. Eius nominis Romæ feminam ſanctitate celebrem ſæpiùs B. Hieronymus commemorat.

Albertus Epiſcopus.

Innocentius.

B. INNOCENTIVM quoque Caietæ ſeruari affirmant Caietani. Is Galileæ ortus, cùm vix quinctum natiuitatis annum peregiſſet ab Angelo è matris latere ablatus, ad Sanctos quadraginta ductus eſt, qui locus à parentibus, triginta millibus paſſuum aberat. Quod cùm animaduertiſſet mater, viro Adriano rem communicauit, atque dolentes ambo filium inuenturi ad Iuſtinianam ciuitatem in Africam deuenere. Innocentius duobus ibi annis commoratus, ſapientiæ & intellectus gratiam adeptus, CHRISTI Fide imbutus, nauiculam aſcendens ſeptennis in Galilæam reuerſus eſt. In Italiam indè delatum ſcribunt, & Inarimem appuliſſe, vbi à monialibus acceptus, ſeptem diebus commoratus eſt; indè ad Speluncam in Caietano littore ductum, & in ea beatum Memoratianum affinem reperiſſe; & Tarracinam nauigare volentes, Capraticam delatos eſſe; quod cùm Seuerianus, qui principem locum Tarracinæ obtinebat intellexiſſet, notarium cum xiiij. bobus miſiſſe vt Innocentium eiuſq. familiam Tarracinam duceret; & comprehenſo Innocentio boues expiraſſe, ideòq. ab eo Seuerianum manus abſtinuiſſe; Capraticæ cum Memorantio obdormiuiſſe in Domino, & à Caietanis corpus eſſe tranſlatum. Quæ profectò in ijs quæ legi Actis adeò confusè leguntur, vt id tantùm mihi credendum cenſeam, quod Sanctæ placuerit Eccleſiæ.

Eupuria.

Idem de EVPVRIA virgine & martyre dicendum arbitror, de cuius patria, vita, obitu, nihil ſcriptum reperi, præterquamquòd miracula quibus quotidianis clarere acta confirmant, eius vitæ ſanctitatem prædicare videntur. Huiuſmodi quoque MARCIANVM memorant, quem poſt Marcum in Alexandriam, Apollinarem Rauennam, cum B. Pancratio Epiſcopali dignitate inſignitum in Siciliam à Petro Apoſtolo miſſum, Acta continent,

Marcianus Epiſcopus.

tinent,

tinent, & Marcianum Syracuſas, & Pancratium Taurominam eſſe profectos. Marcianum à Seleucij & Gordij quibus inſulæ adminiſtratio demandata fuerat abhorrentē Syracuſis ad maris Speluncas nauigaſſe, locumq. CHRISTI Fidem prædicantem, dæmoneſq. expellentem Chriſtianorum feciſſe habitationem. Martyrio idcircò coronatum, & à Iudæis occiſum. De quo hæc legimus in Martyrologio; *Syracuſis Sancti Marciani Epiſcopi, qui à Beato Petro ordinatus Epiſcopus poſt Euangelij prædicationem à Iudæis occiſus eſt*. Addit Illuſtriſs. Baronius Acta Caietanæ Eccleſiæ legiſſe, apud quam illius venerandæ relliquiæ aſſeruantur, illuc tranſlatæ, cùm Sarracenorum incurſionibus Sicilia inſula vexaretur.

Seruant item CASTI & SECVNDINI Acta, de quibus in Martyrologio, *Sinueſſæ Sanctorum Martyrum Caſti, & Secundini Epiſcoporum*. Secundini vitam ſcriptam fuiſſe à Benedicto, qui & Guaipherus dictus eſt, commemorat Petrus Diaconus biblioth. monaſterij Caſinenſis; & Caſti & Caſſij paſſionem ſcriptam à Gregorio Tarracinenſi Epiſcopo. Hi ſiquidem ad Epiſcopatus honorem euecti, incedentes per ciuitatem, hominem dæmonibus obſeſſum orationibus liberarunt, qui mox baptizatus in CHRISTVM cum pluribus alijs credidit. Ad Imperatoris Præſidem, qui in Aquabibenſe ciuitate commorabatur, delati ſunt. Ibi in ignem miſſi. At Præſes cæcus factus eſt, ductuſq. ad Apollinis ſtatuam, lumen fruſtrà deprecabatur, quod illicò Sanctorum interceſſione accepit, qui tamen vt parem gratiam referret, fuſtibus eos afflixit. Sinueſſam deindè miſſi, lapides, plumbum, varia tormenta ſuſtulere. Apollinis templum corruens, in quod ipſi introducti fuerant, Præſidem multoſq. necauit, Sanctis tantùm ſuperſtitibus, qui tandem ab Idolatris gladio occiſi ſunt, & à Chriſtianis ſepulti, Calendis Iulij. Anno 966. Pandulfo Longobardorum Principe, Ioanne III. Capuam adueniente, Landone Caietano Duce Caietam delati, & in altari à Pontifice conditi. *Caſtus, & Secundinus Epiſcopi.*

THEODORI Martyris relliquias celebrant, qui ſub Maximiano, & Maximino in legione Marmaricana ſub præpoſito *Theodorus martyr.*

Brinca

Brinca merens, Amasiæ in Hellespento, cum Dijs nullo pacto vellet immolare, à Chronide Tabulario Publio Præsidi traditus, multa passus, in medijs flammis martyrio est coronatus. Eusebia mulier nobilis corpus myrrha conditum, in agrum transtulit, quod vnius diei itinere ad Amasia aberat, ædemq. extruxit. Sancti Martyris caput Constantinopoli erat, cùm inter Andronicum & Alexios orta dissidia essent, & ab Innocentio contrà Sarracenos qui Hierosolymis erant, auxilium peteretur. Missus ad Imperatorem Græcum Petrus Cardinalis tituli S. Marcelli, qui multis ibi acceptis Sanctorum relliquijs,

Amalfis decor sua relliquijs.

Patriam Amalfiam ijs decorauit, Surrenti Iacobi Apostoli, Neapoli aliorum Sanctorum relliquias, in monasterio Casinensi brachium S. Athanasij, & Caietæ apud Hospitale caput Theodori reliquit. Anno postea 1210. pridie Cal. Decemb. in festo S. Andreæ, Aegidius Caietæ Episcopus in ciuitatem, in ædem D. Mariæ transtulit.

FAMILIAE.

Ex Caietanæ ciuitatis actis, tùm ex ijs quæ in D. Annuntiatæ, atque in D. Catherinæ monachorum Cistercienssium, multæ nobiles numerantur familiæ, quæ iàm interiere, Aquila, Ansalona, Albica, Borduna, Brogara, Brancalona, Brogozola, Cauota, Cecia, Crinuta, Ceccana, Castagna ex Leonibus, Caualcanta, Falosa, Faraona, Foscara, Fraiapana, Gattola Merolina, Gattola Longara, Gattola Rieta, Gattola Strumbola, Gattola S. Iacobi, Gattola Vngara, Latra, Leo, Maltacia, Mostaca, Morlina, Manganella, Normesina, Proia, Paparoza, Papa, Pica, Riccia, Raneria, Seroda, Saranieria, Spataria, Squaquara, Sanguina, Transa, Traucia, Tarola, Varmaglia, Vio, Villia. Et quæ hoc tempore supersunt, Aluita, Ammarrata, Auanza, Castagna, De Vio, Falangola, Caietana, Gazella, Guastaferra, Laudata, Lummola, Montaquila, Mortella, Oliua, Fiera, Spathara ex duabus spathis, quas publicis frui honoribus Ioannes Nicolaus Montaquila Caietanus Iurisconsultus mihi retulit.

Et

Et quamuis in ijs multi floruerint illustres, nullo tamen pacto maximus ille Thomas de Vio Cardinalis prætermittendus est, qui Franciscum, & Isaluttam de Siero felicissimos parentes habuit. Cùm mater vterum ferret, in somnis pater quendam dicentem audiuit, Nascetur tibi filius, cui Iacobus nomen erit; hic erit magnus in Ecclesia Dei. id quod pater nunquam retulit nisi moriturus. Anno igitur 1470. die quo D. Iacobi natalitia celebrantur, sub Ferdinando II. Rege, & Paulo II. Veneto Pontifice, natus puer est, cui Iacobi nomen parentes indidere. Puer quasi D. Thomæ Aquinatis (cuius maximus sectator fuit) vestigia imitatus, doctores edifcendo in admirationem attulit. Adolescens, cùm xv. annum attigisset, Dominicanæ relligioni addictus, in cœnobium quod Fratres è Longobardię prouinciæ Caietæ incolebant, se abdidit. Multis eum illecebris parentes allicere conati sunt, vt ab eo sanctitatis cursu eum reuocarent; sed Fratres extrà cœnobium clàm subductum, cymba aduectum, Neapolim in D. Dominici miserunt, vbi aliquot commoratus annos, mox Patauium, Ticinum, aliaq. studiorum loca peragrauit, vt xxij. agens annum doctissimus in Philosophiæ, ac Theologiæ disciplinis euaserit, tantiq. ingenij, vt omnes suæ ætatis doctos viros disceptando superaret; quamobrem Magistratus honorem coràm Ferrariæ Duci adeptus, ab Oliuerio Cardinali Carrafa Romã accersitus, publicè Philosophiam professus est, à quo etiam Ordinis Procurator generalis effectus, huiusmodi se gessit, vt si litteris polleret, administrandis etiam Relligionis rebus excelleret. Ad xxxviij. annum cùm peruenisset, sedente Iulio II. Pontifice, qua tempestate à Ludouico Rege Concilium Pisanum in schismate fuit indictum, Caietanus (sic enim per excellentiam appellabatur) scripto libro de potestate Pontificis, tantum Romanæ fauit Ecclesiæ, vt Conciliabulum illud fuisse existimandum probauerit, & ad Concilium Lateranense Romæ celebrandum Pontificem fuerit hortatus. Magister Generalis suæ Relligionis tunc factus Neapoli Capitulum (vt vocant) aperuit, quod Neapolitani vsque ad ea tempora non viderant, atque ex xx. doctis Fratribus, qui

Hhhh cum

cum eo tunc conuenere, Scombertus Theutonicus Capuanus Archiepiscopus creatus est, & à Paulo III. ad Cardinalatum euectus; alter Hispanus, Conchæ Episcopus; Poppus Episcopus Monopolitanus; Iacobus è Mantua, Episcopus Stabiensis & Cappellanus maior, Stella Cardinalis. Cùm à Leone X. anno 1517. Calendis Iunij xxxi. Cardinalium promotio facta esset, quatuor inter eos Mendicantium Generales procreauit; eodemq. die Aegidium Viterbensem Carmelitam Legatum ad Carolum Hispaniarum Regem misit, Bibienam Florentinum ad Gallorum Regem, & Caietanum ad Maximilianum Imperatorem, Martini Lutheri, qui tunc prauæ opinionis ignem Saxoniæ Ducis fomite accenderat, falsam doctrinam confutaturum, qui Galerum quoque ad Maguntiæ Archiepiscopum inter Cardinales electum ferret, quem Sebastianus è Vio eius nomine detulit maximis ab Archiepiscopo acceptis muneribus. Inter Imperatorem & Cardinalem actum est, ne locus suspicioni inter Germanos proceres daretur, vt Cardinalis ad se Martinum euocaret, quocum liberaliter & mansuetè ageret, vt furijs agitatum animum deliniret, & incipientem quodammodò flammam, quæ maximam minabatur ruinam, restingueret. Venit Lutherus; cum Cardinali loquutus omnem modestiam, bonamq. disciplinam blandis humilibusq. verbis præsetulit, & ferè pollicitus est in Romanæ Ecclesię gremium illicò reuersurum; quæ verba Cardinalem tanta lætitia affecerunt, vt maximum in Christianam Rempublicam beneficium contulisse aduentu suo in Germaniam arbitraretur. At verò quoniam pro scriptis quæ impius promulgauerat, palinodiam canere oportebat, locus ad certam diem constitutus est, vbi suos errores publicè manifestaret. Cùm iàm conuenissent, tanta verborum superbia prorupit Lutherus, tantam insolentiam ostentauit, vt Cardinalis animi eius prauitatem, cordisq. duplicitatem animaduerterit. Quæ pollicitus fuerat, negare. Quæ dixerat, quæ scripserat, Legatum contemnens, confirmare. Quocirca nec precibus allectus, nec Summi Pontificis auctoritate perterritus, instabili sermone interposito, discessit. Legatus demisso

animo

animo obstupuit; cum subitò calumniæ coortæ sunt, quæ dicerent Cardinalis asperitate factum esse vt Martinus non desipisceret; aliorum verò, ex eius modestia & facilitate, animos perfidum sumpsisse, illudq. futurum salutarius, si in eum aliorum exemplo castigandum manus iniecisset. Primi, quid sibi velint nesciunt, cùm re ipsa, eiusdem Legati testimonio, Lutherus blandè, modestèq. fuerit acceptus. Alteri, illud minimè norunt, quod nec vlla domus, nec vllus compitorum angulus, armato milite & satellite careret, qui impostori subsidio essent futuri, si quid virium Legatus ostendere voluisset. Ceterùm, cùm nec Imperatoriæ, nec aliorum Christianorum Principum vires immanem illam bestiam ad sanitatem potuissent reuocare, quidnàm exterus efficere potuisset, qui præter Legationis auctoritatem nihil quicquam secum habebat? Re igitur infecta Romam omnibus desideratus redijt. à Pontifice palatium S. Mariæ in Via accepit, quo Franciscum Mariam è Ruuere Iulij Pontificis nepotem vt perduellem, cum Vrbino Ducatu priuauerat; Archiepiscopatu Panhormitano insignitus est, licet Hispano cuidam esse tribuendum libuerat, quamobrem à Carolo V. Episcopus Caietanus effectus est, vt suæ patriæ animabus gubernandis incumberet, quo mortis aduentu se abdicauit. Mortuo Leone, cùm differretur Pontificis electio, habita oratione, Adrianum Florentium Germanum inter xxxi. electum, Caroli V. præceptorem, Hispaniæ tunc administratorem, à nemine in Italia cognitum, spectatissimæ tamen, & integerrimæ vitæ virum, sapientem, doctum, gubernandi gnarum, qui in Hispaniæ rebelles summa cũ prudentia ità animaduerterat, vt Cæsaris hostibus profligatis, & extinctis, Regnorum tranquillitas fuerit subsequuta, in Pontificem eligerent. Tantum eius verba ponderis habuere, vt Ianuario mense, anno 1522. omnium votis Adrianus fuerit electus, misso Cardinali Cæsarino qui nouum Pontificem hortaretur vt celeriter se in Italiam conferret, qui Augusto mense Genuam appulit, vbi dignitatis non omnes honores consequi potuit, cùm eam vrbem Cæsaris exercitus fuisset depopulatus, qui tamẽ ad Palæpolim omnium

Principum Legationibus, multisq. Cardinalibus exceptus est; cùm alibi Iulium Mediceum Cardinalem Leonis nepotem, cui suffragium Caietanus denegauerat, aliosq. Cardinales obuios habuisset. Ostia Romam omnium plausu ingressus est. Eam lætitiam pestis post Pontificis aduentum sustulit, quacum animorum mutatio coniuncta est, cùm ob mansuetudinem, bonosq. mores, adeò res Romana frigebat, vt expectationi quam concitauerat, non respondere existimaretur, quapropter Italorum ingenia detestabatur, à quibus se decipi in suspicionem venerat, eaq. de causa Caietanum sibi coadiutorem exoptabat, id quod prudentissimus vir renuit. Interim Turca Rhodum insulam obsidione occupauerat, quapropter obsessi, à Regibus atque Pontifice subsidium petiere, quod cùm celeriter vt opus erat non missum fuisset, deditione facta ab insulanis, Magister Equitum, Romam venit, atque habitationis loco Viterbum accepit à Cardinali Mediceo, qui Adriano successit, indeq. Melitam à Carolo V. concessam Hierosolymitani incoluere. Mouit illicò Scytha ad Vngaros, quibus Ludouicus adolescens imperitabat, qui cùm hostium viribus resistere non posse intelligeret, Pontificē, aliosq. Principes, vt opem ferrent, obsecrauit. Habito conuentu in sacratissimo Senatu, Pompeium Cardinalem Columnam, qui prudentia & auctoritate Regem iuuaret, mittere Pontifex decreuit. Is, quòd iniquo animo munus illud accepisset, rem huiusmodi differre, vt petitis sex millibus peditū, totidemq. equitum ad custodiam corporis, maximo sumptu calamitoso tempore proposito, effecit vt Cardinalis Caietanus illud susciperet onus, atque in Pannoniam proficisceretur. Qui vix eos fines attigit, cùm Rex monitu Georgij Tomorei, qui ex Franciscano Fratre, Episcopus Varadinensium creatus erat, temerè collatis signis, omnibus suis ad vnum occisis, saluti fuga consulens, in paludium cœno miserè interijt, nec corpus inuenissent, nisi puer consultò locum animaduertisset. Iustis Regi persolutis, quoniam se nihil sperabat profuturum, de reditu in Italiam cogitabat, cùm litteras à Clemente VII. Cardinali Mediceo, Adriani successore accepit, vt Romam se conferret.

Tumul-

Tumultibus tunc maximis vexabatur Italia, quando Borbonius Gallorum Dux, Romanam vrbem afflixit, Clementem in arcem S. Angeli cum Cardinalibus compulit, Romanam amplitudinem vastandam deliberauit. Commorabatur Caietanus Capranicæ, & cùm de Romana clade certior factus esset, in amici cuiusdam domum se abdidit, quam Germani iàm depopulati fuerant, ideòq. tutiùs ibi esse posse arbitrabatur. At cùm Hispanus quidam rescisset Cardinalem ibi detineri, comparata militum manu, impetu in domum facto, Cardinalem captiuum duxere, à quo si libertatem cuperet, quinque millia aureorum expostularunt, quos Caietæ solueret. Tunc eò miseriarum peruenit, vt à Garsia Mãrichez accepta veste, inter homines versaretur, licet Sebastianus nepos, pecunia, rebusq. alijs eum iuuerit. Pacatis Italiæ Rebus, Setia quò se contulerat Romam venit liberalissimè ab omnibus Romanis & Pontifice acceptus. Cum Henrico Angliæ Rege, qui vxorem Cæsaris affinem repudiauerat, per litteras prudentissimè egit; sed re infecta, non diù superuixit, atque moriens CHRISTI pauperes heredes instituit. Virum prudentia clarum, doctrina illustrem, rebus gestis celeberrimum, Caietani venerentur, mortuoq. mẽmoria, summo studio, orationibus perpetuò parentent.

POLITICA.

Reliqua Caietæ post Duces Consulum fuit administratio, & si cum Ducibus veluti Neapoli etiam is Magistratus gubernaret, exactis Ducibus & imperio in Regnum commutato, Consules tantùm iuridicundo eam ciuitatem administrarunt, vt ex antiquis eius ciuitatis constitutionibus (quas Statuta appellãt) liquidò patet. Consulum deindè sublato nomine, Iudices appellati sunt, vt antiquam quodammodò Iudicum in Rebuspublicis redolere videantur iurisditionem, qua tamen ità differũt, vt in Regia ciuitate huiusmodi Iudices per Regias litteras, quatuor, duo nobiles, mercator vnus, & alius popularis annuũ illum sortiantur magistratum; vt quandoque multi ex optima-

Consules. Duces.

Lib. 3. c. 17.

Iudicũ creatio.

tibus

tibus,probisq. viris à Iudicibus adnotentur,nouorumq. electio Regibus tribuatur. Omnibus ciuibus Iudices præstant,& veluti vrbis tutelæ,& defensoribus omnis illis creditur administratio, ijs tamen in rebus quæ ad vsum ciuilem pertinent, cùm alioquin Regius Capitanei præsit Magistratus, qui omnibus in rebus Iudicum debet defendere dignitatem. Et Iudices cum Baiulo & Capitaneo banna promulgant, pœnas imponunt, atque diminuunt, ciues prauis moribus imbutos coercent, annonæ consulunt cum suis Catapanis, quorum quisque suum Iudex eligit, quorumq. iurisditio ad ciuitatem modò Caietanam spectat. Ad Iudices quoque pertinet ingruentibus bellorum tumultibus, montis Orlandi custodia, quæ arx, murus, & tutela Caietana appellatur, cui duo pluresue duces, vt opus fuerit, præficiuntur. Nobiles, mercatores, & populares ità inter se conuenere anno 1514. vt pacis, boniq. ciuitatis status gratia, eo pacto quo suprà diximus non solùm in Iudicis officio, sed omnibus in alijs in quibus electio facienda fuerit, quatuor eligantur, præterquàm in D. Annunciatæ, & Posatarum, cùm scilicet contigerit Reges Caietam diuertere, electione, in prima quarum tres nobiles, duo mercatores, vnus adscitur popularis; in altera, vnus nobilis, alius mercator, tertius popularis. Cum Iudicibus, Catapanisq. Grasserij adduntur, qui omnibus vinorum generibus prouident. Additur & Sindicus, qui licet anteà perpetuus eligeretur, nunc tamen cum alijs Magistratibus singulis annis eligitur, iussuq. Iudicum Vniuersitatis iura tueri debet, quapropter non nisi Notarius in eum ordinem cooptatur, ex quo etiam ordine Aerarij, Secretarijq. creantur, quorum alter Curialis pecuniæ rationem est redditurus, alter quæ in Consilio decernuntur scriptis mandaturus. Tantaq. prudentia omnibus ciuitatis necessitatibus Caietanos prouidisse legimus, vt aliæ quoque ciuitates indè exempla sumere deberent.

Capitaneus. *Baiulus.* *Catapanus.* *D. Annunciata. Posata.* *Sindicus.* *Aerarius. Secretarius.*

FORMIAE;

FORMIAE, MINTVRNAE, SINVESSA, SVESSA, Linternum. Cap. XIX.



ORMIAE, Romanorum oblectamenta & deliciæ, inter præcipuas Campaniæ vrbes apud Florum, à quo ad mare numerantur Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculanium, Pompeij. adeò placido littore, vt

--- à cubiculo lectuloq. iactatam
Spectatus altè lineam trahit piscis,

inquit Martialis. Secus Appiam in Herculanea via positæ. *Lib. 10. epig. 30.* A Laconibus fuisse conditas plerique affirmant; alij, à Lamo Neptuni filio, à quo Aelium Lamiam dictum asserit Horatius lib. 3. od. & Sigonius libro de nominibus Romanorum; alij ab Antiphate Lami filio, quamobrem ***domum Antiphatæ compressam freto***, illud oppidum Silius Italicus nominat. *Antiphata. Lamus.* Hinc Læstrigones eò ex Sicilia profectos, imperitasse audacter contendunt; & Læstrigones ibi fuisse veluti in Anthropophagorum sede, Strabo, Plinius, Solinus conueniunt. *Læstrygones.* Cicero item ad Atticum scribens, de ea vrbe loquutus ait, ***Si verò in hanc*** Τηλέπυλον ***veneris*** Λαιστρυγονίην, ***qui fremitus hominum? quàm irati animi?*** &c. Ea verò ex Homero desumpsit qui de Siciliæ Læstrygonibus loquebatur cùm aiebat,

Ἑβδομάτῃ δ' ἱκόμεσθα Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον
Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην, ὅθι ποιμένα ποιμὴν
Ἠπύει εἰσελάων ------
Septima verò venimus Lami ad excelsam vrbem
Longè distantes portas babentem Læstrigonum vbi
pastorem pastor
Euocat impellens ------

Non video cur Formiarum conditorem Lamum appellare possimus, cùm de Sicula vrbe Homerus liquidò loquatur; & Formias ob ciuium mores, qui ferè Læstrygones videbantur, & *Læstrigones in Sicilia.*

Ciclopes,

Ciclopes, Læstrygoniam vrbem dicit. Qui enim amplitudo ciuitatis τηλεπύλῃ, *longè distantes portas habentis*, Formijs conuenire posse iudicabitur, quod paruum fuisse oppidum omnibus constat? Et quamuis in illud Horatij,

Nec Læstrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi ----

Amphora Læstrygonia. Lambinus, *Læstrygoniam amphoram*, sublata controuersia Formianam intelligat, cur Sicula potius existimanda non est, vndè vina bona onerabãtur, quorum nulla Formijs mentio facta est? Nec profectò Læstrygonum habitationẽ Romani incoluissent, nec amœnissimus locus ille Ciclopes decere potuisse existimarem. Et licet Cicero eius loci villam, quam Basilicam frequentia Formianorum appellabat, aliquo pacto improbaret, *At comparem Basilicæ? tribum Aemiliam. Sed omitto vulgus*; & post horam quartam ceteros non esse molestos asserat, & *C. Arrius.* C. Arrium proximum vicinum habere, qui idcircò Romam ire negabat vt totos dies secum philosopharetur; Sebosum prætereà Catuli familiarem; ex quibus tantum molestiæ accipere innuebat, vt Arpinum proficisceretur, nisi Atticum ibi expectaret, quin Formianum venderet si quis emere velit, ne ijs hominibus aures deditæ essent; ad ea nihilominùs, ob molestias tumultusq. prorupisse dicemus, cùm ceteroqui fundus ille ad voluptatem fuisset comparatus, ideòq. ad eundem Atticum hæc scripserat; *In Formianum volumus venire Parilibus, indè quoniam putas prætermittendum nobis esse hoc tempore Cratera illum delicatum, Cal. Mai. de Formiano proficiscemur*. An verò delicatiora loca Læstrygones habitassent? Hinc Villarum numerus se obijcit, & præter Ciceronis, Veteris villa erat, quæ tamen ipsis deliciæ miserias pepererint, cùm alter M. Antonij, *Lib. 4. Ciceronis mors.* alter Neronis iussu fuerit occisus. Appianus verò ait Ciceronem post Cæsaris necem proscriptum in nauicula aufugisse, & cùm iactationem ferre non valeret, in villam suam ad Capuam esse delatum, ἀμφὶ Καπύῃ πόλιν τῆς Ιταλίας, quam auctor se vidisse ob casus memoriam scribit, indè corui crocitatu permotum veluti prodigio lecticæ impositi, rursum ad mare dùm defer-

deferretur, inter densissimas siluas à Læna Centurione fuisse iugulatum. Cassiodorus verò Caietæ occubuisse asserit. idemq. Valerius Maximus confirmat, qui in villa Caietana coruum horologij ferrum loco motũ excussisse, & laciniam togæ morsu tenuisse scribit. L. Vetus à Fortunato liberto, & Claudio Demiano apud Neronẽ accusatus, Formias digressus est. aderat Pollutia filia, & socrus Sextia. Pollutia Plauti mariti vestes respersas sanguine seruans, hortante patre Neapolim profecta est. Sed tandem pater, filiam; auia, neptem; illa vtrosque intuens & certatim precantes labenti animæ celerem exitum, vt relinquerent suos superstites, & morituros; seruauitq. ordinem fortuna, ac senior prius, tùm cui prima ætas extinguuntur, inquit Cornelius Tacitus. Cernuntur prætereà Pollionis sepulcrum, Adriani ædificia, amphitheatri, theatriq. ruinæ, aliaq. monumenta, quæ Formianam frequentiam, atque amœnitatem patefaciunt, additis aquarum perennitatibus quæ frigidæ pluribus fontibus erumpunt, medicarum arborum copia, quæ siluas potiùs quàm hortos referunt tantò odore fragrantes, vt dùm littoralis aura retinet, frondium florumq. apparatus admirabili delectatione alliciat. Non benè Leander in villam Ciceronis Formianam diuertere solitos scribit Lelium & Scipionem, quos rus ex vrbe diuertisse tanquam è vinculis scribit idem Cicero in Oratore, & conchas ad Caietam & Lucrinam legere consueuisse. *L. Veteris mors. Pollutia.*

Aliquandò Formiani idcircò Romanis infensi fuere, quoniam bello Latino anno ab V. C. 417. per eorum & Fundanorum fines tuta & pacata semper fuit via, quapropter ciuitas sine suffragio ijs data est; tunc etiam Suessulanos, & Cumanos, eiusdem iuris, cuius Campania erat, esse placuit apud Liuium. A Paterculo verò dicitur, anno quo Cartago concidit, Cales deductam esse Coloniam, & interiecto triennio, Fundanos, & Formianos in ciuitatem esse receptos eo anno quo Alexandria condita est. Interq. saxa Formiana ad Casilinum obsessus describitur Annibal à Liuio, Linternum habitaturus cùm Minutius Fabio coniunctus est anno 537. Ad Municipij Coloniæq. iura posterioribus temporibus ventum est. Hinc lapis,

IMP. CÆSARI. DIVI. HADRIANI. FILIO. DIVI. TRAIANI
PARTHICI. NEP. DIVI. NERVÆ. PRONEPOTI
TITO. ÆLIO. HADRIANO. ANTONINO. AVG. PIO
PONT. MAX. TRIB. POT. XI. COS. IIII.
P. P. FORMIANI. PVBLICE.

Sed in Præfecturæ formam cum Capua Annibale pulso, Romani Formias traduxerant; & à Frontino inter Colonias Italiæ militares constituuntur.

Soterides, & Pisitheus medici. Faustina M. Antoninum Formijs videre cupiebat, quò vt Soteridem medicum mitteret, rogauit, nihil enim credebat Pisitheo, qui puellæ virgini curationem nesciebat adhibere, vt in eius epistola legitur, quam in Auidio Cassio citat Volcatius Gallicanus; & Formijs eadem erat cùm ad eam scripserat idem Marcus, vt Auidij conscios vendicaret. qua in re Formianam clementiam laudare possumus, quandò mulier ea dixit; *Ego verò & eius liberis parcam, & genero, & vxori; & ad Senatum scribam, ne aut proscriptio grauior sit, aut pœna crudelior.*

Minturnæ. MINTVRNAS, inter Formias & Sinuessam collocat Strabo in via Appia; aitq. eam vrbem à Liri ablutam, qui olim Clanius vocabatur. Propè Fregellas in Liris amnis descriptione *Traiectum.* positam affirmat. Et quamuis ex eius relliquijs Traiectum ædificatum scribant, nihil tamen est quod credamus in eo monte Minturnas fuisse conditas. Amphitheatrum, aquæductus locum indicant; & portum Traiectensem, atque Vulturnensem Grimoaldus Beneuentanorum Dux concessit Theodemari Abbati Casinensi. Eam Stephanus Μίντυρναι nominat, inter Italiæ vrbes, sed Σαυνιτῶν. Aliquibus in antiquis nummis *Lib. 1.* legitur, MYNTVRN. Dionysius Halicarnasseus cùm scribit Lirim, & Tiberim agrum Romanum terminasse, duas in quibusdam eorum fluuiorum finibus ciuitates collocat, Ostiam Tiberis, & Minturnas Liris, ambasq. Romanorum Colonias dicit, & Aborigines & Pelasgos, qui Siculos ex Romano agro expulerunt, perpetuò in ijs sedibus remansisse. Ab Ausonibus ædificatum oppidum scribunt, quod ob aëris grauitatem (paludibus id factum fuerat) immune à Romanis à militiæ muneribus

redditum

redditum est. At quidē Q. Fabio, Q. Decio Mure quartum Cos. quo anno Pyrrhus regnare cœpit Sinuessam, Minturnasq. missi Coloni sunt. C. Marius à Sylla victus, Minturnis in palude latuit, vbi immissum percussorem Gallum vultus auctoritate perterruit; in Fanniæ domum custodiæ causa deductus est. Animaduertit asellum obiecto pabulo neglecto, ad aquam procurrentem. Quo spectaculo (inquit Valerius Maximus) Deorum prouidentia quod sequeretur, oblatum ratus, à multitudine quæ ad opem illi ferendam confluxerat impetrauit vt ad mare perduceretur; ac protinus nauiculam conscendit, qua in Africam peruectus est. Quod si tanti viri præsentia Minturnas nobilitauit, quanto illustriùs Summus Pontifex Marcellinus, totq. Patres conuocato Concilio nobilitarunt?

Apud Athenæum Minturnenses locustæ plurimùm laudantur, quas cùm gustasset Apicius, qui Tiberij ætate viuebat, vir ditissimus, luxu solutus (πλουσιώτατος, &, τρυφητὴς) à quo multa placentarum genera, Apicia dicta fuerunt, ventris & gulæ causa Minturnis degens, semper locustis vescebatur, quæ magnitudine Smyrnæas & Alexandrinas vincebant. Cùmq. audisset in Africa, vastæ magnitudinis eas reperiri, naui eò profectus, cùm ad eius regionis oram appulisset, & incommodam pertulisset nauigationem, priusquàm descenderet, piscatores ad quos eius aduentus rumor peruenerat, ingentes locustas obtulerunt, quas minores Minturnensibus respiciens, illicò in Italiam nauigauit. Squillas pisces in Liri commemorat Martialis, *Lib. 1. Locustæ Minturnenses. Apicia placenta. Squilla piscis. Lib. 13.*

Cœruleus nos Liris amat, quem silua Maricæ
Protegit; hinc Squillæ maxima turba sumus.

Pisciculi profectò minuti, & gregatim degunt. Silleta loca ibidem Cicero pro lege Agraria commemorat. Frentalem habet oram proximam, vel Feretalem, quę duo simul oppida interiere. Sacram præterea siluam, in qua Marica Nympha colebatur,

--- *& Nympha genitum Laurente Marica*
Accipimus ----

quam Fauni vxorem ad Lirim Minturnenses venerabantur, vt ait Seruius. Habebat etiam proximam Vestinam ad Liris dex-

teram, quam cum Ausonia Romani vastarunt. Assurgit in ea regione mons Gaurus, Massicus, vel Gallicus, vitibus ornatissimus, ideòq. Baccho ab antiquis dicatus, cuius vina in eo latere quod ad Puteolos vergit maximè laudātur à Plinio. Nec tamen calidis aquis, sulphureisq. ad Sinuessam ignobilis. Nec absunt Falerna longiùs, quæ generosa inter vina familiam ducebant, vt meritò aëra illum, & continentem vinis dicatos iudicaue.i̅ .

Lib. 14. c. 6.

Sinuessa.

Lib. 4.

SINVESSAM Latij terminum ad Orientem constituisse scribit Strabo, qui ait oram maritimam ab Ostia Sinuessam vsque Latium appellari, mediterranea olim pauca occupasse, posteà verò ad Campaniam, Samnites, Pelignos, aliosq. Apennini accolas fuisse productam. In sinu Setino positam dicit, & à sinu nomen gerere, σίνης γὰρ ὁ κόλπος, thermasq. habere ad quosdam morbos expellendos efficacissimas. & anno orbis 3665. conditam scribit Alexander Sculterus in chronographia. Iuxtà agrũ Falernum Liuius describit, Græcamq. fuisse vrbem confirmat, Synopem nuncupatam, mutato in Sinuessam nomine à Colonis Romanis, quæ cùm tota interierit, paruas ad Roccam de Montedracone ruinas superstites reliquit. Σινυεσσανός, habet Stephanus. Sinuessanas aquas salubres esse habitas docet Plutarchus, ἔτυχε μὲν ὢν ἐπαυτὸν ὁ Ὄθων εἰς τὰς περὶ Σινόεσσαν ἀγρὰς. Plinius in eadem Campaniæ regione, Sinuessanas aquas sterilitatem fœminarum, & insaniam virorum abolere credi scribit, licet familiaris meus ad me scripserit, ad eas aquas magis homines ineptire, & sterilitatem mulieres huiusmodi amittere, si virum admiserint. Martialis,

Lib. 10.

Sinuessanæ aquæ.

Diceret hictericam se forsan altera Moccha
In Suessano velle sedere sinu.

Idemq. lib. 6. epig. 42.

Nec fontes Aponi rudes puellis
Non mollis Sinuessa ——

Lib. 11.

Claudius apud Tacitum, refouendis viribus mollicie cœli, & salubritate aquarum Sinuessam perrexit. Anno quo Pyrrhus regnare cœpit, Sinuessam, & Minturnas missos esse colonos, suprà diximus.

SVESSAM,

SVESSAM, aliam à Sinuessa fuisse illud potissimum docet, quod suprà Strabo innuit, Sinuessam scilicet in Setino sinu fuisse,& sic dictam à sinu, σῖνος enim idem apud Græcos, quod κόλπος. Scimus prætereà Sinuessam oræ maritimæ vrbem fuisse, quandò vltrà Ponetium agrum in mediterraneis Suessa fuit ædificata. A quo verò condita, ignoro. Quid si ex Sinuessanorum relliquijs? Eius antiquitatem, Romana tempora illustrant, cùm enim Volscorum Pometiorum ager preclarus esset, finitimus Latinis,& Appiolæ vrbi, Tarquinius Priscus deleuit; vastatisq. Aequis, qui maximè vicini erant Quiritibus, vt ait Strabo,filius eius Suessam cepit Volscorum caput. Et in Suessam Pometinos, Pometia deleta, pulsos commigrasse, scribit Halicarnasseus libro 5. vnde Suessa Pometia vocari cœpit. Ad eam antiquitatem ostendendam,Suessani insignibus vtuntur, Leone cum hoc epigrammate, SVESSAE VETVSTAE. Cum Sinuessanis, Auruncos adiungito; orto enim bello inter Auruncos & Sidicinos, Aurunci à T.Manlio Consule in ditionem accepti, vt scribit Liuius, nihil deindè mouerant; eoq. petendi auxilij à Romanis causa iustior fuit. Sed priusquàm Consules ab vrbe exercitum educerent (atqui Senatus Auruncos defendi iusserat)metu perterriti oppidum deseruere,& profugi cum coniugibus & liberis Suessam communiuere,quæ postea Aurunca appellata est, eorum antiquis mœnijs, & vrbe à Sidicinis deletis. Cùm Legati ad plebem quæ ad montem sacrum confugerat de compositione facienda missi essent, atque Manius Valerius orasset apud Halicarnasseum, L. Iunius Brutus cognomento dictus in responsione ad Legatos, huiusmodi Suessæ amplitudinis meminit, *Diuturno bello expugnata Suessa vrbe valdè fortunata & opulenta,cùm illis liceret prædam nulli impertiri,sed sibi ipsis retinere,& ceteros Reges diuitijs superare, hoc tamen facere noluerunt*, &c. vt ostenderet quandiù sub Regibus Romani vixerunt, plebem nulla ab ijs iniuria fuisse affectam,quin etiam cùm potuissent nulli prædas impartiri,voluisse id facere capta Suessa, ex qua præter mancipia, pecus, & res alias multas,viritim plebs quinque argẽti minas acceperit,

Suessa. *Pometia.* *Aurunca.* *Lib.6.*

vt verè

vt verè ex ijs omnibus opulenta & fortunata, ea ciuitas potuerit appellari. Suessana præda sub Tarquinio facta est, qui cùm à militia quieuisset, vt idem auctor lib. 4. scribit, templis ædificandis incubuit, Aui vota persoluere studens. Ille enim in vltimo bello contrà Sabinos gesto dimicans, Ioui, Iunoni, & Mineruæ si ex prælio victor discessisset, templa se ædificaturum vouerat, rupemq. in qua delubra esset conditurus, maximis sumptibus, & aggesta terra æquauit; quæ tamen, in exilium missus perficere haud potuit. Cùm igitur Tarquinius ex decimis Suessanæ prædæ opus conficere statuisset, adhibitis operi omnibus opificũ generibus, mirum quoddam prodigium dùm fundamenta foderentur apparuit. Inuentum enim tradunt hominis caput recens à ceruice reuulsum, ex quo calidus adhuc sanguis emanabat, cuius vultus viuo simillimus erat. Quo viso portento, Tarquinius, operas à terra fodienda abstinere iussit, & conuocatis Vatibus indigenis ex ijs, quid sibi ea vellent percunctatus est. Qui nihil sibi quicquam de ea re statuere deliberantes, ad Etruscos esse concedendum hortati sunt. Ad Etruscorum peritissimum missi Legati, quibus responsum est, locum in quo caput inuentum est, totius Italiæ caput futurum; quamobrem Capitolinus locus ille deinceps à Romanis dictus est; vt habeat hoc recõditi præda Suessana, ex qua triumphantium maiestas quodammodo emanauit. Quæ aliquandiù Volscorum inter pręcipuas vrbes nominata, tandem Romanis cessit, factaq. Colonia circa annum Vrbis 440. vt ex Liuio colligitur. Velleius triennio post Luceriam deductam scribit. Sub Annibale multas clades passa est; itidem, sub Romanis. sed sub Adriano, & Antoninis plurimùm floruit. Habes etiam in lapidibus Rempublicam, Municipiumq.

IMP. CÆSARI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. FIL.
DIVI. NERVÆ. NEP. TRAIANI. HADRIANI. AVG.
PONT. MAX. TRIB. POT. VI. CON. III.
VIAM. SVESSANIS. MVNICIPIBVS
SVA. PEC. FECIT.

item,

item,

IMP. CÆSARI. L. SEPTIMIO. SEVERO. PERTINACI
AVG. PIO. PP. SVESSANI.

prætereà,

MATIDIÆ. AVG. F.
DIVÆ. MARCIANÆ. AVG. NEPTI
DIVÆ. SABINÆ. AVG. SORORI
IMP. ANTONINI. AVG. PII
P. P. MATERTERÆ. SVESSANI.

Capuæ quoque legitur,

MATIDIÆ. AVG. FIL.
DIVÆ. SABINÆ. SORORI. IMP. ANTONINI. AVG. PII
PP. MATERTERÆ. SINVESSANI. D. D.

Duoque alij lapides Suessæ leguntur his persimiles, quorum vni subscribunt AGATHONENSES, alteri, FLAVIVS AVG. LIBONASINVS. In hoc verò Coloniam, Ordinem, & plebem, vt in alijs habes municipijs, munus prætereà gladiatorium,

C. TITIO. CHRESIMO. AVG. FIL.
HVIC. ORDO. DECVRIONVM. QVOD. PRO. SALVTE. ET INDVLGENTIA. IMP. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG. ET. EX. VOLVNTATE. POPVLI. MVNVS. FAMILIÆ. GLADIATORIÆ. EX. PECVNIA. SVA. DIEM. PRIVATVM. SECVNDVM. DIGNITATEM. COLONIÆ. EDIDERIT. HONOREM. BIS. ILLI. QVO. QVIS. OPTIMO. EXEMPLO. IN COLONIA. SVESSA. HABVIT. ET. VT. AQVÆ. DIGITVS IN. DOMO. EIVS. FLVERET. COMMODISQ. PVBLICIS. AC SI. DECVRIO. FRVERETVR. ET. TITIO. CHRESIMO. FILIO OEMERIT. PATRIS. HONOREM. DECVRIONATVS. GRATVITVM. DECREVIT. ORDO. DECVRIONVM. ET. AVGVSTALIVM. ET. PLEBS. VNIVERSA.

Patronum item Coloniæ cui Statua publicè cernitur,

L. MAMILIANO. LICINIANO. AVG. FILIO. MAMILIANI LIVIANI. V. P. EXCORRECT. NEPOTI. MAMILIANI. CRISPINI. EXCON. PRONEP. MAMILIANI. MAXIMI. V. P. EXCON. PORRO. AB. ORIGINE. PATRONO. OMNIBVS HONOR.

HONOR. MVNERIBVSQ. INNOCENTER. IN. PATRIA SVO. FVNCTO. CVMVLANTI. DIGNITATE. ORIGINIS SVÆ. NVNC. OBLATO. FID. DECRETO. AMORE. ET BENEFICIIS. DEVINCTI. ORDO. POPVLVSQ. SVESSANVS STATVAM. AD. PERENNE. TESTIMON. PONENDAM CENSVERVNT. L. D. D. D.

Actor. Non aspernanda illustrium horum Suessanorum ciuium memoria, Actoris, maximi viri, qui cum Turno conflixit, de quo Virgilius lib. 12.

Exin quæ in medijs ingenti adnixa columnæ
Aedibus astabat, validam vi corripit hastarum
Actoris Arunci spolium; quassatq. trementem
Vociferans ——

Titius Chresimus. Mamilianus Licinianus. C. Nesennius. Titij Chresimi, qui aquam in suam domum deductam, publico commodo liberaliter aperuit, & Mamiliani Liciniani, cum quibus Liuiani, Crispini, & Maximi recensentur. adde & C. Nasennium municipem Suessanum, quem Bruto Cicero in epistolis commendat, ad quem scribit eum octauum Principem duxisse Cretensi bello, Metello Imperatore, fortemq. esse virum, hominem frugi, locupletem, pergratum, qua virtute omnes aliç facilè superantur. Sunt etiam hæc monumenta,

D. M. S.
L. DOMITIO. IVSTO
FIRIDIA. NAIGE. CONIVGI. BEN. F.

et,

D. M. S.
IVLIÆ. M. F. CAPITOLINÆ. VIX. ANNIS. XV. M. V. D. VII.
MODIA. LONGINA. MATER. PIISSIMAE. FIL. POSVIT.

et,

D. O. M.
IVLIA. FIRMA. SITA. TVMVLO
QVÆ. COMMVNE. TORVM. SERVAVIT. CASTA. MARITI
ET. FIDE. PLENA. PIETATE. NOBILI. VIXIT
SVBREPTA. EST. OCVLIS. IVVENIS
FATO. DICTANTE. INIQVO
MOCIMVS. SABINÆ. AVGVSTI. SORORIS. LIB. B. M. F.

Ad

Ad antiquorum relliquias villæ faciunt, quibus locus abundabat, ad quos Romani tranquillitatis gratia diuertere consueuerant. Sueffanum, & Sinueffanum rus Ciceronis in epistolis ad Atticum commemoratur. Sunt prætereà Quinctilianum, quod Quinctorum fuisse villam non ambigo, & Cornelianum quod ad Auruncam cernitur; tùm Castricianum, quod ad vj. lapidem à Minturnis situm est; hoc tempore S. Castrensem vulgus appellat. Porphyrius in vita Plotini, Castricij Romani fuisse villam testatur, qui cùm ad balnea Puteolana proficisceretur, in Castricij villam se contulit. Herculis templum ad Sueffam ostendunt, vbi nunc arx cernitur. Et in cœnobio S. Stephani, quod moniales incolunt, & D. Ioannis ea antiquitatum vestigia conspiciuntur, quæ theatrum referunt, & ex quibus multa statuarum fragmenta, lapidumq. eruta sunt. Numismata quoque reperiuntur in quibus aut Hercules leonem occidens, & in altera facie caput tantùm est sculptum; aut testudo, & cancer, in quibus legitur ΣΥΝΥΕΣΣΑΝΩ. *Hercules.*

Posita vrbs in agro Vestino ad montem Massicum in via Appia, & regione tàm fertili & amœna, vt ab ea vitiferi colles, & temulentia nobilis succo, per omnes terras indito incipiat. Galeatius Florimontius cum Consaluo Ferdinando Sueffę Duce loquens ait, non posse nobilissimos illos Belgarum, aut Gallorum prospectus, neque pontis petræ Veronensis, cum Sueffano conferri, maris enim & telluris æquora, huiusmodi cum montium amœnitate conueniunt, vt nihil possit delectabilius iudicari. In montis latere ad Septentriones vetustæ vestigia cernuntur Aruncæ, ad quam adhuc strata via silice ducit; ceteroqui in decliui curuitate planus, arboribus consitus, villis frequens, fontibus vel ad radices perennis; qui dùm ad quinque millia passuum longitudinem protenditur, ad Draconis montem adijcitur, qui Sueffanæ diœcesis muris, portisq. intercluduntur. Nec abest turdorum mons, qui Cicolis dicitur, cum Cicli illud volatile denotet, qui a culmine siluis refertus est, ferarum tùm aprorum præcipuè tectis; indè frutices, arbores, vineæ, plurimæq. habitationes. Aliud complectitur Liris latus, *Cicolis.*

vbi Ferdinandi auus Dux ille maximus, de Gallorum exercitu victoriam reportauit. Sed quid illa commemorem, quæ longiùs oculorum aciem mirabiliter recreant, dùm se Caietani littoris, Traiecti situs, Prochytæ, atque Aenariæ stationis prospectus, collium delectatio, camporum cultus, frumenti, olei, vini, pomorum, à quibus fortasse Pometia dicta est, copia obijcitur?

Tofellanus. Quod si Tofellanus mons à M. Tofellano ità dictus, aliqua ex parte aciem perstringat, atque retineat, vt occidentis oram nequeamus intueri, tanta nihilominùs est olearum, vinearum, nemorum frequentia, vt pulcritudinem prospectui addat magis desiderabilem. Nec cœli inclementiam aliqui in medium proferant, cùm Claudium Imperatorem vt conualesceret Suessam se contulisse Cornelius Tacitus scribat.

Illustres viri. Doctos viros habuit, Lucilium Poetam, qui satyras conscripsit, Neapoli sepultura donatum. Antonium Calcilium Grammaticum, atque Poetam insignem, qui multa in humanioribus studijs volumina Vallæ ætate absoluit. Franciscum Taccionum iureconsultissimum, qui Regni ritus conscripsit. Nicolaum de Cistis, & Bartholomæum filium, qui de arte medendi, & de naturalibus quæstionibus multa volumina ediderunt. Nicolaum Antonium Marinum, qui Patauij in publicis scholis philosophiam professus est, quem virginem decessisse affirmant. Augustinum Niphum, & Vincentium fratrem, quis non nouit? Addo & Ioannem de Bruno, & Galeatium Florimontium Episcopum Aquinatē, deindè Suessanum. Cæsarem Ferantium Episcopum Termolensem, Lelium Landum Episcopum Narbonensem, Lelium Sessam doctissimum virum Prothonotarium Apostolicum. Antonium Campanum Episcopum Aprutinum.

Episcopi. Ab hinc annos 487. Episcopatus Suessæ institutus est. Norunt Franciscum Guastaferrum Caietanum, qui 40. annis præfuit. Bartholomæum Albanum, Galeatium Florimontium, Cardinalē Crispum, qui Placido Senensi renunciauit, cui, cum anno 1590. obijsset, Alexander Riccardus Fundanus successit.

LINTERNVM Silio & Melæ, alij Liternum habent, Ptolemæus Λιτεῖνον. In Campania littoralis vrbs, Romanorum Colonia,

Colonia, Scipionis Africani ſepulcro celebris. Fluuij quoque nomen apud Strabonem, quod & Liris à quo Minturnæ alluebantur. Et Linternam paludem habet Silius.



CVMAE. Cap. XX.



ON Cumanas deſcribimus inſulas propè Cubagas, & Terarequas ad Septentriones, *Lib.6.Hiſt.* in quibus conchas margaritarum vrinatores expiſcantur, vt ait Bembus; non Cumanam *Lib.4.hiſt.* regionem Perù littoralem, in qua homines parum vident, cùm nebulæ in eorum oculis generentur, vt ait Cardanus; non Cumanos, *De rer. var. lib.1.c.4.* Cumaniæ populos, Vngaris finitimos, qui deſciuerant ad Tartaros, vt ait Bonfinius; ſed CVMAS exiguum oppidum *Lib.3.Dec.2.* at munitiſſimum & non facile expugnatu, vt ait Agathias (qui *Lib.1.* πόλισμα Ιταλικὸν illud appellat) quodq. plurimorum Ducum virtuti obſtitit, & paulò poſt annum octuageſimum belli Troiani abſoluti, vt placet Paterculo, anno mundi 4113. vt Euſebio, *Lib.5.*

Chalcidenſes ædificarunt. Chalcidenſibus & Cumæis tribuit Lib. 6. Strabo, Χαλκιδαίων καὶ Κυμαίων παλαιότατον κτίσμα. Eretrienſibus, & Chalcidenſibus Dioniſius Halicarnaſſeus. Andrijs & Chalcidenſibus aliqui, Plutarchi auctoritate in Quæſtionibus Græcis freti, ſimul enim Colonias deduxere. Euboeenſibus Solinus, & Virgilius, Lib. 6.

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Qui profectò ijdem ſunt, nam Chalcis Euboeæ ciuitas eſt. Lib. 8. Dec. 1. Liuius; *Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt.* Atque Lib. 12. in eo loco Silij Italici,

—— regreſſus ad altos
Inde Pherecyadum muros ——

docti viri aiunt Cumanos, & Neapolitanos Pherecyades dici, à Pherecyde eorum duce. Euſebius in Chronicis ſcribit; *Mycena condita in Italia, quæ nunc Cumæ.* Opus eſt oraculo.

Situs.

Dionyſius in Opicis oppidum collocat, qui ſecunda pars Campaniæ erant poſt Auſones, qui primi numerabantur, vt initio primi huiuſce primi tomi libro docuimus. Sed Opici ab Oſcis, Oſci à Chalcidenſibus, Chalcidenſes à Tuſcis eiecti. Veluti ſpeculam Tyrrheni maris arduo & difficilem aditum habente colle, vt deſcribit Agathias, ad cuius pedes fluctus illiſi frangerentur, quos Prochyta antè ſita effundere videtur, eam vrbem Græci ædificarunt. Dùm meridiem inter duos lacus Licolam, & Acheruſiam ſpectat validiſſimis turribus, atque propugnaculis munita, ad boream collibus ambitur, quæ vallem efficiunt. At verò inter colles oſtium à Natura relictum, Arcus Felix. porta, arceq. ſplendidiſſima coniunxere, quam Arcum Felicem vulgus nominat, ſtructuræ amplitudine, longo fornice, ædificiorumq. ſplendoribus huiuſmodi contecta, vt admirationem illicò intuentibus afferat. Ibi Apollinis templum exædificatum fuiſſe non vereor, de quo Virgilius,

Arces quibus altus Apollo præſidet ——

alia enim huius loci altitudo eſt, quàm quæ in rupe littorali cernitur,

cernitur, quæ ima quidem & profunda est, si hunc locum aspexeris; neque munitiorem arcem Cumani habuere, quacum colles veluti muri vallem omnem quasi vallum circumplectuntur. Validior ideo vrbs (licet parua) habita est, quam posteà Gotthi sibi ad seruandos thesauros parauerunt. In ea valle quæ sub Arcu Felici est, & quæ ad vrbem ducit, planitiem ruinis, templorumq. & theatri vestigijs refertam cernes, sub qua non vereor multa admirabilia contineri. Cùm anno 1606. Alfonsus Pimentellus Prorege à Carolo Spinello summæ prudētiæ equite percunctatus esset, quo pacto statuas aliquot Puteolis in Hispaniam transferre potuisset? in memoriam Spinello venit ab aratoribus, qui agrum Cumanum colunt accepisse, aliquot marmorum & statuarum fragmenta, in media illa planitie in qua sementes factæ fuerant esse visa. Quapropter cum ab Octauio de Aquauiua Cardinali & Archiepiscopo Neapolitano, ad cuius Ecclesiam ager totus ille pertinet, petijssent vt fodere in ijs locis liceret, libentissimè Princeps ille Romanus, Hispano Principi concessit. Nec mora. Operæ fodiendo comparantur. Vix terram sub sementibus penetrarunt, cùm templum ferè integrum repererint, licet in ruinas collapsum. Pauimentū, atque parietes ex nitido marmore erant, quos prægrādis Corinthico ordine Corona circundabat; eodemq. ordine columnas, atque epistilia, tùm depessa imaginum simulacra, quæ aut numina, aut folia doctissimè sculpta referunt, in quibus Satyrum formosissimum notaui, atque cicadam rostro Panis fistula canentem, præter sexcenta alia quæ aut Græcorum, aut Latinorum ingenia patefaciunt, vtrosque enim opus illud artifices habuisse, sculptura planissimè ostendit. Hæ quidem repertæ Statuæ sunt, Neptunus barbæ pilos cœrulea tinctura habens infectos; Saturnus vel Priapus, falcis enim manubrium tenet; Vesta cum tutulo; Castor nudus ac pileatus, cuius mentum parua lanugo conuestit; Apollo crinitus ad cuius pedes stat cignus; Hercules cum claua, cuius caput eiusdem clauæ corona cingitur; Aesculapius, vel fortasse Romulus; Octauij Augusti colossus, quo pulcrior videri non posse mihi persuadeo; venustissima nuda Venus;

Statuæ Cumis repertæ.

Venus;

Venus; Duo ſigna Conſulari habitu; Pallas optimi ſculptoris opus; Imperatoris ſimulacrũ armatum, in cuius pectore ſphynx eſt, quamobrem Domitianum arbitrabar (vultus enim mancus mutiluſq. eſt) antequam epigramma inueniſſem in quo erat, DRVSI. CAESARIS. Iuuenis cuiuſdam imago, qui præter vittam quam in fronte habet, tenui atque preſſa interula veſtitus eſt, & Zona depicta cinctus. Sunt & aliæ muliebri veſtitu imagines; atque in duobus rotundis lapidibus duo Conſules pater atque filius, qui annulos in digitis geſtant, ſub quibus hæc erat inſcriptio,

C. SATRIO. C.F. CILONI. C.SATRIO. C.F. FORTVNATO. AMPIÆ. SATRI. C. SATRIO. C.F. LAVTO.

& in alijs fragmentis,

O. ET. FORTVNATVS
IA. FIL. ET. AMPIA.

Agrippam verò opus illud extruxiſſe, & Auguſto dicaſſe, hi characteres efficiunt vt credam,

LARES. AVGVS
AGRIPPA.

et,

POTESTATIS. D.
AGRIPPA.

In alia marmorea parua baſi legitur,

P. AVIVS. HEDVS
D. D.

Aliqui Xyſtum illum, vel Baſilicam arbitrantur, quippè ad Boream templi cui coniuncta fuerat, maximum veſtigium cernitur. Baſilica verò fuerit'ne, vel templum, præclarum ædificium fuiſſe omnes qui viderint affirmabunt.

Antiquitas.

Lib. 5. Παλαιότατον, appellat Strabo, quod omnibus Italicis, Siculis, Græciſq. Colonijs deductis antiquitate antecelleret. Et vt nomen

men originemq. ostenderet, duos classis ductores nominat, Hippoclem Cumæum, & Megasthenem Chalcidensem inter se qui ità conuenere, vt alterius esset Colonia, alterius Coloniæ appellatio. Atque ità Chalcidensibus Colonia debetur, nomen verò Hippocli. Eòsdem Cumanos anteà in Siciliam appulisse, & condidisse Zanclam scribit Eusebius ducibus Periere Cumano, & Cratæmene Chalcidense. Quæ cum ijs quæ scripsit Pausanias in Messenicis non conueniunt; Ζάγκλην δὲ τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς κατέλαβον λῃσταὶ, καὶ ἐν ἐρήμῳ τῇ γῇ τειχίσαντες ὅσον περὶ τὸν λιμένα ὁρμητηρίῳ πρὸς τὰς καταδρομὰς καὶ ἐς τοὺς ἐπίπλους ἐχρῶντο, ἡγεμόνε δὲ ἦσαν αὐτῶν Κραταιμένης Σάμιος, καὶ Περιήρης ἐκ χαλκίδος; *Zanclam ab initio prædones tenuere, castellum enim deserto loco circà portum, & excursionum maritimarum receptum quo ex alto appellerent, munierunt. Eorum duces fuere Cratæmenes Samius, & Ghalcidensis Perieres.* Aut enim antè Messeniorum bellum Zancle ædificata fuerat, aut duo illi duces non Cumanos, sed Messenios duxerunt. Strabo primam opinionem ex Antiocho refert. Est autem Cuma Aeolica vrbs in agro Locrensi, Aeolicarum vrbium maxima, Hesiodi Poetæ, & Ephori historici Isocratis discipuli patria, & fortasse Homeri, vt innuit Strabo, & Aretinus in libello de mirabilibus Puteolanis, à Cumæis Homeros, cœcos esse dictos asserit ab Herodoto mutuatus in libello de vita Homeri; ἐντεῦθεν δὲ καὶ τοὔνομα Ὅμηρος ἐπεκράτησε τῷ Μελησιγενεῖ ἀπὸ τῆς συμφορῆς. Οἱ γὰρ Κυμαῖοι τοὺς τυφλοὺς, ὁμήρους λέγουσιν; *Atque hic primum Homeri nomen Melisigeni inditum; à cæcitatis videlicet calamitate. Nam Cumani cæcos, Homeros dicunt.* Cumam Sami sociam facit Appianus in Syriacis, meminitq. Thucidides. Sic autem dicta à Cyme Amazone, vt ait Stephanus, qui conrrà Lesbum eam describit; ἐκαλεῖτο δὲ Ἀμαζόνιον. Et Pomponius Mela; *Cymen nominauit (pulsis qui habitabant) Dux Amazonum Cyme.* Sed paulò post Stephanus eiusdem nominis vrbem in Italia ponit; ἐστὶ δὲ καὶ ἑτέρα Ἰταλίας, ταύτης τὸ ἐθνικὸν Κυμεύς. Alias etiam in Pamphilia, in Phryconitide, & in Elide collocat. Insulam prætereà hoc nomine appellat ad Siciliam. Originis vetustatem ab antiquissima

Zancla.

Cuma vrbs Aeolica.

Cap. 13.

Homeri dicuntur cæci.

Lib. 3.

Sili. lib. 3. quissima Eubœæ Cyme proposui. Quare Statius, Cymen Cumas dixit.

—— *Ausonij pridem laris hospita Cyme.*

Felicitas.

Fortunatam vrbem initio fuisse Cumas Strabo scribit, nec alia de causa in Phlegræis campis Gigantum ortam esse fabulam, quàm ob agri fertilitatem, cœliq. amœnitatem, quibus certatim sibi locum vindicare multi conati sunt. Eius verba hæc sunt; Πρότερον μὲν οὖν ηὐτύχει καὶ τὸ φλέγραιν καλούμενον πεδίον ἐκ τοῦ περιμάχητον τὴν γῆν εἶναι διὰ ἀρετήν; *Atque ab initio quidem vrbs ea fortunata fuit; & quæ de Phlegræis campis fabulantur, ac re ibi cum Gigantibus gesta, non aliundè videntur orta, quàm quod eam regionem ob soli virtutem multi sibi certatim vindicarunt.* Tantæ felicitati obfuerunt Campanorum, & pestis iniuriæ, & calamitates. A Campanis multis contumelijs affecti sunt Cumani. Haud multò post maxima sunt peste afflictati, quo circà alias sedes querere coacti sunt.

Campani hostes Cumanorum.

Nomen.

Ab augurio grauidæ mulieris, quam dormientem inuenerunt cùm primùm ex Pithecusis discedentes vbi post varias nauigationes constiterant, Cumas esse dictas putant, κύειν, enim vterum ferre significat, quod κυοφορεῖν etiam dixit Lucianus. Et κῦμα, pro κύημα, per crasim id significat, quod in vtero gestatur. Alijs, ἀπὸ τῶν κυμάτων, ab vndis; ὠνομάσθαι δ' ἔνιοι Κύμην ἀπὸ τῶν κυμάτων φασὶ. ῥαχιώδης προσεχὴς ὁ πλήσιον αἰγιαλός; *Sunt qui à fluctibus* (hi enim Græcis κύματα) *factum vrbi nomen putent. Est enim vicinum littus scopulosi instar dorsi mari obiectum.* Quod ab Agathia supra dictum retulimus. Seruius lib. 3. Aeneid. ibi,

Hic ibi delatus Cumæam accesseris vrbem.

vtramque amplectitur opinionem. *Eubœa* (inquit) *insula est, ex cuius ciuitate Chalcide Coloni profecti sunt ad nouas sedes quærendas, & haud longè à Baijs (qui locus à socio Vlyssis Baio illic*

illic sepulto nomen accepit) inuenerunt vacuum littus, vbi visa muliere grauida (quod illi fœcunditatis augurium interpetrabantur) ciuitatem condiderunt, quam Cumas appellauerunt, ἀπὸ τ̃ κύοντος, hoc est à prægnante; siue ab vndis quas Græci κύματα appellant. Quod si quis Chalcidensium nauigationi tribuendum existimauerit, non displiceret, Cumas quietem significare, cùm post tot maris labores in eo tandem colle quieuerint. κυματίζειν enim, idem quod vndis agitari. Et Ephorus qui in rerum gestarum enumeratione cùm nihil haberet, quod à suis diceret gestum, & tamen patriæ vellet mentionem facere, acclamauit, Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Κυμαῖοι τας ἡσυχίας ἦγον; *Eo tempore quieti erant Cumani.* Sed nomen ad antiquam Cymen refero, quam Atheniensem fuisse Neapolitanorum qui à Cumanis profecti sunt, nummus ostendit, *Strab. lib. 13.*




nuper à Ioanne Baptista Macedonio repertus, in quo Noctua depicta Atheniensium, Cumanorum, & Neapolitanorum originem patefacit.

Cumæ tyrannide occupatæ.

T. Geganio Macerino, & P. Minutio Cos. cùm grauior annona Romanam vrbem inuasisset, à Senatu in Etruriam, Campaniam, agrumq. Pomptinum Legati ad quam maximam frumenti copiam coemendam, missi sunt. Quibusq. dominabantur oppidis Tyranni. At in Sicilia Gelo Denomenis filius, Cumis verò Aristodemus, cui cognomen Malacho, quòd effeminato esset animo. Effeminatum verò, & eum qui muliebria patitur, μάλακον, dicebant. Is ad tyrannidem huiusmodi euectus est. Inuidebant Etrusci, Vmbri, Daunijq. Cumanorum fœlici- *Anno 322. apud Liu.*

LIII tati

tati tribus de caussis. Quòd diuitijs & potentia ceteris Italis præstarent. Quòd Campaniæ felicissimam partem possiderent. Et quòd propè Misenum munitissimos portus haberent. Quamobrem eius vrbis euertendæ desiderio accensi, comparatis ijs omnibus, quæ ad profectionem pertinerent, cum quingentis equitum,& decem & octo peditum millibus,obsidionem parant. Castris non longè positis,inaudito prodigio Vulturnus & Glanis flumina à naturali cursu ab ostijs ad fontes sunt reuocata. Quæ res tantos Cumanis fecit animos,vt nec timore,nec hostium copijs perterriti, & quòd homines inimico animo ab iniuria & maleficio non temperaturos existimabant, nihil sibi antiquiùs quàm fortiter pugnare sibi persuaserint. Tripliciq. acie instructa, quarum vna vrbis, alia nauium præsidio relicta est; tertia quæ ad mœnia hostem exciperet. Vbi prœlium Barbarorum clamore indici Cumani animaduertunt, (barbaros qui Græci non erant appellabant) tanto impetu hostium phalanges, quæ tumultuarijs signis accedebant, adorti sunt, vt & virium robore freti,& iniquitate loci quæ inter vallis angustias ijs erant impedimento, manus tàm acriter conseruere,vt paucis militibus ingentem barbarorum numerum profligarint. Accedit eo quòd Græcis cœlum ipsum fragore, & tonitribus, imbribusq. opem tulisse visum est, vt victoria eos potituros significaret. Inter prœliantes Aristodemus summa virtute enituit, qui cum parato animo hostium impetum sustinuisset, ipsum Etruscorum Ducem, aliosq. quamplurimos interemit. Parta igitur victoria, sollemnibus sacrificijs factis,iustisq. pro ijs qui in pugna ceciderant persolutis, inter Cumanos disceptatum, cui nam victoriæ gloria esset deferenda. Senatus, Hippomedonti Equitum magistro, plebs Aristodemo fauebat. Sed ne ciuilis discordiæ ambitione ducti arma caperent, Aristodemum plebi præfecerunt, qui & dicendi facultate qua plurimùm poterat, & largitionibus quibus omnium beneuolentiam consectabatur, plebis animos quæ his artibus facilè capitur, maximè sibi conciliarat. Cumq. Aricini à Cumanis contrà Etruscos auxilium peterent, quorum Rex Porsena Aruntem filium cum

Prodigium in fluminibus.

Græcorum victoria.

Hyppomedon

Aristodemus.

copijs

copijs miserat, vt Imperium sibi quæreret, Optimates occasionem nacti vt Aristodemum perderent, duobus millibus militum præficiundum curarunt, sic enim illum posse occumbere arbitrabantur. Qui tamen selecta Cumanorum manu socijs victoriam adeptus est, multaq. ex ea pugna præclara prædæ monumenta reportauit. Indè odium sibi apud suos est concitatum. Sed vt omnem fortunam superaret, conuocari Senatum iussit, vt quæ gesta essent explicaret, & coniurationis socijs adhibitis, cum primùm de Republica & bello agi cœptum est, irrupere sicarij, qui Optimates ad vnum iugularunt. Tunc solutis ex vinculis ijs qui capite damnati erant, & Etruscis iuuenibus captiuis ad sui corporis custodiam constitutis, habita ad populum concione, de diuidendis agris, & de soluendo ære alieno primum egit, quibus popularium animos est aucupatus, atque huiusmodi annuentibus ijs, principem ciuitatis locum obtinuit. Arma in Deorũ templis vt deponãt hortatur & persuadet, facilè indè posse ea repeti, si quandò opus esset. Quòd si quid armorum aliquis occuleret, in eo scelere contrà edictum comprehensus, illicò interficiebatur. Comparato igitur ex perditissimis ciuibus, & seruis dominorum cæde pollutis satellitio, duobus quoque militum millibus mercede conductis, Tyrannidem confirmauit, bona interfectorum inter sceleris ministros diuisit, filios eorundem vrbe excedere iussit, coniuges interemptorum seruis nubere compulit. Qui deinceps sceleribus, sordidis moribus, & crudelitate Principatum dedecoris infamia deturpauit, & Gymnasia, armorumq. exercitationes quibus florebant Ephebi, sustulit. Cincinnis, reticulisq. iuuenum capillos religari (quos Coronistas appellatos ait Plutarchus) calamistris componi, cerussa purpurissari, talaribusq. pictis togis indui iussit, vt more virginum Cumana pubes in vmbra degeret, saltatorum & tibicinum illecebris detineretur, & vteretur balneis & vnguentis; & feminæ abraso capite, deposito capillorum ornamento, breuibus suprà crura tunicis se amicirent, fragrarent odoribus, omnem porrò virilem cultum corrumpens. Quo circà in tantam omnium inuidiam raptus est (quòd ipsa scelera

Aristodemũ perdere cogitant.

Aristodemus tyrannidem confirmat.

Aristodemi luxuries.

Opusc. de mul. virtute.

ſceleſtos odio habere conſueuerunt,) vt tandem aliquandò graues Dijs hominibuſq. iam ſenex pœnas dederit, cum xiiij. annos Tyrannidem obtinuiſſet. Regiam exules qui Cumis degebant aggreſſi, vel potiùs filij ab ipſo cæſorum qui Capuæ erant, & Hippomedontis Magiſtri equitum filij cũ multis cohortibus ſequuti, ſomno vinoq. ſepultos cuſtodes inuentos, omnes more pecudum obtruncarunt. Et ad Optimates res Cumana redijt.

Xenocrita.

Alij Xenocritæ factum tribuunt. Hæc mulier quam ardebat Ariſtodemus, ægrè ferens à Tyranno nõ vtili opere, ſed vt ciues ærumnis & labore conficeret, agrum Cumanum perpetuis operibus vexari, & foſſis cingi; patriæ libertati ſtudens, cùm diſcedente aliquandò Ariſtodemo vultum deflexiſſet, & alij adoleſcentes operi tyrannico occupati, percunctati eſſent, Quid malum Ariſtodemo tantùm oculos & vultum aperiret? reſpondit; Propterea quòd vnus inter Cumanos Ariſtodemus vir eſt. Vos pecora, an mulierculas appellem? Quid malum vos effeminato animo, truculenti hominis mores ferre poteſtis? Hæccine Cumanorum audacia? Quibus verbis commotos ad libertatem recuperandam eos vehementer inflammauit, & coniurationis principem Timotelem ad eum opprimendum iuuit, cùm Regiæ foribus ab ipſa noctu patefactis, cum coniuratis manus ipſa quoque in Tyrannum inieciſſet. Cui cùm magnos honores & dona ciues pollicerentur, quoniam Cumas in libertatem priſtinam vindicauerat, repudiatis omnibus, hoc tantùm petijt, vt corpus Ariſtodemi per ciuitatem ſibi efferre liceret recuperatæ libertatis Trophœum. Quod licuit, & in Cereris Sacerdotem eam elegerunt.

Ariſtodemi cædes.

Xenocrita Cereris Sacerdos

Exules. Tarquinius.

Viuebant ea ætate exules, qui cum Tarquinio Rege Roma profugerant Cumas. Hi ad ſupplicium Legatos frumentarios vocarunt, detentis nauibus, vtq. Tyrannus annueret, miris modis petiere. Sed infecta re poſtularunt vt ſaltem ſibi liceret pi-

gnoris

gnoris loco eorum corpora detinere, donec ab vrbe Roma, quæ eos miserat, bona reciperent, quæ à populo Romano iniustè publicata dicebant, ipsumq. Tyrannũ litis iudicem constituerunt. Negantes Legati sese publicæ causæ agendæ potestatem vllam habere, & ab Senatu ad frumentum comparandum tantummodò missos asserentes, cùm animaduerterent Tyrannum esse in exules propensiorem, dùm ad dicendam causam tempus esset erogatum, Cumis aufugerunt. Ibi Tarquinius obijt. Petrarcha in Itinerario; *Ad læuam cuius humili colle Sibyllæ patriam videbis, vbi Tarquinius Superbus regno pulsus, tandemq. Tuscorum & Latinorum destitutus auxilijs, exul obijt.* Pleriq. Comi ad Mediolanum vocis similitudine decepti asserebant. Eutropius verò tertio anno post Reges exactos, cùm Tarquinius suscipi non posset in Regnum, neque ei Porsenna, qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium præstaret, Tusculum se contulisse scribit, ibiq. per xiiij. annos priuatum cum vxore consenuisse. Lapidem Tarquinij Collatini Cumis repertum seruat Neapoli Marcellus Girardus, quem in antiquis monumentis retulimus. *Tarquinius obit Cumis.*

Cumanorum hostes.

Haud diù post Tyrannidem eiectam, Cumanis ocium fuit. Athenis enim Acestoride, Romæ Cæsone Fabio, & T. Virginio Coss. Etrusci (ijdem & Tyrrheni) Phœnicum coloni, inito cum Pœnis fœdere, aduersus Cumanos terra mariq. bellum concitarunt. Et cùm ij eorum impetum substinere non posse confiderent, ad Hieronem Syracusanum Legatos miserunt, qui ab eo impensè peterent, vt opem atque auxilium calamitoso tempore afferrent. Is confestim paratam classem cõtrà hostes misit. Consertoq. certamine, Syracusani victores euaserunt. Atque ità Tyrrhenis partim cæsis iuxtà Himeram flumen, partim fusis submersisq. Siculi Cumanos ab hostium crudelitate eripuerunt. Florere rursus res Cumana cœperat, cùm nouum illis cũ Campanis bellum oritur, quos dominandi libido incesserat. Et anno ab V. C. 335. quo tribunitia primum Comitia habita sunt, *Fœdus Etruscorũ, & Cumanorum. Siculi Cumanos iuuant.*

ſunt, creatiq. cum Conſulari poteſtate Patricij L. Quinctius Cincinnatus tertium, Sex. Furius Medullinus iterùm, M. Manlius, & A. Sempronius Atratinus, inter bellorum difficultates à Campanis Cumæ, quam Græci tùm vrbem tenebant, captæ ſunt, vt ait Liuius. Multa in eos iniuriarum exempla Campani ediderunt, qui odio Vatiniano eos inſequebantur. illud verò præcipuum exiſtimo, quod tamen liberalis animus abhorret, quòd γυναιξὶν αὐτῶν συνώκησαν αὐτοὶ, vt ait Strabo; *Rem cum eorum vxoribus habuerunt.* Indignum facinus; quod nec latronum, aut prædonum ſæuitiæ conuenit. Anno deinde 539. antè CHRISTVM natum 213. Cumanorum conſtantia Campanos impulit ad eos ſolicitandos, vt à Romanis deficerent. Arbitrabâtur enim hoc ſceleris genere maiorem calamitatem, quam aliorum bello conſequuturos. Quod cùm ij non ſibi eſſe faciendum decreuiſſent, dolum compararunt (vt Liuiani verbis vtar) quem huiuſmodi commenti ſunt. Conſueuere Campani ſtatis anni temporibus ad Hamas ſiluam, quam Gallinariam dicunt, fruticoſis virgultis frequentem & arboribus, indigentem aquis, in qua Sex. Pompeij Præfecti nauigia ædificarunt, cùm Sicilia à Romanorum Imperio deſciuiſſet, ſacrificia perſoluere. Nunciarunt Cumanis in eum locum Senatum Campanum venturum, rogantes vt etiam Cumanus conueniret, & vnà decernerent, vt eoſdem vterque populus ſocios hoſteſque haberet. Armatos prætereà ibi futuros ne quid noui Romani molirentur. Ad Linternum interim T. Sempronius Gracchus Romanus Conſul caſtra poſuerat. Legationem Campanorum Romano Conſuli Cumani patefecerunt. Is Cumanis iuſſit vt intrà mœnia ſe continerent, & quæ in agris bona diſperſa habebant, in oppidum comportarent. Copias ipſe Cumas ducit. Campani ad Hamas confertim accedunt, in quam ſe abdiderat cum xiiij. millibus militum Marius Alfius, qui ſummus Magiſtratus Campanis erat. Cùm ſacra nocturna fierent, ſilenti profectus agmine Gracchus ad Hamas nocte intempeſta peruenit. Caſtra Campana à militibus relicta inuadit. Hos quidem ſomno ſtratos, hos verò inermes obtruncat. Ad duo millia hominum,

Campanorũ iniuria in Cumanos.

Lib. 5.

Legatio Campanorum.

hominum,& cò ampliùs,cum ipſo duce Alfio cæſa. Caſtris hoſtium potitus,Cumas continuò ſe recepit, Annibalem metuens qui ad Tifata cum exercitu conſederat. Nec eum prouida fefellit opinio,quandò Annibal celeriter ad Hamas caſtra mouerat, Conſulem ibi Romanum opperiri ratus. Profectus cùm in eam ſiluam nequicquam eſſet, aliorum monitis & precibus impulſus, poſtridiè eius diei oppugnaturus oppidum, Cumas proficiſcitur. In agrum Cumanum Pœni exarſit ira, quo vaſtato, operibus & obſidione Gracchum oppugnabat, qui hoc pacto victor euaſit, quo Liuius narrat; *Aduerſus ligneam ingentem turrim admotam vrbi,aliam turrim ex ipſo muro excitauit aliquantò altiorem; quia muro ſatis per ſe alto ſubiectis validis ſublicis pro ſolo vſus erat. Indè primùm ſaxis ſudibuſq. & ceteris miſſilibus propugnatores vrbem ac mœnia tuebantur. Poſtremò vbi promouendo adiunctam viderunt turrim, facibus ardentibus plurimum ſimul ignem coniecerunt. Quo incendio trepida armatorum multitudo, cum de turri ſeſe præcipitaret, eruptio ex oppido ſimul duabus portis facta, ſtationes hoſtium fudit, fugauitq. in caſtra; vt eo die obſeſſo quàm obſidenti ſimilior eſſet Pœnus.* Cumæ obſidione liberatæ. Protendiſſe hanc victoriam ſcribit Iulius Obſequens, mare quod arſit,& bouem, qui equuleum peperit ad Sinueſſam. Poſt ea tempora Cumanos cum Senatu Campano conueniſſe aliqui arbitrantur, nam in eorum portu claſſem Campanam receperunt. Erat in foro Campanæ vrbis olim lapis, deindè ſublatus, in quo hæc legebantur, *Cumæ recipiuntur.* *Obſidio Cumana.* *Lib.3.Dec.3.*

L. MAGIO. L. F. CAMPANO
ALIGERO. XII. LEGIONIS. FRETENSIS.

quibus milites qui in freto verſabantur maritima claſſe notari docti viri ſibi perſuaſerunt. Nec illud in mentem venit, Fretenſem Legionem inter xxv. Legiones eſſe numeratam, quæ ab Auguſto per Romani Imperij fines fuerant conſtitutæ, & milites Fretenſes à Fortia Sarmatiæ vrbe eſſe nominatos, qui Fretenſes,Eufratenſes,& Fratenſes dicti ſunt. Apud Marcellinum, Tricoſimani, Decimaniq. Fortenſes. *Legio Fretenſis.*

Pœni.

Pœni.

Lib. 1.

Pœnorum aliàs furorem Cumanos fuiſſe expertos Polybius videtur innuere. Cùm enim Siciliæ loca Amilcar occupaſſet, quam Carthaginenſes claſſi præfecerant, maritimam Italiæ oram ad Cumarum regionem vaſtauit; Πρῶτον μὲν γὰρ ἐντεῦθεν ὁρμώμενος κατὰ θάλατταν, τὴν παραλίαν τῆς Ιταλίας ἐπόρθει μέχρι τῆς Κυμαίων χώρας; *Nam & mari ſæpè ab eo loco delatus in maritimam Italiæ oram Cumas vſque populatus eſt.*

Gotthi.

In hoc oppidum veluti munitiſſimum Totilam, & Teiam Gotthorum Reges quicquid prætioſæ ſupellectilis habebant, repoſuiſſe ſcribit Agathias, iiſq. præfectum Aligernum cum Herodiano anno C. 552. alij quoque ſcriptores prodiderunt. Quapropter Narſes quam maximis potuit itineribus Cumas contendit, vt Regijs theſauris occupatis, Italiam præcipua Gotthorum ſede deuaſtata, miſeria liberaret. Aligernus autem Teię qui iam bello ceciderat minimus natu frater, quamuis labefactatam Gotthorum potentiam eſſe intelligeret, tanto tamen animi robore, tantoq. militari conatu cum reliquis Gotthis oppidum tutatus eſt, vt Romanus de victoria iam deſperans, in Florentinos, Centumcellanos, & Volaterranos vires intenderit, paucis ad Cumas in obſidione relictis. In qua illud memorabile notatur, quòd Aligernus Palladium, qui apud Narſetem ob corporis vires plurimùm poterat, dùm audacter murum conſcendiſſet, lorica indutum, cum ipſo etiam ſcuto tranſuerberauit; tantum ſibi virtutis Aligernus arcu comparauerat. Agathias inter cetera in ea obſidione hæc deſcribit; Narſetem ſuos adhortatum, exercitum oppido admouiſſe. Illos verò cùm in editiorem collem maximo labore conſcendiſſent, & ad propugnaculum acceſſiſſent, contorquendis iaculis in eos qui ad pinnas murorum conſiſtebant omnibus viribus incubuiſſe, funditores petrarum tempeſtatem excitaſſe, & machinas omnes quæ oppugnationi vſui eſſe ſolent, muros fuiſſe admotas. Aligerni verò

Lib. 1.

Narſes Cumas contendit.

Romani Cumis repelluntur.

Aligernus Palladium occidit.

verò milites è muris ad intermedia turrium ſpacia confertim nihilo ſegniùs iacula & tela retorquentes propugnaſſe, ſaxorum moles in ſubeuntes proieciſſe, ſecuribus, contibuſq. acriter vulneraſſe, nihilque omninò quod ad hoſtium violentiam propulſandam valeret, omiſiſſe. Tunc Aligerni iactus maximè fuiſſe cognitos, quandò ſagittarum ſtridore & immani velocitate, ceteris eum viribus præſtare omnes prædicabant. Difficilis idcircò obſidio reddita eſt. Turpe Romanis videbatur poſt tot labores oppidum in ſuam poteſtatem non redegiſſe. Turpe Gotthis deditionem facere. Ex antro igitur Sibyllæ, cui pars murorum nitebatur, in ſpem venit oppido potiturum. Exſciſſo antri conuexo,& erectis tignis in ordinem ſubſtitutis,quæ muri pondus ſuſtinerent, ne reſoluta compages corrueret, atque milites opprimeret, foliorum aridorum ſtrue adhibita, & immiſſo igne, ex antro exceſſerunt. Excitata flamma, ſuſtentacula conflagrauit. Quæ cùm ceſſiſſent ponderi, murus quoque deiectus eſt. At Gotthi corporibus mutuo murum ſtruentes, ſeſe tanto impetu obiecerunt hoſtibus, vt potiundi oppidi ſpe abiecta, ad Florentiam, vt diximus, caſtra mouerint. Francorum verò in Italiam aduentu Aligernus commotus, Romanos obſidentes monuit, optare vt ſibi ad Narſetem aditus pateret. Quod cùm Narſes reſciſſet,libentiſſimè annuit, proptereaquòd illud vnum maximè optabat, vt in Romanorum poteſtatem oppidum redigeretur. In agrum Rauennatem tunc profectus eſt,& ad Claſſes (locus in eo agro eſt) Narſetem nactus, Cumarum claues illi tradidit. Benignè & liberaliter ab eo acceptus eſt. Pars copiarum Cumas introducta. pars, ad vicos & caſtella ſeceſſit. Cùm Neapolim Totilas obſediſſet, cui erat præſidio Conon, partem exercitus Cumas miſit, in qua ciuitate mulieres ex nobilitate Romana cepit, liberaſq. parentibus & viris remiſit. Nauclerus Gener. 19.

Longobardi.

Romoaldus II. & IX. Dux Beneuentanorum anno 715. vt ſui Imperij fines propagaret, arcem Cumanam aggreſſus, arce

& oppido potitus est. Mox à Ioanne Neapolitanorum Duce, & Theodimo Subdiacono & Correctore (vt appellat Anastasius Bibliothecarius) oppidum receptum, & Longobardi penè ccc. cum eorum Castaldeo occisi. Scribitq. Paulus Diaconus, Gregorium V. Pontificem Max.vt eam arcem recuperaret,auri libras exoluisse,quas hac de causa Neapolitanis pollicitus fuerat. Sæuientibus in Puteolos Nortmannis, in Cumanos quoque sæuitum esse, credendum est.

Neapolitani.

A Neapolitanis hoc pacto euersas Cumas scripsere. Cum anno 1207.Theuthonorum latrocinia, atque iniuriæ totam ferè Campaniam vexarent, atque ità vt nauigatio conquiesceret & agricultura desereretur, idq. plurimùm Neapolitanis displiceret, inito consilio, tandem decretum est vt milites per pagos, vicosq. distribuerentur, qui ab eorum maleficio Neapolim, & Campaniam defenderent. Quamobrem opem quoque ex toto Regno proceres Neapolitanis tulerunt. Cùmq. Goffridus è Montefusculo viribus animi & corporis pollens,nobilitate clarus, & affinitate Neapolitanis equitibus coniunctus, qui ad eam rem incumbebat, Cumas noctu cum lecta militum manu aduenisset, ab Auersano Episcopo, in cuius potestate oppidum tunc erat,in arce hospitio liberaliter acceptus est. Auersani calamitoso, ac suspicionis pleno tempore permoti, quòd nobilem virum & factiosum ab Episcopo noctu introductum sibi persuaserant, secreti alicuius consilij conscium, vt aliquid ipsis detrimenti afferret,Cumas armatos miserunt ciues qui non tantùm dicerent se valdè mirari Goffridum Neapolitanum in arcem inconsultis ipsis fuisse receptum,sed etiam arcem huiusmodi tuerentur,vt nullo pacto potuisset à Goffrido occupari. At Goffridus nouitate rei perculsus,ab Episcopo per proditionem se circumuentum esse existimans, Auersanos ab ipso accersitos arbitrabatur. Quamobrem ne opprimeretur illicò ex arce in aliam se recepit domum,in qua cum ijs qui cùm eo venerant prouidè se continuit, misso celeriter nuncio, qui auxilium peteret suis.

Goffridus è Mõtefusculo.

Auersanus Episcopus.

Cùm

Cùm rumor percrebuisset, Comes Petrus è Lictera Goffridi affinis, comparatis copijs in Iulianum pagum contendit, vbi alij milites præsidio erant, atque ijs simul iunctis Cumas aduolauit. Quorum aduentu lætatus Goffridus, sacramento milites adegit vt capta turri, homines & fortunas in eius manus deuenire paterentur. Tùm illud quoque inter ipsos decretum, vt capta ciuitate, eam funditus euerterent, vt maleficij asylum auferretur, qua de re sæpiùs cum ipsis Auersanis sacramento adhibito actum est, nec vnquam negocium conficere potuerunt. Mox arcem aggressi in quam Auersani, & Episcopus se receperant, monitis prius vt indè decederent, & veluti inter se conuenerant deuastarent, cùm sibi illud non esse faciundum Auersani dictitarent, tandèm adhibitis ignibus alijsq. machinis, quæ ea ferebant tempora, cùm vix Episcopus ignes subterfugisset, arce potiti sunt, relictisq. ibi militibus qui ciuitatem diruerent, Goffridus & Petrus summa cum lætitia victores Neapolim rediere. Atque ità munitissimum oppidum, antiquitate præclarum, & Gotthorum firmissimum præsidium, quodque cum Campanis militari studio illustribus sæpius contendit, miserrimè interijt. Et veluti Gotthorum fortunas Romani, Narsete duce, indè extulerunt, sic etiam Neapolitani sanctarum reliquiarum tesauros veluti victoriæ pompam Neapolim reportarunt. Quòd ad viros illos illustres attinet, Goffridum, Innocentius Pontifex nobilem virum appellat, & semper profectò familia è Montefusculo Neapoli nobilissimè vixit. Petrus verò è familia Lictera, quæ & Licteria, & Locteria à ciuitate quæ non longè à Vesuuio dicta, is est Comes cui Federicus Imperator dùm Neapolitano regno potiretur, ad ædem Carmelitanam Neapoli, in qua familiæ antiqua monumenta cernuntur, agrum dono dedit, quem hac quoque ætate Comitis hortum dicunt. Letterensis ciuitatis domini fuere. Meminit Marinus Freccia dùm de Letterensi Episcopo loquitur. Meminere etiam Collenuccius, Carrafa, Constantius in historijs.

Petrus è Lictera.

Ad Abbatem S. Mariæ de Ferraria.

Lib. de Subf.

Romani. Paludes.

Fuerant anteà Cumæ Romana potentia & amplitudine oppressæ, idcircò in obscuros creuere vicos, maximè cùm Campania Romanorum Principum villis luxuriaret. Tùm Cumæ quasi vacuæ, ad secessum tenuiorum, & plebeiorum ciuium patebant. Iuuenalis, Cumas vacuas dicit, & Baiarum ianuam, dùm Vmbricij sui discessum ab vrbe dolet,

Cumæ vacuæ.


Quamuis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quòd sedem figere Cumis
Destinet, atque vnum ciuem donare Sibyllæ,
Ianua Baiarum est, & gratum littus amœni
Secessus ------

Ergo Neruæ temporibus, quibus Iuuenalis viuebat, vacuas Cumas cognoscimus; etsi deinceps ob loci munitionem Gotthis frequentes iterùm sint redditæ. Infrequentes factas esse arbitror, quòd palustribus littoribus contineretur,

------ *& loca fœta palustribus vndis*
Littora Cumarum ------

Quod etiam Strabo affirmat lib. 5. Πλησίον δὲ τῆς Κύμης, τὸ Μισηνὸν ἀκρωτήριον καὶ ἐν τῷ μεταξὺ Ἀχερουσία λίμνη, τῆς θαλάσσης ἀνάχυσίς τις τεναγώδης; *Cumis vicinum est Misenum promontorium, ijsq. interposita Acherusia palus, cœnosa quædam maris effusio, vt indè paludes ortæ videantur.* In Cumano numismate Rana est, palustria loca significans, cùm & Conchylia,





& Pa-



& Paguros alia referant. Cum conchylio hordei granum pulcherrimè depictum cernitur in eo quod seruat Ioannes Baptista Macedonius. Goltzius pro conchylio depinxit. Terræ marisq. vbertatem significarunt. Sunt qui non conchylia, sed purpuram arbitrentur. Pagurus Dianæ sacer est, quoniam inter venatores testaceos numeratur, aiuntq. eum præcipuè vim Lunæ sentire, qua crescente succulentior fiat, & melior. Aliqui Apollini sacrum faciunt, quoniam musica delectatur. Apud Mystas prudentiam Pagurus significabat, ideò Dianæ Ephesiæ collo fuit suspensum, & apud Brutios Dianæ caput Paguro ornabatur. Prudentiam ea de causa illi tribuunt, quòd cùm crustam exuit, veluti armis spoliatus latet, viribusq. diffisus nullos aggreditur, donec nouam recuperauerit. At Cumarum ruinas sic deplorat Sannazarius, *Pagurus Dianæ sacer.*

Hic vbi Cumææ surgebant inclita famæ
Mœnia, Tyrrheni gloria prima maris,
Longinquis quò sæpè hospes properabat ab oris
Visurus Tripodas Delie magne tuos;
Et vagus antiquos intrabat nauita portus
Quærens Dedaleæ conscia signa fugæ,
(Credere quis quondam potuit dùm fata manebant?)
Nunc silua agrestes occulit alta feras.
Atque vbi fatidicæ latuere arcana Sibyllæ,
Nunc claudit saturas vespere pastor oues.
Quæq. prius sanctos cogebat Curia Patres,
Serpentum facta est, alituumq. domus.
Plenaq. tot passim generosis atria ceris
Ipsa sua tandem subruta mole iacet.

Calçan-

Calcanturq. olim sacris onerata trophæis
Limina, distractos & tegit herba Deos.
Tot decora, artificumq. manus, tot nota sepulcra,
Totq. pios cineres vna ruina premit.

Colonia, Municipium, Præfectura.

Post victum ad Actium promontorium Antonium, & præclaram pacem orbi terrarum partam, duodetriginta Colonias *Duodetriginta Coloniæ.* deductas ab Augusto scribit Suetonius; *Vrbanisq. rebus administratis, duodetriginta Coloniarum numero à se deductarum Italiam frequentauit.* Inter quas, *Cumæ.* Earum nomina duodecim recenset Frontinus, Soram, Theanum, Sidicinum, Puteolos, *Lib.4.* Acerras, Aletrium, Atellam, Caudium, Beneuentum, Cumas, Ariminum. Cùm de Cumis loquitur, ait; *Cumæ muro ducta Colonia, ab Augusto deducta. Iter populo debetur pedes lxxx. Ager eius in iugeribus veteranis pro merito est assignatus iussu Claudij Cæsaris.* Quod declarat Dio, cùm ait Cæsarem Romam reuersum ad Rempub.constituendam, militibus, alijsq. pecuniam distribuisse, ijs verò qui sub se perpetuò stipendia fecerant, agros etiam assignasse, & populis qui Antonium sequuti fuerant deletis, oppida & agros eorum militibus condonasse. Miror Cumanos vrbe & agris pulsos, nulla fidei habita ratione, cum neque Annibali adhæserint, & Romanos bello Marsico sociorum fide iuuerint. Et anno ab V. C. 415. inter municipia antè bellum Italicum siue Marsicum (quod Sociale item appellatum est) constituta, Campanis equitibus honoris causa, quia cum Latinis rebellare noluissent, ciuitas sine *Cumani, & Suessulani.* suffragio data est; Cumanosq. & Suessulanos eiusdem iuris conditionisq. cuius Capuam esse placuit, vt ad Liuianam accedamus sententiam, cùm Velleius Campanis & Samnitibus sine suffragio ciuitatem datam dicat Sp. Postumio, & T. Veturio Coss. Quo munere perfunctos lapis ibi ostendit,

PILVMO. SANCTISSIMO. GENIO. MVNICIPI
SACRVM. P. IVBENTIVS. ACHARIVS. II. VIR.

confirmat

confirmat Liuius; *Item vt municipes Cumani essent, pridiè quàm populus Campanus à populo Romano defecisset. Maximè vt hoc ferretur mouerat, quòd quorum hominum essent scire se ipsi negabant, vetere patria relicta, in eam in quam redierant nondum adsciti*. Præfecturæ Festus ait duo eius genera fuisse, vnũ in quas Præfecti irent à populo Romano creati, Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteolos, Acerras, Suessalam, Atellam, Calatiam. alterum, in quas proficiscerentur quos Prætor vrbanus mitteret, Fundos, Formias, Cere, Venafrum, Allıfas, Priuernum, Anagnium, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaq. oppida quamplura. Quæ hac de causa Præfecturas incommodissimo iure senserunt, quòd Annibalem armis defendissent. Idcircò Cumanorum Præfecturam sum admiratus.

Lib. 3. Dec. 3.

Præfectura duo genera.



Antrum Sibyllæ.

Antrum Sibyllæ huiusmodi ad orientalem collis flexum Cumis collocat Agathias in Iustiniani historia, vt non modò omni ex parte tectum dicat, valdeq. cauum, quod adyta quædam natiua haberet, sinumq. ingentem ac profundum καὶ βαραθρώδης;

Lib. 1.

sed

ſed etiam ſuper illud partem Cumanorũ mœnium inniti atque incumbere, id quod Narſeti ſtratagemmatis præbuit occaſionem quod ſuprà retulimus. Ibi ait magnam illam Italicam Sibyllam olim habitaſſe, & numine afflatam ſciſcitantibus futura prædixiſſe, ibiq. Aeneam ab eadem oracula accepiſſe. Iuſtinum quoque Martyrem eius loci habemus inſpectorem, & teſtem, cui fides adhibenda eſt, ait enim, ἐνθεασάμεθα δὲ ἐν τῇ πόλει γενόμενοι καί τινα τόπον, ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστην ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένην λίθου ἔγνωμεν, πρᾶγμα μέγιστον, καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον, ἔνθα τοὺς χρησμοὺς αὐτὴν ἀπαγγέλλειν οἱ ὡς τὰ πάτρια παρειληφότες παρὰ τῶν ἑαυτῶν προγόνων, ἔφασκον; *Vidimus ſanè in ea vrbe cùm eſſemus, locum quendam, vbi Baſilicam ingentem vno fabrefactam ſaxo conſpeximus, rem profectò maximam, & admiratione omni digniſſimam, vbi oracula eam edidiſſe, qui res patrias à maioribus ſuis quaſi per manus traditas acceperant, affirmabant.* Addidit etiam in media Baſilica incolas oſtendiſſe tria ſolia ex eodem exciſa lapide, quibus aqua repletis lauiſſe ibi eam, & ſtola ſumpta in penitiſſimam ſe Baſilicæ ædem, eodem extructam ſaxo abdere, atque in media ea æde ſuper ſublimiori gradu & throno conſidere ſolitam, & ſortes eo modo promulgaſſe. Tùm prætereà loculum elatum ſe vidiſſe aſſerit ex ære elaboratum, vbi reliquias eius ſeruari Cumani affirmabant. Virgilius item antrum hoc deſcribens, in ea rupe in qua Cumæ poſitæ erant collocare videtur, cùm ait,

Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum.

idemq. ab Apollinis arce, ad immane antrum Sibyllæ profectum Aeneam dicit,

------ arces quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæq. procul ſecreta Sibyllæ
Antrum immane petit ------

vbi Seruius, *procul*, haud longè interpetratur, duplicem enim habet ea dictio ſignificationem. Cùm hæc ità ſe habeant, & Sibyllæ ædem Cumis cognoſcimus, cur ad Auernum eandem collocant? Nulla ineſt contradictio; quandò Cumis ad Auernum montem exciſum à Cocceio affirmat Strabo, licet is ad

Cimmerios

Cimmerios referat, *ἀπὸ δὲ τῦ Αόρνυ διώρυγος ὑπονόμυ τμηθείσης μέχρι Κύμης*; *Actusq. infrà Auernum Cumas vsque cuniculus*; quocircà ad sacrificia quæ humano sanguine peragebantur per subterraneum iter ad Auernum Sibyllam se contulisse non dubitarem. In medio Cumano agro magnificentissimi operis templa cernuntur, & quæ cuniculos habuisse vestigia ostendunt, sed cùm Basilica illa vno saxo fuerit confecta, non est cur templa illa Sibyllæ tribuamus. Aliudq. etiam Apollinis templum existimandum est, quod tamen ob oracula etiam celebre erat, Dædali opus, quòd præclarè expressit Virgilius, & Ausonius in Mosella, *Idyll. 9.*

Non hoc spernet opus Gortynius aliger ædis
Conditor Euboicæ, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios, patrij pepulere dolores.

Apollo lugens.

In eo templo quatriduò Apollinis simulacrum fleuisse narrat Augustinus lib. 3. de Ciuitate Dei cap. 11. hac historia. Attalus Asiæ Rex testamento populum Rom. hæredem fecerat Regni. Id Aristonicus Eumenis Attali fratris filius ex concubina genitus, præoccupauit. Hinc bellum ei est indictum. Missus eò Licinius Crassus Coss. & Pontifex max. victus est ab Aristonico. M. Perpenna Consul insequentis anni, audita Crassi fortuna, magnis itineribus in Asiam venit, victumq. acie Aristonicum, fame domitum in deditionem Stratonicæ, quò post prœlium confugerat, cepit. Eo bello Apollinis simulacrum Cumis quatriduò fleuisse nunciatum est; quo prodigio Aruspices territi, cùm id simulacrum in mare putauissent esse proijciendum, Cumani senes intercesserunt, atque retulerunt tale prodigium, & Antiochi Syriæ Regis, quem L. Scipio vicit, & Persæ Macedonum Regis bello, in eodem apparuisse figmento; & quia Romanis feliciter prouenisset, ex Senatusconsulto eidem Apollini, sua dona esse missa testati sunt. Peritiores acciti Aruspices responderunt, simulacri Apollinis fletum ideò prosperum esse Romanis, quoniam Cumæ Colonia Græca esset, suisq. terris

vndè accitus esset, idest, ipsi Græciæ luctum & cladem Apollinem significasse plorantem.

Lib. 45. Apud Liuium anno ab V. C. 584. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Seruilio Cepione Coss. Cumis Apollinis statua per tres dies luxit. Apollo Cumæus hic dictus est. Apollinem autem *Lib. 23.* Comæum cuius meminit Ammianus, ex vrbe Seleucia opus ambitiosum fuisse scribit Nicanoris Seleuci, Romamq. perlatum, & in æde Apollinis Palatini à sacerdotibus positum.

Sibyllarum nomina, numerus, patriæ, vaticinia.

A quibusdam vna tantum Sibylla, à quibusdam duæ, ab alijs tres aut quatuor, aut decem, aut plures commemorantur. Quidam tot Sibyllas quot Cupidines Herculesve, aut Ioues (vt fabulosæ Græciæ moris est) describere sunt conati. Qui de vna loquuti sunt, aut Apollinis & Lamiæ, aut Aristocratis & Hydoles, aut Crinagoræ, aut Theodori filiam faciunt. Sed varia *Sibyllæ cuius filiæ fuerunt.* de patria protulerunt. Erythræam, Sardinicam, Rhodiam; Lybicam, Leucanam, Samiam, Gergithicam denique dixere. Dùm Erythræam nomino, non eã intelligo, quam etiam Phaellonis (Σιβύλλης εἶναι λεγομένης τῆς Ἐρυθραίας ἢ Φαελλοῦς τῆς Ἠπειρώτιδος) commemorat Zosimus, quam non aliarum numero ad- *Lib. 2. hist.* scribere videtur, sed quòd afflata numine quædam oracula ediderit, quibus fretus Nicomedes Prusiæ filius, hortatu Attali, Prusiæ patri bellum intulit. De Gergithica, ait Stephanus in *Sphynx, & Sibylla.* dictione Γέργις, fatidicam fuisse, & cum Sphinge in Gergithicorum moneta expressam ex Phlegonis auctoritate in prima Olympiade, & in Gergithij Apollinis templo fuisse sepultam. Qui de duabus loquuti sunt, Erophylem Troianam nominant, eandemq. esse cum Phrygia & Cumæa contendunt; & Symmachiam, quæ quamuis Erythre orta fuerit, Cumis tamen vaticinatam esse scribunt. Ex Plinio tres Sibyllas colligimus, *Sibylla statua.* quarum vnius in foro Romano Pacuuius Taurus Aedilis plebis, aliarum duarum statuas M. Valerius Messala Augur consecrauit. Ex his verò vna Cumana habita est, quæ Cumis Olym-

piade

piade.L.floruit;& quæ libros Tarquinio obtulit;altera Delphica, quæ antè Troiana tempora vixit; tertia Erythrea, Herpilis appellata,quæ post Troiam euersam vixit. Quod ad tres pertinet,Aristophanis Scholiastes in Auibus ait,tres fuisse Sibyllas, quarum prima se Apollinis sororem suis versibus dixit; secunda Erythræa;tertia Sardiana nominatur. Aelianus quatuor nominat, Erythræam, Samiam, Aegyptiam, & Sardianam. Sunt qui Iudæam, & Cumæam adiungant. Varro tamen,qui citatur à Lactantio, eas decem celebrat,Delphicam,Erythræam,Cimmeriam, Samiam, Cumanam, Hellespontícam, Libycam, Persicam, Phrygiam, Tiburtinam.

Ex his omnibus, nostram de qua loquimur Cimmeriam rectiùs appellari quàm Cumæam scribit Onuphrius Panuinius, de qua asserit scripsisse Næuium in libris quos de primo bello Punico scriptos reliquit,& L.Pisonem Censoriũ in Annalibus. Aristoteles verò hæc scribit libro περὶ θαυμασι. ἀκυσμ. Ἐν τῇ Κύμῃ τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν δείκνυταί τις ὡς ἔοικε θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγυ, ἣν πολυχρονιωτάτην γινομένην παρθένον διαμεῖναί φασιν, οὖσαν μὲν Ἐρυθραίαν, ὑπό τινων δὲ τὴν Ἰταλίαν κατοικούντων Κυμαίαν ὑπὸ δέ τινων μελάγχραιναν καλυμένην. Hanc eandem in agro Troiano natam censet Martianus Capella, & Varro in Cimmerio Campaniæ oppido. Quæ Cumana dicitur, nomine fuit Amalthea,vel Herophile,vel Demophile,quæ nouem,vel vt alijs placet, tres libros Oraculorum ad Tarquinium detulit, cuius sepulcrum in Sicilia sua ætate fuisse reliquum, scribit Solinus. Quamobrem vna Cumæa dicitur, quòd Cumis vaticinata fuit, quamuis alibi fortasse orta, ad quam diuertit Aeneas & Δημώ appellatam scribit Pausanias in Phocicis ab Hyperoco scriptore Cumano lib. 10. quem & Cumanos ostendere Vrnulam in Apollinis Vrna lapideam, in qua dictitabant esse ossa Sibyllæ, idem Pausanias testatur; altera, Cumana, quæ Cumis oriunda, longo tempore post vixit, de qua Solinus plura scribit. Sunt qui sibi persuaserunt Cumis plures mulieres fuisse vaticinatas, & omnes Sibyllæ nomine fuisse insignitas. Polyhist.c.11.

Prædictiones.

Lib 3. Quid Sibylla profiteretur, indicat Virgilius,

------ *quæ rupe sub ima*
Fata canit, folijsq. notas & nomina mandat.
Quæcunque in folijs descripsit carmina Virgo
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
Impulit, & tenues turbauit ianua frondes,
Nunquam deindè cauo volitantia prendere saxo,
Nec reuocare situs, aut iungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemq. odere Sibyllæ.

Idq. pertinebat ad scriptum. Voce etiam oracula pronunciabat.

Horrendas canit ambages, antroq. remugit
Obscuris vera inuoluens -----

Scripto, voce, & signis prædicebant. Et Signis, qualia in Obelisco Romæ videri scribit Seruius. Et si nec illud displiceret, si notas litterarum intelligamus, vt vno charactere multa significarent. Sed voce & scripto tantùm prædixisse contrà Seruij opinionem contendit Nascimbenius. Scripta, in folijs palmarum exercebantur. sic asserit Varro. Et Donatus in illud Virgilianum,

----- *sedemq. odere Sibyllæ,*

Morem dixit Sibyllæ, & in quo loco sit, & quo ordine singulorum desiderijs respondeat. Sumit folia. Illic responsa conscribit, ordinat, & dimittit. Veniunt homines, considerant folia, & futura cognoscunt. Sed hoc habet mos ipse contrarium. Quippe si ventus impleuerit fores, & ordinationem foliorum turbauerit, pereunt consulta, & dubij remeant qui instructi fuerant redituri. Ea de causa Sibyllæ folia in prouerbium abiere, quando rem indubitatam significarent. Aristophanes in Pace,

Οὐ μετέχω τούτων, οὐ γὰρ ταῦτ' εἶπε Σίβυλλα.
Haud equidem agnosco, neque enim canit ista Sibylla.

& Iuuenalis,

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Quæ

Quæ omnia secretiora diuinitatis arcana ostendere, nomen Sibyllæ significat, quòd σιῦ βυλλώ, *Iouis sententiam notat*. Et, νὴ τὼ σιώ, iurabant Lacedæmonij, Castorem & Pollucem intelligentes, & Apollinem, de quo sic loquitur Ammianus; *Sol mens mundi, nostras mentes ex sese veluti scintillas diffundens, cum eas vehementiùs incenderit, futuri conscias reddit, vndè Sibyllæ crebrò prædicunt ardore torrente, & vi magna flammarum multa significant. Vndè quasi Sibulæ dictæ*. Et Hieronymus contrà Iouinianum ait Aeolico sermonis genere Sibyllas θεοβουλας appellari. Et Suidas, Romana voce *Prophetissam*, hoc est *vatem*, interpetrari posse scribit. Quocircà aliqui ex Platonicis arbitrati sunt, humanum animum remotà corporis memoria posse aliquando ad immortalem transire naturam, & quodam sopore detentum futura diuinare. Hinc Sibylla & Bacchides. Hinc μανία, & μαντική. Hinc etiam Sibyllas esse dixerunt Manthonem Tyresiæ Thebani filiam, Cassandram, Elyssam, Faunam, vel Fatuam, Sabam Berosi filiam, & Carmentam, quam Θεσπιωδὸν Græci dixerunt, vt scribit Halicarnasseus, nam ὠδαὶ Romani carmina vocant. Themin quoque appellarunt. Et sic fatidicam puellam Chorus in Helena commemorat apud Euripidem,

Sibylla, Iouis sententia.

Multi posse diuinare.

Lib. 1. antiq.

Ηκυσα ταῖς θεσπιωδȣ̃ κόρας.

Audiui ex fatidica puella.

Fatidicasq. ex tripode cecinisse scribit in Ione.

Θάσση δ' ἡ γυνὴ τρίποδα ζάθεον

Δελφὶς, ἀείδȣσ' Ελλησι βοὰς

Α'ς ἂν Απόλλων κελαδήσῃ.

Mulier verò sedet suprà sacrum tripodem

Delphica canens Græcis oracula,

Quæ Apollo illi dictat.

Quin etiam omnes Delphicas mulieres fatidicas fuisse innuit ibidem, ----- τρίποδος ἀρχαῖον νόμον

Mulieres Delphicæ.

Σώζȣσα, πασῶν Δελφίδων ἐξαίρετος.

----- *seruationem tripodis*

Seruans electa ex omnibus Delphicis mulieribus.

Inter

Aliæ Sibyllæ. Inter has numerantur Brutides mulieres à Suida, & Thara Iudicum Hebræorum ætate. Georgius Cedrenus & Glycas in Annalibus, Reginam Sabam à Græcis Sibyllam appellatam scribit, & Samonæam cùm viueret Iosias. Sphragitides Nymphas Plutarchus celebrat in Aristide, quæ in Citheronis vertice oracula reddebant, & multos ibi furore correptos, Νυμφολήπτους esse dictos. *Nympha Sibyllæ.* Eustathius Homeri Scholiastes Arrianum scripsisse testatur, Dardanum cùm ex Samothracia venisset, Teucri Regis filias sibi desponsasse, Neson, & Batram dictas, & Neson filiam esse natam Sibyllam Vatem, à qua quotquot mulieres fatidicæ fuerunt, Sibyllæ dicebantur. Hermias 2.lib. Scholiorum in Platonis Phædrum, de Sibylla adeò miranda narrari scribit, vt fabulæ videri queant. Multas certè Sibyllas fuisse, omnes diuinandi artem amplexas, & ob aliquam fortè causam commune nomen Sibyllæ assumpsisse. Pausanias in Phocicis post Demò in fatidicarum numerum Sabam scripsisse Hebræos ait, qui supra Palæstinam sunt, quam patre Beroso, matre Erymante genitam tradunt. *Demò, & Saba.* Hanc alios Babyloniam, alios Aegyptiam vocasse. Phaennem præthereà apud Chaones, & Peleam apud Dodonæos diuinasse, sed non fuisse Sibyllas vocatas, at Columbas. Peleadas quoque propheticos versus decantasse. *Viri fatidici.* Recenset quoque viros fatidicos Euclum Cyprium, Musæum Atheniensem, Lycum Pandionis filium, & Bacim ex Bæotia, quem Nympharum instinctu diuinasse asserebant. idéq. Pausanias eorũ vaticinia præterquàm Lyci se legisse affirmat. Pseudosibyllæ inter has numerari possunt, cùm apud Dionem, *Lib. 55.* misso Germanico ad bellum Dalmaticum ab Augusto, quædam mulier litteris aliquibus in brachium incisis, quasi diuino afflatu mota, vaticinia promulgauit. Quam cùm ipse optimè nosset, non numine correptam, sed composito ea dicere, fidem nihilominùs eius dictis se habere simulauit, ne magis ad iram populum concitaret. Huc accedit Germanorum consuetudo, *Germani fatidici.* vt matresfamilias eorum sortibus, & vaticinationibus declararent, vtrum prœlium committi ex vsu esset, nec ne; eas ità dicere, *Non esse fas Germanos superare, si antè nouam Lunam prœlio*

prælio contendiſſent; vt ſcribit Cæſar. Ijdemq. ituri in prœlica canebant (vt ſcribit Cornelius Tacitus) & eorum carminum relatu, quem Barditum vocabant, accendi animos credebant, & futuræ pugnæ fortunam augurari. *Lib. 1. de bell. Gall.* *De moribus German.*

Accedit etiam mos Pœnorum, qui ſuas Sibyllas habent, quas furore percitas bacchanteſq. multa loquentes, capillis ſparſis, ad terram decidentes obſeruant ad varios rerum euentus. Caput miris illæ modis agitant. Quod Statius in Thiodamante lib. 10. Thebaid. obſeruat,

----- acies huc errat & illuc
Sertaq. mixtâ comis ſparſa ceruice flagellat.

Et Tibullus lib. 2. Eleg. 6.

Iactauit fuſas & caput antè comas.

Et Seneca Oedipo,

Incipit lethæa vates ſpargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum -----

Et Virgilius lib. 6.

----- non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ -----

Mentem deinde recipiunt, & ἐνθουσιασμὸς ille quieſcit.

Quod ad Palmarum folia attinet, ad Apollinis radios ea plerique referunt, vt quæ ardore torrente prædicit, in ijs quoque prædicat quæ cum Solis igne conueniunt. In numerum digerere, Pythagoricum ſapit, vt numeris quoque rerum inuolucra notentur. Ceterum tùm ventus folia diſſipauit, atque ordinem turbauit, cùm Spiritus Paracleti aduentu & flamine, Sibyllarum oracula euanuerunt. *Palmarum folia.*

Inter veras & pſeudoſibyllas Herophyle illa eſt quæ Oracula canere Delphi conſueuit, & cognomine Sibyllæ dicebatur; licet aliam antiquiorem primum omnium mulierum vaticinatam Lamiam Neptuno genitam ſcribat Pauſanias, & ab Afris Sibyllam nominatam, & Delios reminiſci Herophylis hymnorum, quibus ſe Dianam vocat, & Apollinis ſororem, vxorem, & filiam. Alibi immortali matre, eaq. vna ex Idæis Nymphis, & patre homine Theodoro paſtore, ſe natam prædicat,

Εἰμὶ

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα θνητοῖο θεᾶς τε
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο
Μητρόθεν Ἰδογενής, πατρὶς δέ μοι ἐστὶν ἐρυθρὴ
Μάρπησσος, μητρὸς ἱερά, ποταμὸς δ' Αἰδωνεύς;

Partim ego Cetiuoro mortali patre creata,
Partim immortali Nympha; me fontibus Ida
Eduxit vitreis, tenuis, glebaq; rubente;
Marpessus matri patria est, fluuiusq. Aidoneus.

Hanc Alexandri Apollinis Sminthei fuisse æditu am dicebant, & Hecubæ somnium interpetratam. Sami diutiùs commorata est, & Clari, quæ Colophoniorum vrbs est. Eius sepulcrum in Sminthei luco cum hoc epigrammate; Latinum referam,

Sibyllæ sepulcrum.

Illa ego sum Phœbi interpres non vana Sibylla,
Hic quæ marmoreo contineor tumulo.
Vocalis quondam, æternum nunc muta puella
Heu nimis hac fati compede pressa graui.
Mercurio tamen & Nymphis sociata quiesco,
Phœbo quod fuerim grata ferens precium.

Quo ordine prædixerint.

Sibyllæ non intelligebant, quæ dicerent.

Nihil Sibyllæ ex Oraculis intelligebant. Plato, ὅταν κατορθῶσι λέγοντες πολλὰ καὶ μεγάλα πράγματα, μηδὲν εἰδότες ὧν λέγουσι; *Cum multas magnasq res rectè & verè dicant, nihil eorum quæ loquuntur intelligentes.* Quocircà Iustinus martyr in Admonitorio ad Græcos scribit, rectam relligionem ex parte aliqua,& ea quæ proximè ad Prophetarum accedāt doctrinam à veteri Sibylla ex afflatu quodam mirifico per sortes àc responsa eos docente, posse percipere. Illud quoque verum esse, non fuisse in Sibyllis sicuti Poetis etiam postquàm poemata scripsere, facultatē corrigendi atque expoliendi responsa iuxtà numerorum & dimensionum in carminibus rationem; sed in ipso afflatus tempore sortes illas suas explicuisse, & euanescente instinctu ipso, simul quoque dictorum memoria euanuisse; ἀλλ' ἐν μὲν τῷ τῆς ἐπιπνοίας καιρῷ τὰ τῆς προφητείας ἐπλήρου. παυσαμένης δὲ τῆς ἐπιπνοίας, ἐπέπαυτο καὶ ἡ τῶν εἰρημένων μνήμη.

Id

Id quidem diù me dubitantem retinuit. Non enim persuadere mihi poteram ità compositè, ornatè, potuisse sua oracula Sibyllas edere, atque huiusmodi distincta Acrostichis, historiarum serie, multisq. alijs quæ diù cogitando vix possent rectè accommodari. Cùm sese mihi obtulit Cicero meam opinionem confirmans; *Non esse autem illud carmen furentis, cùm poema declarat, est enim magis artis, & diligentiæ, quàm concitationis motus; tùm verò ea quæ Ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur, vt in quibusdam Ennianis quæ Ennius fecit; id certè magis est attenti animi quàm furentis; atque in Sibyllinis ex primo versu vniuscuiusque sententiæ primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur. hoc scriptoris est, non furentis; adhibentis diligentiam, nō insani.* Lib. 2. de Diuin. Quamobrem, aut non omnes octo libros illos qui circumferuntur à Sibyllis conscriptos asserere libuit, aut aliquem eos composuisse, additis aliquibus carminibus quæ ex Sibyllinis supererant. At verò ex Prophetarum dictis aliqua similia eliciens, qui litterarum notis, ijsdemq. Acrostichis multa pronunciabant, vt in vocibus *iauò, silò, velò; Donec veniat qui mittendus est*, vbi Messiæ nomen interpetrantur Cabalistæ, qui sexcenta huiusmodi mysteria in sacris patefaciunt, à mea & Ciceronis, qui illa ignorabat, opinione discedens, illud affirmare non vereor, ità compositè atque ornatè Sibyllas sua carmina esse vaticinatas. Cabalistæ. Quod si quis negare ausus fuerit, negabit quoque, IESV Saluatoris nomen à Sibyllis editum non fuisse, neque ab ijsdem quæ ad eius vitam, mortem, & resurrectionem pertinent explicata, quibus tamen Iustinus Martyr, Lactantius Firmianus, D. Augustinus, qui ea apud Flauianum Proconsulem è Græca in Latinam linguam translata legisse testatur, ad religionis propagationem, ad Catholicæ Fidei veritatem, obseruarunt.

Nec negauerim aliquando non ità numerosa legi oracula, quamuis Virgilius dixerit in numerum à Sibyllis carmina fuisse digesta. Idq. aut quoniam (vt ait Iustinus Martyr) euanescebat aliquando Vati dictorum memoria; aut quoniam qui oracula

ſcripto mandabant, propter imperitiam,in obſeruatione numerorum errabant,& hoc ſcribit ſe audiuiſſe cùm eſſet Cumis, ab ijs quos eorum locorum indices habebat. Idcircò hortatur Græcos, vt relicta carminum exquiſita ratione,ad dicta Sibyllarum animaduertentes, non numeros,ſed relligionē ſectentur. Suidas numerorum imperfectionem notarijs tribuit; ὅτι δὲ οἱ στίχοι αὐτῆς ἀτελεῖς καὶ ἄμετροι εὑρίσκονται, οὐ τῆς προφήτιδός ἐστιν ἡ αἰτία, ἀλλὰ τῶν ταχυγράφων.

Vaticinia.

At quo pacto oracula promulgarint,Clemens Alexandrinus ab Heraclito ſcriptum tradit non ex humanitate, ſed ex diuinitate res futuras oſtēdiſſe. Et Agathias,ſpiritu diuino inſtinctas. Neque verò Erythræa de Beata Virgine tam illuſtria canere potuiſſet, ſi hominem tantùm cenſuerimus. Quæ autem idem Clemens ſcribit Græcos dictitaſſe Sibyllam in Helicone à Muſis educatam,& cùm obijſſet,è corpore in terram coniecto herbam prodijſſe quam pecudes depaſcentes mortalibus in viſceribus certam rerum præmonſtraſſe ſignificationem, Græcorum ſanè inuentum explodit. Iamblicus in Porphyrium ſcribit, Sibyllam Delphis duplici ratione ſuſcipere ſolitam. Aut enim per tenuem ſpiritum & ignem,qui alicubi ex ore quodam antri prorumpebat; aut ipſam etiam in adyto ſedentem ſuper æneam ſellam quæ tripes, vel quadrupes eſſet,numiniq. dicata,diuino illo ſpiritu actam vaticinia fudiſſe. Cicero quidem; *Cum duobus modis animi ſine ratione & ſcientia motu ipſi ſuo ſoluto & libero incitarentur,vno furente,altero ſomniante; furoris diuinationem Sibyllinis maximè verſibus contineri arbitrati,eorum decem Interpetres delectos ex ciuitate eſſe voluerunt.* Atque ità per furorem vaticinatos aſſerit Bacchidem, Bœotium, Epimenidem, & Sibyllam Erythræam. Ouidius,

Lib. 1. de diuin.

---- tandemq. Deo furibunda recepto
Magna petis, dixit ----

& Virgilius,

Deus ecce Deus ----

& Pli-

& Plinius, *Diuinitas & quadam cælitum societas nobilissima ex feminis in Sibylla fuit; ex viris in Melampode apud Græcos, apud Romanos in Marcio.* Ambrosius contrà; *Spiritus mundi hic est, per quem arripiuntur fanatici, qui sine Deo sunt. Est enim inter mundanos spiritus potior; vndè solet coniecturis quæ mundi sunt diuinare, quem Pythonem appellant. Hic est qui per verisimilia fallitur & fallit. Hic est, qui per Sibyllam loquutus est, sensum nostrorum sequutus, locum volens inter cælestes habere.* Lib 7.c.33. Epist. 1. ad Chor.cap.2.

Furorem in Sibyllis multa attulisse beneficia scribit Plato in Phædro; νῦν δὲ τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας θείᾳ μὲν τοι δόσει διδομένης; *Nunc verò maxima bona nobis contingunt per furorem diuino quodam munere concessum.* Addit quoque, Vatem quæ Delphis erat, & Sacerdotes quæ in Dodona, furore correptas multis beneficijs publicè & priuatim Græciam affecisse; quandò & mentis compotes nulla beneficia tribuerunt. ibidemq. περὶ τῆς Μανικῆς multa differit, quæ ad Sibyllarum furorem faciunt. Vates appellandos Sibyllam, Bacim, & Amphiltum idem asserit in Theage. Aristoteles, ait multos proptereaquòd calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicari, aut instinctu Lymphatico inferuescere, ex quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes qui diuino spiraculo instigari creduntur, cùm scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit. Probl.sect.30 cap.1.

Interpetres.

Quænam in Sibyllinis carminibus obseruatentur, præter ea quæ ab historicis scribuntur, Duumuiris primum, deindè Decemuiris, postremò Quindecim viris librorum custodiam esse traditam, nihilq. Romanos (vt ait Firmianus) sanctiùs custodisse, Flauius Vopiscus in Aureliano patefacit his verbis; *Consulenda Sibyllæ decreta, vtendum Apollinis beneficijs.* Et paulò post; *Agite igitur Pontifices, quà puri, quà mundi, quà sancti, quà vestitu animisq. sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros euoluite,* Sibyllinorum religio.

Oooo 2 *fata*

fata Reip. quæ sunt æterna perquirite, patrimis matrimisq. pueris carmen indicite. Nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificijs, nos aris Ambaruália indicemus. Deindè epistolam Aureliani subnectit; *Miror vos patres sancti tandiù de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perindè quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo Deorum omnium tractaretis. Agite igitur & castimonia Pontificum, ceremonijsq. sollemnibus iuuate Principem necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri, quæ facienda fuerint celebrentur, quemlibet sumptum, cuiuslibet gentis captiuos, quælibet animalia Regia non abnuo, sed libens offero. Neque enim indecorum est Dijs iuuantibus vincere; sic apud maiores nostros finita sunt bella, sic cœpta.* Tarquinius libris Sibyllinis coemptis, ex illustrioribus patricijs duos viros creauit, quibus eorum custodiam demandauit. Et II. viri sacris faciundis appellati sunt. Ex quibus M. Atilium, quòd Petronio Sabino describendos dedisset, culeo insutum, in mare proijci iussit. Sacrificia quæ Sibyllinorum oraculorum causa peragebantur, Ioui, Iunoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, Parcis, Lucinis, Cereri, Diti patri, & Proserpinæ vouebantur. Zosimus lib. 2. Hist. explicat; & adiungit; τῇ δὲ πρώτῃ τῶν θεωριῶν νυκτὶ δευτέρας ὥρας ὁ αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὴν ὄχθην τοῦ ποταμοῦ τριῶν παρασκευασθέντων βωμῶν τρεῖς ἄρνας θύει μετὰ τῶν δεκαπέντε ἀνδρῶν; *Prima nocte spectaculorum, ad horam secundam, tribus aris in ripa fluminis constitutis, Imperator cum quindecim viris tres agnos cædit.* Chaldæos sacrificulos, & Sibyllinorum oraculorum interpetres coniungit Plutarchus in Mario. Dio Cæsarem scribit libros Sibyllinos qui iam vetustate exolescebant, Pontificibus describendos dedisse, vt sua manu describerent, ne quis alius eos legeret; & omnibus qui quadringenta sextertia possiderent, ac magistratus gerere per leges possent, eorum petendorum potestatem dedisse. In Tiberij Imperio, cùm statua Iani cecidisset, timorem omnibus auxit, tùm præcipuè quòd quædam oracula pro Sibyllinis canebantur, quæ ad sua potius tempora accommodari posse scribit Dionis epithomator, hæc scilicet;

Τρὶς

Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν
Ρωμαίους ἔμφυλος ἐλεῖ στάσις, α Συβαρῖτις
Αφροσυνία ——
Ast ter tercentum reuolutis protinus annis
Roma intestina perdetur seditione
Et furor exitium Sybariticus afferet vrbi.

Hæc Tiberius vt falsa calumniari cœpit, librosq. omnes scriptos de vaticinijs inspici, ex quibus eos qui inutiles esse videbantur damnari atque reijci, ceteros reponi & retineri iussit.

Naufragium.

Certum ad diem in Campaniam redire classem Nero iusserat (ait Tacitus) non exceptis maris casibus. Ergo Gubernatores, quamuis sæuiente pelago à Formijs mouere, & graui Africo, dùm promontorium Miseni superare contendunt, Cumarum littoribus impacti, triremium plerasque, & minora nauigia partim amiserunt.

Bellum nauale.

Cùm discordiæ inter Pompeium, Cæsaremq. intercederent, atque Antonius Brundusium ex Græcia se contulisset vt Cæsarem adiret, qui in Etruria erat, & lupi prodigio perterritus, reuersus esset in Græciam; cùmq. Pompeius dictitaret Antonium Cæsaris causam non probare, atque indè maiora orta essent dissidia, tandem in Italiam adnauigauit, atque in continentem ingressus hostibus multa damna intulit, multaq. ab ipsis accepit. Tunc à Menecrate Pompeiano, & Caluisio Sabino Cæsariano, classium Præfectis, naualis pugna ad Cumas commissa est, in qua Menecrates à Mena occisus est, sed Cæsar multarum nauium iacturam fecit. Pompeiani & morte Menecratis perculsi, & veriti ne Cæsar in Siciliam transfretaret, Cumis discesserunt. *Dio lib. 48.*

Ludi.

Ludi.

Decimo Idyllio Ausonius ludorum meminit, qui in Cumano fiebant littore. Naumachia.

Hæc quoque quàm dulces celebrant spectacula pompas
Remipedes medio certant cum flumine lembi,
Et varios ineunt flexus, viridesq. per oras
Stringunt attunsis pubentia germina pratis.
Puppibus & proris alacres gestire magistros,
Impubemq. manum super amnica terga vagantem
Dùm spectat, transire diem, sua seria ludo
Posthabet, excludi veteres noua gratia curas.
Tales Cumano despectat in æquore ludos
Liber Sulphurei cum per iuga consita Gauri,
Perq. vaporiferi graditur vineta Veseui,
Cum Venus Actiacis Augusti læta triumphis
Ludere lasciuos fera prœlia iussit Amores.
Qualis Niliacæ classes Latiæq. triremes
Subter Apollineæ gesserunt Leucados arces,
Aut Pompeiani Mylasena pericula belli
Euboicæ referunt per Auerna sonantia Cymbæ
Innocuos ratium pulsus, pugnasq. iocantes
Naumachiæ ——

Vasa Cumana.

Lib. 1. Horatij locum in Odis,

Græca quod ipse testa
Conditum leui ——

interpetrantur, Vas Cumanum, quòd Cumani qui Pithecusas
Lib. 4. ep. 114 incoluerunt figlinam exercebant. Quamobrem Varro apud Nonnium, Calices Cumanos recenset; *Delia atque apothecas triclinares, Melicas, Calenas, Obbas, & Cumanos calices.* Confirmat Martialis,

Hanc tibi Cumano rubicundo puluerę testam
Municipem misit casta Sibylla suam.

& Ti-

& Tibullus, *Lib. 2. eleg. 6.*

------ Samiæ conuiuia testæ

Fictaq. Cumana lubrica terra rota.

Esset'ne putidum Cumanos cum Milesijs, Scythis, Abydenis, Ephesijs, Aetolis, Curetibus, Campanis luxuria & popinis nobilitatis connumerare?

Pisces. Cimæ. Linum.

Glaucum piscem Cumanum, & Surrentinum laudat Ennius in Phageticis,

Surrenti fac emas Glaucum, & Cumas apud.

Cimas verò laudat Columella lib. 10. de cultu Hortorum,

Frigoribus caules, & veri cimata amittit

Quæ pariunt veteres cesposo littore Cumæ.

Puteolanæ nunc laudantur. Inter Lini genera ad Hispanicum Tarraconense mira tenuitate accedere ait Cumanum Sabellicus lib. 1. En. 1. sed præcipuè ad casses & plagas.

Dentes Apri Erymanthij.

Cumanos in Opicis dentes monstrasse in Apollinis templo suspensos, quos Apri Erymanthij esse dicerent, scribit Pausanias in Arcadicis. Quod tamen fabulosum existimare videtur, quippe nihil omnino satis probabile ad fidem faciendam afferebant.

Petronius.

Cumis obijt Petronius Neronis familiaris. Tacitus; Tigellini inuidia, qui crudelitatem Principis in eum concitauit amicitiam Sceuini ei obiectans, nouo mortis genere; Neque tamen (inquit) præceps vitã expulit, sed incisas venas vt libitum obligatas aperire rursum, & alloqui amicos non per seria, aut quibus constantiæ gloriam peteret. Nummus Cumis repertus est cum Petronij Triumuiri nomine. Refert quoque Fuluius Vrsinus in Petronia familia, aitq. ad Cumanam Coloniam ab Augusto deductam, & ad Neapolim ab eodem instauratam referri. *Lib. 16. Hist.* *Nummus Petronij.*

Hype-



Hyperoecus, Melanopus, Heraclides, Stratonicus, ſcriptores Cumani, Celbidas.

Pauſanias in Phocicis de Cumana Sibylla loquens, quæ Cumis in Opicis erat, ait eam eſſe appellatam Δημώ, ab Hyperoco Cumano. Poſt Olenem Lycium, quem hymnum in Achæiam feciſſe ſcribit idem Pauſanias in Eliacis, aſſerit Menalopum Cumanum canticum in Opin & Hecaërgem decantaſſe, quas ab Hyperboreis veniſſe teſtabatur. Heraclidem Cumanum lib.4. commemorat Athenæus, quem Perſica conſcripſiſſe dicit, & librum præcipuè Παρασκευαστικῶν. Stratonicum, qui Sibyllina carmina compilauit, Cumanum quoque fuiſſe tradunt, alij verò Epiſcopum Cumanum fuiſſe ſcribunt. Tritiæ vrbis in Achaia conditorem aiebant Celbidam, illumq. è Cumis Opicæ terræ veniſſe. Idem Pauſanias in Achaicis.

Prodigia.

Anno ab V.C.542. cum murus turreſq. & quædam alia Cumis fulminibus icta fuiſſent, & penitus decuſſa (ſic ſcribit Iulius Obſequens) Annibal proditione Tarentum cepit. Samnitium agros Romani vaſtarunt. Capua à Romanis obſeſſa & capta. Publius & Cneus Scipiones in Hiſpania occiſi ſunt. Cùm deindè ibidem anno 552. Solis orbis minui viſus fuiſſet, Claudius Conſul naufragium fecit. Incendia ſunt excitata. Q. Fabius Maximus obijt. Vermina Siphacis filius à Romanis profligatus eſt. Anno 585. in arce Cumana Apollo tres dies noctèſq. lacrimauit, vti diximus. Perſeus Rex in Thracia eo anno feliciter pugnauit

pugnauit victis Dardanis. Ad aquas Cumanas Cornelius mem bris captus ex Albano monte rediens mortuus est. Anno 539. mare arsit, & bouem equuleus peperit ad Sinuessam. Anno 610. sanguis è terra emanauit.

Onobatis. Phylactæ.

Mulierem in adulterio deprehensam Cumani in forum trahebant. Ibi in saxo quod ab omnibus inspiceretur eam locabant, indè Asino imponebant, ac toto oppido circumuectam, eodem consistere saxo cogebant. Quapropter reliquam vitam infamem ducebat, & Ὀνοβάτις dicebatur. Ea vox apud Græcos, eum qui Asinum conscendit, significat. Refert id Plutarchus in Quæstionibus centuriatis Græcis. Quo etiam loco Phylactæ magistratus meminit. Qui cùm magistratum obtinuisset, carceris deindè custodiæ tradebatur. Sed Senatum in concilio nocturno ingrediebatur, ac reges manu educebat detinebatq. dùm de ijs malè meriti, nec'ne essent cognoscebat, in occulto sententiam dicens. *Mulieres in adulterio.*

Ecclesia Cumana.

De Cumana Ecclesia hæc leguntur in Decreto, vt duos Episcopatus in vnum redigi cognoscamus; Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum inuitat, vt Cumanam atque Misenatem (sic in vetusto codice B. Gregorij, sed in vulgatis, & apud Gratianum legitur, Musitanam) vnire debeamus Ecclesias, quoniam nec longo itineris spacio à se seiunctæ sunt, nec (peccatis facientibus) tanta populi multitudo est, vt singulos, sicut olim fuit habere debeant Sacerdotes. Quia igitur Cumani castri Sacerdos cursum vitæ huius expleuit, vtrasque nos Ecclesias præsentis auctoritatis pagina vnisse, tibiq. commisisse cognosce, propriumq. vtrarumq. Ecclesiarum scito te esse Pontificem. Illustrissimus Baronius Annal. tom. 8. exponit impensam curam quam egit Gregorius vacantium Ecclesiarum, donec eligerentur Episcopi, Nepesinæ, Liparitanæ, Cumanæ (cui Misenatem coniunxit) Lisitanæ, Tauritanæ, *Decret. p. 1. caus. 6. q. 1. cap. 8.*

Pppp Crotó-

Crotonienſis, Velinæ, Vxentinæ, Blanderanæ, Triumtabernarum.

Epiſcopi.

LIBERIVS, quo mortuo, Fortunato Epiſcopo Neapolitano Cumanæ Eccleſiæ viſitatio demandatur. RAINALDVS. Hunc aliqui Cumanum Epiſcopum eſſe contendunt, ad quem à Gregorio extat epiſtola qua eum videtur plurimi facere, hortaturq. vt Romam veniat, tùm cauſa conciliandæ pacis cum Henrico Rege, tùm pro cauſa Epiſcoporum Lombardorum. Id effecit vt hanc opinionem improbarem, & non Cumarum, ſed Comi in Gallia Ciſalpina Epiſcopum cenſeam. Cùm etiam apud Luitprandum, cùm Berengarius è Sueuia in Italiam veniſſet, cùmq. Manaſſe Arelatenſe Epiſcopo inimicitias haberet, Manaſſes Adelardum quendam accerſiuit, promiſitq. eum donaturum Epiſcopatus Cumani dignitate, ſi quid contrà Berengarium moliretur. Deindè non Adelardum, ſed Valdonem quendam Mediolanenſis Epiſcopatus gratia, Epiſcopum Cumanum conſtituit. Et tamen Cumanos Epiſcopos ſimplici nomine, & aliquandò, cum adiectione Campaniæ, reperio. Quod autem ad Comum ſpectat, dùm in Concilio Lateranenſi ſub Iulio II. legitur, Reuerendus P. Dominus SCARAMVZZA Epiſcopus Cumanus, Cumanæ noſtræ Eccleſiæ Antiſtes eſſe non potuit, cùm ea tempeſtate Cumæ deſiſſent. ADEODATVS. In Romano Concilio ſub Hilario fit mentio Soteri Neapolitani Epiſcopi, Tiburtij Capuani, & Adeodati Cumani. Sic vicini Epiſcopi coniunguntur. BARBATVS, in Concilio Lateranenſi ſub Martino Quincto. PETRVS, in ſexta Synodo Conſtantinopolitana ſub Agathone; *Petrus Epiſcopus Sanctæ Cumanæ Eccleſiæ prouinciæ Campaniæ*. MAXENTIVS. In actis S. Maximi Cumani martyris, cuius corpus Neapoli conditum eſt. Sub Valerio & Diocletiano. IOANNES. eius mentio fit anno 920. in inuentione corporis S. Soſſij, Miſſenis. LEO. meminere acta S. Iulianæ virginis & martyris, quem poſtremum Epiſcopum Cumanũ exiſtimant, proptereaquòd eius ætate propter habi-

Soterus Neapol. Epiſc.

habitantium malitiam ciuitatem Cumanam dirutam, eiusdem acta confirmant, viuente Anselmo Episcopo Neapolitano. *Anselmus Neap. Episc.* MISENVS, vel MENSENVS. In secunda Synodo Romæ sub Symmacho. In ædibus Episcopi Puteolani hunc lapidem vidi, & notaui,

> HIC. REQVIESCIT. IN. PACE. MISENVS. EPISCOPVS....... P. M. a. XXVI. DEPOS. III. ID. IANVAR. FL. FELICIS. V. C. ET. SEDIT. ANN. ..... M. X. D. VI.

IOANNES. Anno 1134. & sexto Principatus secundi Roberti, filij secundi Iordani gloriosissimi Principis (sic in diplomate) Capuæ, & Comitis Auersæ subscribit, Ioannes Cumanus Episcopus. Illud autem erat huiusmodi; *Gulielmus de Piroldo filius quondam Alexandri eiusdem cognominis, qui sum vnus ex Baronibus ciuitatis Auersæ, pro anima eiusdem & parentum suorum, concedit & confirmat Domino Petro venerabili Abati monasterij quæ dicitur ad Cappellam, quæ est sita foris ciuitatem Neapolis, integram Ecclesiam vocabulo Sancti Petri quæ dicitur ad pertusum, regione Bugense, quæ esse videtur in territorio Castri noui Cumarum, & quæ sequuntur.* Inter ceteros subscribit, *Ioannes venerabilis Cumanus Episcopus.*

Anno 1141. anno sexto quo Rogerius Rex Siciliæ, Capuæ Principatu potitus est. IOANNES II. Episcopus sanctæ Ecclesiæ Cumanæ, cum consilio cleri & populi eiusdem ciuitatis concedit & confirmat Rogerio Abati monasterij S. Mariæ de Pasitano, Ecclesiam S. Martini, in agro Cumano. Petitq. ab eo *Ecclesia in agro Cumano.* vt nummos aliquot singulis annis soluat. & inter alia, vt in S. Maximi natali, & in Cœna Domini, presbyterū ad officium diuinum perficiendum mittat. *Signum Crucis manus prænotati Secundi Ioannis Cumani Episcopi. Marcus presbyter & canonicus Sancti Maximi, &c.*

Destructa Cumana ciuitate, eius Ecclesia Neapolitanæ cum omnibus iuribus fuit vnita, vt ex Actis Caroli I. qui singulis annis Neapolitano Archiepiscopo fructuum decimas quas Reges ex agro Cumano excipiebant, & ad Cumanam Ecclesiam

anteà spectabant, exolui iussit anno 1277. Ex Inuentario bonorum Ecclesiæ Neap. Regum iussu conscripto, cùm Alexander Carrafa Neap. Ecclesiæ præesset, hæc leguntur; *Item tenet idem Archiepiscopus in Cumis Ecclesiam Cumanam cum infrascriptis iuribus, & possessionibus, &c.* Inter suffraganeos Neap. Ecclesiæ Episcopos Cumanus quoque numeratur. Prouinciale omnium Ecclesiarum, quod confirmat Antonius Demochares lib. 3. c. 15. de sacrif. Missæ. Non huius Ecclesiæ meminerunt Honorius III. in c. *Cumana Ecclesia de electione*, & Innocentius III. in c. *Cum ad sedem de restitutione spoliatorum*; sed eius quæ Comi est.

Martyres Cumani.

ABVNDIVM Cumanum Episcopum, qui scripsit martyrium sub Valeriano passum, & in eadem ciuitate martyrio quoque fuisse coronatum Sanctum FIDELEM, legat necesse est Martyrologium, atque discat non Cumas, sed Comum ijs martyribus esse celebrandum, quamuis in tipographia veteris Martyrologij legatur; *Cumæ Campaniæ ciuitas in sinu Baiarum. Hic Abundius Episcopus migrat.* IVLIANA. xiij. Cal. Martij Cumis in Campania translatio facta est Iulianæ virginis & martyris, quæ Nicomediæ sub Maximiano Imperatore primùm à patre suo Africano grauiter cæsa, deindè ab Euilasio (Eleusium habet Beda) Præfecto cui nubere recusarat, variè cruciata, & in carcerem coniecta vbi palàm cum diabolo conflixit. Demum ignes & ollam feruentem superans, capitis amputatione martyrium consummauit. Eius translationem sic celebrat officium sacrarum Virginum, quæ Diuæ Mariæ Donnaromatæ sunt dicatæ.

S. Iuliana martyr.

Lectio prima;

Anno igitur ab Incarnatione 1207. Cal. Martij, cùm ciuitas Cumana propter malitiam inhabitantium destrueretur, venerabilis Pater Anselmus Neapolitanus Pontifex, ac relligiosa domina Bienna Ecclesiæ S. Mariæ Donnaromata Abatissa, quæ huius Virginis relliquias flagitabat habere, sedulò requisitus pro

defe-

deferendis eisdem, Leonem Episcopum Cumanum cum pluribus Abatibus & militibus de Neapoli Cumas sollicitè destinauit, qui de Cathedrali Ecclesia B. Maximi gloriosum corpus effodientes, vndè odor nimius exhalauit, & hymnis & canticis ad Ecclesiam Dei genitricis B. Mariæ de Pedicrypta detulerunt.

Lectio secunda;

Quo audito venerabilis Abatissa cum sodalibus Virginibus suis, & multitudine nobilium Dominarum illuc concita properauit. Et cùm omnes in terram prostratæ benedixissent Dominum, surgens ab oratione relligiosa Abatissa, locellum sanctarum Relliquiarum amplectens, stringensq. cum lacrimis, dixit; Obsecro te, Virgo sanctissima, per eundem pro quo sanguinem tuum fudisti, ne despicias tuam ancillulam. Pro te veni anxia, diù est quod te optaueram. Supplico ne despicias nostram mansiunculam. Credimus sanctissima vt per te fiat amplissima te nobis concedente diuina potentia. Deindè tota nocte vigilantes cum psalmis & hymnis Deo seruientes.

Lectio tertia;

Manè verò surgens prædictus Leo Cumanus Episcopus, simul cum his quos tu misisti Pater sanctissime, deducentes eas, honorificè obuiantes ei Sacerdotes & milites de regione Nili, simul cum magna plebe portantes ramos oliuæ in manibus, cantantes, Osanna in altissimis Deo; deindè adorantes cunctas Relliquias, præibant canentes & dicentes; Benedicta quæ venit in nomine Domini. Et sic canendo peruenerunt ad Ecclesiam B. Nicolai CHRISTI Confessoris de Castro Lucullano, sitam propè mœnia ciuitatis.

Lectio quarta;

Quo aduenit tu Pater beatissime cum processione magna totius cleri & populi ciuitatis, mulierum quoque, & infantum turba ad locum vbi sanctæ Relliquiæ erant, satis deuotè atque humiliter accessisti, quibus cum maxima reuerentia & deuotione susceptis, humerisq. impositis tuis & Episcopi Cumani, aliaq. casula in qua erant Relliquiæ S. Virginis & Martyris Iulianæ, ac duobus præsbyteris Cardinalibus, suscepta quæ præcedebat

Icona

Icona ipsius S.Virginis, pulcra nimis, cum hymnis & laudibus, cereisq. incensis, cum maximo iubilo & exultatione, Te Deum laudamus, canora voce cantando, ciuitatem intrasti, & cum honore & lætitia maxima ad Ecclesiam B. Dei genitricis, & Virginis Mariæ de Donnaromata properasti.

Lectio quinta;

Vbi Relliquias S. Virginis & Martyris Iulianæ quas proprijs manibus baiulabas, satis honorificè reponere studuisti, oratione ibi in Dei laudibus celebrata.

Lectio sexta;

Deindè alias sanctas Relliquias, Martyris videlicet, & Leuitæ quæ cum eo reposita fuerant, cum honore & lætitia maxima ad maiorem Ecclesiam B. Ianuarij Martyris satis honorificè collocasti.

Quibus ex verbis elicimus Cathedralem Cumis Basilicam, S. Maximi nomine decoratam fuisse. Anselmum, Neapolitanum Episcopum, Leonem, Cumanum. Eo tempore Cumas antiquatas. Cardinales appellatos tunc Canonicos, quod Pontificum præsentia contigerat. Regiones fuisse appellatas eas quas nunc Sedilia Neapoli dicimus; & Milites, quos nunc Equites appellamus. Nili regionem, non Nidi, ob Nili fluminis statuam ibi repertam, esse dicendam, eamq. antiquissimam. Ecclesiam præterea Monialium eam fuisse quæ cum Sedili coniuncta secularium habitatio abhinc xxx. annos facta est ab Antonino Castaldo. Dùm ipse puer ibi litteris operam darem, paruam ædem recolo, in qua Diuæ Iulianæ historia depicta erat, & D.Iulianæ erat ædi nomen. In Actis à Petro quodam ad Petrum Neapolitanum Episcopum scriptis, anno à Christo nato 290. passa est. Adiuuat Gregorius Pontifex cum Fortunato Episcopo Neapolitano Ianuariam quandam relligiosam feminam, quæ Relliquias Sanctorum Seuerini, & Iulianæ in Oratorio collocare desiderabat. Patriarchinus quidam mihi citatur, qui de Nouocomensibus Sanctis scribens citat Bedam, à quo ea dicuntur quæ suprà retulimus, & procul dubio de Cumis Campaniæ loquitur, nihilominus Nouocomũ in Nicomediam

tantum

tantum auctorem mutasse, aliquos ait arbitrari. At verò tot Iulianas martyres Martyrologium celebrat, vt ex earum aliqua Relliquiæ possint Comi asseruari. Sed Nicomediensem ne quæso Neapoli auferant, quæ Cumis translata est. De eadem Virgine multa in Salernitano Breuiario habentur, quæ ad eius faciunt historiam. In eodem verba leguntur quæ Beda etiam profert, hoc est, *Sponsum habuisse Eleusium*, quæ nisi huiusmodi intelliguntur, vt ei sponsa promissa fuerit, quo pacto sponsam habuit Senator eam, quæ virgo celebratur ab Ecclesia.

MAXIMVS. Inuenimus Sanctorum gesta quorum nulla à Martyrologio mentio facta est, quæ ex Longobardorum scriptis excerpta, non pigebit afferre. Cumas acerrimus Christiani nominis hostis à Diocletiano, & Maximiano missus est Fabianus Consul, qui omni conatu Christianos ab eorum cultu & relligione reuocaret. Erat ibi Maximus eius Ecclesiæ Diaconus, CHRISTI fortissimus athleta, quem cum nec minæ deterrerent, nec mouerent præmia, plumbeis ictibus primùm cæsus, in vincula coniectus, consumptus inedia, equuleum passus, tandem capite ad martyrij coronam in loco qui Caballaria dicebatur, mulctatus est; vbi eius corpus sepultum à xviij. militibus. Hi cum admirabilia in eius afflictione vidissent, Idolorum cultum reijcientes, Fidem Christianam amplecti libentissimè voluerunt. Sanctus Martyr aliquot post annos relligiosissimæ cuidam fœminæ, cui nomen Iulianæ, in somnis imperauit vt corpus ab agro in templum transferret, pollicitusq. est, dùm corpus perquirerent, Crucis signum ibi appariturum. Mox femina, populus, clerus ad Caballariam profecti, perspecta Cruce, summa cum lætitia corpus integrum extulere, & Cumis in templo eius nomini dicato condiderunt. Hic Maximus ille est, qui in maiori Basilica Neapolitana seruatur, & cui sollemnia Sacerdotes annua celebrant.

Fabianus Consul.

Puer, trium mensium, coràm Fabiano, Maximi sanctitatem diuinitus testatus est. Membratim idcircò discerptus, & martyrio Maximum antecessit.

Maxentius, latitabat tunc Cumanus Episcopus, Fabiani crude-

Maxentius Cumanus.

crudelitatem extimescens. Sed cum Maximus esset in carceribus, vbi milites ad Fidem conuersi detinebantur, & baptizari cuperent, orassetq. Dominum vt opem ei tunc ad illud praeclarum opus ferret, à Domino Maxentius excitatus est vt ad Maximum pergeret. Et cùm illuc peruenisset, carceribus ab Angelo reseratis, Baptismate Neophytos abluit; deindè ad easdem latebras secessit. Ex vita litteris Longobardis scripta, hæc decerpsit Breuiarium Capuanum iij. Calen. Nouemb.

Lectio prima;

Sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus facta est ingens persequutio Christianorum, ità vt circà domos, circà plateas, circà lymphas Idola erigerentur, vt si quis vellet emere aliquid aut vendere, aut aquam de fontibus haurire, Idolis primitus immolaret. In tantum enim rabies diaboli exacuerat, vt CHRISTI Fidem de omnibus terris expellere sese posse confideret. Trahebantur etiam viri ac mulieres, & diuersis supplicijs pro CHRISTI nomine macerabantur.

Lectio secunda;

Interea directus est Fabianus Praeses in Campaniam ciuitatem (Cumas habet vita) *vt ibi omnes ad sacrilegium prouocaret. Cùmq. veniret, & pro tribunali sederet, iussit omnem populum ad se congregari, & ità ad eos loquutus est dicens; Sciatis omnes, quia inuictissimi Imperatores Diocletianus & Maximianus, me direxerunt in hanc ciuitatem, vt Deos immortales adoretis; quòd si nolueritis, diuersis pœnis afflicti moriemini. Audiens hæc vniuersus populus procidentes in terram, adorabant Idola surda & muta, & Deum viuum derelinquebant.*

Lectio tertia;

Erat igitur in eadem ciuitate vir sanctus, Deo dignus, nomine Maximus, genere clarus, relligione pius, & castitate pudicus. Hic igitur trophæo Crucis armans frontem, in faciem Praesulis se obtulit dicens; Audi Praeses verba mea, qui non effugies iudicium Dei. Quid prouocas homines adorare Idola surda & muta, quae penitus in nullo possunt adiuuare cultores suos? Cumq. ad hæc iratus Fabianus diuersa diceret, & audiret, iussit latera

eius

rius plumbatis tundi, & eum indè in carcerem recludi. Post hæc eum carbones ardentes, equuleum, suspendium inuerso capite, lampades accensas, atque flagella CHRISTI virtute superasset, & sacrificare nollet, nouissimè capite cæsus est iij. Cal. Nouemb.

Palus Acherusia, & villa Seruilij Vaciæ.

Inter Cumas & Misenum Acherusiæ palus est. Καὶ ἐν τῷ μεταξὺ Ἀχερουσία λίμνη, inquit Strabo. Plinius item lib. 3. c. 5. *Lib. 3.* *Acherusia palus Cumis vicina.* Acheruntiam, Acheruntem, & Acherontem quoque appellarunt. Ferrugineis & squalentibus aquis, coenosa maris effusio. Lacum Colutij accolæ vocant, *Lacus Colutij* maturandis linis apprimè commodum. Lacus hic D. Annunciatæ est, & pars D. Catherinæ ad Cælanum Abbatiæ. habet ibi agros Abbas Iulius Cæsar de Bon'homo Puteolanus. Sunt qui contendant per hanc paludem Auernum intelligi, cùm dicat Virgilius,

Vnum oro, quandò hic inferni ianua Ditis
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso.

Et Strabo ipse paulò post, scribit Artemidorum putasse Auernum Acherusiam paludem, & nonnullos alios, Lacum Lucrinum; ἔνιοι δὲ τοῦτον αὐτὸν λίμνην εἶναι τὴν Ἀχερουσίαν φασίν; Ἀρτεμίδωρος δὲ αὐτὸν τὸν Ἄορνον. Quæ tamen sic coniunguntur, vt intelligamus Acherusiam in Auernum per subterraneos meatus refundi. Hinc Silius lib. 12. *Auernus, & Acherusia.*

Hinc vicina palus fama est Acherontis ad vndas
Pandere iter, cæcas stagnante voragine fauces
Laxat, & horrendos aperit telluris hiatus,
Interdùmq. nouo perturbat lumine manes.

Ideòq. Seruius de æstuarijs Acherontis, Auernum nasci scribit. Pausanias in Laconicis ait à tergo Chthoniæ areas tres describi, vnam Clymeni, Plutonis alteram, tertiam Paludem Acherusiam. Est & Acheron fluuius Epiri, de quo Plinius; & Brutiorum, de quo idem, vbi Alexander Molossorum Rex trucidatus est. Ianus Parrhasius in Claudianum scribit flumen ad *Lib. 3. c. 5.* *Lib. 4 c. 1.*

Heracleam sic etiam appellari, ab Acheronte Maryandinorum Rege, quod etiam Saonantes dicitur.

Seruilius Vacia. Ad Acherusiam, villa est Seruilij. Hic P. ille Seruilius Vacia, qui postea Isaurius est appellatus. Consul cum Appio Claudio ann. ab V.C. 674. bellum in Cilicia cum Piratis gessit, deq. ijs triumphauit capto Corico, Olympo, Phaselide, Isauro. anno 679. Censor cum L. Aurelio anno 689. Valerius lib. 8. tit. 5. Cicero, Verrina 5. Eutropius lib. 6. Decessit eo anno quo Cæsar anno 700. Diues per excellentiam dictus. Seneca eius villæ sic meminit; Ep. 1. 56. *Ideò diutiùs vehi perseueraui inuitante ipso littore, quod inter Cumas & Seruilij Vaciæ villam curuatur, & hinc mari, illinc lacu, velut angustum intercluditur.* Et paulò post; *In hac villa Prætorius diues nulla alia re quàm ocio natus consenuit, & ob hoc vnum felix habebatur.* De se ipso, refert idem, solitum iocando dicere; *Hic situs est Vacia;* quòd ibi ocio contabuerit. Vitauerat ob Tiberij crudelitatem, Romam, eòq. diuerterat, vt omnes exclamarent; *O Vacia, solus scis viuere.* In eius villæ fronte speluncas duas magni operis, laxiore atrio pares manufactas idem collocat, quarum altera Solem non recipiebat, altera vsque in Occidentem torrebatur. Platanonam præterea medium riuum & à mari, & ab Acherusio lacu receptum Euripi modo diuisisse, alendis piscibus sufficientem. Sed ille cùm mare patebat, Vaciam pepercisse; cum tempestas piscatoribus dedisset ferias, manum ad parata porrexisse. Idq. commodissimum in ea villa fuisse, quòd Baias trans parietem habuerit, & illarum caruisse incõmodis, dùm voluptatibus frueretur. Noto incõmoda Baiana. Addidit Vaciæ felicitatem ad animum referri debere; non enim multũ ad tranquillitatem locus confert; animus est, qui cõmendat omnia. Monetq. Lucilium nõ ideò parum benè esse compositum, quòd in Campania non esset. Inter illas ruinas aliquot reperta sunt epigrammata.

T. IVLIVS. BALBIVS. FRATER
VNA. CVM. FILIIS. SVIS
ET. COHEREDIBVS
SORORI. DVLCISSIMÆ.

Aliud,

Aliud,

HIC. EST. POSITA. ALBVCIA. BLESILLA
PARI. EXEMPLO. FEMINA
QVÆ. VIX. ANN. XXX. M. VI. D. XIX.
DVLCISSIMÆ. CONIVGI. FECIT.

Item,

D. M.
ANTIGONVS. GERMANICVS. QVI. VIX. AN. XVI.
C. LÆCANVS. EQ. SING. CÆS. ARGENTARIVS
HERES. PIENTISSIMO. AMICO. TITVLVM. FECIT.

Præterea,

T. ANNIVS. CLAVDIVS. V. F.
SIBI. ET. FAVSTINÆ. CASSIÆ. PATRONÆ
ET. POMPEIÆ. CALPHVRNIÆ. LIB.
CONIVGI. CHARISS.

Aliud,


SOLI. INVICTO. ET. LVNÆ. ÆTERNÆ
Q. MINVC. . . . PARAT. DEO.

Et,

INVI. VICTORI. TREBONIVS. GALLVS. COS.
PORTICVM. EX. VOTO. FECIT. DEDICAVIT
X. K. MAIAS
APIC. ANNIO. M. ATI. . . COS.



MISENI PROMONTORIVM.
Cap. XXI.



NTER promontoria quæ in maria procurrunt, atque habentur rerum magnitudine illustria, Misenum nobilissimum existimandum arbitror, propterea quòd coeli clementia, villarum nobilitate, antiquarum rerum monumentis, ciuitatis quæ in eo condita fuerat antiqua & noua relligione, cum vicinis vrbibus facilè contendere potuit. Summorum Imperatorum consuetudine præclarum piscinis, portu, Romana classe, admirabili ædificiorum mole nobilitatum. Villis prætereà inter quas Retinam quæ subiacebat memorat Plinius lib 6.epist.16. qui frequentem etiam oræ amoenitatem laudat, & quæ supersunt parietinæ in littoralibus scopulis, in portus ambitu optimè constitutæ ciuitatis magnitudinem, & pulchritudinem proponunt. Eo tamen nobilius promontorium, quòd indè veluti è specula in Cratere illo nobilissimo, perpetua littoris ora, ædificia quæ iacent, vnam ferè tantum ciuitatem oculi admirantur.

Neronis

Neronis oblectamentum & deliciæ, vt scribit Tacitus, quippe Lib.15.

Et te mirantem Thesproto subdita regno
Proxima Misenis æquora nobilibus.

vt ait Propertius. Habebatur tamen infame ob naufragia.

Miseno nomen inditum à Miseno Aeneæ tubicine ibi mortuo, sic enim Dionysius Halicarnasseus in Aeneæ Itinerario, Lib.1. *Illinc verò delati in pulcriorem profundum in Opicis portum extincto ibi quoque Miseno quodam viro nobili ab eo portum Misenum nominarunt*; vel ad Auernum immolato, & ibi sepulto. Immortale nomen locus retinuit, Virg. Lib.6.

Imponit suaq. arma viro remumq. tubamq.
Monte sub aërio; qui nunc Misenus ab illo
Dicitur -----

idcirco Statius, ----- *lituoq. remoq. notatus*
Collis -----

Sextus Aurelius Cæsarem in Pontificalibus citat lib. 1. qui Misenum non gubernatorem, sed tubicinem fuisse tradit, ideoq. Maronem vtramq. opinionem sequutum dixisse, *remumq. tubamq.* quamuis auctore Homero quidam asserant, tubæ vsum Troianis ignoratum. Misenon vrbem à Miseni sepulcro dictam. Aërium dicit, vel quia è littore vbi Miseni tumultus erat, mons videtur in magnam altitudinem protendi; vel quia speluncis plenus, pensilis videatur. Sepulcrum nobile existimat Silius, Lib.8. nam Troiana nomina continebat,

Nec non Misenum seruantem Idæa Sepulcro
Nomina -----

Strabo Cumis vicinum esse promontorium scribit, iisq. interpositam Acherusiam paludem, & coenosam quandam maris effusionem. Vltrà Misenum sub ipso promontorio paludem dicit esse (*λίμνη ἀλθὶς ὑπὸ τῇ ἄκρᾳ*) quæ absque dubio erat vbi nunc mare immissum, quod Mortuum appellant.

Portus Agrippæ.

Portus atque sinus Puteolani littoris, sic describit Dio; *ἐν τῇ* Lib.48. *Κύμῃ τῇ Καμπανίδι χωρίον τὶ μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Πυτεόλων μηνοειδὲς*

δές ἐστιν. ὄρεσίτε γὰρ σμικροῖς καὶ ψιλοῖς πλὴν βραχέων περιείληπται, καὶ θάλασσαν τριπλῆν κολπώδη ἔχει. ἡ μὲν γὰρ ἔξω τε καὶ πρὸς ταῖς πόλεσιν ἐστὶν, ἡ δ' ὀλίγη διαφυῇ ἀπ' αὐτῆς διείργεται. ἄλλη ἐν αὐτῷ τῷ μυχῷ λιμνώδης ὁρᾶται, καὶ καλεῖται αὕτη μὲν Ἀυερνὶς, ἡ δὲ μέση Λουκρινὶς. ἡ γὰρ ἔξω τῷ Τυρσηνικῷ οὖσα, ἐς ἐκεῖνο καὶ τὴν ἐπωνυμίαν τελεῖ. ἐν ταύτῃ δὴ τῇ θαλάσσῃ τῇ ἐντὸς ἑκατέρας στενοῖς τότε εἴσπλοις τὸ διεῖργον τὴν Λουκρινίδα ἀπὸ τοῦ πελάγους ἐπ' ἀμφότερα γὰρ αὐτὴν τὴν ἤπειρον ὁ Ἀγρίππας συντρήσας λιμένας ναυλοχωτάτους ἀπέδειξεν; *Cumæ, vrbs est Campaniæ, ibiq. locus quidam in Lunæ formam curuatus inter Misenum & Puteolos. is enim ferè totus montibus paruis ac nudis circundatur, habentq. tres sinus maris, quorum vnus extrà, propè ipsas vrbes est, Tyrrhenum vocant, quòd ad mare Tyrrhenum pertinet. Secundus, exigua intercapedine à priore dirimitur, Lucrino nomen est. Tertius in ipso recessu interiori, Stagni in morem, extat Auerni nomine. Proinde Agrippa in ea maris parte propter ipsam continentem, ad interstitium quod Lucrinum lacum vtrinque à mari dirimebat, angustis faucibus, per quas naues introire possent apertis, perfodit, effecitq. portus nauium stationi aptissimos.*

Quibus ex verbis liquet portum ad Misenum ab Agrippa excogitatum, in quo faucibus tantùm apertis, & immisso mari, portus perbellè fuit accommodatus. Neque antè ea tempora eius continentis partes portum habebant. Et cùm Cæsar apparatu bellico in Pompeium nauibus comparandis intrà & extrà Italiam maximè studeret, opus Agrippa ad eam rem missus perfecit. Nummus ei cusus est, in quo Neptunus sinistra delphinum, dextera tridentem tenebat cum hoc epigrammate,

Nummus Agrippæ.

M. AGRIPPA. L. F. PRAEF. ORAE. MARIT. ET. CLASSIS.

Lib. 4. Sat. 12 Huic portui natura facto, Portum Iulium præponit Iuuenalis,

---- non sic igitur mirabere portus
Quos natura dedit ------

In hoc portu deinde Augustus classem, alteram Rauennæ ad

In Tib. c. 49. tutelam superioris & inferi maris collocauit, vt ait Suetonius.

Lib. 4 Idemq. factum à Tiberio Cæsare meminit Tacitus; *Italiam vtroque mari duæ classes Misenum apud & Rauennam proximumq.*

mumq. Galliæ littus rostratæ naues præsidebant, quas Actica victoria captas Augustus in oppidum Foroiulienſem miſerat valido cum remige, & quæ ſequuntur. Vegetius ſcribit apud Miſenum & Rauennam ſingulas legiones cum claſsibus fuiſſe ne longiùs à tutela vrbis abſcederent, & cùm ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu ad omnes mundi partes peruenirent. Nam Miſenatium claſsis Galliam, Hiſpaniam, Mauritaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniam, atque Siciliam proximas habebat. Rauennatium verò, Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretã, Cyprum. Chiliarchus Neronis ætate nominatur Voluſius Proculus. Sub Tito, Plinius, conflagrante Veſuuio. Sub Vitellio ea claſsis defecit, cùm antea è claſsicis Rauennatibus legionariam militiam poſcentibus, ad copias quas ducebat Siluanus, poſt fractum exercitum Vitellij à Veſpaſiano, adſcitus eſſet optimus quiſque. Varij lapides in ea re claſsica illam oram decorarunt. In quibus & Præfectorum, & militum, & ipſarum nauium extant nomina. Lib. 4.

TI. CLAVDIO. ILO. PRÆF. CLASSIS. PRÆTORIÆ. MISENI PVB. PROC. LVDI. MAGNI. PROC. CLAVDII. DACII PROCOS. XX. HEREDITALIVM. PRÆF. VEHICVLORVM PROC. CLAVDIA. ALEXANDRIN. PRÆF. TRIB. TRIB. LEG. VII. CLAVDIÆ. PIÆ. FIDEL. PRÆF. CON. II. GALLORVM. PRÆF. CON. II. BOSPHORANORVM.

Aliud,

L. SEMPRONIVS. PROCVLVS. VETERANVS. EX. CLASSE MISENIS. MIL. AN. XXVI. SIBI. ET. CONIVGI. SVÆ. ET LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM.

Item,

D. M.

L. SELFVCIVS. NAT. SVLFICIENSIS. MILES. CLAS. PR. MISENATIVM. MILIT. AN. XXX. SCENICVS. PRINCIPALIS VIX. AN. L. ANTONIA. THEODOTE. SOROR. F.

Præ-

Prætereà,

D. M.

C. SENIO. SEVERO. MANIPLARIO. EX. III. FIDE. NAT. BASSVS. VIXIT. AN. LVI. MILIT. AN. XXVI. M. ÆMILIVS DOLENS. HERES. B. M. FECIT.

Ibidem,

D. M.

TI. PETRONI..... CELERIS. NAT. ALEX. EX. III. ISIDE VIX. AN. XL. MILIT. AN. XVII. TITIVS. AQVILINVS EPIDIVS. PANSA. III. ISID. N. B. M. FECERVNT.

Aliud,

D. M.
C. IVLIO. QVARTO
VET. EX. PRÆT. N. GALLO
CÆCILIVS. FELIX. S. ICONIA. HERACLIA
S. ET. S.

In quibus, Fides, Isis, Gallus, nauium sunt nomina. A Xenophonte commemoratur Paralus nauis apud Athenienses. *Lib. 1. de hist. Græc.* Talamegum reperies apud Aegyptios. Et in Thucidide, Δελφινόφορον, in qua Delphinus erat ex ære. Πήγασος etiam apud Græcos. Ταῦρος apud Pollucem. Quamobrem nauibus nomina imponere, antiquum. Præfectum Vehiculorum, Veteranum, & Maniplarium notabimus. Præfectus Vehiculorum, intelligendus est is quem alio nomine Magistrum nuncupabant. *Lib. 4. de bello Ciuil.* Ea verò non Vehicula publica erant, de quibus Appianus de Pomponio loquutus, ἵνα μὴ γνωσθείη πρὸς ἑτέρων, καὶ παρὰ ταῖς πύλαις ὀχημάτων τε δημοσίων ἐπέβη; *Ne agnosceretur ab alijs, & ad portam conscenso Vehiculo publico;* atque hæc quidem à Præfecto Prætorio, sumptu publico Augustorum populiq. Romani alebantur. *Vehicula.* Sed Vehicula in exercitu, quorum Præfecto & Magistro vectores & aurigæ obtemperabant.

L. ATILIO. L. F. CRESCENTI. ET. AVG. MISSO. HONESTA MISSIONE. EX. CON. VI. PRET. L. ATILIVS. TROPHIMVS ET. L. ATILIVS. EVTHYCHVS. LIB. ET. HEREDES. PATRONO. OPTIMO. ET. B. D. S. M. FECERVNT. ET. SIBI. ET SVIS

SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM H. M. EX. TEST. NON. SEQVETVR. NEC. HERES. MONVMENTVM.

Augusti æuo duplex hæc missio facta est, vt plena missio in Colonias,& domum deduceret. Exauthoratio,vt quamuis immunes à vigilijs & excubijs redderet milites, non tamen exciperet à pugna in hostem. Tiberius rarissimas Veteranorum fecit, vt inquit Suetonius, ex senio mortem, ex morte compendium captans. Et emeritus, dicebatur ἐντίμως κατὰ στρατιωτικοὺς καμάτους, quo circa immunes erant, & operum vacui.

Quatuor tamen missiones numerantur. Honesta, confectis stipendijs. Causaria,ob vitium vel morbum. Gratiosa, per gratiam ab Imperatoribus impetratam. Et Ignominiosa, qua criminum causa quis militia soluebatur. In pedite, xx. annorum conficiebatur stipendium. In equite, x. In Nauticis, xxv.

Aedificia.

TRACONARIA piscina inter varia Miseni ædificia cernitur Græcam vocem retinens, τρακὼν enim meatus aquarum significat, quorum causa à Nerone fuisse inchoatam scribit Suetonius, *Præterea incboatam piscinam à Miseno ad Auernum lacum contectam*, Porticibusq. habent manu scripti *conclusam, quò quicquid totis Baijs calidarum esset, committeretur.* Spectabile aquarum Castellum; in quod per fistulas aquæ pluuiarum ex promontorio defluebant,in altum ad pedes xx.exurgens. Longitudinem, & latitudinem collapsæ testitudines oppleuerunt. Medium eius spacium patet inter duos parietes in latitudinem pedes cc.in longitudinem xviij. In vtroque latere medij transitus per portas quatuor aditus patet in cellas amplas quaternas, quarum testudines decussatim fornicibus iunctæ parietibus intermedijs impositæ sunt. Cap.5.

Piscina quam MIRABILEM vocant, admiratione profectò digna est. Opus illud Regium,concameratione,pilis xlviij.innixa, pedes ternos vndique crassis. Quæ quatuor ordinibus numero quaternario distributæ,symmetriã quinctuplicis porticus Piscina mirabilis.

per elegantem longitudinẽ efficiunt. Longa, paſſus ccl. lata, clx. Lateritia ac ſolida ſtructura, craſſo muro, parietibus diligentiſſimo tectorio veſtitis. Quod duriſſimum factum exiſtimarem, quoniam diutiſſimè aquas retinuit. Foramina in teſtudine, vnde hauriebantur aquæ. Per ſcalas lapideas ex duobus lateribus graduum xl. eò deſcendebãt. Alteram hoc tempore obſtructam conſpicimus. Pauimentum ſumma induſtria conſtipatũ, adhuc pluuiales aquas retinet. Luculli opus hanc piſcinam arbitrati ſunt propter eius villæ vicinitatem, quam in ſinu illo habuiſſe

Lib. 3. de re ruſt. Cap. 7.

ſcribit Varro; *In Baiano autem tanta ardebat cura, vt Architecto promiſerit vt ſuam pecuniam conſumeret, dummodo perduceret ſpecus è piſcinis in mare, obiectaculo quo actus bis quotidie ab exorta Luna ad proximam nouam introire, ac redire rurſus in mare poſſet, & refrigerare piſcinas.* Agrippæ opus tribuo, vt aquis quoque claſſi conſuleret. Quò etiam fluminis aquas quæ è Serino emanant per aquæductus fuiſſe immiſſas ſcribit Bocaccius libro de Fluminibus. Aliquot eius operis extant veſtigia ad Neapolim, quæ per Hermitem & vicina loca

Vallis Sebethi.

per Puteolos, Miſenum deducebantur. Vallem Sebethi appellabant accolæ petras vndè ſcatebant, deinde Sabatum dixere immixtum fluuio Beneuentano. Anno 1593. cum ipſe in Irpinis ad rem frumentariam comparandam Neapolitanæ vrbi, commorarer, eiuſdem ciuitatis vſui eandem aquam deducendam Magiſtratus decreuerunt, & miſſi machinatores qui ad libellam exigerent, duce Ioanne Simone Moccia equite Neapolitano, vt ad ciuitatem ducta aqua, moles frumentarias conſtituerent, fonteſq. eminentioribus ciuitatis locis aperirent. Hominum tandem opinio refrixit. Ad aquas Luculli ſeruandas aliud Caſtellum ædificatum fuiſſe, quod centum cellas appellant, arbitrati ſunt. Id faciliùs do.

Villæ.

In Tib. c. 75. Lib. 6.

In villa Luculliana obijſſe Tiberium, ſcribunt Suetonius & Cornelius Tacitus. Quorum alter; *Repetere Capreas quodammodo deſtinauit, non temerè quicquam niſi ex tuto auſurus.*

Sed

Sed & tempestatibus, & ingrauescente vi morbi retentus paulò post obijt in villa Luculliana. Alter verò; *Tandem apud promontorium Miseni consedit in villa cui Lucullus quondam dominus.* Dio lib. 58. ἔφθασε γὰρ ἐν Μισηνῷ μεταλλάξας πρίν τι αὐτῶν μαθεῖν; *Miseni mortuus est antequàm de ijs causis resciret. Dum Caius eius mortem acceleraret.*

Haud longiùs C. MARII villa. Hanc Plutarchus in eius vita ad Misenum ponit, magnifica domo, sumptuosiore & delicatiore, quàm tanto Imperatori militiæ alumno conueniret. A Cornelia ccc. sextertijs empta, pro qua postea L. Lucullus centies sextertium expendit; & miratur tam breui spatio adeò sumptum excreuisse, tertiam enim pretij partem Lucullus superauit, si sextertiorum rationem animaduertemus. Cùm verò Marius militia se abdicasset, adductusq. esset in concionem à Sulpitio Tribuno plebis vt contra Mithridatem bellum gereret, populus in diuersas partes abijt, alijs Marium probantibus, alijs Syllam vocantibus, & Marium ad Baias ire vt corpus senio confectum ibi curaret, iubentibus. Plinius; *Posuit in Misenesi villam C. Marius VII. Consuli, sed peritia castrametandi sic vt comparatos ei cæteros etiam Sylla felix cæcos fuisse diceret.* Lib. 18. c. 6. Eos deindè hortos coemit, & coluit. Valerius Asiaticus qui bis Consul fraude tandem Messallinæ & Vitellij euersus est. Tantum verò hisce hortis studuit, vt *inhiantem* dicat Cornelius Tacitus; *Hortis inhians quos ille à Lucullo emptos insigni magnificentia extollebat. Claudius Cæsar qui eum perdere cupiebat, cum militibus tanquam opprimendo bello Crispinum prætorij præfectum misit; à quo repertus est apud Baias, vinclisq. inditis ad vrbem raptus.*

Cornelia.

C. Gracchus, eius Gracchi frater qui legem Agrariam tulerat, cùm eadem de causa acerbissimas in Rep. seditiones excitasset, cùmq. duo Flacci pater & filius, qui ex æde Lunæ in priuatam quandam domum desiluerant, confessi essent, occisus est, & caput allatum Consuli, corpus verò ad Corneliam ma-

trem Misenum oppidum deuectum est. Quæ Cornelia Africani maioris filia, Misenum prioris filij obitus causa decesserat, vt scribit Paulus Diaconus lib. 1.

Echini.

Satyr. 4 lib. 2. Misenates Echinos laudat Horatius,

Murice Baiano melior Lucrina, Peloris
Ostrea Circæis, Miseno oriuntur Echini.

Ecclesia Misenas.

Misenatem Ecclesiam Cumanæ coniunctam fuisse, in Cumana diximus. Zosimus sub Diocletiano, Eleutherius Episcopus, & Antia mater sub Adriano, martyres Miseni celebrantur. Licet in annotationibus in Martyrologium, Illustrissimus Baronius scribat hallucinatos esse, qui eos Miseni martyres constituunt, veluti & eos qui, Missenij, & Messanæ. arbitratur enim, Messapiæ esse legendum. Quòdq. Rhegino monachus, qui floruit anno 919. apud Tritemium scribat, apud Mesenam in Apulia, erroris arguitur, collocato Miseno in Campania. (Martyres.)

Miseni S. SOSIVS (ἀπὸ τοῦ σώσαι, à seruando dictus) Leuiticum ministerium exercuit; qui trigesimum annum agens, martyrium cum S. Ianuario Episcopo suscepit ix. Calend. Octobris anno 305. Habet eius corpus Neapolis in æde S. Seuerini. De quo sic Martyrologium; *In Campania commeratio B. Sosij Diaconi Misenatis, quem S. Episcopus Ianuarius cùm illius capite Euangelium in Ecclesia legentis flammam videret exurgere, martyrem futurum pronunciauit. Et non post multos dies, cum ipse esset annorum xxx. martyrium cum eodem Episcopo capitis detruncatione suscepit.*

Eius translationem in eius vita describit Ioannes Diaconus apud Surium. Cùm enim Longobardorum persequutio crudelitatis flammam in toto orbe terrarum, & præsertim in Campania accendisset, Christianorum parietes in Misenati oppido potissimum lambere ad ruinam videbatur. Auidiùs illud oppidum petiere, ob Sibyllæ Vatis sepulcrum, quod indè haud longiùs

gius aberat. Conscius factus fuerat Sicardus eius gentis princeps, Sosij corpus, qui cum Ianuario & socijs, Puteolis martyrium passus fuerat, Miseni à ciuibus sepulcro seruatum templo eidem condito. Quamobrem cum diù fodisset, corpus inuenire non potuit. Missis deindè ab Abate S. Seuerini, Athanasio monacho, & Petro subdiacono corpus inuentum est, & Neapolim translatum, permittente Stephano Neapolitano Episcopo, & annuente Ioanne Episcopo Cumano. Sexaginta annos post Sosij mortem, à Sarracenis oppidum Misenum demolitum fuisse affirmant, & solo æquatum.

EPISCOPI. BENENATVS cui Cumanæ Ecclesiæ Visitatori, mortuo Liberio eius ciuitatis Episcopo, eãdem Ecclesiam commendat B. Gregorius his verbis; *Quoniam Cumanæ Ecclesiæ Liberius quondam Antistes de hac luce migrasse cognoscitur, propterea visitationis destitutæ Ecclesiæ Fraternitati tuæ operam sollemniter delegamus*, &c. Illud etiam adijciens vt nullum de alia ecclesia eligi permittat ibi Episcopum, nisi fortè inter Cumanos clericos vllus esset, quẽ ad Episcopatus onera euehi posse sibi persuaderet. Ne præterea laico cuipiam, eam dignitatem æmulari permitteret. Hunc Benenatum Misenatem fuisse Episcopum idem Gregorius exprimit ad Anthemium Subdiaconum scribens; *Comperimus Benenatum Misenatem facinus quod de se per scripturam manu prius professus est, abnegare... Et ideo quia huius sceleris negatio sicuti maiore discussione, ità & maiore indiget vltione.* Videtur deindè Pontifex eidem Episcopo pecuniam dedisse, qua Miseni castrum extrueret, cuius partem apud se Benenatus retinuit, & tunc priuatus Episcopatu cernitur. Sic enim ait; *Peruenit ad nos quondam Benenatum Messenatem Episcopum pro construendo illic castro solidos accepisse. Et quia pars eorum solidorum apud eum dicitur remansisse, experientia tua subtili indagatione perquirat, & si quid manifestè de ipsis solidis cognouerit remansisse, Comitatio Comiti prædictæ ciuitatis sub de suscepti illud pagina contradat, atque immineat, vt in constructione eiusdem loci sicut sunt dati, Deo adiuuante proficiant; quia ratio nulla permittit, vt proprijs cuiusdam*

Lib. 2. ep. 19.

Lib. 11. ep. 30

Epist. 36.

Comitatius Comes Misenat.

dam

dam vsibus applicetur, quod pro communi vtilitate datum esse cognoscitur. Idem Pontifex lib.7. epist.25. eandem ecclesiam Fortunato Episcopo Neapolitano commendat, & Visitatorem eundem illi iniungit; *Cognoscentes Messenatem Ecclesiam Sacerdotis regimine destitutam visitationē eiusdem Ecclesiæ Fraternitati tuæ operam sollemniter delegamus*, &c. iisdem verbis vsus quibus ad Benenatum scripserat. Possidebat montem, vel agrum cum monte, qui S. Saluatoris de Miseno nomen habebat, Monasterium S.Fortunati in Arpaia, Beneuentanæ diæcesis,à cuius Fratribus ager siluosus, nemorosus,sterilis,incultus, cum iurisditione piscandi iuxtà littus ex tribus partibus candelæ censu addicto pro iurepatronatu, Francisco Boccaplanulæ, & Bertheramo fratri anno 1430. Sed à Ioanne è Florio Lucij, Ioannis Iacobi, Boccaplanulæ,& Adrianæ monialis procuratore, dictus ager & mons Misenus anno 1550. venditus est Francisco de Touar Hispano S. Iacobi Commendatori, promisso assensu Ecclesiæ S.Fortunati. Pretium ccc.aureorum persoluit. Eaq. nunc familia possidet,curante Abbate Iulio de Bonhomo Puteolano. Anno sequente 1551. Dictadus Gueuara, Ioannis Gueuaræ S.Agathæ Gotthorum Episcopi,S.Fortunati Prioris, & Commendatoris frater & procurator,lite coorta,a Francisco de Touar L. aureos Ecclesiæ reparationi erogandos accepit, addito auctiori candelæ censu,qui Illustriss.Cardinali Baronio S. Fortunati Abbati soluitur. Possidetur hoc tempore mons à Catherina de Touar.


Comitiua.

Ex superioribus Gregorij verbis, Comitiuam cognoscimus Misenatem, eiusq. Comitem Comitatium iam indè ab anno 590.quo ad Pontificatus apicem Gregorius est euectus.Cuius etiam ætate Puteolanum Comitem notauimus. Vectanum etiàm Comitem commemorat idem Pontifex ad Maurentium Ducem Neapolitanorum scribens, & tunc Fortunatum Neapolis habebat Antistitem.

BAVLI.



BAVLI. Cap. XXII.



NTERIACENT Misenum & Baias Bauli. Herculis ibi Boauli templum à Geryonis bobus, cùm bouum pompam duxisset Iberorum, vt loquitur Martianus. Quo tempore illud memorabile est, Italiam dictam, quasi Vitaliam, à Vitulo, qui ab armento resiliens profugerat, & totam illam oram peragrauerat, vt scribit Hellanicus Lesbius apud Halicarnasseum. Silius lib. 2.

---- *& Herculeos videt ipso in littore Baulos.*

Boaula, Caula bouum appellata; mox Baulum, vt dulciùs auribus sonaret;

------ *corrupta Boalia, Baulos*

Nuncupat hac ætas ----

inquit Symmachus. Pausanias in Eliacis in vrbe Pylo speluncam describit, in qua Nestoris & Nelei bouum stabulum fuisse dicit. Vtq. Boauli nomen exprimeret, huiusmodi diuisit; *Bauli, & Boaula.*

Βοῦς

Lib. 1. Βοῦς δὲ ἐνταῦθα τὰς Νέστορος, καὶ ἔτι πρότερον Νηλέως φασὶν αὐλίζεσθαι; *Ibi bouum Nestoris, & anteà Nelei stabulum fuisse dicunt.* Et quemadmodum Iphicli boues Neleus expetiuit, sic Eurystheus imperauit Herculi vt eximia specie boues ad se abigeret. Bobus quidem in primis priscos delectatos fuisse, ostendit Homerus in Iliade, qui Iphidamantem Antenoris filium boues centum nuptiarum munus socero dedisse scribit.

Agrippina.

Agrippina. Agrippinæ calamitate locus celebris est. Quæ cùm in magnam Neronis inuidiam adducta esset, non tantum omni honore & potestate priuata est, abducta militum & Germanorum *Cap. 34.* statione (vt ait Suetonius) sed etiam contubernio & palatio expulsa. Ter venenum tentauit, & frustrà. Semper enim antidotis illa erat præmunita. Lacunaria parauit, vt super dormientem deciderent, ipsa tamen consilij particeps effecta, sibi cauit. Tandem Baias eam euocauit, data naui solutili & machinosa, quæ repentè corrueret in medijs aquis. Corruit illa quidem, *Lib. 4. Ann.* sed ipsa enatauit ad littus incolumis. Narrat Tacitus in littora obuium matri factum Neronem (nam Antio aduentabat) manu & complexu eam excepisse, & duxisse Baulos, villam (quæ Hortensij anteà fuerat) quæ inter Misenum, & Baianum flexo mari alluitur. Ibi conuiuio & blandè habita. Et quoniam Baias ad Quinquatruum festos dies allexerat, nocte intempesta, dicens, Vale mater, per te viuo, per te regno. imposuit eam naui quam Anicetus eius libertus, classis apud Misenum præfectus, pueritiæ eiusdem educator, Agrippinæ mutuis odijs inuisus, ædificari posse aiebat, cuius pars in ipso mari per artem soluta, effun- *Nauis solutilis.* deret matrem ignaram. Comitabantur eam Crepereius Gallus, & Aceronia liberta, cui Pollæ cognomen addit Xiphilinus. Dato signo, tectum nauis plumbo graue corruit, pressusq. Crepereius exanimatus obijt. Agrippina & Aceronia protectę sunt. Tunc visum remigibus in vnum latus nauem inclinare, atquè ità eam submergere. Sed alijs eius consilij ignaris, contrà nitentibus, factum est vt leniter Agrippina & Aceronia in mare præ-

præcipitarent. Clamabat Aceronia vt Agrippinę opem ferrent, Principis matri, quam se ipsam faciebat vt mortem euaderet. At remiges cum in tenebris essent, Agrippinam rati, contis & remis Aceroniam interfecere, quæ cum Crepereio sceleris participe meritas pœnas soluerunt. Sæpèq. vsu venit vt in proditionis gnaros primū à diuina vindicta animaduertatur. Agrippina silens, vno tantùm in humeris accepto vulnere, nando, *Aceronia remis occiditur.* lembi occursu ad villam quæ in Lucrino habebat, vehitur. Quod cum Neroni nunciasset Agerinus (Lagenus Suetonio, Lagerinus, vel L. Agerinus alijs codicibus) per quem dicebat, vt ἐυαγγέλια sibi mitteret, quòd salua esset, interfectus ab ipso est, submisso celeriter Aniceto percussore. Qui Herculeo & Oloarito centurione classiario adhibitis sociis, circumsistentes lectum, prior trierarchus fusti caput eius afflixit. Quæ Centurioni ferrum distringenti protendens vterum dixit, *Ventrem feri.* *Agrippina occiditur.* Id dictum Aniceto scribit Dio, Παῖε ταύτην Ανίκητε, παῖε, ὅτι Νέρωνα ἔτεκεν; *Hunc percute Anicete, percute, quoniam Neronem peperit.* Multisq. vulneribus confecta est. Eam mortuam cùm dissecarent astitisse Neronem scribunt, denudata penitus conspexisse, & vulnera contemplatum in ea prorupisse verba, quæ magis nefaria habita sunt, quàm ipsa cædes. Quæ verba cum matre ipsum rem non habuisse declarant, licet feminam Agrippinæ similem amans sæpiùs dixerit, se cum matre consuetudinem habere. Quamobrem nō indigni facinoris penitentia, sed aliæ causæ in matrē odium excitarunt. & quędā membra vituperasse, quædā laudasse dicentē, οὐκ εἴδον ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον; *Nesciebam me tàm pulcrā matrem habere.* Idem Tacitus crematam eadem nocte Agrippinam dicit, conuiuali lecto, & exequijs vilibus. Conuinale autem lectum sic describit Liuius; *Lib. 9. Dec. 4.* *P. Licinij funeris causa visceratio data, & gladiatores cxx. pugnarunt, & ludi funebres per triduum facti; post ludos epulum, in quo cùm toto foro strata triclinia essent, tempestas cum magnis procellis coorta, coegere plerosque tabernacula statuere in foro.* At tantum honoris Agrippinæ non fuit exhibitus. Quin dùm rerum potiebatur Nero, non congestam aut clausam humo scri

bunt. Mox domesticorum cura leuem tumulum accepisse viam Miseni propter, & villam Cæsaris Dictatoris, quæ subiectos sinus editissima prospectabat. Accenso rogo, libertus eius Mnester cognomento ferro sibi mortem consciuit; incertum charitate in patronam, an metu exitij. Post matris cædem Nero nocturno tempore tanto metu conturbabatur, vt de lecto repentè prosiliret. Interdum perterrebatur Tubicinum auditu, qui bellicum canere maximo tumultu videbantur, quo in loco matris ossa sepulta erant. quamobrem aliò migrabat. Domus Baulis Agrippinæ ostenditur, quam sepulcrum vocant. In fornicibus crustæ, in quibus Sphinges & Gryphes, aliaq. his similia depicta; quas imagines fumus in dies perdit, ex luminibus quibus accedentes vtuntur.

Piscinæ Hortensij.

In eo littore Q. Hortensij oratoris villa est, cuius ruinæ aut mari teguntur, aut littore proiectæ iacent. Piscinas & stagna ibidem habuisse, dicteria Ciceronis declarant, qui Tritonem, & beatum piscinarium illũ appellare solebat, idq. tribus de causis. Quòd pisces cicures ad manum venire solebant vocati. Quòd *Murena.* Murenæ mortem fleuit. Et quòd amico petenti duos mullos, duos mulos lecticæ qua vehebatur dixit se libentiùs daturum. Hanc villam Antonia Neronis Drusi mater possedit, quæ ama- *Lib.9.c.55.* tæ sibi Murenæ inaures addidit, vt ait Plinius, quamobrem vi- *Lib.3.* sendi Baulos, multos cupido inuasit. Varro; *Q. Hortensius familiaris noster, cum piscinas haberet magna pecunia ædificatas ad Baulos, ità sæpè cum eo ad villam fui, vt illum sciam semper in cœnas pisces Puteolos mittere emptum solitum, neque satis erat eum non pasci piscinis, nisi eos ipse pasceret vltrò.*

Circus.

Ad Baulos maximi ædificij ruinæ cernuntur, quas Mercatum Sabati vulgus appellat. Alij censuere Circum ibi fuisse; eòq. matrem Neronem accersisse ad Quinquatriorum festum. Quid verò Baulis Circus, si Baias euocauit ad sollemnia Quinquatrium simul celebranda, inquit Suetonius? & si ex Taciti verbis cogno-

cognouimus Baulos primum aduectam matrem, misisse deinde Baias cum naui solutili? Quo circa Baijs Circum constituemus. Quodcumque tamen hoc ædificium fuerit, ad Quinquatria accedamus. Erant dies festi Mineruæ. Quinquatrus propriè appellandos contendit Lambinus, cùm Cicero dicat ad Cœlium; *Ità tumultuosæ conciones, ità molestæ Quinquatrus afferebantur*; non Quinquatria. Quinquatria festum Mineruæ. Lib. 2.

----- puer vt festis Quinquatribus olim.

Edebantur in Albana villa Cal. Martij. Romæ, in monte Cœlio, Mineruæ captæ viij. Cal. Martias. Quinquatria tamen, & Quinquatrus lego. De Albanis Suetonius in Domitiano; *Celebrata & in Albano quotannis Quinquatria Mineruæ, cui collegium instituerat*. De Romanis Liuius; *Legati ex Macedonia Quinquatribus vltimis adeò expectati venerunt, vt nisi vesper esset, extemplò Senatum vocaturi Consules fuerint*. De eorum origine, Ouidius, Lib. 4. Dec. 5. Lib. 3. Fast.


Vna dies media est, & fiunt sacra Mineruæ
Nomina quæ à iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Causa quòd est illa nata Minerua die.
Altera, tresq. super strata celebrantur arena
Ensibus exertis bella Dea læta est.

Quod autem prima dies sanguine vacauerit, ità existimant aliqui, vt pugnarent quidem, sed rudibus, non ferro. Aliqui quòd primo die fiebant sacrificia, & vacabant sanguine, hoc est humano. Alexander ab Alex. Quinquennales ludos, malè cum Quinquatribus confundit. In his festis ex Tranquillo in vita Domitiani intelligitur, præter venationes, & scenicos ludos, Oratorum quoque & Poetarum fuisse certamina. Eodem etiam tempore, quod testatur D. Hieronymus, Munus Mineruale appellatum, pueri quando vacabant, magistro offerebant. Sed ita appellatum Varro refert, vicinorum populorum exemplo, qui dies post sextum, & septimum Iduum, sexatrum, & septimatrum appellarunt. Paulatim tamen nominis errore consuetudinem irrepsisse, vt quinque dies crederentur. Lib. 5. de ling. Lat.

Sinus Euxinius.

De origine Vrbis.

Inter Misenum & Auernum sinus Euxinius interpositus est, de quo hæc leguntur apud Aurelium Victorem; *Addunt præterea quidam Aeneam in eo littore Euxini in cuiusdam Comitis matrem vltimo ætatis affectam circà stagnum quod est inter Misenum Auernumq. extulisse, atque indè loco nomen inditum, qui etiam nunc Euxinius sinus dicitur.*



BAIAE. Cap. XXIII.



SINVM illum celebrem Baiarum, non quòd Aristobolus Romam proficiscens est admiratus, sed quòd ipse sæpius eò contendens, Romani animi fragmenta, quæ reliqua sunt summa cum admiratione conspexi, cum aliqua Romanæ vrbis maiestate comparare ausim, & thermarum copia, & amplitudine templorum, & terræ solo calidis aquis irriguo, quas tùm ad luxum, tùm ad morborum sana-

sanationem idoneas appellauit Strabo, & Dio vitæ hominis, & valetudini aptissimas, ideóq. magnificas ibi, & sumptuosas ædes extructas, visus est in vita Augusti magnopere laudare. Sic à Blondo describitur; *Terram ambit omnium Italiæ pulcherrimam, in qua Baiæ fuerunt ciuitas opulenta. Idq. omne solum & si quinis, vt diximus, productum est millibus, latitudine tamen parum variata, duo alicubi, & minus alibi millia explet, vt digiti vnius speciem præseferat. Quo in terrarum, vt ità dixerim, digito tàm multa cernuntur partim integra in subterraneis, partim superius semiruta, partim in ruinas collapsa veterum operum monumenta, vt extrà vrbis Romæ mœnia nihil illo toto orbe terrarum ædificiorum magnitudine, ac pulcritudine par credam existimemque fuisse, vt non iniuria dixerit Horatius,* Lib.5. In Ital.illust. 1.epist.17.

Nullus in orbe locus Baÿs prælucet amœnis.

Volaterranus; *Apud Baias amœnitas illa prædicata, & secessus Romanorum.* Sitū & nomen his verbis cōiungit Silius Italicus, Lib.6. Lib.8.

------ illic quos sulphure pingues
Phlegraci legere sinus, Misenus, & ardens
Ore giganteo sedes Ithacesia Baÿ.

nam à Baio Vlyssis socio ibi sepulto, sic appellatas dicunt. De quo cùm dixisset Lycophron de Gigantibus loquutus,

Βαίου δ' ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον.

addidit Interpres, Baium hunc nauis Vlyssis gubernatorem fuisse, & ad Siciliam sepultum. à quo dicunt vocari Baias insulas & ciuitates, & Baianum lacum propè Auernum Italiæ. Plerique à baiulandis mercibus sic dictas existimant. insulsè. Neque prætermittam apud Aegyptios, ΒΑΙ, animam significare, vt scribit Orus Apollo, si νεκύα tribuimus. Et ΒΑΙΟΝ, genus esse compositionis medicum, apud Trallianum, si thermas consideremus. Iosephus paruam fuisse ciuitatem scribit, Lib.18.c.14. cùm loquitur de Fortunato Agrippæ seruo, qui Herodem subsequutus, Cæsari litteras erat redditurus, quem apud Baias consequutus est. Imperatorum tamen habitationes magnificè ædificatas, principum villas, thermasq. maximè laudat.

Baia-

Baianarum aquarum luxus.

Quamuis Baianis aquis plurimùm tribuamus, Horatius tamen ab Antonio Musa medico edoctus, ad voluptatem dumtaxat comparandam eas valere scribit, ad bonam verò valetudinem inutiles esse, epist. 1. ad Nummonium Valam,

------ nam mihi Baias
Musa superuacuas Antonius; & tamen illis
Me facit inuisum gelida cùm perluor vnda
Per medium frigus ------

Et Suetonius Augustum scribit, quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactum esse. Medici hoc tempore (sed quis medicus? qui Galeni tantùm methodum legerit? qui impunè homines occidit?) cùm nihil reliqui habeant medendis corporibus, vel cùm re ipsa ignorent quo morbi genere ægri sint affecti, ad aquas Baianas eos reijciũt, quas nemini vnquam prodesse cognoui. Noui tamen stolidos nostræ ætatis homines, qui si cœci eò proficiscantur, iàm se videre cœciores indè reuersi contendunt. Nihil prætereà accedentes faciunt, quàm quod idem Horatius ait,

Ad mare cùm veni generosum & lene lequiro
Quod curas abigat, quòd cum spe diuite manet
In venas, animumq. meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ.
Tractus vter plures lepores, vter educet apros,
Vtra magis pisces & echinos æquora celent.

Ad quod allusit Pontanus lib. 1. Baiarum,

Salaces refugis, Marine, Baias
Et fontes nimium libidinosos.
Quid mirum? senibus nocet libido,
At non ò Tomacelle vina prosunt?
Et prodest senibus liquor Falernus?
Et prosunt latices Thyoniani?
An non & senibus Marine, somnus
Et prodest requies? soporq. prodest?

Bayjs

Baijs somniculosiùs quid ipsis?
Quid thermæ, nisi molle, lene, mite
Rorantes cyathos merumq. poscunt?

Alibi balneas inducit loquentes, quæ hoc etiam tempore eadem obloqui possent, quandò Venus in balneis cupit impleri,

Nostrum si titulum puella nescis,
Hic est; Prægrauida recede aluo
Quæ venit vacua; hoc habet tabella.
Quod verò officium tuum meumq.
Quæ partes, moneam: Virum ipsa tecum
Adducas validum, ioci peritum,
Cui telum viride, & virens iuuenta,
Nec tu defueris comes iocanti.

Martialis innuit sæpè Penelopes, Helenas in balneis euasisse;

Casta nec antiquis cedens Læuina Sabinis,
Et quamuis tetrico tristior ipsa viro.
Dummodo Lucrino, modo se permittit Auerno,
Et dum Baianis sæpè fouetur aquis,
Incidit in flammas, iuuenemq. sequuta relicto
Coniuge, Penelope venit, abit Helene.

Vtilia docet in Pedagogi lib.3.cap.5. Clemens Alexandrinus, qui ait viris & feminis communia aperta esse balnea, atque ibi exui ad intemperantiam, perindè ac si sit eis pudor in lauacris obrutus. Athletas prætereà viros nudos se ostendere erubescentes, dùm certamen peragebant accinctis subligaculis seruasse verecundiam; mulieres autem simul cum tunica pudorem exuere. Ideòq. Hesiodum *Corpus femineo non exilarare lauacro,* suadere.

Idcircò tepentes fontibus Baias, Lucrinum, & Auernum, quædam maris ocia dixit. Eius loci vitia sic describit Seneca; Epist.51.
Nunquam Canopum eliget. ne Baias quidem. Diuersorium vitiorum esse cœperunt. Illic sibi plurimum luxuria permittit. Ibi tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis soluitur. Non tantùm corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, sic nec inter

popinas

popinas quidem. Videre ebrios per littora errantes, & comessationes nauigantium, & Symphoniarum cantibus perstrepentes lacus, & alia quæ velut soluta legibus luxuria, non tantùm peccat, sed publicat. Et paulò post; *Habitaturum tu putas vnquam fuisse in Vtica Catonem, vt præternauigantes adulteras dinumeraret, & aspiceret tot genera cymbarum varijs coloribus picta, & fluitantem toto lacu rosam, & audiret canentium nocturna conuicia? nonne manere ille intrà vallum maluisset, quàm vnam noctem inter talia duxisse?* Quæ Cicero in oratione pro Cœlio breuiùs complectitur, *Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Baijs acta conuiuia; comessationes, cantus, symphonias, nauigia iactant.* Et paulò post; *Quæ haberet palam decretum semper aliquem, cuius in hortos, domum, Baias, iure suo libidines omnes commearent.* Quin etiam Baias tantum vidisse, libidinem præ se ferre, affirmare ibidem videtur. Ammianus Marcellinus dùm nimium delicatorum hominum vitia notat, reprehendit eos, qui si agros visuri processerint longiùs, Alexandri itinera se putant æquiparasse, vel Cæsaris; aut si à lacu Auerno lembis inuecti fuerint Puteolos, aut Caietam, si inter aurata flabella lacinijs sericis insiderint muscæ, vel per foramen vmbraculi pensilis radiolus irruperit solis, quæruntur quòd non sunt apud Cimmerios nati. Ex quibus delicatas Baiano littore conijcimus aduectiones. Hinc per excellentiam, Baiana cymba. Iuuenalis,

Interiora petit Baianæ peruia cymbæ.

Quæ omnia ad Pausilypanum littus hoc tempore traducta cernimus, vt semper hominum mentes ijsdem illecebris irretitas fuisse cognoscamus. Ioannes Albinus eum luxum sic expressit,

Tu qui Baianum venisti liber ad vndas;
Aligeri fies præda cruenta Dei.
Miscuit his ardens Circe letale venenum,
Dulichium sperans detinuisse Ducem.
Iuppiter Europam falso sub nomine tauri
Littore ab Herculeo per mare vexit amans.

Tristior

Tristior Alcides fluis errauit Auerni,
Ereptumq. diù nomina clamat Hylam.
Hic formam Actaeon mutauit, Myrrha nefando
Concubitu in ramos brachia mœsta dedit.
Tindaris hic rapitur Troiani causa laboris,
Hic tua Cidippe spicula iecit Amor.
Occurrit pallens nigro Sophonisba veneno,
Cuius morte gemit quicquid habet lacrimas.
Hic coluit Medea furens, fratremq. peremit,
Vt fugeret patris mox scelerata manus.
Phillida suspensum Gaurus miratur, & illum
Inter aquas tantùm cui sua forma placet.

Quos tamen versus ita claudit,

Omne nefas, atque omne malum his emersit ab vndis,
Desidiae & lacrimis aptior ille locus.
Ergo Cumanum quiuis fuge littus & vndas,
Si qua fides monitis carminibusq. meis.

Ad hoc facit illud Propertij, Eleg. 2. lib. 1.

Tu modo quamprimùm corruptas desere Baias,
Multis ista dabunt littora dissidium.
Littora quae fuerunt castis inimica puellis,
Ah pereant Baiae crimen amoris aquae.

Franciscus Petrarcha, nullam amœniorem, nullam frequentiorem, quàm Baiarum stationem esse dicit, quòd & scriptorum illius æui fidem, & ingentes murorum relliquias testari asserit. Lib. 5. ep. 4. Subdidit prætereà hoc humanæ voluptati magis, quàm Romanæ seueritati dignum fuisse domicilium, ideòq. Marium natura virum asperiorem, & Pompeium, & Cæsarem humanis moribus altiores, in montibus ædificasse, vndè, quod decuit, non immersi, sed subducti effeminantibus animos munditijs, nauticum strepitum, & Baianas ex alto despicerent voluptates. Quas verò dicimus Baijs lasciuias, easdem ex libertate emanasse dicemus. Iuuenalis,

Qui vertere solum, Baias, & ad Ostia currant.

Et Annibalem Campaniæ Soles (quis crederet?) & tepentes

Tttt fontibus

fontibus Baiæ ſubegerunt, inquit L.Florus lib.2.cap.6. itaque inuictus Alpibus, indomitus armis, in ijs locis elanguit.

Ciues Baiani. Laudauit tamen ciues Cicero eadem oratione; *Equidem multos vidi in hac ciuitate, & audiui non modo qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitæ, & extremis (vt dicitur) attigiſſent, ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam (vt dicitur) recepiſſe, graueſq. homines, atque illuſtres fuiſſe.* Laudat ſic Martialis ſinum,

Littus beatæ Veneris aureum, Baias,
Baias ſuperbæ dona naturæ,
Vt mille laudem, Flacce, verſibus Baias,
Laudabo dignè non ſatis tamen Baias.

Horatius ſplendida ædificia & ſuperba,

Tu ſecanda marmora
Locas ſub ipſum funus, & ſepulcri
Immemor ſtruis domos,
Mariſq. Baÿs obſtrepentis vrges
Submouere littora
Parum locuples continente ripa.

Hoc eſt, terra continente non contentus, in mari ædificas, & mari littus adimere videris. Toto illo ſinu ædificia littus occupant. Hac de cauſa faciliùs crederem Baias mari ſubmerſas, quàm à Longobardis, vel Sarracenis dirutas. Quod etiam via

Lib.4.c.2. ſilice ſtrata pelago demerſa oſtendit, & Leo Baptiſta in Architectura confirmat, & mutari littora cùm pleraſque alibi alias

Ciuitates ſubmerſa. vrbes, tùm in Italia Baias mari immerſas, teſtari aſſerit; & apud Aegyptum Pharum, quæ prius mari fuerat circundata, quæ nunc veluti Cherſoneſus ad continentem hæret. Idem de Tyro,

Lib.13. & Clazomenis ſcribit Strabo. Squalet nunc ſinus ille, vepribus, ſerpentibuſq. plenus; & aer qui ſaluberrimus erat, inclemens nimium factus eſt. Humanarum rerum viciſſitudo in ijs locis maximè cognoſcitur. In lunato receſſu portum habet celebrem, quem noua tuetur arx, in qua ad xxx. milites ſtipendium merent, & ruinarum proſpectu potius quàm victu & cultus commodo

modo fruuntur. Arcem ædificandam curauit Petrus è Toleto. Aquæ ibi Possideiæ, quas Possidius libertus Claudij Cæsaris aperuit. *Aquæ Possideia.*

Ambubaiæ.

Baiarum libidinem arguunt Ambubaiæ, famosæ mulieres, de quibus Horatius, *Satyr. 2.*

Ambubaiarum collegia ------

Non tantùm inter vrbis scorta cœnitasse Neronem, scribit Suetonius, sed quoties Baianum sinum prænternauigaret, per littora & ripas diuersorias tabernas dispositas fuisse insignes ganeæ, & matronarum institorio copas imitantium, atque hinc indè orantium vt appelleret. Institorias operas, pro Institorio copas, vulgati codices habent. Institorem Iurisconsulti vocant, qui negotio agendo, qualecunque fuerit, instat. Institorem Cauponæ dixit Vlpianus. Ambubaiæ siquidem dicebantur, quoniam circà Baias versarentur, vt, Ambarualia. Ambu enim pro an, quod est circùm, veteres dixisse, notat Turnebus in Aduersarijs, qui etiam ab ἀμφὶ, ambu deduci posse existimat. Quamobrem vel quoniam Romam quoque id genus mulierum impudicarum secessit Baijs, vel quoniam quælibet scorta Ambubaiæ possunt appellari, earum ministeria Neroni Suetonius exprobrat. Ambubaias in specubus illis Baianis habitasse dicerem, cùm subterraneis locis vterentur mulieres, quæ meretricium quæstum faciebant, à quibus χαμαιτυπεῖα nominabãtur. Et ganeas ἀπὸ τῆς γᾶς, quòd essent in terra, putat dici Terentij interpres. Huiusmodi cellæ Romæ fuerunt sub Circo Maximo, vocat fortasse Cicero tenebras & integumenta, cùm meretricias libidines Clodiæ exprobrat in oratione pro M. Cœlio; *Nihil Baiæ denique ipsæ loquuntur? Illæ verò non loquuntur solum, verùm etiam personant; hoc vnius mulieris libidinem esse prolapsam, vt ea non modo solitudinem, & tenebras atque hæc flagitiorum integumenta non quærat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate, & clarissima luce lætetur.* Et paulò post meretriciam vitam Baijs collocat. Alicarias in

Institores Cauponæ. *Ambarualia.* *Cellæ meretricum.* *Integumẽta.* *Alicariæ mulieres.*

Campania meretrices appellatas ſcribit Feſtus, quoniam antè piſtrina Alicariorum verſabantur queſtus gratia. Tritici genus, Alica.

Villæ Baianæ.

Inter Baianos luxus villæ adnumerantur, quæ non tantùm piſcinis, ſed etiam balneorum frequenti vſu erant admirabiles. At cùm innumeras crediderim ibi eſſe extructas, omnis enim Romana eò confluebat nobilitas, aliquarum tamen auctores meminere.

IVLIAE MAMMEAE, cui & matri, & affinibus Alexander Seuerus vt pietatem oſtenderet in Baiano illuſtria ædificia, & ſtagna immiſſo mari facienda iuſſit, vt ſcribit Lampridius. *In matrem Mammeam* (de Seuero loquitur) *vnicè pius fuit*, &c. *Et in Baiano palatium cum ſtagno, quod Mammeæ nomine hodieq. cenſetur. Fecit & alia in Baiano opera magnifica in honorem affinium ſuorum, & ſtagna admiſſo mari.*

C. IVLII CAESARIS; cuius villa fuit in monte, qui Baijs
Lib. 14. imminet. Tacitus ſcribit, Agrippinam occiſo Nerone tandem domeſticorum cura leuem accepiſſe tumulum, viam Miſeni propter, & villam Cæſaris Dictatoris, quæ ſubiectos ſinus editiſſima proſpectabat. Statuam ibi repertam ſcribunt cum inſcriptione, GEN. C. IVL. CAES. Qui viderunt, teſtimonium faciant. In hac fortaſſe villa Marcellus à Liuia veneno ſublatus eſt, cum ex Seruio, & alijs in Baiano eum obijſſe conſtet, licet
Lib. 44. in Stabiano dicat Propertius. Eius mortis cauſam affert Dio, *αιτίαν μὲν οὖν ἡ Λιβία τοῦ θανάτου τοῦ Μαρκέλλου εἶχεν, ὅτι τῶν υἱέων αὐτῆς προετετίμητο; Cauſam mortis Marcelli Liuia habuit, quod is eius filijs anteponeretur.*

POMPEII, MARII. Inter Auernum, & Sudatorium Trituli villam Magni Pompeij conſtituunt. Aliæ in his collibus villæ.
Epiſt. 51. Seneca; *C. Marius, & Cn. Pompeius, & Cæſar extruxerunt quidem villas in regione Baiana, ſed illas impoſuerunt ſummis iugis montium. Videbatur hoc magis militare ex edito ſpeculari longè lateq. ſubiecta. Aſpice quam poſitionem elegerunt, quibus*

ædificia

ædificia excitauerunt locis, & qualia. Scias non villas esse, sed castra.

DOMITIANI CAESARIS, piscinas ibi narrat fuisse Plinius, in quibus pisces vocati ad manum venire solebant. Quare docet pisces auditum habere, sed præcipuè Mugilem, Salpam, Chromidem, Lupum. In ijs piscari fas erat. Martialis, *Pisces vocati ad manum.* *Lib.5.ep.4.*

Piscator fuge ne nocens recedas;
Sacris piscibus hæ natantur vndæ,
Qui norunt dominum, manumq. lambunt,
Illam qua nihil est in orbe maius.
Quid? quod nomen habent? & ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus.

HIRRII, villam nobilem Murænis laudat Varro.

PISONIS. Apud Baias Pisonis villam Tacitus ponit, in qua de coniuratione in Neronem actum est. Eò diuertere Nero solebat, & epulas, & balneas inire; *Coniurationis tamen metu proditionis placitum maturare cædem apud Baias in villa Pisonis, cuius amœnitate captus Cæsar crebrò ventitabat, balneasq. & epulas inibat, omissis excubijs, & fortunæ suæ mole. In ea enim villa Volusius Proculus per Epicharim mulierem occidendi Neronis consilium cum coniuratis inierat. Quod abnuit Piso, inuidiam prætendens, si sacra mensæ dijq. hospitales cæde qualiscunque Principis cruentarentur.* Thermarum vestigia haud procul à Tritulis absunt. *Lib.5.An.*

DOMITIAE quoque villam Neronis amitæ in Baiano ostendit idem auctor, dum his verbis loquentem Agrippinā inducit; *Nunc per concubinum Atimetum, & histrionem Paridem quasi seruæ fabulas componit. Baiarum suarum piscinas excolebat, cum meis consilijs adoptio, & proconsulare ius, & designatio consulatus, & cætera adipiscendo præpararentur.* Dio quoque scribit, Neronem amitæ Domitiæ veneno sublatæ, bona, possessionesq. quæ Baijs, & ad mare Rauennas habebat, inuasisse. *Lib.13.* *Lib.54.*

Templa

Templa Baiana.

VENERIS templum in Baiano littore fuit. Martialis,

Littus beatæ Veneris aureum ------

Cur tamen Cæſari opus tribuant,& Veneri genitrici,haud ſcio. Huic Numini templum Romæ à Cæſare dicatum, *Quòd eo nomine fuit mater, à Venere Iulij, cuius gentis familia eſt noſtra, vt ipſe laudauit pro Roſtris.* Suetonius, Appianus, Dio, Plinius ſcribunt, qui etiam thoracem ex margaritis Britannicis, Veneri Genitrici dicaſſe affirmat. Errant qui arbitrantur templum Veneris fuiſſe illud ædificium, quod nunc in littore Baiano reliquum magnificè exſtructum cernitur, quod Truglium vocant. Id enim balneum fuiſſe, foramina in parietibus oſtendunt, quæ vaporaria erant, præter tubos ex quibus vndique aqua pluuias in piſcinis excipiebatur; ne peramplas feneſtras commemorem vnde admittebantur cum vitris Soles lucidi, præter alia balneorum veſtigia, quæ ibi apparent.

DIANAE ibidem templum oſtenditur, non ex inſcriptione quam ſomniarunt, ſed ex Propertij auctoritate,

Ecquid te medijs ceſſantem Cinthia Bajs
Quæ iacet Herculeis ſemita littoribus?

& ex animalium ſimulacris, quæ in eius templi aliquot lapidibus inſculpta vidimus, Canes ſcilicet, & Ceruos, Mulloſq. quos venatores appellarunt veteres quippe qui leporem marinum inſequuntur. Sed Plato in Phaone apud Athenæum aliam affert cauſam,

Mullus Dianæ ſacer.

Lib. 4.

Τρίγλη δ' οὐκ ἐθέλειν ἔυρων ἐπιήρανος εἶναι
Παρθένου Αρτέμιδος γὰρ ἔφυ, καὶ ςύλατα μιλεῖ;
Dedignatur mullus, nec amat virilia,
Eſt enim Dianæ ſacer, proptereaq. arrectum pudendũ odit.

Apud eundem Hecati Mullus ob affinitatem nominis tribuitur, Triotidim enim, Triuiam & Τρίγληνον eam appellant, ac ei trigeſimo cuiuſque menſis die menſam apponunt. Melanthius libro de myſterijs Eleuſinis, ei Triglam ſcribit immolari, quoniam etiam marina eſt Hecate. Et Athenis Trigla, locus eſt in

Dianæ nomina.

quo

quo visitur Hecates Triglantinæ statua. Hinc Chariclides,

Δέσποιν' Ἑκάτη Τριοδῖτι, Τρίμορφε
Τριπρόσωπε, Τρίγλαις κηλουμένη;
O hera, Reginaq. Hecate, triuiorum præsens, triformis
Triplici facie spectabilis, quæ Mullis propitiaris.

Ceruus Dianæ addictus est sacer. Ἐλαφηβόλος, idcircò cognominata. Et apud Festum, quòd ἐλαφηβόλια dicebatur, Ceruus erat placenta ex farina, melle, & sesamo, teste Athenæo. Baijs numismata reperta, in quibus Dianæ caput. *Ceruus Dianæ sacer.*

Pisces Baiani.

Baiana maximè laudabantur Ostrea. Ausonius ep. 7.

Ostrea Baianis certantia, quæ Medolorum
Dulcibus in stagnis refluì maris æstus opimat,
Accepi dilecte Theon, memorabile munus.

In numismate Baiano Ostreum, & hordei spica cernitur, veluti & in Cumanis.

Sergium Oratam primum in Baiano inuenisse Ostreorum viuaria scribit Plinius; quem etiam Oratam dictum, quòd Auratam piscem plurimi fecit, ait Macrobius; *Sergius Orata cognominatus est, quòd ei pisces qui Auratæ nominantur, carissimi fuerint. Hic est Sergius Orata, qui primus balneas pensiles habuit, primus Ostrearia in Baiano locauit, primus Ostreis Lucrinis optimum saporem adiudicauit.* *Lib. 9. cap. 8.* *Lib. 3. cap. 8.*

Quid verò de Baianis Muranis dicam, cum scribat Varro; Hirrium circùm piscinas suas ex ædificijs duodena millia sextertia capere, vt eam omnem mercedem escis quas dabat piscibus consumeret, & hunc Cæsari duomillia Muranarum mutua dedisse in pondus, & propter piscium multitudinem quadragies sextertio villã emisse? Et cum scribat Plinius hunc eundem Hirrium cœnis triumphalibus Cæsaris Dictatoris sexmillia numero Muranarum mutuò appendisse, cum noluisset permutare pretio, aliaue merce? Quis verò piscium luxus in quo luxuria pelagios greges reuocauit; nam propter hoc appellati Sergius Orata, & Lucius Muræna? Quis enim propter nobilitatem ignorat *Lib. 3. de re rust.* *Lib. 9. c. 55.*

ignorat piscinas Philippi,Hortensij,Lucullorum?Pagros etiam eius loci laudat Sannazarius,

Dat Rhombos Sinuessa, Dicarchi littora Pagros,
Herculea Mullum, rupes Synodontas Amalphis.

Historia.

Adrianus ad Baias obijt anno Imperij 21. mense 10. & die 20.ætatis,sexagesimo,& altero anno, Paulus Diaconus. Iulius Capitolinus, ait, absumpto Baijs Adriano cùm Pius ad vehendas eius relliquias esset profectus,relictum Romæ auo iusta impleuisse. Viuens tamen Adrianus, audito,Sarmatarum,& Alanorum tumultu, præmissis exercitibus, Moetiam petijt (inquit Spartianus) cùmq. præfecisset Martium Turbonem Pannoniæ, cum Rege Alanorum composita pace, cùm Nigrini insidias quas ille sacrificanti Imperatori parauerat, euasisset, Palma Tarracinæ, Celsus Baijs, Nigrinus Fauentiæ, Lusius in itinere, iubente Senatu,occisi sunt. Cùm Antonius Libonis familiares admonuisset vt eum è Sicilia vocarent, in itinere Libo ad insulam Pithecusas appulit, ad quam vt Liboni litteras fidei mitteret populus Cæsarem orabat. Vbi verò Libo animaduertit inimicos remissiùs agere,ipsorum Ducum colloquium postulauit, vt arbitratu suo rem componerent. Et postquàm id quoque maximis precibus obtinuit populus, profecti sunt Baias Cæsar & Antonius. Tunc Pompeius è Sardinia soluens Puteolos superbè preternauigauit,circà vesperam,hostibus inspectantibus. Illud verò dignum visu,quòd primo mane defixis in mari palis, interuallo modico pontes instrati sunt desuper,in quorum alterum terræ continentem Cæsar processit cum Antonio, Pompeius & Libo in alterum canali diremptum,atque ità vt nisi clara voce loquentes, non audirentur inuicem. Re tamen infecta, discessum est. Cœtera per amicos internuncios tractata, varias condiciones vtrinque ferentes tandem instante Murcia, matre, & Iulia vxore, rursum tres conuenerunt, Cæsar, Antonius, & Pompeius in veterem quendam aggerem mari cinctum vndique, collocatis in statione nauibus. Ibi condiciones pacis latæ.

Tres simul Imperatores.

Quæ

Quæ diffusiùs narrat Appianus. Vidit hic sinus maximos Imperatores, audiuitq. de maximis Reip. rebus disceptantes. Nobiliora profectò Imperatorum consilia, Baiani specus resonarunt. Quem tamen parua, & fortunata insula gloriæ titulum sustinebit, in qua tria belli fulmina coruscarunt? Cedat aggeri Tarpeius, & Capitolium, qui vno die tres maximos accepit triumphatores. Nunquàm maris æstus nobilissimum scopulum debuit obruere.

Fistulas plumbeas inter Baianas ruinas miræ crassitudinis, sua memoria, inuentas scribit Pontanus, in quibus Claudij Augusti nomen scriptum erat. Ex Pompeij præternauigatione ad Dicæarchiam Lazius Prætorium Puteolis extorquet, nam à Principe nomen habere dicit, *loco iustitiæ administrandæ siue iuris dicundi, hoc est Prætorio quod Puteoli fuerat*. At cur non in mentem venit Dicæarchiam vetustissimum esse Vrbis nomen, & à iusta Republica, non Prætorio sic appellatam? Huic auctori Dicæarchia ab inclinante Imperio, non ædificio dicitur. Neque illud ignorasse mihi persuadeo, Prætoria magnifica in agris ædificia esse dicta. Suetonius in Tito, *Cuncta Prætoriorum suorum ornamenta operibus, ac templis destinauit*. Iuuenalis Saty. 1. *De Magnific.* *Lib. 12. Reip.*

Criminibus debeat hortos, Prætoria mensas.

Et Statius,

------ *vitreoq. natant Prætoria ponto.*

Bullas aureas quibus Tiberius à Pompeia Sex. Pompeij sorore in Sicilia donatus est, eius ætate durare, & ostendi Baijs, scribit Suetonius. Bullas verò clauorum capita intelligit, quæ ad ornatum cingulis militaribus apponebantur. Id siquidem cum chlamide, & fibula rectiùs conuenit. Virgilius, *1. Tiber. c. 6.* *Lib. 9.*

------ *pulcras Rhamnutis, & aurea bullis*
Cingula ----

& extremo lib. 12.

------ *notis fulxerunt cingula bullis.*

Gilbertus Mompenserius ex Borbonia familia à Carolo VIII. Dux creatus est, qui primum Regis exercitus agmen regeret.

Cum Rege Neapolitano regno potiundo interfuit, ibiq. Vicarius relictus est. Post aliquot menses cùm Aragonei regnum recuperassent, Mompenserius cum reliquis Gallis Baias secessit, vbi ob aeris inclementiam obijt, & ex Gallis, qui ad quinque millia fuerant, vix quingenti superfuere. Regni cupiditate ductus Ludouicus XII. anno 1501. Neapolim exercitum misit, in quo vnus ex Mompenserij filijs meruit. Is Puteolos profectus vt paternum sepulcrum inuiseret, summo dolore affectus, post multas lacrimas decedens, in idem sepulcrum decidit, vt scribit Guicciardinus. *Lib. 5. Hist.*

Christiana relligio.

Christianos Baias incoluisse dicerem ex Concilio Carthaginense primo sub Iulio I. Pontif. (non Siluestro) à quo Felix Episcopus Baianensis adducitur, nisi in hac voce asteriscus notaretur, & in margine legeretur, Byzacinensis. Quòd ad Felicem pertinet, in illo Prouinciali Concilio, ceterorum Episcoporum sententijs, suam addidit, *Nullum debere collegæ suo facere iniuriam*. Montis Grilli ad Baias ager ad Constantios anteà pertinebat, nunc verò ad Ioannem Baptistam Migliaresium.



PVTEO-



PVTEOLI. EIVS VRBIS NOMINA. Cap. XXIIII.



APPELLARVNT hanc vrbem Puteolam Seruius, Puteolas Franciscus Petrarcha, Putiolium Galenus, Dicarchum Sannazarius, *Puteola. Puteolæ. Putiolium. Dicarchum.*

------ *Dicarchi littora Pagros.*

Dicarcham Lucilius apud Festum, *Dicarcha.*

Inde Dicarcham populos Delonq. minorem.

Dicarchidem Petronius, Vrbem Dicarchæam Silius Italicus, Sinus Dicarchæos Statius, Putiolos antiquus lapis apud Marcellum Muscettolam Neapolitanum equitem, *Dicarchis Vrbs Dicarchæa. Putioli.*

IMP. CÆSARI
. . . .
IEROPOLITANI
PERYTENSES
QVI. PVTIOLIS. CONSISTVNT.

Dicæopolim ait Suidas appellari vrbem in Thracia. Alteram deinde eiusdem nominis commemorat, quam & Puteolos dicit, *Dicæopolis.*

Vuuu 2 à Dicæo

Putioli. Dicaarchia. Dicaa. Lib. de Vrbe.

à Dicæo Neptuni vel Herculis filio ſic dictam. Putiolos, Dicæarchiam, & Dicæam Stephanus; Δικαιάρχεια πόλις Ιταλίας ταύτην δὲ φασι κεκλῆσθαι Ποτιόλυς, ἐν ᾗ τὸ σιμπόσιον ὁ Ηρωδιανὸς ἔγραψε. πότια δὲ, τὰ φρέατα καλῦσι Ρωμαῖοι; *Dicaarchia vrbs Italiæ. Hāc dicunt appellari Potiolos, in qua Conuiuium ſcripſit Herodianus. Quæ nunc Græci phreata, Latini puteos appellant.* Sed cum in dictione Δίκαια, multa dixiſſet, tandem ait, ἡ αὐτὴ δ'ἐκαλήθη Δικαιάρχεια, καὶ Ποτίολοι; *Hæc eadem appellatur Dicæarchia, & Potioli.* Poetæ ſecundam & tertiam ſyllabam contrahunt, ſi mauis elidunt ſecundam, & Dicarchiam, pro Dicarcheam efferunt, nam Dicæarchia propriè appellabatur. Quidam Dicæarcheam ſcribunt, quidam verò, Dicæarcham propter *ει* Græcum.

Putioli.

Lib. 5. Puteoli vnde.

Strabo vetus nomen fuiſſe Dicæarchiam ſcribit, Puteolos nouum, quandò ſub Annibale nomen inditum à puteis, quos ad hauriendas aquas effoderant, vel ab aquarum putore, quod totus ille ſinus ſulphure, igne, aquis calidis ſcatet. Hinc Varro, *A puteis* (inquit) *quod ſint circa eum locum aquæ frigidæ & calidæ multæ. Niſi à putore potius, quòd putidus ſit odoribus ſæpè ex ſulphure & alumine. Extrà oppida à puteis Puticulæ, quòd ibi in puteis obruebantur homines. Niſi potius, vt Aelius ſcribit, Puticulæ, quòd putreſcebant ibi cadauera proiecta. qui locus publicus vltrà Aeſquilias.*

Puticulæ.

Puteoli Emporium Cumanorum.

Subdidit Strabo, Dicæarchiam Cumanorū fuiſſe Emporium, in ſupercilio montis conditū, ἐπίνειον Κυμαίων, quæ vox Nauale, & Emporium ſignificat. Præter Strabonē ea vtitur Thucidides. Fuiſſe autem celebre Emporium, idē innuit; ἡ δὲ πόλις ἐμπορεῖον γεγένηται μέγιστον. Et Feſtus affirmat; *Minorem Delon Puteolos eſſe dixerunt, quòd Delos aliquando maximum Emporiū fuerit totius orbis terrarū, cui ſucceſſit poſtea Puteolanū.* Cicero ad Atticū; *Qui potui non videre, cùm per Emporium Puteolanum iter facerem?* Id in littore maris fuiſſe, officinarū ædificia facile oſtendūt. Loffredus, maritimas eas habitationes ad delicias cōparandas, & piſcinas immittēdas arbitratus eſt. Puteolorū longitudinē Ptolemæus partium 29. cum deunce, latitudinē 51. metitur.

Lib. 5. ep. 7.

Aedi-

Aedificatio.

Indè à Cumanis ædificatum oppidum existimarunt. Stephanus à Samijs affirmat, Ποτίολοι, πόλις Τυῤῥηνίας, κτίσμα Σαμίων, ἡ τῆς καὶ Δικαιάρχεια; *Puteoli, vrbs Italiæ, condita à Samijs, quæ ciuitas & Dicæarchia dicitur. Et in dictione* Δίκαια; Ionum Coloniã facit, ἔστι καὶ ἑτέρα ἐν τῷ Τυῤῥηνικῷ κόλπῳ Ἰώνων ἄποικος; *Est & alia in mari Tyrrheno, Ionum Colonia.* Pausanias bis meminit, primum in Messenijs; ὅπου γε καὶ ἐφ' ἡμῶν ἐν Δικαιαρχείᾳ τῇ Τυῤῥηνῶν ἐξεδόθη ἀνῆκεν ὕδωρ σφίσι θερμὸν, οὕτω δή τι ὀξὺ ὥστε τὸ μόλυβδον (διεξέρχεται γὰρ διὰ μολύβδου ῥέον) ἔτεσι κατέτηξεν οὐ πολλοῖς; *Cum ætate nostra ad Puteolos, quod & Tyrrheni maris accolarum oppidum, Dicæarchia Græcis dictum, aqua extiterit tàm acuto calore efferuescens, vt intrà paucos annos, plumbeos per quos fluit tubulos resoluerit.* Deindè in Arcadicis; Πρὸ Δικαιαρχείας δὲ τῆς Τυρσηνῶν ὕδωρ τε ἐν θαλάσσῃ ζέον, καὶ νῆσος δι' αὐτὸ ἐστὶ χειροποίητος, ὡς μηδὲ τοῦτο τὸ ὕδωρ ἀγρὸν εἶναι, ἀλλὰ σφίσι θερμὰ λουτρά; *Et iuxta Dicæarchiam Tyrrhenorum, calidæ efferuescunt in mari aquæ, vbi de industria extructa est insula in balneis aquarum calidarum, nec eius muneris vllus est vsus.* Eius tamen conditoris mentionem nullam facit. Idq. idcircò scripsi, quòd temerè aliqui conditorem apud Pausaniam reperiri affirmant. Placeat aliquibus Suidæ opinio, qui Dicæum Neptuni, vel Herculis filium asserit, si nouam maluerint sequi opinionẽ.

Puteolos à Samijs (margin: *Puteolos à Samijs*)

Dicæus.

Amplificatio.

Oppidum à Romanis Imperatoribus auctum, ornatum, multisque locis restitutum, paruam deinde Romam appellarunt. Cicero aduenientium multitudini nomen tribuit; *Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam.* Hinc templa, portus, academiæ, theatra, statuæ, thermæ, & alia memorabilia, quorum parua quæ supersunt vestigia, animi Romani magnitudinem, Imperatorum in ijs locis consuetudines, maximarum rerum memoriam præseferunt. Murorum, & portæ Herculeæ præclarè hoc epigramma meminit,

Ad Att. lib. 5. ep. 2.

Muri, & porta Herculea.

D. D.

D. D. N. N. IMP. CÆS. TRAIANVS. P. P. INVICTVS. AVG. MVRIS. CVRIONEN. ÆDIFICIIS. PROVIDENTIA. SVA INSTITVTIS. ATQ. ERECTIS. PORTAM. PVTLOLANCRVM HERCVLEAM. VOCARI. IVSSIT.

Lib. 2. Silu. Muris idcircò & turribus celebre fuit oppidum. Papinius turres & mœnia Puteolana commemorat,

Omnia Chalcidicas turres obuersa salutant.

Et, ----- *quæ te genuere Dicarchi*

Mœnia -----

Barbarorum sæpius in Italiam illuuione collapsa, & solo æquata. Vias quoque stratas à Septimio Seuero, atque Antonino legimus, quem libentissime ibi fuisse versatum, præter lapides, nummorum copia, quæ quotidiè reperitur, ostendit.

Via Puteolana.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX AVG. ARABIC. ADIABEN. PARTHICVS. MAXIMVS. TRIB. POT. IX. IMP. XII. COS. II. PP. PROCOS. ET. IMP. CÆS. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. AVG. TRIB. POT. IIII. PROCOS. E . . . VIAS. RESTITVIT. A PVTEOLIS . . . . .

Et à Vespasiano,

IMP. CÆSARI. VESPAS. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. III. IMP. IIX. PP. COS. III. DES. IIII. SEN. PVTEOL. QVOD VIAS. VRBIS. NEGLIGENTIA. SVPER. TEMP. CORRVPTAS IMPENSA. SVA. RESTITVIT.

Ex quibus oppidi amplitudinem non tantùm supercilio contineri cognoscimus, cùm in mediterraneis nobilissima ædificiorum monumenta cernantur, & ad viam Campanam plurima supersint. Atque templa, theatra, parietinas illas ad quatuor millia passuum fortasse circumplectebantur. Nescio an Dicæarchæi Cumanos felicitate superauerint. Aliquo id tempore factum non vereor, cùm scilicet Romani Imperatores Puteolanas delicias Cumanis præposuerint.

De Puteolanorum Republica.

Respublica à Græcis. Dicæarchiæ antiquam Rempublicam, eadem ratione qua Neapolitana, fuisse institutam plenè affirmo, quandò à Græcis duxit.

duxit originem, quod lapides confirmant, & explicat Hebo, quem Puteolani venerabantur (licet Neapolitanorum Deum, illum fuisse scribat Macrobius) ad Theseum quoque fortasse originem referentes. Quapropter, Cumanos, Puteolanos, Neapolitanos, eosdē genere, relligione, lingua fuisse non dubitarem. Hoc tamen sibi maximè Puteolani tribuerunt, quòd eorum Rempublicam iustæ administrationis titulo insignitam, Dicæarchiam (id enim Græca vox sonat) appellarunt. Suidas; Δικαιάρχεια δὲ ἡ δικαίως ἄρχουσα. Apud Staiuanos Neapoli, lapidis citauimus fragmentum, quod cum Pios ludos commemoret, qui Puteolis peragebantur, indè Neapolim ludos translatos fortasse affirmarem. Ibi Consulis atque Demarchi mentio facta est. fieri potuit, vt Colonia iam deducta Archontes desierint, & Consules cum Demarcho administrarint. Eos ludos ad Antonini Pij honorem instituti fuerant, qui cum Augustalibus Neapolitanis fuere percelebres. sic enim in antiquo lapide Romæ in ædibus Cardinalis Farnesij, inter cætera,

Hebo Puteolanorum quoque Deus.

Iusta Respu. Puteol.

Consules, & Demarchus. Ludi Pij. Augustales.

ΝΙΚΗΣΑΣ ΑΓΩΝΑΣ ΕΥΣΕΒΕΙΑ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ ΣΕΒΑΣΤΑ ΕΝ ΝΕΑΠΟΛΙ. *Pios ludos Puteolis, Augustales Neapoli.*

Quod si Antonini ætate eorum Magistratuum nomina supererant, existimandum est adhuc reliquam Puteolanorum fuisse Rempublicam, ne Coloniæ seruitute Reipub. amitteret rationem], quod etiam contigit Neapolitanis. Splendidissimi Puteolani ordinis memoria extat in lapide in monte Cœlio, sub Pio IV. reperto,

Ordo splendidissimus Puteol.

L. ARADIO. VALERIO. PROCVLO. V. C. AVGVRI. PONTIFICI. MAIORI. XV. VIR. SAC. FACIVND. PONTIFI. FLAVIALI. PRÆTORI. TVTEL. LEGATO. PROPRÆT. PROV. NVMIDIÆ. PERÆQVATORI. CENSVS. PROVINCIÆ. GALLECIÆ. PRÆSIDI. PROV. BYZACENÆ. CONSVLARI. PROV. EVROPÆ. ET. THRACIÆ. CONSVLARI PROV. SICILIÆ. VICE. SACRA. IVDICANTI. EIDEMQ. IVDICIO. SACRO. PER. PROVINCIAS. PRO. CONSVLAR. ET. NVMIDIAM. BYZACIVM. AC. TRIPOLIM. ITEMQ. AC. MAVRETANIAM. SITIFENSEM. ET. CÆSARIENSEM

PER-

PERFVNCTO. OFFICIO. PRÆFECT. PRÆTORIO. COMITI ITERVM. ORDINIS. PRIMI. INTRA. PALATIVM. PRÆFECT. VRBI. VICESACRA. ITERVM. IVDICANTI. CONSVLI. ORDINARIO. VIRI. PERFECTISSIMI. ET. PRINCIPALES. ET. SPLENDIDISSIMVS. ORDO. ET. POPVLVS PVTEOLANORVM. PATRONO. DIGNISSIMO. CVRANTE SEPTIMIO. CARITONE. V. P.

Qui lapis Romam Puteolis fortasse translatum. In eo quicquid Romani Imperij dignitas possidebat, quicquid in notitia vtriusque Imperij proponitur, elucet. licet declinantis Imperij imaginem proponat, quod tamen Romani nominis amplitudinem & propagationem retinebat per tot prouincias in orbe diffusas. Idq. summæ laudi sibi tribuant Puteolani, quòd amplissimum virum patronum (quid si ciuem?) tot dignitatibus ornatum habuere. Maiorem tamen redolet antiquitatem epigramma ad ædem Neptuni Puteolis,

C. HOROLOGIO
RESPVBLICA. REFECIT.

In littore Puteolano lapis repertus, qui etsi Neapolim ductus fuerit, Puteolis tamen non est abducendus. In eo Reipublicæ simulacrum apparet, & Senatusconsulti formula legitur. Citat Brissonius;

L. ANNIO. L. F. COL. MODESTO. HON. EQVO. PVBL. K. IVN. IN. CVRIA. AVGVST. ANNIAN. SCRIBVNDO ADFVER. T. OPPIVS. SEVERVS. VIGNETIVS. LIBERALIS IVLIVS. CALPETANVS. GRANIVS. LONGINVS. QVOD C. AVFIDIVS. THRASEA'. D. CLAVDIVS. QVARTINVS II. VIRI. V. F. DE. CONFIRMANDA. AVCTORITATE. MEMORIÆ. HONORAND. STATVÆQ. PONENDA. ANNIO MODESTO. ANNI. NVMISIANI. ORNATI. VIRI. FILIO Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. CVM. ANNIVS. NVMISIANVS VIR. AD. SINGVLORVM. TESTIMONIVM. PERTIN. QVA PROBITATE. MORVM. QVA. QVIETE. VITÆ. QVOD. VIRO IN. DOLORE. PRÆSIDIVM. EST. MERVERAT. ADFECTVVM. NOSTRORVM. CONSOLATIONEM. ADQVE CANDOREM. ORDINIS. NOSTRI. BONVM. CIVEM. PIVMQ. PATREM. IN. TAM. GRAVI. FORTVNÆ. INIVRIA. QVA-

PO-

POTEST. INDIGNATIONE? A TANTA. AVOCARE. TRISTITIA. PLACERE. HVIC. ORDINI. AVCTORITATE. IN EAM. REM. ANTE. HANC. DIEM. FACTAM. CONFIRMARI PERMITTIMVS. ANNIO. ADIECTO. LIB. EIVS. STATVAM PONERE. ANNIO. MODESTO. LOCO. ASSIGNATO. A. II. VIRIS. NOSTRIS. QVO. TESTATOR. SIT. ERGA. EVM ADFECTVS. REIPVBLICÆ. NOSTRÆ. COLLAVDANTIS QVOD. IN. VITA. PRÆSTITERIT. CENSVER. ADIECTVS LIBERTVS. L. D. D. D.

Simillimus hic lapis Græco lapidi Neapolitano,in quo eius ciuitatis Respublica, Colonia etiam deducta conspicitur, licet pro Duumuiris, quorum hic mentio facta est, ibi Archontes exponantur. Et Duumuiri ex Decurionibus eligebantur, ijq. vel Capitales & Iurisdicundi, præcipuæ auctoritatis erant, quamobrem Paulus Iurisconsultus; *Is qui non sit Decurio, Duumuiratu, vel alijs honoribus ciuilibus fungi non potest;* vel Aedilitij, qui sacras ædes dedicabant, omnisq. generis expiationes quæ ad auertendas Deorum indignationes pertinebant. Ambo in lapide explicantur. Alter quoque lapis Puteolanus Neapoli est in sacra Turri D. Gregorij, in quo in eadem Curia Anniana decernit Senatus de statua ponenda Octauio Agathæ. Quem in Corporibus Puteolanis descripsimus. *Duumuiri Puteol.* *De Decurion.*

Quibus iu lapidibus Curias, & Basilicas animaduertamus. Erant siquidem Curiæ,maiores Iudicum consessus. Aristophanes appellauit Φροντιστήρια. A Philosophorum curiosa contemplatione, ad Forum transtulit. Sed aliquandò aliæ à Senatu erant Curiæ, easque cum Basilicis coniunctas ædificarunt. Ideòq. in alio lapide, *Curiæ.* *Basilicis.*

IN. CVRIA. BASILICÆ. ANNIAN.

Ab Annio ædificata, veluti Hostilia, quam primus Hostilius Rex ædificauit. Vndecim descripsit in vrbe Roma P. Victor. Ibi priuata iudicia quasi sub tecto cognoscebantur. Ceteræ enim quæstiones in Fori area nuda referebantur. Et antiqui morem Atticum repræsentarunt, qui sub dio causas perorabant. Romæ Basilica Porcia, à Censorio Catone, præclara

fuit; & Fuluia inter ceteras, quam Paulus Consul magnificentissimè extrussit, quemadmodum hæc Puteolis Anniana, ab Annio Modesto, vel Numisiano ædificata. Notæ illæ, Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. *Quod de ea re fieri placuit, de ea re ita censuerunt*, formula erat Senatusconsulti. Neque verendum Basilicas, Aerario, Carceri, Curiæ cuniunctas, quibus cum & Chalcidica extruebantur, pecuniæ cudendæ officinæ, quæ & Chalciæcæ dicebantur. Hinc Minerua Chalciæca apud Thucididem. Alij loca ampla interpretantur, in qua magistratus conueniebant, more Chalcidensium ædificata. Cornelius Tacitus, in Republica Puteolana discordias notat; *Iisdem Consulibus auditæ Puteolanorum legationes, quas diuersas Senatorius ordo, plebsq. ad Senatum miserant. Illi, vim multitudinis; hi, Magistratuum & primi cuiusque auaritiam increpantes. Cùmq. seditio ad saxa & minas ignium progressa, necem & arma perliceret*, C. *Cassius adhibendo remedio dilectus. Quia seueritatem eius non tolerabant, precante ipso ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data cohorte prætoria, cuius terrore, ac paucorum supplicio rediјt oppidanis concordia*. En tibi Senatorium ordinem, & plebem Puteolanam, quæ tamen Respublica, Romanis subdita, Magistratus, cohortes, supplicia subibat Romanorum.

Formula Senatusconsulti.

Lib. 13.

Colonia, Municipium, Præfectura Puteolanorum.

Castrorum Portorium.

Anno ab V.C. 554. L. Cornelio, P. Villio Coss. Castrorum portorium, quo in loco, nunc oppidum est, Censores fruendum locarunt, & Colonos eò trecentos (is numerus à Senatu finitus erat, vt loquitur Liuius) adscripserunt. Post biennium verò, C. Cornelio, Q. Minutio Coss. C. Acilius Tribunus plebis legem tulit, vt quinque Coloniæ in oram maritimam deducerentur, duæ ad ostium fluminis Vulturni; vna, ad Puteolos; vna, ad castrum Salerni. His Buxentum, quoque adiectum. Tricenæ familiæ in singulas Colonias iubebantur mitti. His deducendis ij Triumuiri, qui per triennium magistratum haberent,

Coloniæ deductæ.

berent, creati, M. Seruilius Geminus, Q. Minucius Thermus, T. Sempronius Longus. Triennio deinceps interiecto, P. Scipione, T. Longo Coss. Coloniæ deductæ Puteoli, Linternum, Vulturnum. Tunc verò Romanorum Colonia deducta est. Hac de causa Frontinus, *Puteolos Coloniam Augustam Augustus deduxit. Iter vno latere populo debetur p.xxx. ager eius in iugeribus veteranis, & Tribunis Legionarijs est assignatus*. Sic etiam nominat Plinius lib.3.c.5. *Dein Puteoli Colonia Dicaarchia, dicti*. Magnam tamen affert Cornelius dubitationem lib.14. Annalium cum scribit, *In Italia vetus oppidum Puteoli; ius Coloniæ & cognomentum à Nerone adipiscuntur*. Cur igitur Liuius, & Velleius à Puteolis Coloniam esse adeptam dicunt, iam tùm à Scipionis ætate? Ecquid ea significant?

ÆDIL. COLON. PVTEOLANORVM.

et,

GENIO. COLONIÆ. PVTEOLANORVM.

atque,

AB. COLONIA. DEDVCTA. AN. XC.
N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVOVIRI
P. RVTILIO. C. M. MANLIO. COSS.
OPERVM. LEX. II.

item,

Q. FILIVS. L. TILIVS. RVFVS. ET. Q. ACRIELVS. Q. FILIVS CELER. PRÆTOR. DVVMVIRI. LANARIAS. ET. QVÆ IN. HIS. SVNT. SVA. PEQVVNIA. FECIT. VT. EX. EO VECTIGALI. QVOTANNIS. COLONIS. MVLSVM. ET CRVSTVM. NATALE. CÆSARIS. AVGVSTI. DARETVR.

præthereà,

PRO. SALVTE. ET. VICTORIA. AVGVSTORVM. DEO MAGNO. GENIO. COLONIÆ. PVTEOLANORVM. ET PATRIAE. SVAEQ. AVRELIVS. HERMODION. SEVIR. AVGVST. ET. CVRATOR. EORVM. EXTRVXIT. ET DONVM. DAT. L. D. D. D.

& Neapoli,

COLONI. ET. INCOLÆ. PVTEOLANI
OB. MVNIFICENTIAM. EIVS.

Puteoli Municipium. Et quamuis Cicero Oratione pro M. Cœlio, Municipium faciat, *Nam quod est obiectum municipibus adolescentem non esse probatum tuis, nemini vnquam præsenti Puteolani maiorem honorem habuerunt*; & illustre municipium ibidem, dicat; ex Frontino tamē collegimus, recentiori æuo ab Augusto fuisse Coloniam deductam. *Lib.16.c 13.* Quapropter cum Agellio dicerem, sæpè commutari solere Colonias in Municipia, & contrà. *In Tacitum.* Lipsius ait, Cornelij verbis eam vim esse, vt velit vniuersum oppidum incolasq. (plures autem inquilini eius loci ob commercia & mare) præter eos qui restabant ex Colonis Augustæis Colonico iure donatos. Colonia deindè perdurauit. Nam cum classem Misenensem Claudius Fauentinus Centurio Vespasiano imperante ad defectionem duxisset, subdidit Tacitus, *Hist.lib.3.* *A quibus Municipia Coloniæq. impulsæ, præcipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contrà Capua Vitellio fida, municipalem æmulationem bellis ciuilibus miscebant*. In quibus etiam Municipij, & Coloniæ mixtionem consideramus. Aliqui Cornelij verba sic emendant; *Nam cùm prius Colonia Augusta, tùm etiam Augusta Neroniana dici cœpit*; vt nouum ius & cognomentum tùm etiam adepta fuerit. *Coloniarum genera quatuor.* Quatuor prætereà numerantur Coloniarum genera; Romani iuris, Latinæ, Augustales, Veteranæ. Colonia Romani iuris, aut habebat Romanos ciues tantùm deductos; aut cum ijs alios mixtos habitatores; aut quamuis barbari habitarint, legibus tamen Romanis erant obnoxij. Primi Coloniarum generis eæ sunt, quas Liuius bello Punico secundo enumerat. Secundi, cuius meminit idem lib.9.Dec.1. *Soza ad Samnites defecerat interfectis colonis Romanis. Quò cum prior Romanus exercitus ad vlciscendam ciuium necem, recuperandamque Coloniam magnis itineribus peruenisset*, &c. Tertij generis multas Claudius constituit, cùm quædam ciuitas ius Latij à Romanis, vel Augusto, vel Senatu acquisiuisset.

Et

Et communi Cæſarum vocabulo, Auguſtæ fuerunt appellatæ. *Coloniæ Auguſtæ.* Quarti generis illæ habebantur, quæ à Veteranis erant habitatæ, & ab Imperatoribus Romanis deductæ, & militibus emeritis conceſſæ, quales multas Auguſtum & Antonium deduxiſſe victis Bruto & Caſſio, Appianus auctor eſt. Eius ordinis Agrippina apud Rhenum, in Italia Capua, atque Nuceria. *Capua. Nuceria.* Eius itaque Coloniæ deductæ aliqui primum annum M. Porcio Catoni, & L. Flacco Coſs. tribuunt, Vrbis, 568. Auguſtus cùm bellis ciuilibus victor Ianum clauſiſſet, diſtributis Veteranis militibus premijs, inter duodetriginta Colonias, Puteolos Coloniam militarem fecit. Tùm poſt Neronem, Flauia eadem Colonia appellata eſt ſub Veſpaſiano, Antonino, & ceteris. Puteolis,

. . . . CÆSARI . . . . NINO . . . . THICI
NEPOTI. DIVI . . . . . NINO. AVG. PIO
COLONIA . FLAVIA . . . . VPER COETERA
. . . . VS. PILARVM. VIG. V.
. . . . . QVO . . . ET. MVNITIO . . . . . .

Erat hæc inſcriptio in arcu marmoreo, qui Antonino Pio erectus fuerat, quòd reſtaurando operi ſubueniſſet. In ingreſſu Molis erat, gratitudinis monumentũ. Scribit enim Plutarchus in Sylla, eum decem antè mortem diebus Dicæarchenſium ſeditionem compoſuiſſe, legeſq. ijs præſcripſiſſe. Antè Auguſti tempora, inter alia Coloniarum genera cum Liuio fuiſſe affirmabimus. Qui habuiſſe eam Coloniam priuata aliqua ciuitatis iura, vt ceteræ Coloniæ, non autem publica, oſtendit ſcribens, Colonos qui Puteolos, Salernum, & Buxentum adſcripti nomina dederant, cùm ob id ſe pro ciuibus ferrent, Senatum iudicaſſe non eſſe ciues Romanos. *Puteoli, Salernum, Buxentum.* Quamobrem nomine ciues Romani erant, re verò ipſa coloni tantùm Puteolani. *Puteolani nõ erant Romani ciues.* Idemq. confirmat P. Scipionẽ Africanum, & P. Aelium Paetum Cenſores, portoria rerum venalium Capuæ & Puteolis fruenda locaſſe. Cicero Municipium appellat. Pompeius, Præfecturam. Anteà tamen Præfectura fuerat, ac eò mittebantur Magiſtratus ad ius dicendum à populo. *Præfectura Puteoli.* Ciceronis ætate Municipali tantùm iure fruebantur, neque Præfecti mittebantur, ſed ipſi ſuos Magiſtra-

Decuriones Colonijs præerant. gistratus habebant. Deductæ tamen Coloniæ, præfuere Decuriones. *Puteolos verò* (inquit Cicero 2. Orat. contra Rullum) *qui nunc in sua potestate sunt, suo iure libertateq. vtuntur, totos nouo populo atque aduentitijs copijs occupabunt.* At libertate donati fuerant, *Puteolani libertate donati.* quòd Emporium illud esset populi Romani, & quotannis eò Quæstor mittebatur, cui obtigerat Aquaria prouincia. A Symmacho qui Theodosij ætate vixit, Municipes Puteolani appellantur; *Ne ciuitas quæ lauacris publicis ligna, & calcem reparandis mœnibus subministrat, defectu subito exhausta succumberet V.M. & Dec.mod. Puteolanis municipibus derogatos, Terracinensium vsui deputauit.* At si Municipia Patronos sibi deligebant, Cicero Antonium accusat idcircò *Puteolanorũ patroni Bruti* Puteolanos infestantem, quòd C.Cassium & Brutos sibi patronos adoptassent. Et anno 1602. dùm Franciscus è Castro nobilissimus, doctissimusq. adolescens, Neapolitani Regni Vicarius esset effectus à Philippo III. & disiecto piscatoris cuiusdam domus pariete, fundamenta patefacta essent, marmoreum sepulcrum repertum est, ad quod cum Dominico Fontana Regio Architecto descendens, hoc reperi inscriptum epigramma,

CN. ASINIO
POLLIONIS. ET. AGRIPPÆ. NEPOTI
PVTEOLANI. PATRONO. PVBLICE.

Meliore conditione esse Colonias, quàm Municipia dixit *Lib.16.c.13.* Agellius. Adrianus verò in oratione pro Italicensibus, mirari se dicit, quòd quædam antiqua Municipia, in ius Coloniarum *Quo genere Præfecturarum Puteoli.* mutari gestierint. Præfecturarum iure deuinctos legimus Puteolos, atque eo genere Præfecturæ, in quam Præfecti mitterentur à populo creati, in quo Cumæ, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Acerræ, Suessula, Atellæ, & Calatia etiam erant annumeratæ.

Præsidium Puteolanum.

Puteoli præsidio muniti. Consueuere Romani in ripis Limitaneis castella, munitionesq. ædificare, quæ Præsidaria munimenta appellabantur,

Præsidia

Præſidia Liuius dicit,idemq. lib.4.Dec.3. Puteolos ita conſtitutos ſcribit, cùm de Annibale loquitur; *Peruaſtato agro Cumano vſque ad Miſeni promontorium, Puteolos repentè agmen conuertit, ad opprimendum præſidium Romanorum. Sex millia hominum erant, & locus munimento quoque, non natura modò tutus.* Cœpit illud Emporium ob bella quæ in Italia Annibal gerebat frequentari. Idcircò Q.Fabius ex Senatus auctoritate illud communijt, præſidiumq. ſtatuit, & tunc mutato Dicæarchiæ nomine, Puteoli vocari cœpti ſunt. A præſidiarijs militibus, claſſem in Gallinaria ſilua ædificatam ſcribunt. Præſidiariorum numerus Puteolanæ vrbis oſtendit magnitudinem. *Gallinaria Silua.*

Portus, Pilæ, Puluis Puteolanus.

Portus ille Puteolanus negotium ſæpè ſtudioſis faceſſiuit. Aliquandò pontem potius exiſtimarunt, propterea quòd Pilis extructus eſt, quas ponti Traianus in Danubio concinnauit. *Ponti in Danubio.* Bellum in Daciam moturus is Imperator, pontem in eo flumine conſtrauerat, octauum ferè orbis miraculum. Pilæ ex Dionis deſcriptione xx. fuerant ex lapide quadrato, ſingulæ altitudine pedum l. latitudine pedum lx. quæ inter ſe aberant interuallo pedum clxx. Alias oſtendi Pilas in montibus Transſiluaniæ à Turcis oſtendi aiunt, dum Niſſam ad Danubium iter faciunt; & Augerius Giſlenus Orator ad Solimanum miſſus, in itinerario quod ſcripſit, ſe vidiſſe teſtatur; Traianas quoque appellant. Idq. magis affirmabant, quòd portum Pilæ, quæ maris æſtus facilè recipiunt, efficere non poſſe videntur. Strabonis tamen *Lib.5.* verba, Pilas illas portum efficere teſtantur, cùm ait; ἡ δὲ πόλις ἐμπορεῖον γεγένηται μέγιστον χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους (de Puteolis loquitur) διὰ τὴν εὐφυΐαν τῆς ἄμμου; *Vrbs ea Emporium facta eſt maximum, & habet ſtationes nauium manu conſtructas, natura arenæ eam commoditatem præſtantis.* Deinde; Προβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλατταν, καὶ κολποῦσι τὰς ἀναπεπταμένας ἠϊόνας ὥστ' ἀσφαλῶς ἐνορμίζεσθαι τὰς μεγίστας ὁλκάδας; *Pilas in mare producunt, ſinuantq. littoris partes maximè apertas, ita*

vt

vt subduci tutò possint maximè onerariæ naues. Quo nihil apertius ad Pilarum opus, portusq. commoditatem exprimi potest. Lapidea in Pilis retinacula, quid ad pontem? Quod si non magnarum nauium stationes videri possent, vt Strabo loquitur; ea ætate magnæ naues videbantur, quæ ibi tutò anchoras iacere potuissent. Idem auctor lib. 3. scribit ex Turditania maximas onerarias naues ad Dicæarchiam, & Ostiam Romanorum nauale appellere solitas, quæ numero Africas æquarent. Eas verò Pilas littus sinuasse, neque rectà ad Baias, sed ad Tripergulas potius tendentes, substructas fuisse, præter hæc Strabonis verba, superior lapis dilucidè declarat, in quo Pilas xxv. fuisse legimus, PILARVM VIG. V. qui numerus Baias pertingere nullo modo poterat. Confirmat idem Paulus Diaconus, qui de Caij ponte loquens, ait, *In spacio trium millium quod in sinu Puteolana intra molem iacet, duplici ordine naues cõtexens,* & quæ sequuntur. Intrà molem, cùm dicit, Pilas intelligit; vt portum Puteolanum vetustissimum esse sciamus, & cum ipsa Dicæarchia constitutum. Confirmat quoque Liuius, qui scribit anno ab V. C. 575. M. Iunio Bruto, & A. Manlio Volsone Coss. in portu Puteolano duas naues de cęlo tactas fuisse. Seneca sic describit; *Hodiè naues Alexandrinæ nobis apparuerunt, quæ præmitti solent, & nunciare sequutæ classis aduentum Tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ aspectus est. Omnis in Pilis Puteolanorum turba consistit;* & ex ipso genere velorum Alexandrinas (quamuis in magna turba nauium) intelligit. In ea mole hic lapis appositus erat, qui mari obrutus anno tandem 1577. à Puteolanis maximo labore erutus, in quo Antonino opus restitutum tribuitur,

Pilarum retinacula.

Onerariorum nauium stationes.

Pilæ Puteolanæ quò diuertebant.

Portus Puteolanus vetustissimus.

Epist. 58.

IMP. CÆSARI. DIVI. ADRIANI. FIL.
DIVI. TRAIANI. PARTHICI. NEPOS
DIVI. NERVÆ. PRONEPOS. T. ÆLIVS
ADRIANVS. ANTONINVS. AVG. PIVS
PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II. DESI
GNAT. III. P. P. OPVS. PILARVM. VI
MARIS. CONLAPSVM. A. DIVO. PATRE
SVO. PROMISSVM. RESTITVIT.

Quod si portum veteres illi humanarum rerum peritissimi apertum ferè ædificauerint, maximæ prudentiæ tribuendum est, quandò id quod inter Pilas vacui relictum est, accessu maris atque recessu, cœno & arenæ aggeribus portum purgat, atque ità expeditior est ad retinendas naues.

Puteolana arena soliditas.

Huiusmodi in mari solidissimè iactum ædificium, arenæ Puteolanæ (quam Dicæarchæam appellat Sidonius) magnam gloriam attulit. Eius enim natura calci maximè respondet, validamq. conglutinationem atque concretionem suscipit. Quo factum est, vt ferrugineam arenam plerisque in locis Puteolanam appellent. In Puteolano tractu in mare deiecta ædificia cernimus, quæ sunt scopulis solidiora. Vt non ab re dixerit Plinius, *Puluerem appellatam in Puteolanis collibus apponi maris fructibus, merumq. protinus fieri lapidem vnum inexpugnabilem vndis, & fortiorem quotidiè, vtique si Cumano misceatur cæmento*. Et Pontanus lib. de Magnificentia, Constantinum Augustum, quo Moles Byzantina diuturnior esset, è littore Baiano Puteolanum puluerem nauibus comportandum iussisse scribit, nunquam pecuniæ parcentem, vt animi patefaceret maiestatem. Ignem eius bonitatis esse efficientem scribit Vitruuius. *Est* (inquit) *genus pulueris quod efficit naturaliter res admirandas. Nascitur in regionibus Baianis, & in agris Municipiorum, quæ sunt circà Vesuuium montem, quod admixtum cum calce, & cæmento, non modo cæteris ædificijs præstat firmitatem, sed etiam moles quæ construuntur in mari sub aqua solidescunt. Hoc autem fieri hac ratione videtur, quòd sub his montibus, & terra feruentes sunt fontes crebri, qui non essent si non in imo haberent aut de sulphure, aut alumine, aut bitumine, ardentes maximos ignes*. Et Seneca, *Puteolanus puluis si aquam attigit, saxum est*. Igitur penitùs ignis ac flammæ vapor per interuenia permanans & ardens efficit leuem eam terram; & ibi qui nascitur tophus exugens est, & sine liquore. Ergò cùm tres res consimili ratione ignis vehementia formatæ vnà cohærescant, & celeriter humore duratæ, solidentur; neque eas fluctus, neque vis aquæ potest dissoluere.

Cap. 2.

Puluis Puteolanum Byzãtiũ deductus.

Yyyy Qua

Qua de re sic apud Sidonium Apollinarem,

Carm. 2.

------ itur ad æquor
Molibus, & veteres tellus noua contrahit vndas,
Namque Dicarcheæ translatus puluis arenæ
Intratis solidatur aquis: durataq. massa
Sustinet aduectos peregrino in gurgite campos.

De Caligulæ ponte.

C. Caligula vt Baiarum medium interuallum, & Puteolanas moles, trium millium & sexcentorum ferè passuum ponte coniungeret (sic loquitur Suetonius) contraxit vndique onerarias naues, & duplici ordine ad anchoras collocauit, superiecto aggere terreno à directo in Appiæ viæ formam. Indè commeauit vltro citròq. biduò continenti. Primo die phalerato equo, insignis quoqne Querna (Quercica, Quercia, ab alijs dicitur) corona & gladio, aureaq. chlamyde. Postridiè quadrigario habitu, curriculo biiugi famosorum equorum, præseferens Darium ex Parthorum obsidibus, comitante Prętorianarum agmine, & in essedo cohorte amicorum. Idq. ab eo factum narrant, vt Persarum Regem Xersem imitaretur, qui ex Asia in Græciam ponte transmisit, & angustiorem Hellespontum contabulauit. Extant Philippi Macedonis Epigrammatarij versus. Vel vt Germanos & Anglos, quibus cum bellum erat gesturus, magnorum operum laboribus perterreret. Vel, cùm sciret à Thrasillo mathematico dictum fuisse Tiberio, tunc Caium in Imperio successurum, cùm equo mare Baianum præternauigaret, voluisse ostendere Thrasillum vera dixisse. Thrasillus hic ille erat quem Tiberius astronomia peritissimum suum habebat, & quem ventura optimè scire sibi persuadebat. Et cùm eum aliquando statuisset Tiberius è muro præcipitare, quòd is solus omnes cogitationes eius cognosceret, & cùm animaduertisset esse mœstum, & percunctatus esset mœroris causam, & ille respondisset, se periculi cuiusdam suspicionem habere, Tiberius admiratus est, & quod proposuerat, non fecit. Dio in

Incessus Caligulæ per pontem.

Claudio

Claudio hæc scribit; Ταῖος δὲ ἐκείνης μὲν τῆς πομπῆς οὐδὲν προετίμησεν (οὐδὲ γὰρ μέγα τι ἐνόμιζεν ἐπὶ ἵππῳ δὶ ἠπείρου διελάσαι) διὰ δὲ τῆς θαλάσσης τρόπον τινὰ δὶ ἱππεῦσαι γεφυρώσας τὸ μεταξὺ τῶν τε Πυτεόλων καὶ τῶν Βαύλων. τὸ γὰρ χωρίον τοῦτο κατ' ἀντιμέραν τῆς πόλεως ἐστὶ, διέχον αὐτῆς σταδίους ἓξ καὶ εἴκοσι; *Verum Caius rem haud magnam esse censens si equo per continentem terram inueheretur, ouationem eam spreuit, ac per mare equo vehi intendit ponte iniecto ei maris parti, quæ est inter Puteolos & Baulos. Is locus è regione vrbis situs, & distant inter se Bauli & Puteoli millibus passuum tribus & quadrante.* Addidit præterea antequam pontem ingrederetur sacrificasse Neptuno, & Φθόνῳ, Liuori scilicet, ne qua opprimeretur inuidia; deindè in vrbem quasi in hostes irruisse celeriter, tunica auro intexto amictum. *Inuidiæ sacrificauit Caius.* Xiphilinus scribit in eo ponte diuersoria, quædam ità ædificata, vt in ea aqua bibendi causa deduceretur; ἀλλὰ καὶ ἀναπαῦλαι ἐν αὐτῇ καὶ καταλύσεις, ὥς τε καὶ ὕδωρ αὐταῖς πότιμον ἐπίρρυτον ἔχειν. Barbarus homo deindè nemini parcens, omnes ex ponte ludibrij causa deturbauit, eosq. qui aliquo pacto se continebāt, deijciendos quoque iussit; in rebus enim etiam iocosis nefarij homines à crudelitate nequeunt abstinere. Iosephus de hoc ponte loquens ait, Caligulam aquæ etiam elementū sibi subijcere voluisse, eaq. gessisse in fluctibus, quæ terræ natura sustinet. *Lib. 19 c. 1.* Dùm verò trecentis stadijs continentem abesse dicunt interpretes, hallucinati sunt, non animaduertentes σταδίους τριάκοντα. Iosephus accedit ad Suetonium. Dionis tamen verba xxiv. tantum stadia interesse declarant.

Puteolanorum antiqua relligio.

Ex nummis Puteolanis HEBONIS relligionem elicimus, habent enim ex altera facie Apollinis caput, ex altera Hebonem (quem Campaniæ communem fuisse in Neapolitana historia ostendimus) cum inscriptione, ΠΟΤΤΕΟΛΙΤΩΝ. Puteolani quoque Græci ad Theseum (vt diximus) originem referunt. Hebo idem qui & Mithra, aut Serapis. Taurina for-

ma barbatus is Deus eſt, nam Hieropolitani barbatum Solem depingebant. Græcis Bacchapæa, apud Macrobium, idemq. Liber, Apollo, & Dionyſius.

Templum Augusto dicatū. AVGVSTI. In media vrbe, quæ nunc reliqua eſt, templum opere Corinthio pulcherrimum videmus, quod nec tempus edax, nec hoſtium furor, nec flammarum iniuriæ perdere potuerunt. Auguſto Cæſari dicatum. Idq. ſub Iouis nomine factum prædicant. Hæc ibi leguntur,

L. CALPVRNIO. L. F. TEMPLVM
AVGVSTO. CVM. ORNAMENTIS. D. D.

Ex quadratis marmoreis lapidibus ità compactum, vt vno tantùm ſaxo erectum cenſeatur. Atque huiuſmodi omnes conditum exiſtimarent, niſi tympani dexter angulus decidens, rimas aliquot aperuerit. Architecti nomen adſcriptum,

L. COCCEIVS. L.
C. POSTVMI. L.
AVCTVS. ARCHITECTVS.

Templorum dedicatio. Qui Ioui dicatum arbitrati ſunt, Seruio aſſentiuntur, qui Ioui vrbium arces fuiſſe dicatas ſcribit; & ſcopulum illum arcem Puteolanam iudicarunt. At quo pacto templa dedicarentur, de eiuſdem templo Romæ dicato, hæc ſcribit Dio de Caio; *ἐκ δὲ τούτου τὸ ἡρῷον τὸ τοῦ Αὐγούστου ὡσιώσε τὴν ἐπινίκιον στολὴν ἐνδὺς καὶ οἵ τε εὐγενέστατοι παῖδες ὅσγε καὶ ἀμφιθαλεῖς ἦσαν, μετὰ παρθένων ὁμοίων τὸν ὕμνον ᾖσαν, καὶ ἡ βουλὴ σὺν ταῖς γαμεταῖς σφῶν, ὅ τε δῆμος εἱστιάθη θέαι τε παντοδαπαὶ ἐγένοντο, τά τε γὰρ τῆς μουσικῆς ἐχόμενα ἐσήχθη*, &c. *Deinde Caius habitu triumphali templum Auguſti dedicauit, nobiliſſimis pueris ætate florentibus, cum virginibus eiuſdem ordinis hymnum canentibus, epulumq. Senatoribus, & eorum vxoribus ac populo datum, variaq. ſpectacula edita, & omnis generis muſica introducta.*

Neptunus tutelare Numen Puteol. NEPTVNI templi ruinæ adhuc vigent cuius Cicero meminit Acad. 4. *O præclarum proſpectum. Puteolos videmus, at familiarem noſtrum Auianum, fortaſſe in porticu Neptuni ambulantem non videmus.* Et Appianus lib. 1. de bello ciuili, tutelare loci

loci Numen vocat, cui ſacra fecit Cæſar contrà Antonium profecturus; ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκ Δικαιαρχείας, θύων ἀμα σπένδων ἀπὸ τῆς ναυαρχίδος νεὼν ἐς τὸ πέλαγος ἀνέμοις εὐδίοις, καὶ ἀσφαλθείῳ Ποσειδῶνι, καὶ ἀκύμονι θαλάσσῃ; *Cæſar Puteolos cùm prius è Prætoria porrectis extis in mare litaſſet, Tutelari Neptuno, & tranquillo mari, &c.* Eius Numinis lapis meminit ibi repertus,

D. M.
M. VALERIVS. DEXTER. LIB.
NEPTVNO. MANIPVLARIS
C. CALBISIVS. CEREALIS. IIII.
DACI. COHERES.

Hoc templum idem aliqui eſſe aiunt, quod Adriano ſepulcri loco dicatum innuit Spartianus his verbis; *Poſt hæc Adrianus Baias petijt, Antonino Romæ ad imperandum relicto, vbi cùm nihil proficeret, accerſito Antonino, in conſpectu eius apud ipſas Baias perijt die vj. Iduum Iuliarum* (maior ſexagenario addidit Aurelius Caſſiodorus in Chronicis morbo inter cutis aquæ Ruffino, & Torquato Coſs.) *inuiſuſq. omnibus ſepultus eſt in villa Ciceroniana Puteolis*. paulò poſt; *Templum denique ei pro ſepulcro apud Puteolos conſtituit, & Quinquennale certamen, & Flamines, & Sodales, & multa alia quæ ad honorem quaſi Numinis pertinerent*. Repertæ ibi Adriani Statuæ, corona laurea, & paludamentis, & chlamyde ornatæ. In hortis Sangrijs, tres ſunt columnæ ſtantes, quas ad id templum pertinere ſum arbitratus. Lapis præterea, *Adrianus Puteolis ſepelitur*

MAGNO . . . . . INVICTO. IMP. CÆS.
D. TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVÆ
NEPOTI. TRAIANO. ADRIANO. AVG.
PON. MAX. TR. POT. V. COS. III. OPTIMO
MAXIMOQ. PRINCIPI. P. DECRETO. D.
. . . . POPVL. . . . . CONSENSV.

Eius templi amplitudinem ſæpè admiratus ſum cum Claudio Blandicio Regiæ Cameræ Præſide, magni & curioſi ingenij viro, quocum ibi eſſe maluiſſemus, quàm in hortis Heſperidum. Arcus, fornices, thecæ in quibus ſtatuas collocabant

hederæ

hederæ corymbis occupatæ, subterranea circùm loca, atque adyti faciebant animos, vt effodiendo aliquid curiosum reperiremus.

Inuidia, mascula. INVIDIAE. Nam Caligula Φθόνῳ sacrificauit. Hanc Deam Græci masculam effingunt. Et Lucianus in Dialogo διαβολῆς, virum nondum planè ex morbo conualescentem proponit. Ab Ouidio domum, & formam requiras.

Serapis, & Honor. SERAPIDIS, & HONORIS relligionem coluisse Puteolanos, iisdemq. ædem statuisse, nobilissimus ille lapis declarat, quem Puteolis Neapolim transtulerat Spataphorus, eoq. mortuo, in Arpinam villam transtulit Alphonsus Sancius, Grottulanorum Marchio, quem tamen in Puteolanorum gratiam adscribam, vt sciant quantùm iacturæ in rebus antiquis fecerint. Cognoscent veterem illam relligionem, legem operis faciundi tanta Romanæ linguæ puritate, quantam vix in ceteris lapidibus inuenient; tùm prætereà eorum Magistratus, & Magistratuum splendorem.

A. COLONIA. DEDVCTA. AN. XC.
N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVOVIR
P. RVTILIO. CN. MANLIO. COS. OPERVM. LEX. II.
Lex parieti faciundo. LEX. PARIETI. FACIVNDO. IN. AREA. QVÆ. EST
ANTE. ÆDEM. SERAPI. TRANS. VIAM
QVI. REDERIT. PRÆDES. DATO. PRÆDIAQ. SVBSIGNATO
DVVMVIRVM. ARBITRATV.

IN. AREA. TRANS. VIAM. PARIES. QVI. EST. PROPTER VIAM. IN. EO. PARIETE. MEDIO. OSTIEI. LVMEN APERITO. LATVM. P. VI. ALTVM. P. VII. FACITO EX. EO. PARIETE. ANTAS. DVAS. AD. MARE. VORSVM PROIICITO. LONGAS. P. II. CRASSAS. P. INSVPER. ID LIMEN. ROBVSTVM. LONG. P. VIII. LATVM. P. I. ALTVM. P. S. IMPONITO. INSVPER. ID. ET. ANTAS MVTVLOS. ROBVSTOS. II. CRASSOS. S. ALTOS. P. I. PROIICITO. EXTRA. PARIETEM. IN. VTRAMQVE. PARTEM. P. IV. INSVPER. SIMAS. PICTAS. FERRO. OFFIGITO INSVPER. MVTVLOS. TRABICVLAS. ABIEGNIAS. II. CRASSAS. QVOQVE. VERSVS. IN. PONTO.

In

In secunda facie.

FERROQ. FIGITO. INASSERATO. ASSERIBVS. ABIEGNEIS SECTILIBVS. CRASSEIS. QVOQVE. VERSVS. DISPONITO IN PLVS. OPERCVLAQ. ABIEGNIEA. IMPONITO. EX. TIGNO. PEDARIO. FACITO. ANTEPAGMENTA. ABIEGNIEA LATA. CRASSA. S. CYMATIVMQ. IMPONITO. FERROQ. PLANO. FIGITO. PORTVLAQ. TEGITO. TEGVLARVM ORDINIBVS. SENEIS. QVOQVE. VERSVS. TEGVLAS. PRIMORES. OMNES. IN. ANTEPAGMENTO. FERRO. FIGITO MARGINEMQ. IMPONITO. EISDEM. FORES. CLATRATAS. II. CVM. POSTIBVS. ÆSCVLINEIS. FACITO. STATVITO. OCCLVDITO. DICATOQ. ITA. VTEI. AD. ÆDEM HONORIS. FACTA. SVNT. EIDEMQ. MACERIA. EXTREMA PARIES. QVI. EST. EVM. PARIETEM. CVM. MARGINE ALTVM. FACITO. P. X. EISDEMQ. OSTIVM. INTROITV IN. AREÁ. QVOD. NVNC. EST. ET. FENESTRAS. QVÆ IN. PARIETE. PROPTER. EAM. ARAM. SVNT. PARIETEM OBSTRVITO. ET. PARIETI. QVI. NVNC. EST. PROPTER VIAM. MARGINEM. PERPETVVM. IMPONITO. EOSQ. PARIETES. MARGINESQ. OMNES. QVÆ. LITA. NON ERVNT. CALCE. HARENATO. LITA. POLITAQ. ET. CALCE VDA. DEALBATA. RECTE. FACITO. QVOD. OPVS. STRVCTILE. FIET. IN. TERRA. CALCIS. RESTINCTA. PARIETEM. QVARTAM. INDITO. NIVE. MAIOREM. COEMENTA STRVITO. QVAM. QVÆ. COEMENTA. ARDA. PENDAT P. XV. NIVE. ANGOLARIA. ALTIOREM. FACITO.

In tertia.

LOCVM. PVRVM. PRO. EO. OPERE. REDDITO. EIDEM SACELLA. ARAS. SIGNAQ. QVÆ. IN. CAMPO. SVNT QVÆ. DEMONSTRATA. ERVNT. EA. OMNIA. TOLLITO DEFERTO. COMPONITO. STATVITOQ. VBEI. LOCVS DEMONSTRATVS. ERIT. DVVMVIRVM. ARBITRATV HOC. OPVS. OMNE. FACITO. DVOVIR. ET. DVOVIRATIVM. QVI. IN. CONSILIO. ESSE. SOLENT. PVTEOLIS DVM. NI. MINVS. VIGINTI. ADSIENT. CVM. EA. RES CONSVLETVR. QVOD. EORVM. VIGINTI. IVRATI. PROBAVERINT. PROBVM. ESTO. QVOD. II. IMPROBAVERINT. IMPROBVM. ESTO. DIES. OPERIS. K. NOVEMB. PRIMEIS. DIES. PEQVN. PARS. DIMIDIA. DABITVR VBEI.

VBEI. PRÆDIA. SATIS. SVBSIGNATA. ERVNT. ALTERA PARS. DIMIDIA. SOLVETVR. OPERE. EFFECTO. PROBATOQ. C. BLOSIVS. Q. F. HS. ∞ D. IDEM. PRES. Q. RVFICIVS. Q. F. CN. TETTEIVS. Q. F. C. CRANIVS C. F. TI. CRASSICIVS.

Quæ ad parietem perducendum, quæ ad calcem arenandam, & quæ cum calce vda dealbanda. Duouirates, vox mihi noua. Sed Duumuirum auctoritas in sacris præcipuè rebus patefacta. Consilij quoque Puteolani depingitur imago, in quo non minus viginti aderant, ad res decernendas. Locus purus, qui mortuis corporibus non esset funestatus. Et in eam rem Decuriones incumbebant, ex quibus Duumuiri eligebantur.

Duouirates.

Genius Puteolanorum.

GENII. Genio Coloniæ Puteolanos monumenta dicasse suprà in Colonia lapis ostendit. Declarat item ærea tabella in mari à piscatoribus reperta, quam Leonardus Vairus Episcopus Puteolanus ad me Neapolim misit.

GEN. COL. PVT. P. ACILIVS
HERMERON.

Lapis prætereà Cumanus;

AVGVSTO. SACRVM. ET. GENIO
CIVITATIS. PVTEOL.

Bacchus Puteolanorum.

BACCHI. Cuius numinis lapides Puteolani memoriam retinent.

LIBERO. PATRI. SACRVM
T. T. FLAVII. ELECTIANVS. ET. OLYMPIANVS
FIL. EIVS. SACERDOTIS. ORGIOPHANTÆ.

Orgia.

Orgia, sacra μυςήρια. Et si omnibus sacris nomen conueniat, Liberi tamen sacrificia dicuntur. Eadem, *Bacchanale*, & *Choricum*, dicebantur. Vtrumque testatur Seruius, qui ἀπὸ τῆς ὀργῆς, à furore, dicta esse affirmat. Apollonij Scholiastes lib. 5. παρὰ τὸ εἴργειν τὺς ἀμυήτυος ἀυτῶν, quòd prophani indè arceantur; vnde Catullus,

Orgia quæ frustra cupiunt audire prophani.

Hanc vocem in Sannazario reprehendit Scaligerus, quippè diuinis rebus non erat inserenda. Ὀργιασμὸς, à Plutarcho, sacrorum

rum peractio dicitur. Sunt etiam apud Pollucem in Onomastico multa Sacerdotum epitheta; θεομάντις, ὑποφῆται, νεωκόροι, ζάκοροι, θύται, τελεσταὶ, πυραγεῖς, πυρφόροι, ὀργεῶνες. Ὀργεῶνες, δέ εἰσιν (inquit Harpocratio in Lexico x. Rhetorum) οἱ ἐπὶ τιμῇ θεῶν ἢ ἡρώων συνιόντες; ceteraq. huiusmodi. Hoc tamen extremum cum Orgiophantis conuenit, qui cruda voratione litabant. Eusebius lib.2. præp.Euang. Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι βάκχαις ὠμοφαγία τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες; *Sunt tandem Orgiophantæ sacrorum mysteriorum Antistites.* *Sacerdotum Bacchi epitheta.*

DIANAE. Eius statuam se vidisse Puteolis, testatus est Matthæus Salernitanus quindecim cubitos in altitudinem erectã, alatam, leonem ad dexteram, ad sinistram pantheram habentem. Templum in loco, quem Pisaturum dicunt Puteolani, fuisse dictitant. Nec sine Diana Hebo, eaq. Artemis cum Apolline Sanatore; & plurimùm culta in Circo ob venationes. Ideòq. eius ædes Puteolis ad Amphitheatrum quoque, Circumq. extructa est. Et Dianæ Scythicæ inquit Cassiodorus. *Diana Puteolanorum.*

HERCVLIS. lapis. *Hercules Puteolanorum.*

HERCVLI. GYLIO. INVICTO. SANCTO
SACR. VOTO. SVSCEPTO. L. CRASSVS
DE. SVO. F.

Gylius Hercules dictus est, quòd Gylion plerique Græcorum leonem, vel suem dicunt. Isq. sic appellatus est ab ijs bestijs occisis. Choerogyllum, ait Suidas, Gylion significare, hoc est, porcum spinum. Sancti verò cognomen Sabinis. Varro; *Aelius Gallus* Διόσκουρον *Castorem Dionis filium, Dium Fidium dicebat, & putabat hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem à Græca.* Nuper in ædibus Scipionis Loffredi, cuius ager qui circùm est, antiquitatum monumentis scatet, lapis repertus in quo hæc leguntur, *Hercules Gylius.* *Choerogyllus* *lib.4. de ling. lat.*

SANCTISSIMO. DEO. PATRI
EX. VOTO. CONSVMMAVIT. IVLIVS
SECVNDVS. FAONIVS.

Herculem intellige. Sic enim in alio lapide Cumis,

SANCTISSIMO. HERCVLI. INVICTO
DO. . . . LL. ARGYRIVS. LANARIVS
H. . . . S. P. D. D. DEDICAVIT. KAL. IVL.
. . . . SEX. VTVL. COSS.

Videtur profectò inter præcipuos tutelares Deos Puteolanos, Hercules, cùm Herculeam portam Traianus Puteolis vocari iusserit.

Nymphæ Puteolanæ. NYMPHARVM. Nympharum templum sub Domitiano commemorat Philostratus in vita Apollonij, narrans hunc Damidi, & Demetrio discipulis apparuisse extra Puteolos, de fontis natura, quod ad templum erat, disputantibus. Ex albo ait lapide extructum, & vaticinijs celebre. Aquam ibi perennem fuisse, quæ nunquam extremas fontis partes excederet, & quæ nunquam decrescere exhauriendo visa fuerit. Ad mare paucis ab hinc mensibus perennis aquæ scaturigo erupit.

Iuppiter custos Puteol. IOVIS CVSTODIS. ex lapide item memoriam retinent,

IOVI. CVSTODI. SACRVM
EX. INDVLGENTIA. DOMINORVM
SVCCESSVS. PVBLICVS. . . SER. . . . ÆDEM.

A Fuluio Vrsino Puteolis citatur tabula, in qua Iuppiter optimus maximus.

IOVI. O. M. SACRVM
CVM. PORTICIBVS. A. SOLO. SVA. PEC. F.

Iuppiter Sospitator. Seruatorem Iouem, Sospitatorem etiam dixere. Meminit Διὸς σωτῆρος in Corinthiacis Pausanias, eiusq. ad lacum quendam ædem positam in Laconicis eximiam statuam idem in Arcadicis describit, quæ ad sinistram Artemidis Seruatricis quoque signum habebat. Hic Iuppiter ille est, qui Παυσίλυπος quoque dicitur à Sophocle in Nauplio. Idq. in conuiuijs. Primum enim poculum cœlestium erat, alterum Heroum, tertium Iouis Seruatoris, vt primo libro diximus. Legimus tamen primum poculum Seruatori sacrum apud Athenæum, ominis boni gratia; vt meminerint mortales se vinum (temperatum tamen) bibentes seruatum iri.

Iuppiter Pausilypus.

IVNO-

IVNONIS Pronubæ ædem ædificandam iussit Siluia Petronilla M. Antonij Augustalis vxor, ob ereptam sibi virginitatem. Lapis,

SIL. PETRONILLA
M. ANT. IANVARI. CONIVX. GRAVISS.
EX. TT. SS. HH. VT. IVNONI. PRONVBÆ
SVÆ. VIRG. EREPTÆ. PRIM.
ÆDES. MAR. CONSTRVATVR. IMP.

Collegia, & corpora Puteolana.

Rerumpublicarum partem Corpora, & Collegia constituebant; Σωματα Græci dixere; & huiusmodi Athenæus habet ex Moschione, qui de naui Hyeronis Syracusani commentaria scripsit, κατήγαγε δι᾽ ὀλίγων σωμάτων, *paucorum corporum adiumento deduxit*. Infimum igitur hominum genus erat seruilibus operibus occupatum. Numerauimus primo libro Corpora. Sed Puteolis Pistores reperimus. *Lib. 5. c. 8.* *Pistores Puteolis.*

ILLE. EGO. SVM. PROCVLVS. TOTVS. QVI. NATVS. HONORI
AVT. DICO. VT. SIT. NONOS. QVEM. MITTI. INESSE. NEGAS
COLLEGIVM. PISTORVM
PATRONO. PRÆSTANTISSIMO.

Ibidemq. Collegium Suauiorum, & Confecturariorum. Accedunt Dendrophori, quos Puteolanus lapis, in turri sacra D. Gregorij Neapoli positus, patefacit, in primo libro citatus. Confirmat eum lapidem, alius quem in fundo quodam Episcopus Puteolanus inuenit paucis ab hinc diebus, & quem in lucem edere conatus sum, vt satis Antiquarijs faciam, locupletem enim huius Collegij testem, curiosi viri libenter amplectentur. Is quidem est, & ex vtraque facie eadem continet verba, quod rarissimè in alijs lapidibus contingit. *Suauij, & Confecturarij.*

EX. S. C. DENDROPHORI. CREATI. QVI. SVNT
SVB. CVRA. XV. VIR. ST. CCVV.
PATRON. L. AMPIVS. STEPHANVS. SAC. M. DEI. QQ.
DEND. DEDICATIONI. HVIVS. PANEM. VINVM
ET. SPORTVLAS. DEDIT.

C. VALERIVS. PICENTINVS
C. IVLIVS. HERCVLANVS
LONGINIVS. IVSTINVS
A. FIRMIVS. POLYBIVS
C. LISIVS. CRESCENTINVS
L. DECIMVS. FELINVS
C. CVPIENNIVS. PRIMITIVVS
T. MINICIVS. SABINVS
M. IVNNIVS. AGRIPPINVS
A. CAMELIVS. PROTOCENSIS
A. AGNANIVS. FELICISSIMVS
C. LITRIVS. PORTVNATVS
TI. IVLIVS. CALLINICVS
Q. CVRTIVS. SCEMANVS
L. OPPIVS. LESIGINVS
M. HERENNIVS. ZERAX
C. LISIVS. PVDENTINVS
A. FIRMIVS. FELICIANVS
M. BABBIVS. SODALIS
L. MODESTIVS. HILARVS
L. ORFIVS. MAXIMINVS
C. IVLIVS. GAVDITVRVS
L. LOLLIVS. VIATOR
C. IVLIVS. COGITATVS
C. IVLIVS. CERIALIS
C. HERENNIVS. SABINVS
L. ORFIVS. MAXIMVS
N. POLLIVS. PRIMVS. SEN.
C. LITRIVS. MAIOR
L. DECIMVS. FAVSTVS
C. IVLIVS. SEVERVS
C. NAVTIVS. PYNTROPVS
N. VIBIVS. SPERATVS
L. PACIVS. MAVIMINVS
Q. GRANIVS. GEMELLVS
M. GRANIVS. MARCIANVS
Q. SERVIVS. NICETIANVS
C. LISIVS. SECVNDINVS
C. PVBLILIVS. GENIALIS
L. CONNIVS. CASTRENSIS
Q. GRANIVS. CHORINTVS
TI. IVLIVS. ATAINOPO
Q. CRANIVS. IANVARIVS
C. TVRRANIVS. PRISCVS
L. PLAVTIVS. VICTOR
A. FIRMIVS. SEVERVS
C. FVLIONIVS. TERTIVS
T. FLAVIVS. ARCHILAVS
M. VALERIVS. SYNTROPVS
M. VALERIVS. IANVARIVS
N. LVCIVS. CYRICIVS.
C. IVLIVS. CARITO
M. CVRIVS. NIANVS
C. MARTIVS. VITALIS
AERELIVS. LVCIVS
C. IVLIVS. DIANENSIS
C. ANTONIVS. LVCILIANVS
C. MAGIVS. CRESCENTIANVS
C. CARTILIVS. IRENICVS
N. POLLIVS. PRIMVS. IVN.
C. TITILIVS. PRIVATVS
L. MARCIVS. MARVLEIVS
Q. GRANIVS. GEMELLVS
C. CLODIVS. MERCVRIVS
N. VIBIVS. SVPER
C. TVSCENIVS. COMMVNIO
M. STENNIVS. MARCELLINVS
M. VALERIVS. EVTYCHES
C. RVFVS. SELEVCVS
M. MALLONOVS. SEVERIANVS
L. GENTIVS. NICO
L. PEDANIVS. FAVSTINVS
NÆVIVS. POLLIVS. PRISCVS
IVLIVS. DECIVS. FELICIVS
M. SAGARIVS. SEDATVS
C. TVSCENTVS. PRIMITIVS
M. SAMIANTVS. CRESCENS
P. CARSICIVS. FLORIANVS
C. STATRIVS. FELICISSIMVS
T. MINICIVS. VERATINVS

M. PLAV-

M. PLAVTIVS. HILARVS C. AVRVCVLEIVS. . : .
M. SAMILARIS. FORTVNIVS L. FLAVIVS. CELER
C. IVNIVS. MERCVRIVS SAMIARIVS. SILVANVS.
C. IVLIVS. CRESCENS

DEDICATA. VII. ID. OCT. III. ET. SEMEL. COS.

In multis præterea ciuitatibus Dendrophori, Fabri, Centonarij, Tignarij coniunguntur, sic enim Romæ, *Dendrophori, & alia corpora.*

FAVSTINÆ. AVGVSTÆ
MAGISTRI. QVINQVENNALES. COLLEGI. CORP.
FABRVM. FERRAR. TIGNAR. DENDROPHOROR. ET
CENTON. LVST. XXVII. T. OVINIVS. T. F. THERMVS
L. FVSCIVS. Q. FILIVS. SABIN. FLAVIVS. ANTIDIVS
SEX. F. EROS. C. FVLVIVS. C. F. NIGRVS. Q. CASSIVS
P. F. ALBINVS. MAGISTER. ET. FLAMEN. QVINQVEN.
L. CHRISCIVS. L. F. VENVSTVS. SEX. MÆTIVS. SEX.
F. VERVS. DD. KAL. IANVAR.
C. MANLIO. TORQVATO. ET. CORNELIO
MESSALINO. COSS.

Eadem in hoc lapide cernitur dedicatio Dendrophororum, idemq. magisterium Quinquennalitatis. Et in alio Romano lapide Ti. Claudius Chresimus ob Quinquennalitatis honorem Collegio Dendrophororum, quibus ex S. C. coire licebat argenti pondo x. & HS decem millia reddidit, quæ diuisa sunt populo per gradus Nummio Albino & Fuluio Aemiliano Coss. Sacerdotium quoque obijcitur, ait enim *Magister & Flamen*. Saffinæ in Flaminia inscriptio est qua collegis Dendrophororum, Fabrum, & Centonariorum ex testamento HS senamillia dantur, oleumq. singulis annis diuiditur die natali testatoris. Ad Lirim amnem ex Manutio Q. Iunio Seueriano veterano *In Orthogr.* Quæstori Reip. Ausculanorum, patrono collegij Centonariorum & Dendrophororum statua à liberta dedicatur, & datur cœna Decurionibus quibus & populo pecunia quoque diuiditur. Vbique verò eius collegij patroni viri primarij reperiũtur. Qui verò arbitrati sunt hoc Collegium ad illud referri, quod *Sacerdotium Iouis.* ex Iouis famulatu ab Hercule fuit institutum, qui apud Eleos

Pelopi

Pelopi ad scrobem quandam sacra fecit, ad quam annui magistratus nigros arietes mactabant, vt scribit Pausanias in Eliacis, meminerint cum Sacerdotem cui negotium committebatur Ξιλέα appellatum esse, quoniam certo precio ligna ad sacrorum vsum vel publicè ciuitatibus, vel priuatim cuius homini suppeditabat, & ligna ex alba populo erant. Quid igitur Ξιλέυς cum Δενδροφόροις?

Ligna populea.

Corpora tamen & Collegia non semper ex seruis fuisse, ostendunt equitum Corpora, quæ in Neapolitana historia dilucidauimus, ex quibus EQVI PVBLICI, & HONORATI EQVO PVBLICO, dicebantur. Collegia item Augustalium in antiquorum monumentis plurimis legimus. Quinquennales verò, Aediles Colonici.

Collegia Equitum.

CLASSIARII. Aliud Puteolanum corpus. Nauales hi socij erant, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, vt ait Suetonius. Et Cornelius Tacitus, *Primorum Classiariorum Misenensium labore connixa est*. Et apud Cæsarem, *Equites prohibuerunt Classiarios aqua*. Sed à Modesto Classiarij appellantur Buccinatores, qui cornu ducunt exercitum, non à classe, sed a classico dictos, quod canitur Imperatori. Ex eorum corpore quidam vltrò citròq. Ostia Romam pedibus commeabāt, vt idem auctor in Vespasiano; *Classiarios qui ab Ostia à Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calciarij nomine; quasi parum esset sine respōso abegisse, iussit posthac excalceatos cursitare, & ex eo ità cursitant*.

Classiarij Puteol.

In Galba cap. 12.

Calciarium dixit Suetonius, vt Clauarium Tacitus lib. 3. Hist. pro donatiuo, quòd vel in calceos, vel in caligares clauos impenditur. Sic Camelatia, vel Camelaria apud Iurisconsultos, quæ pro alendis camelis dabantur. Cursus erat publicus ab Imperatoribus constitutus, qui à Persis anteà inuentus, Angaria, dictus est. Et Plutarchus ait veredos & rhedas singulis circiter L. miliarijs ad currendum certis locis dispositos, vt iter diei conficerent, atque ità res celeriter nunciarentur. Reliqua Collegia in hoc habentur lapide,

Calciarium. Clauarium.

Angaria.

IMP.

IMP. CÆSARI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. NEPOTI D. NERVÆ. PRONEP. ÆLIO. ADRIANO. ANTONINO AVG. PIO. PONT. MAX. TRIB. POT. V. IMP. II. PP. CONSTITVTORI. SACRI. CERTAMNIS. SELASTICI SOCII. POPVLARES. LICTORES. DENVNCIATORES PVTEOLANI.

Gladiatorios ludos iam intermiſſos, Antoninus Auguſtus conceſſit L. Egnatio Inuento, vt in lapide recitato in Colonia Puteolana. Denunciatores commemorantur à P. Victore in iv. Regione Romana. Sacrum tamen certamen, Græcum dicitur à Suetonio; omnia ſcilicet ſcenica, muſica, gymnica. Aliqui gladiatorios ludos excipiunt. Lictores Coloniæ, & Municipia habebant, qui Prætores præibant. Virgas ferebant, ideòq. ῥαβδοῦχοι, veluti vbique hoc tempore Magiſtratibus publicis debentur.

Denunciatores. *Lictores.*

Theatrum, Amphitheatrum, Circus Puteolani.

Theatri, Amphitheatri, & Circi ornamenta præclaras vrbes maximè exornarunt. Summo hac de cauſa ſtudio in ijs ædificandis antiquitas elaborauit. Nulla veterum animos ad eas moles impenſa perterruit. Marmora ex abditiſſimis venis eruta, maxima cum induſtria terra, mariq. comportata. Ichnographiarum ſpecies, picturarum venuſtas, ſtatuarum certauit numerus & amplitudo. Conſtituto ſiquidem Foro (vt inquit Vitruuius) locum Deorum immortalium diebus feſtis, ludorumq. ſpectaculis in Theatro eligebant, vt quædam ibi celebrarentur actiones quæ paci & ocio eſſent oblectamento. Poetarum numeri, Oratorum thecnæ, Muſicorum harmoniæ. Neſcio an Romana Theatra à Græcis, & quo tempòre in hoc differant. At ſaltem in vtriſque Theatris mimos varias effigiaſſe ad voluptatem perſonas, non ignoramus. Ad armorum verò & bellorum ſtudia quædam referebantur in Amphitheatro. Addo curſus & ſaltus in Circo; atque ità ingenij & corporis vires robur & virtutem compararent. Quamobrem, ad ingenium Theatrum; ad cruorem & feras Amphitheatrum; ad curſus & Pyrrichias atque

Lib. 5. cap. 3. *Po? Fo. u. ?. Theatrum.*

atque Olympionicas Circus. In Theatro, actores, histrionesq. In Amphitheatro Gladiatores, Retiarij, Sequutores, Bestiarij, ceteriq. In Circo Decursiones, quas Equirias vocant Varro & Ausonius,& Quadrigariorum factiones,atque ij ludi quos Cicero describit; *Iam ludi publici quoniam sunt Cauea, Circoq. diuisi, sint corporum certationes cursu & pugilatione, luctatione curriculisq. equorum vsque ad certam victoriam Circo constitutæ.* Stadium quoque dicitur,& Campus,& Hippodromus, & θέατρον ἱπποδρομίας. Trium verò horum locorum Tertullianus describit actiones Circi furentis, Caueæ sæuientis, & Scenæ lasciuientis. Alibi Scenicos, Xysticos, Arenarios in ijs ludentes appellat. Et Imperator lege viij.Circensia, Theatralia, & Arenarum spectacula dicit. Arena verò sternebatur ne sanguinis copia fœdarentur.

Lib. 2. de leg.

Circus vbi primò ædificatus

In Circo primo loco venationes editæ sunt cùm à Tarquinio Prisco inter Auentinum & Palatinum colles (vel à Romulo, vt ait Ciprianus) fuit ædificatus. Quare Amphitheatralem posteà Circi venationem appellarunt, qua inter se aut homines, aut feræ pugnabant. Quæ duo pugnarum genera Martem & Dianam dixit Tertullianus,& de Diana Amphitheatri præside disertè loquitur Cassiodorus. Venationem Circi Dianæ sacram omnes affirmant. Claudianus,

Lib. 5. de spect. c. 42.

Amphitheatrali faueat Latonia pompæ.

Sed post Amphitheatri vsum raro in Circo venationes fuere. Ipsumq. à Dione Κυνηγέσιον est appellatum, propterea quòd ad venationes potius quàm ad munera gladiatoria fuit extructũ. In Theatris etiam venationes editæ legũtur,vt in Scauri Theatro Aedilitate sua, & in Theatro Pompeij, quod ea de causa Amphitheatrũ(& si mendosè legi,pro Theatro scribat Lipsius) appellare Plinius non dubitauit, qui hæc quoque scribit, *Sed vt in Theatro venationes subindè editæ sint, primus tamen omnium Iulius Cæsar Asia,& Aegypto domitis Theatrum venationi extruxit, quod Amphitheatrum appellatum, quia sedes absque scena in ambitum haberet.* Quæ verba planissimè Theatrum ab Amphiteatro secernunt,quippè in Theatro scena erat,

Lib. 36. c. 15.

Prosce-

Proſcenium, Orcheſtra. In Amphitheatro area tantum (quam Circum etiam aliqui appellarunt, hinc Circi & Amphitheatri confuſio) & ſpectatorum ſedes, ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἀνὰ σκήνης ἔχειν προσερρήθη. Et duplex Theatrum Amphitheatrum conſtituebat. Caſſiodorus; *Hoc Titi potentia principalis diuitiarum profuſo flumine cogitauit ædificium fieri, vndè caput vrbium potuiſſet, cùm Theatrum, quod eſt hemiſphærium, Græcè dicatur Amphitheatrum, quaſi in vnum iuncta viſoria, rectè conſtat eſſe nominatum. Qui ſpeciem eius arena concludens, vt concurrentibus aptum daretur ſpacium, & ſpectantes omnia faciliùs viderent, dùm quædam prolixitas vniuerſa collegerat.* Quæ tamen vberiùs à doctiſſimis Lipſio & Bulengero de Amphitheatro & Circo ſunt explicata. *Lib. 5. ep. 42.*

Magnam Theatri partem Puteolis in hortis Hieronymæ Columnæ ſtantem maiores noſtri viderunt, quæ aut terræmotibus deiecta, aut vetuſtate diſſipata & obruta, perijt. Hoc ibi inuentum fuiſſe epigramma affirmant, GENIO THEATRI AVGVSTI. Ad D. Iacobi ædem Amphitheatrum, ouali forma cernitur, quod aream longitudinis pedum clxxij. & longitudinis, pedum lxxxviij. continet; vulgò Gironem appellant. Multa circùm habet concamerato opere ædificia. At quædam ſubterranea tàm perplexa oſtiorum ambage (ſic loquitur Antonius Sanfelicius, quem honoris cauſa nomino) vt abſque duce & non circumducto funiculo negetur exitus. Labyrinthum idcircò nominant, ibiq. Dædalum artes exercuiſſe videtur innuere Virgilius. Id ædificiorum genus ſeruandis aquis fuit excogitatum, ad ſpectatorum commoditatem. Quinque tamen Labyrinthos commemorat Franciſcus Petrarcha, Aegyptium, Lemnium, Creticum, Cluſium, & Rhodani. *Labyrinthus.* *Lib. 5. ep. 4.*

Ex Puteolano Amphitheatro ſpectandi leges viſæ ſunt prodijſſe, cùm ſcribat Suetonius, confuſiſſimum & ſolutiſſimum ſpectandi morem Auguſtum idcircò ordinaſſe, quòd cùm Senatorem per celeberrimos ludos frequenti conſeſſu Puteolis nemo recepiſſet, Romano nomini iniuriam eſſe factam ratum, decreto Patrum iuſſiſſe vt in ſpectaculis publicis primus ſubſel- *In Aug. c. 43.* *Ordo ſubſelliorum in Theatris.*

 liorum

liorum ordo vacaret Senatoribus, Legatis loca distribuisse, militem secreuisse à populo, maritis è plebe proprios ordines assignasse, prætextatis cuneum suum addixisse, pullatis mediam caueam interdixisse, virginibus Vestalibus contrà Prætoris tribunal locum dedisse. Habes Theatri ordinem. Maxima item Romanorum in hoc Puteolano Amphitheatro gloria eluxit cùm Theridatem Armeniæ Principem Nero accipiens, splendidissimos ludos edidit. Atque vt in eo ludicro aliquam Romanæ amplitudinis partem barbarus cognosceret, Patrobium Libertum ludis præfecit. Cuius apparatus splendorem his verbis Dionis epitomator explicauit in Nerone; Καὶ τοσαύτῃ γε τῇ λαμπρότητι καὶ τῇ δαπάνῃ ἐχρήσατο, ὥστε ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ μηδένα ἄλλον πλὴν Αἰθιόπων καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν καὶ παίδων εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν; *Tantaq. fuit eorum magnificentia atque sumptus, vt vnius diei spacio nemo præter viros, & mulieres, & pueros Aethiopes Amphitheatrum ingrederetur.* Quin & ipse Teridates è superiore loco belluas traijciens, duos tauros vno ictu vulnerauit.

B. Ianuarius, & Socij.

Omnes verò spectaculorum splendores Ianuarij Beneuentani Episcopi, Neapolitanorum patroni, & sociorum agon in hoc Amphitheatro superauit. Fortunati profectò Puteolani appellandi sunt qui Θηριομάχους cum bestijs pugnatores insignes, & victores spectarunt. Ianuarius quidem à Timotheo Diocletiani & Maximiani iussu bestijs dilacerandus obiectus est, cùm paulò antè in ardentis ignis fornacem fuisset immissus, Nolam Beneuento accersitus, & ignem lacrimis ex charitatis fideiq. fonte emanantibus restrinxisset. Habuit in arena socios Sosium Misenatem, Proculum Puteolanum, & Festum Diaconos; Desiderium Lectorem, Eutichetem & Acutium laicos, Puteolanos ciues. O spectaculi celebritatem. Vbi brutorum sanguis efferbuerat, bruta à Sanctorum sanguine abstinere coguntur. Noluit locus Sanctorum sanguine aspergi, quem ferarum cruor cum humano cruore fœdauerat, quem diabolus superstitiosa Idolo-

rum

rum ambitione elicere conabatur. Noluit vnguibus dilacerari CHRISTI martyres, qui testes debebant esse insaniæ tyrannorum antequàm coronam essent adepturi. Nec locus in quo venabulo bestiæ transuerberabantur, debebat eos occidere, qui Fidei telo inhumanos homines, & brutos essent transuerberaturi. Emittuntur in caueam è carceribus bestiæ, & quæ credebantur auidiores in martyres impetum facturæ, ferociam omnem abijcientes, ad eorum prouoluuntur pedes atque venerantur. Capitur luminibus Timotheus, qui diuini auxilij munus inspicere non merebatur, mox Ianuarij præcibus, qui diuino fuerat lumine illustratus, pristinam lucem adipiscitur. Quo facto, spectatorum ad quinque millia cum maxima acclamatione, rei nouitate permoti, indignitatem sceleris detestantes, Christiana relligione initiari cupierunt. Auditus ne vnquam est in hoc Amphitheatro huiusmodi plausus? Quæ maior subselliis gloria; Vestalium, Senatorum, Consulum, an Angelorum, qui palmas è Libani monte pertulerant, consessu? Et si hoc spectaculi genere in transfugas Africanus minor vsus est, rectè in Ianuarium sociosq. vsi sunt, qui ab infidelitate, à præstigiis, à dæmonum cultu abhorrentes, ad Christianæ Fidei asylum, ad veri cultus honorem, ad Euangelii veritatem transfugerunt. O misera tunc Christianorum condicio, qui Bestiarii veluti serui & captiui sub Imperatoribus habebantur, vt à feris humana corpora dissiparentur, ait Tertullianus. Hinc, *De spect. c. 12* CHRISTIANI AD LEONEM, vel, CHRISTIANI AD BESTIAS. Et Ciprianus de seipso, *Toties ad Leonem petitus in* *Epist. 55.* *Circo*; &, *Clamore popularium denuò postulatus in Circo*. Vbi Circus cum Amphitheatro confunditur. Nam Paulus *Lib. 14.* Diaconus, *Populus cœpit clamare in Amphitheatro, crudeli bestiæ artifex parabolis pugnet*, hoc est carnificibus. Contifices, παραβόλως appellant Glossæ. Quod Tertullianus, *Ad bestias* *Lib. de Pudicitia.* *pronunciari*, dixit. Et Ignatius cum feris pugnare cupiebat, qui etiam apud Hieronymum in Catalogo, à Christianis sępè feras abstinuisse asserit. Et tamen à feris dilacerari, ludus dicebatur; idcircò Firmicus, *Damnationes sunt metalli, operis publici, exi-* *Lib. 6.*

lij,ludi, scilicet ferarum; vt Vopiscus in Claudio, *Ludo publico deputatos*. Quæ nam igitur voces, quæ sibila, qui tumultus in sanctos illos martyres in Amphitheatro Puteolano fuerunt excitati? Quoties in agone auidiùs eorum sanguinem, quàm bestiæ tyranni sitierunt? Illud profectò doleo, quòd locus hoc tempore sentibus obsitus est; deberentq. sordibus à Neapolitanis purgari, vt tanti Patroni, lateres, lapides, arena, porticus encomia & testimonium dicerent.

Ea de re hęc habentur in eiusdem Martyris officio; *IANVARIVS Beneuenti Episcopus, Diocletiano & Maximiano in Christianos sæuientibus, ad Timotheum Campaniæ Præsidem ob Christianæ Fidei professionem, Nolam perducitur. Ibi eius constantia variè tentata, in ardentem fornacem coniectus, itá illæsus euasit vt ne vestimentum, aut capillum quidem flamma violauerit. Hinc Præses accensus iracundia, martyris corpus imperat vsque eò distrahi quoàd neruorum compages artuumq. soluantur. Festus intereà Diaconus, & Desiderius Lector, qui ad Episcopum suum visendum accesserant, comprehensi, & ipsi vinctiq. vnà cum Episcopo antè rhedam Præsidis Puteolos pertrahuntur, & in eundem traduntur carcerem in qua Sosius Misenas, & Proculus Puteolanus Diaconi, Eutiches etiam & Acutius laici ad bestias damnati detinebantur. Postero die omnes in Amphitheatro feris obiecti; quæ naturalis oblitæ feritatis, ad B. Ianuarij pedes illicò prostrauere sese. Id Timotheus magicis cantationibus tribuens, cùm sententiam capitis in CHRISTI martyres ferre non dubitasset, oculis repente captus, orante mox B. IANVARIO lumen recepit, quo sanè miraculo hominum millia ferè quinque CHRISTI Fidem susceperunt.*

At verò quid de Puteolano Circo dubitamus? Habuere & Baiæ quò Nero Agrippinam ad ludos euocauit. Nec degentes Puteolis Imperatores, Romanis caruissent voluptatibus. Et semper in Græcis ciuitatibus Circi & Stadia. Habuerunt quoque suas venationes Circi. Liuius Censores carceres in Circo locasse scribit, è quibus veluti è Cauea bestiæ emittebantur. Habuere & Gladiatores vt Forum & Septa.

Lib. 11.

Quæ

Quæ Puteolis notatu digna.

In Romanos studiosi Puteolani.

Cùm ægrotaret grauiter Pompeius Neapoli, *Neapolitani* (inquit Cicero) *coronati fuerunt. nimirum etiam Puteolani vulgò ex oppidis publicè gratulabantur. Ineptum sanè negocium, & Græculum, sed tamen fortunatum*. Licet conijcere, Puteolanorum nomine Baianos, Misenates, ceterosq. intelligere, cùm ait eos ex oppidis vulgò gratulatos esse. Coronati verò cum tibijs & cymbalis festum diem celebrabant, vt apud Athenæum. Et Cicero ad Atticum lib. 14. epist. 14. *Coronatus Quinctus noster Parilibus.* Nisi ad sacrificia retulerimus, nam coronatos fuisse Sacerdotes dùm facerent, docent Liuius & Plutarchus.

Pōpeius ægrotat Neapoli. Tuscul. quæst.

Lib. 8.

Annona.

Symmachus lib. 1. epist. 39. scribit, Puteolanis Municipibus D. Constantinum clm. modiorum in alimoniam ciuitatis indulsisse, quæ summa à D. Constante regente Remp. media parte mutilata est, postquàm Constantiùs annonam Puteol. populi xxv. m. modiorum adiectione cumulauit; atque ità factum esse vt c. m. modiorum eiusdem populi victus acciperet. Sed Iuliano moderante Rempub. cùm Lupus Consulari iure Campaniæ præsideret, Terracinensium contemplatus angustias v. m. & Dcc. modios Puteolanis derogans, Terracinensium vsui deputauit. Classem Alexandrinam fortasse Augustus instituit, quæ quotannis frumentum adueheret. Suprà Senecæ verba retulimus, *Alexandrinæ naues apparuerunt*. de quibus Statius in Propemptico Metij Celeris,

Terracinēses Puteolani.

----- modò nam trans æquora terris
Prima Dicarchæis Pharium grauis attulit annum.

Et cùm Claudianus dixisset,

Tot mihi pro meritis Libyam Nilumq. dedere.

Subdidit, *----- geminoq. vicissim*
Litore diuersi complerent horrea venti.

Colo-

Colores.

Lib.13.c.13. Cùm de Sile colore loquitur Plinius, quo pingebant Polygnotus, & M. Micon, cœruleum quoque commemorat, quæ arena est; cùmq. eius tria genera faciat, duo scribit esse, Aegyptium & Scythicum, tertium Hispaniense & Puteolanum, arena ibi confici cœpta. Mox de eius coloris vsu; *Idem & Puteolani vsus, præterquàm ad fenestras; vocant, Cœlon.* Et lib.34.c.7. Purpurissum colorem Puteolanum potius quàm Tyrium, aut Getulicum, vel Laconicum vndè prætiosissimæ purpuræ. Causa est, quòd hysgino maximè inficitur, rubiumq. cogitur sorbere.

Cœruleũ Puteolanum.

Purpurissum

Prodigia.

Anno ab V. C. 577. C. Claudio Pulcro, & T. Sempronio Graccho Coss. Puteolis duæ naues fulminis ictu concrematæ. Nesatium tunc oppidum Iulius & Manlius oppugnarunt. Mutila & Faueria vi captæ. Ilienses & Ligures, deuicti. Anno 618. in aquis calidis Puteolanis riui manarunt sanguine. Ab Achæis exercitus Romanus cæsus.

Ossa Gigantum.

Neapoli diximus ex Philostrato Gigantum ossa ostendi. Puteolanam fortasse regionem cum Neapolitana coniunxit, quãdò & Puteolis ea verè ostensa affirmant. Pomponius Lætus,

Hic quicunque venis stupefactus ad ossa Gigantum,
Disce cur Etrusco sint tumulata solo.
Tempore quo domitis iam victor agebat Iberis
Alcides, captum longa per arua pecus,
Colle Dicarcheæ clauaq. arcuq. Typhones
Expulit, & cessit noxia turba Deo.

Capreis ostensa scribit Suetonius prægrandia belluarum membra, quæ ossa Gigantum dicerentur. Nec sibi persuadeant ij, qui se Puteolos conferunt, ossa Gigantum esse, quæ nunc Cœti in hortis Toletanis ostenduntur. Narrat tamen in Corinthia-

rinthiacis Pausanias in Aesculapij ædis porticu Balenæ os ingenti magnitudine fuisse locatum. Animalium terrestrium ossa ne dum marinorum in terra generari Philosophi dicunt, atque modo quidem ossa perdurare, modo verò succi lociq. natura in lapides transire. Georgius Agricola testis est in agro Luneburgensi ossa belluarum marinarum orta esse, & in lapides conuersa. Goropius ossa saxea ingentia Balenarum ossibus maximis æqua se habere dicit Plinius è Theophrasto ossa in terra nasci, & in lapides transire auctor est. Huc referenda fortasse ossa enormia, quæ Gigantum fuisse vana hominum ingenia crediderunt.

Asiaticus libertus.

Vitellius Imperator magnam Imperij partem Histrionum consilio administrauit. Exprobat illi Suetonius Asiaticum libertum, quem adolescentulum mutua libidine constupratum, mox tædio profugum, Puteolis poscam vendentem, cùm deprehendisset, coniecit in compedes, & statim habuit in delicijs. Aureis prætereà donauit annulis, vt Icelum suum Galba. Et quamuis à Principe ius aureorum annulorum donari solitum, non tamen factum absque Equestri ordinis macula. Poscam, Loram multi suspicantur. Brodæus in Miscell. Oxycratum Plinianum existimat, non Zytum. Res longè aliena.

Posca. Lora. Lib. 4. c. 11. Oxycratum. Zytum.

Alexandrini.

Augusto Puteolanum sinum præteruehenti, nautæ de naui Alexandrina, quæ tunc appulerat, candidati, coronatiq. thura libantes, fausta omnia, & eximias laudes congesserunt; per illum se viuere, per illum nauigare, libertate, atque fortunis per illum frui. Qua re admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus diuisit, & iusiurandum, & cautionem exegit à singulis, non aliò datam summam quàm in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos. Distribuit togas & pallia. Romanis Græco, Græcis Romano habitu & sermone vti permisit. Nescio quid innuat Cicero oratione pro Cœlio causam

Nautæ Alexandrini, cum Augusto.

à Mar-

à Marco Craſſo peroratam de ſeditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulſatione Puteolana. Eiectos inde Alexandrinos conijcimus.

Iudæi.

Iudæos Puteolis habitaſſe innuit Ioſephus lib. 17. cùm ait Alexandrum quendam, qui Herodis filium ſe ſimulabat, cùm Romam peteret, Dicæarchiam appuliſſe,& Iudæos qui ibidem habitabant, ijſdem fallacijs decipere non deſtitiſſe. lege Fallucias pag.418.& 431.

Pharus.

In portu Puteolano Pharum fuiſſe, Turrim ſcilicet ad prælucendum noctu,notat Plinius, qui illud optimè noſſe poterit, quippè Romanæ Claſſis Præfectus fuit; *Vſus Phari nocturno nauium curſui ignes oſtendere ad prænuncianda vada portuſuè introitum; ſicuti compluribus locis flagrant, vt Puteolis, & Rauennæ.* Neque Miſeno defuit.

Adde Smyrnæ Pharum celebrem. A Pharo aliqui, Menelai nauta nomen habuiſſe dicunt. Alexandrinam alij celebriorem
Lib.17. duxere, quæ ceteris nomen indidit. Strabo Soſtratum Gni-
Lib.22. dium architectum eam ædificaſſe ſcribit cum hac inſcriptione, Σώστρατος Κνίδιος Δεξιφάνους θεοῖς σωτῆρσιν ὑπὲρ τῶν πλωϊζομένων; *Soſtratus Gnidius Dexiphanis Dijs Seruatoribus,pro nauigantibus.* Ammianus Marcellinus, à Cleopatra excogitatam ſcribit. A quo etiam dictum, *Et promontorium Cepas prælucentem nauibus vehens conſtructam celſius turrim, quapropter Pharos appellatur.* Hegeſyppus; Pharos quaſi Phanos, ἀπὸ τοῦ φαίνομαι. Homeri Scholiaſtes, ἢ ἀντὶ τοῦ ἡλίου ἔφηνεν, ἢ εἰς φῶς ἤγαγε. *Quod pro Sole apparet, vel ad lumen agit.* Herodianus in Antonino harum turrium ædificium comparat Moli lignorum,in qua fiebat Imperatorum conſecratio, addiditq. φάρους δ' αὐτὰ πολλοὶ καλοῦσιν. Statius antiquam Pharum Neapoli commemorat,

Lumina noctiuagis tollit Pharus æmula Lunæ.

Pharus Neapolitana. Extat & noua. Lucas Biam annuente Federico I. ædificauit. Deinde

Deinde à Ludouico Rege Gallorum,qui sibi Regnum cum Hispano Rege diuiserat anno 1501.tradita Ioanni de Basso, Gallo vrro. Cui paulò post, cùm perduellis factus esset, ablata est. Anno tamen 1503. à Ferdinando Rege Catholico, data Benigno Egidio,vt eam ex Basso extorqueret,qui Gallorum partes sequutus Neapoli profectus erat.In Ioannis Vincentij,& Ioannis Baptistæ fratrum ex Egidia nobili & perantiqua familia hoc tempore est potestate.

Maria Puteolana.

Franciscus. Ambrosius. Andronicus.

ET virorum & mulierum splendoribus Puteoli varia temporum vicissitudine fuerunt illustrati. Vnius tamen mulieris lumine inter Italas vrbes maximè enituere. Maria hæc illa est Francisco Petrarchæ cognita, alicui Amazonum vel ex bellatricibus Italis, duce Camilla, similis. Duo in ea non humili loco nata floruere, robur, & castitas. Coortis inter ciues dissidijs, & armorum flammis vndique excitatis, virilem ipsa formā induit,& continenter armis tecta nullam subire pugnam inter bellatores recusauit,omnia adire pericula ausa est, adeòq. se formidabilem pugnando reddidit cùm prima in aciem prodiret, prima hostem prouocaret, prima telorum ingruentes ictus exciperet, vt nemo profectò cum ea congredi auderet. Cum finitimis bellum hæreditarium deinde gessit tanta & animi,& virium promptitudine, vt sæpè sola hostibus timorem incuteret. Frigoris, caloris, famisq. patiens sub dio pernox versabatur. Herbosum sibi cespitem vel clypeum sternebat, atque humi iacens robora ossibus conabatur addere duriora.Peruicax inter armatos semper viros versata est;tantumq. in ea virilitatis inerat,vt nemo vnquàm eius attentare virginitatē ausus fuerit. Non telas (vt Petrarchæ verbis vtar) sed tela; non acus, & specula, sed arcus, & spicula meditabatur; non illam oscula, aut proterui dentis vestigia, sed vulnera & cicatrices nobilitabant.

Epist 4.lib.5.

Bbbbb Dùm

Dùm pectebantur aliæ & comebantur, dùm cincinnorum fimbriæ madebant, horrido ipsa & inculto capillo confertam galeam exornabat. Dùm muliebribus ceteræ adsuetæ luxibus, perditæ libidinis ostentabant ardorem, resecandæ & coercendæ ipsa petulantiæ, varijs laboribus & exercitationibus edebat exempla, & flammas Cupidinis militari sudore restinguebat. Experiendæ mulieris aliquandò cupiditas aliquos incessit, Puteolosq. profecti, vt aliquod suarum virium argumentum ederet obsecrarunt. Graue saxum & ferream trabem iussit afferri, quæ cum in mediũ proiecisset, vt tollerent hortata est. Diutiùs inter competitores certatum. Ipsa facili iactu, cunctis facilè antecessit. Quænam tamen in muliere excelsior virtus, quàm inter armatos viros perpetuam virginitatem tueri? Habent quid viraginis mulieres Puteolanæ, quæ cùm excellant forma, sanctam tamen student seruare castitatem. In hoc quidem plurimùm laudandæ quòd ad Romanas, vini abstinentia, accedunt.

Franciscum Puteolanum Boroaldi præceptorem, ipsemet maximè laudat, cùm multa doctissimè scripserit. Ambrosium vetustissimum medicum celebrat Marcellus. Et Andronici meminit Cicero ad Atticum, quo familiariter vtebatur. Caij prænomen tribuit. Tùm prætereà Pherionum familiæ. cuius consuetudinem, de qua scripserat Atticus, valdè se risisse idem significat, *Itaque ioca tua plena facetiarum de hæresi Vectoriana, & Pherionum more Puteolano risisse me satis, nibil est necesse rescribere.*

Lib.5. ep.14. Lib.14. ep.15

Raudusculi Puteolani meminit Cicero ad Atticum libro 6. *De Raudusculo Puteolano gratum.*

Nicolaus de Ariano Puteolanus, cùm Capuæ habitaret primus in fluuio Castrimaris ad Vulturnum lintribus, & scaphis Capuam nauigandi modum reperit, quamobrem à Ladislao Rege Consul donec viueret creatus est anno 1393.

Horti

Horti Cluuiani, Piliani, Lentulani, Ciceroniani, Toletani.

Hortos Cluuianos, Pilianosq. memorat Cic. ad Att. lib. 14. *Quincto nonas conscendens ab hortis Cluuianis in phaselum episcopium, has dedi literas cùm Piliæ nostræ villam ad Lucrinum villicosq. procuratores tradidissem*. Et lib. 15. epist. 1. Lentuli hortos; *Lentulus Puteolis inuentus est vix, in hortis suis se occultans*. Quorum amœnitate ductum arbitror dixisse; *In Puteolana & Cumana regna nauigare. O loca ceteroqui expetenda, interpellantium autem multitudine penè fugienda.*

Hortos inter hos præclaros Ciceronianos Academia & balneo nobilissimos admunerato. Redolet locus adhùc Hermatenas, Mineruas γυμνασιώδη, Signa Megarica, Pentelicianos Hermas cum capitibus æneis. Adhuc ferè deambulantes in Xisto cernimus, tùm de Philosophia disceptantes, tùm victorem belli ciuilis Cæsarem, & Augustum Imperij propagatorem, præter ceteros qui tanti viri desiderio tenebantur, ibiq. Romam esse censebant, vbi Cicero commorabatur parens Romanæ eloquentiæ. Hæc autem Plinius; *Digna memoria tu Villa es ab Auerno lacu Puteolis tendentibus imposita littori, celebrata porticu, quam & vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis; in qua & monumentum sibi instaurauerat; ceu verò non in toto orbe terrarum fecisset. Huius in parte prima exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, eruperunt fontes calidi salubres oculis, celebrati carmine Laureæ Tulli, qui fuit è libertis eius,*

Ciceronis Academia.

Lib. 31. cap. 2

Quo tu Romanæ vindex clarissima linguæ
Silua loco melius surgere iussa viret.
Atque Academiæ celebratam nomine Villam
Nunc reparat cultu sub meliore Vetus.
Hic etiam apparent lymphæ, non ante repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore leuant.

Nimirùm locus ipse sui Ciceronis honori,
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope;
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Antistius vetus. C. Antistius Vetus, qui Cæsaris partes bello ciuili sequutus fuerat, post Ciceronis cædem, villam possedit. Ibiq. M. Tullium Tironem Ciceronis libertum vsque ad c. annos consenuisse scribunt Eusebius, & Isidorus, ibiq. tribus libris Ciceronis vitam fuisse cōplexum, scribit Asconius Pedianus. Hoc tribuant sibi Puteolani, Puteolanam Academiam nihil Atticæ cessisse, & Platonis æmulatorem Arpinatem Philosophiæ latices in eo gymnasio, in ijs hortis aperuisse, & in eam villam Musarum omnium domicilium esse traductum. Non itaque vrbs feliciora sua prospectauit rostra, quàm Dicæarchia porticus Ciceronianos. Nec feliciorem Romam appello quoniam patrem patriæ coluerit, quàm Puteolos, qui Academiæ cultorem fuerint veneratì. Hoc tamen lugeant, quòd eloquentiæ locus, ouium balatum, & pastorum iurgia resonat, & tanti viri voces inter vepres perierunt. Dum littori villa imposita erat, vt ait Plinius, mare nunc recessisse cognoscimus, propterea quòd Toletanus ager mari eo tempore erat persusus. Aedificij amplitudinem, id quod parietinarum reliqui est, patefacit. Hodiè, Cicerones, vocant. Repetere haud piget, Adrianum Imperatorem, cùm Baijs obijsset, in hac villa fuisse sepultum; & Antoninum, sepulcri loco, templum ibi ædificasse.

Tiro libertus Ciceronis.

Horti Toletani. Celebres adde his hortos quos Petrus è Toleto exædificauit, quando reuocatis Puteolanis qui terræmotu perterriti, prorupto cinereo monte, in alias sedes commigrarunt, vrbis frequentiam restituit. Aquam perennem perduxit, quæ & si calidam bibentibus se offert (calidiorem inter ignes existimarem) saluberrimam tamen degustandam objjciunt terræ venæ per quas fluit. Sed optimus Princeps sitientes accolas publico fonte recreauit. Hortis hoc inscriptum epigramma,

PETRVS

PETRVS. TOLETVS. MARCHIO. VILLAE. FRANCHAE CAROLI. V. IMP. IN. REGNO. NEAP. VICARIVS. VT PVTEOLANOS. OB. RECENTEM. AGRI. CONFLAGRATIONEM. PALANTEIS. AD. PRISTINAS. SEDES. REVOCARET. HORTOS. PORTVS. ET. FONTES. MARMOREOS EX. SPOLIIS. QVÆ. GARSIA. FILIVS. PARTA. VICTORIA AFRICANA. REPORTAVERAT. OTIO. GENIOQ. DICAVIT AC. ANTIQVORVM. RESTAVRATO. PVRGATOQ. DVCTV AQVAS. SITIENTIBVS. CIVIBVS. SVA. IMPENSA. RESTITVIT. AN. A. PARTV. VIRG. M. D. XL.

Ex ijs ſpolijs quæ Garſias ex Africa attulit, columella marmorea Puteolos allata, quæ Arabum more, vndique eorum characteribus inſcripta eſt. Addidit his hortis Petrus, villam complanatam, arboribus conſitam, vitibuſq. refertam, longo muro perducto, quæ Ciceronis villæ ſubiecta eſt. *Garſias Toletanus.*

Quis autem locus Puteolis eſt qui amœniſſimos hortos non referat? Pomona cuiuſuis generis fructus Neapolitanis indè ſuppeditat. Ficus præcoces optatiſſimos, prima æſtatis munera affert. Quid ficus? fragras, piſa, fabas, quicquid intempeſtiuum horti poſſunt afferre. Vuarum plurima genera ex quibus vinum conficitur ad Falerni ſuauitatem accedens. Cimæ, Cumanis gloriam eripuere. Prunis, pyris, malis, ceteriſq. fructibus, iumenta, cymbas onerant. Vndique ſolum fructibus, oleribuſq. redundat.

Vulcani



Vulcani Forum.

STrabo de Puteolis loquutus, mox subdidit; *ὑπέρκειται καὶ τῆς πόλεως εὐθὺς ἡ τοῦ Ἡφαίστου ἀγορά, πεδίον περικεκλεισμένον διαπύροις ὀφρύσι, καμινώδεις ἐχούσαις ἀναπνοὰς πολλαχοῦ καὶ βρωμώδεις ἱκανῶς. τὸ δὲ πεδίον θειοπλῆρές ἐστι συρτοῦ; Rectà super hanc urbem situm est Forum Vulcani, campus circumquaque inclusus superciliȷs ignitis, quæ passim tanquam è caminis incendium magno cum fremitu expirant. Campus autem sulphure tractili est plenus.* Ideòq. Vulcani antrum Hieram nominat Iuuenalis,

Vulcani antrum Hiera.

----- & Aeoliȷs vicinum rupibus antrum
Vulcani -----

Vulcania insula.

Et Vulcanias insulas existimant per occulta commercia aut mutuari Aetnæ incendia, aut subministrare. Et Solinus, Vulcano Aetnam sacram dicit.

Lib 6. Leucogei mõtes. Phlegra.

Leucogei montes ab albedine dicuntur. Et vltrà Salentinos idem Strabo collocat Leucam oppidum, vbi fœtidæ aquæ fons, quòd Gigantes qui è Phlægra Campaniæ euaserant eò vsque ab Hercule fuere exagitati, ibiq. terra obruti, & ex eornm sanie scaturigo enata; ideò Leuterinos eos esse dictos, & eam maris oram Leuterinam vocari. Campos tamen Phlegræos Diodorus

Lib. 4. c. 2.

Siculus

Siculus in Vesuuio collocat. Theagenes & Eudoxus, in Pallene Thraciæ vrbe. De qua sic Stephanus, *Παλλήνη δ' ἐστὶ χερρόνησος τρίγωνος, τὴν βάσιν ἔχουσα πρὸς μεσημβρίαν ἐστραμμένην. ἐκαλεῖτο καὶ φλέγρα τὸ παλαιὸν, καὶ ᾠκεῖτο ὑπὸ τῶν γιγάντων καὶ ἡ τῶν θεῶν καὶ τῶν Γιγάντων μάχη ἐνταῦθα μυθεύεται γενέσθαι.* Veteri igitur nomine Phlægra Pallene vocabatur, eãq. tenuerunt homines, quibus immanitas & superbia morum, Gigantũ cognomen peperit. In hos ineunte prœlium Hercule, fulmina de cœlo missa sunt, donec ij fugere coacti sunt, & ingenti victoria superati. Ex hac re rumor in vulgus ortus est, Gigantes Diis bellum mouisse. Idq. ij auctores fictum asserunt, quoniam ea regio plurimo sulphure scatet. Et quoniam *φλέγειν exurere, & ardere* significat, quicunque locus sulphur nutrit, *φλέγρα* dici potest. Eandem fabulam ob sulphureos ignes, Vesuuio, & Puteolis accommodarunt. De Vulcani foro sic cecinit Petronius Arbiter,

Pallene. Gigantes. Hercules.

Est locus exciso penitus demersus hiatu
Parthenopem inter magnæq. Dicharchidos arua
Cocyta perfusus aqua. nam spiritus extra
Qui ferit effusus, funesto spargitur æstu.
Non hæc autumno tellus viret, aut alit herbas
Cespite lætus ager; non verno persona cantu
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur;
Sed Chaos, & nigro squalentia pumice saxa
Gaudent ferali circumtumulata cupressu
Has inter sedes Ditis pater extulit ora
Bustorum flammis, & cana sparsa fauilla.

Et Silius, ------ *illic quos sulphure pingues* *Lib. 17.*
Phlegræi legere sinus ------

Et Cornelius Seuerus, ------ *Neapolim inter*
Et Cumas locus est, multis iam frigidus annis
Quamuis æternum pinguescat ab vbere sulphur.

Et Claudianus,

Omnia monstrifero complebat tartara cœtu
Inuisum genitura nefas. Phlegramq. retexit
Tanta prole tumens, & in æthera protulit hostes.

Planus

Vulcani fori descriptio.

Planus quidem locus est, ouali forma, theatrum ostentans, m.ccxlvi. pedum longitudo; m. & eo amplius, latitudo metitur. Alti, candentesq. eum colles ambiunt, ex quibus vndique atræ fumidæq. exhalationes erumpunt, quarum sulphureus odor, ventorum impetu sæpè Neapolim vsque defertur. Aluminis & nitri venis fœcundi. Fossam tamen ignibus depastam in vallem subsedisse dicas. Crepitat sub pedibus solum, aquasq. igne mixtas per tubos fluentes emittit. Idcircò ea re sæpè commoueor, quòd facillimè ibi veluti in Xysto quamplurimi deambulare gestiunt, quasi verò non illicò possit ignis efferuescere, & hiatu in subterraneas scrobes terra deglutire. Ad duo millia ignearum scrobium numerantur, ex quibus fumus sulphureus, aluminosus, salis armoniaci, atque aliorum mineralium exhalat, qui frigidis atque humidis morbis salubrem solet afferre medicinam. Quamobrem mensibus Maio & Iunio, superiori etiam ætate Aprili, nunc verò Iulio, non modo ex Neapolitano regno, sed vndique ex Europa morbo affecti accedunt. Atque dignum illud visu esse solet, quo quisque modo affecti corporis partibus fumum auribus, oculis, aliisq. membris applicet; vtq. calefaciat & non vrat; à quo tamen graciles arceantur & sicci, quibus non inest humor, quem sulphur elicit. Ceterùm neruos emollit, visum acuit, lacrimas, vomitumq. coercet, capitis & stomachi dolores aufert, steriles fœcundat, febres cum rigore accedentes tollit, infectaq. scabie membra purgat. Audiamus verò Elisium; *In summitate montis, qui ciuitati Puteolorum præeminet, planicies maxima adhuc quasi tota circundata montibus, ex quibus extrahitur innumerabilis thesaurus ex sulphuribus, & aluminibus, & vitriolo, qui ex lapidibus ex terra ipsius montis fiunt. Et ibi quædam aqua nascitur, quæ cum maximo impetu bulliens, in altum sæpè ad duas, & aliquandò tres cannas eleuatur. Et in hac planicie montis quamplurima fiunt naturaliter foramina, ex quibus maximus & impetuosus exhalat fumus, vt si in eadē foramina lapis etiam magnus proijciatur, impetuositate & potentia fumi reijcitur.* & quæ sequuntur. Notentq. illud curiosi, cum fumus ex terræ

Sulphuris [illegible]

visceribus

visceribus exhalet, totusq. sulphur dignoscatur, accolas diligenter terram vndique ferro vertere, vt cum ea fumus ille misceatur, eamq. ab Ianuario mense ad Octobrem huiusmodi colere, veluti hortos consueuerunt.

Chimica.

Inde in vas sulphur excipiunt, quod ferè aureum per orbis terrarum regiones diuenditur. Cùmq. eliciantur singulis annis triamillia pondo, decima pars ad Episcopum Puteolanum pertinet. Elicuit indè Leonardus Vairus cum vitreo vase aquam, ardenti similem, quę ad dentium dolorem atque candorem plurimùm confert, si tamen illicò dentes vino, vel naturali aqua lauentur; sin secus, pallentes euadent. Oleum quoque sulphureum effecit, quod cicoreæ aquæ infusum, febribus prodest. Metalla fumus ille xxiiij. horarum spacio dissipat, atque in album cinerem conuertit. In dissipando auro, diuturniori tempore opus est. In scrobibus, sal armoniacum album, aliquandò fuluum est, quo vtuntur ij qui argentariam faciunt. Pertinet quoque ad Episcopum. Aquæ prætereà conspiciuntur albæ, nigræ, fuscæ, quæ tanta vi pollent, vt subitò carnes exedant, quod paucos abhinc annos Germano cuidam accidisse scimus, qui temerè in ea se loca equo iniecerat. Hæc quidem per terræ meatus ad littus Puteolanum scaturiunt, ibidemq. prodesse volunt, quippè ægrorum multitudo arena obruta, ea potissimum quæ articulorum doloribus laborat, paucorum dierum spacio sanitatem adipiscitur. Testem affert Episcopus Puteolanus Cardinalem Sauellum (dùm Nuntius Neapoli commorabatur) manibus, pedibus, capite affectum, à quo morbum ea arena longissimè expulit.

Sulphur ad dentium dolorem, et candorem.

Metalla à fumo sulphureo dissipantur.

Aqua sulphurea.

Nec prætermittendum sulphur illud quod non igne excipitur, sed in terræ cauernis reperitur, quod virginem appellant, mulieribus ad flauos capillos comparandos esse familiare; quod ouo immixtum si quis sorbuerit, splenis dolorem sanat, licet & cetera sulphuris genera id efficiant. Prætereà, sulphu-

Sulphur virgo.

Oleum sulphureum. reum oleum in vase vitreo sigillo Hermetis cooperto, igne adhibito, durum euadit. Fracto vase, & sulphure in humido loco posito, aqua efficitur. Idemq. septies cum factum fuerit, tandem liquidum sulphur obdurari amplius nequit. Chimicis *Sulphur & lixiuium.* rebus vtilis medicina. Quod si lixiuium paraueris cum calce virgine & cinere, atque in eo ferbuerit sulphur, vt combustibili pinguedine exuatur, sulphur deindè siccum in vase vitreo cum aqua ardenti ex salnitro, vitriolo Romano, & alumine effecta posueris, quod cum suo recipiente constituatùr, mox quatuor vicibus sulphur, ea aqua maduerit, in humido loco relictum, oleum euadet, & omnia quæ cum eo in aqua inuoluta fuerint, à putredine erunt aliena.

Alumen.

Ad montis huius radices quà Orientem spectat, ex lapidibus alumen conficitur, quod optimum in toto terrarum orbe existimatur. Scissile reperies & lapidosum. Xenodochio Reges derogarunt, in D. Martæ, & D. Annunciatæ posteà erecto. *Ioannes Cæmiltus Mormilis.* Pars altera nescio quo pacto ad Ioannem Mormilem deuenerat; qui ea loca Petro Stephano xxx. m. aureorum vendidit. *Petrus è Stephano.* Ne verò aluminis redditus, qui à Romana Curia percipitur, diminutio fieret, opificibus interdixit Pontifex ne ad ea loca accederent. Deindè à Pio IV. m.& cc. aurei Mormilii & Stephano singulis annis soluti sunt, ne ex ijs locis alumen eliceretur. Mox Gregorius XIII. vt solutionem annuam abrogaret, ijsdem xxv. millia aureorum soluit, cum interim Xenodochij æditui nunquam se eo opere detineri velle iurassent.

Alumen quo pacto conficiatur. Conficiendi aluminis rationem explicat Bellonius cùm de Cypsella antiquissimo Thraciæ oppido loquitur, quod Chap- *Alumen Serrium.* sylar dicitur à Græcorum & Turcarum vulgo. Eruitur ad Serrij montis radices vena. Lapides ibi præduri malleo & cuneis sunt perfringendi. Vruntur veluti gypsum & calx. In tuguriolis posteà aluei lignei defossi sunt, in quibus lixiuium infusum relinquitur, donec alumen in glaciem coeat. Ex combustorum lapi-

dum

dum cineribus lixiuium conflatur. Leui tamen flamma lapides vstulati, duri permanent ac si nullam ignis sensissent iniuriam. Aliquot dies sub dio permanentes, nocturno rore & diurna pluuia huiusmodi tenerescunt, vt breui in cineres resoluantur. In cineres tandem vel naturali, vel artificiali pluuia redacti, decoquuntur in lixiuium, quod in quadratos alueos ligneos, vel fictiles ollas effusum, decem aut duodecim dierum spacio coit, & congelatur. Diciturq. in Italiam aduectum, alumen Lesbium, siue Metelim. Reperitur album & rubrum. Ex aluminis spuma, massa rubra fit, qua pictores vtuntur. Cum eo quoque conuenit id quod ad Tolfam conficitur sub Pontificum potestate. Ad montis tergus in Ioannis Vincentij de Ponte fundo, vena quoque reperta, in qua sunt lapides aluminosi; & cùm decimam Ecclesiæ Puteolanæ soluere recusaret, ad Regii patrimonij Præsides confugit Episcopus. Ij verò, quòd huiusmodi lapides ad Reges pertinent, quòdq. Ioanni Vincentio ab Regibus mons non esset delatus, in patrimonium montem illum erogarunt. *Alumen Fisco debetur.*

Sal, Chalcantum, Nitrum, Chalcitis.

In montis culminibus albam quandam reperies materiam, quæ salem maximè sapit. Hæc alibi pedem habet altitudinis, alibi verò duos tresvè digitos. Pellionibus vsui esse solet. Salnitrum ille non est, nec alumen, nec sal armoniacus. Conficitur tamen ex eo aqua quæ characteres ex pagina delet, quam penitus consumeret, nisi naturali aqua conspergeretur.

Chalcantum vbique in montis ambitu reperitur, quod Romano melius esse arbitrantur. Pellucidum est & sapphiro simile. Et ex Chalcanto percolat aqua crurum vlceribus perutilis. Dentibus quoque prodest, æris venæ argumentum. Id enim vox apud Græcos sonat, χαλκοῦ ἄνθος, *flos æris*. In medio monte album, & rubrum nitrum habes. tùm etiam Chalcitim, qui Chalcantum rubrum creditur.

Ignis & aqua ſimul coeunt.

Dionis in vita Auguſti verba libentiſſimè adſcribam, tùm quòd ea loca ſe vidiſſe teſtatur, tùm quòd neminem inter ſcriptores ea de re nactus ſum doctiùs diſſerentem; Τὰ δ' ὄρη ταῦτα πρὸς ταῖς ἔνδον θαλάσσης ὄντα, πηγὰς πυρός τε ἅμα πολλῦ καὶ ὕδατος συμμιγῦς ἔχει, καὶ αὐτὸ μὲν καθ' ἑαυτὸ ἑκάτερον οὐδαμῦ εὑρίσκεται (οὔτε γὰρ πῦρ αὐτὸ, οὔθ' ὕδωρ ψυχρὸν αὐτὸ φαίνεται) ἐκ δὲ δὴ τῆς ὁμιλίας σφῶν τότε ὕδωρ θερμαίνεται, καὶ τὸ πῦρ ὑγραίνεται. Καὶ ἐκεῖνο μὲν πρὸς τὴν θάλασσαν διὰ τῶν προπόδων εἰς τὰς δεξαμενὰς χωρεῖ τὴν δ' ἀτμίδα αὐτῦ ἐπὶ οἰκήματα μετέωρα διὰ σωλήνων ἐπάγουσι κἀν ταῦτα ἀντὶ πυριῶνται. ὅσα γὰρ ἂν ἐπὶ πλεῖον ἀπό τε τῆς γῆς καὶ ἀπὸ τῦ ὕδατος ἀναδράμῃ, ξηρότερα γίγνεται. Hoc eſt; *Nam in his montibus quos iuxta ſinus maris paulò antè dictũ eſt, fontes ſunt ignis & aquæ pleniſſimi; & qui conſtet ex altero ſeparatim omninò nullus inueniri poteſt. Nec verò per ſe ignis aut aqua frigida eſſe videtur, ſed quia commiſcetur aqua calida, & ignis quodammodo humidus eſt, atque cùm aqua per canales in ciſternas influat, eius vaporem ij qui ea loca incolunt, inducunt per tubos in altiſſima domicilia, ac poſteà caleſiunt in illis. Nam is vapor quantò longius à terra abſuerit & ab aqua, tantò magis exiccatus & aridus eſt.* Phyſicam deindè rationem exprimit, & terræ natura effici ſcribit, vt mons igne exuri non poſſit, quippe vim eius & flammas contraria vis aquæ, quæ cum eo commiſcetur, reſtinguit. Sed cùm ignis, ea quæ proxima ſunt diſſipet atque conſumat, fieri vt ea pars terræ quæ mollis & humida eſt, calore liquefacta & dilapſa diffundatur; quæ verò aſpera eſt & dura, conſiſtat. Ex quo neceſſarium eſſe in glebis eius terræ cauernas exiſtere, quaſi in locis aridis collocatæ fuerint, in puluerem rediguntur; coniectæ autem in aquam & mixtæ puluere, conſiſtunt, atque adeò quandiù in aqua ſunt, concreſcunt, magiſq. obdurãtur. Cuius rei cauſa afferri poteſt, quòd ea pars quæ arida eſt, igne augetur propter naturæ ſimilitudinem, ab eoq. frangitur; ſed admixta re humida, ità refrigeratur, vt proptereà creſcat, atque omnino conſolidetur.

Relatio.

Relatio.

Quamuis physicè loqui delectet, arbitror tamen ignes, calidas aquas, sulphur, & bitumen Puteolana, atque ea quæ in alijs locis constituta narrantur, ad Christianorum Fidem confirmandam, ad nocentibus terrorem incutiendum, ad hæreticorum audaciam compescendam propagari. Discant stolidi, obtusæ mentis homines, eruginem hoc igne tandem aliquandò purgari. Discant, qui prauis opinionum erroribus detinentur, Inferni, & Purgatorij ignes confiteri, quos vbique Deus maximus rerum opifex hominibus obijcit, vt à gehennæ angustijs & laboribus longè studeant esse alienos. In Vulcani Foro dæmonibus vexari sæpè testantur Sacerdotes Capuccini, qui ædem D. Ianuari j incolunt. Voces atque vlulatus, tùm terrificos rerum motus exaudiri confitentur. Appulus quidam iuuenis, qui studijs Neapoli operam dabat, xxiiij. annum agens, quòd ferè de suis fortunis desperauerat, Diabolum nactus, eius verbis audiens fuit, qui iuueni persuaserat, vt chirographo sanguine suo scripto, se totum eius potestati deuoueret; effecturum se breui vt amissa bona recuperaret. Amentia ductus iuuenis, fidem præstigiatori adhibens, chirographum scripsit in Vulcani Foro, quò noctu profectus fuerat. Ibi dæmonum multitudine perterritus, Capuccinos adijt, & cum cænobij Præfecto quæ fecerat, quæ acciderant, communicauit. Præfectus omnia ad Episcopum retulit. At Episcopus relligioni totus incumbens, Romanum Pontificem eam rem est monitus. A quo iussum vt iuuenem in carceres raperent. indèq. triremium pœna damnauit. Idem Episcopus qui hæc mihi retulit, in balneo Hortodonico vndè ad sulphureos ignes etiam descendunt, à plerisque cognouisse affirmauit, luctus ibi maximos & gemitus sæpenumerò exaudiri, & locum similem illi facit, in quo Gregorius Pontifex Pascasij animam à Germano Episcopo inuentam tradit, ideòq. Purgatorij locum nominat. Eiusmodi loca Purgatorij appellat Sigebertus in Chronicis,

Dæmones in Vulcani foro. Capuccini. Aedes Diui. Ianuarij. Iuuenis à diabolo deceptus

Purgatorij loca.

Ollæ Vulcani anno 998. nicis, quæ Ollæ Vulcani ab accolis vocantur. Quod cùm cuidam relligioso viro Hierosolymis in Siciliam profecto retulisset quidam ciuis, à quo fuerat hospicio acceptus (*Ansfridus monachus.* Ansfrido monacho ab Eremita quodam relatum scribit Tritemius) animas defunctorum diuersa ibi pro meritis supplicia luere, & dæmonum voces audiri, & per eleemosynas & prǽces fidelium *Abas Odillo.* animas ab ignium flammis erui, idq́. à peregrino Abas Odillo Cluniacensis accepisset, veluti Cal. Nouembris omnium Sanctorum festum celebratur, itá & sequenti die omnium defunctorum memoriam per sua monasteria instituendam curauit, qui ritus ad Ecclesias transiens, solemnis factus est.

Petrus Damianus. Vmbertus Archiepiscopus. Petrus Damianus Episcopus Ostiensis & Cardinalis, ab Vmberto Archiepiscopo ex Apulia reuertente audiuisse refert, in regione Puteolis adiacente, inter aquas nigras & fœtidas promontorium eminere saxosum, ex quibus teterrimæ vide-*Sabatum.*bantur auiculæ repentè consurgere quæ à vespertina Sabbati hora vsque ad ortum secundæ feriæ solitæ essent humanis aspectibus apparere, per montem spaciari, alas extendere, pennas rostro prosequente despectare, quæ nec vnquam vesci viderentur, nec vllo aucupis ingenio posse capi. Aduenientem deindè coruum post eas auiculas crocitare, quamobrem & illæ aquis sese immergerent. Perhibere (ait) nonnullos, eas hominum esse animas vltricibus gehennæ suppliciis destinatas, quæ nimirùm reliquo totius hebdomadæ tempore cruciantur, Dominico autem die, pro Dominicæ Resurrectionis gloria, refrigerio fruuntur, quod Prudentius testatur in hymno v. ad Incensum Cerei Paschalis,

Sunt & spiritibus sæpè nocentibus
Pœnarum celebres sub Styge feriæ,
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.

Desiderius Abas. Asserit præterea idem Damianus, à Desiderio Abate Cassinensis Monasterii hanc opinionem fuisse reiectam, cùm eius scripta legisset. Sed cùm Vmbertus dixisset se id accolis relaturum, rem neque affirmare, neque negare eum voluisse.

Idem

Idem in epistola ad Damianum Loricatum, ab eodem Desiderio, qui Romanus Pontifex Victor III. fuit, accepisse tradit, seruum Dei Neapolitanæ regionis in prærupta rupe ad viam publicam habitasse solitariam vitam degentem, eumq. nimirum dùm diuturno tempore psalleret, & fenestram cellulæ horarum explorator aperiret; vidisse multos nigros homines veluti Aethiopes iter carpere, & longo tractu sarcinas ferentibus comminari. Et cùm ab iis percunctatus esset, qui nam gentium essent, & qua de causa iumentorum pabula detectarent? malignos respondisse spiritus esse, qui non pecoribus pabula, sed hominibus fomenta pararent ignibus comburendis. Citat Illustrissimus Cardinalis Baronius. Ad Principem Capuæ Pandolphum, & Ioannem Ducem Neapolitanorum ea transferre videtur, vt Principes ad inferos condemnatos ostenderet. Quapropter Ioanne mortuo Vesuuium in flammas erupisse narrat, vndè videlicet gehenna frequenter eructat.

Visio quadã.

Tom. 10.

Pandulphus Capuæ Princeps, Ioannis Dux Neap.



Diui Ianuarij martyrium.

QVid verò Vulcani Forum tot rerum miraculis celebramus, quod Ianuarius & socii inter CHRISTI heroes cele-

celeberrimi martyrii lumine illustrarunt? Post tot amoris & Fidei Christianæ argumenta, quæ præclara edidit Ianuarius tandem à Timotheo anno salutis 305. vel vt aliis placet 299. xiij. Cal. Octob. ad eum locum ductus, capite mulctatus est. Atque tantum sæuiit in sanctum martyrem carnifex, vt cum capite supplicum manuum etiam digitum obtruncauerit. Sanguinem nobilis quædam mulier quę spectaculo interfuit (quam Neapolitanam fuisse docuit Gabriel Lotterius Theatinus Sacerdos doctrinarum omnium varietate ornatissimus) in duabus ampullis vitreis summa cum charitate seruandum curauit, in altera puriorem, in altera sanguinem cum palea mixtum.

D. Ianuarij martyrium.

Sanguis D. Ianuarij.

Christiani obseruant martyres.

Proxima nocte cùm multi ex Christianis in vicina sese loca abdidissent, vt Sanctorum corpora tollerent & sepelirent, & Misenates suum Sosium, Puteolani Proculum, Eutichetem, Acutium, Beneuentani Festum, Desiderium, Neapolitani Ianuarium obseruarent, Neapolitano cuidam apparuit Ianuarius, dixitq. *Frater, cùm corpus meum tuleritis, & digitum manus meæ illo in loco exilijsse cognoscite, requirite eum, & pariter cum corpore meo ponite*, vt in eius Actis, quæ in sacris Neapolis & Campaniæ monumentis accuratissimè refert Bartholomæus Chioccarellus. Quod summa charitate Neapolitani exequuti sunt, corpusq. cum capite & digito in loco quem Marcianum dicunt, sepultura honestarunt.

De eo sic Beda xiij. Cal. Octob. Qui cùm duceretur ad mortem viderunt inter alios Proculum Puteolanæ ciuitatis Diaconum, & duo laici Eutyches, & Acucius, interrogauerunt, Quare iusti iuberentur occidi? Quos iudex vt vidit Christianos, iussit decollari cum illis. Sic omnes septem pariter sunt decollati, & tulerunt noctu eorum corpora populi Christianorum. Neapolitani Ianuarium posuerunt iuxtà ciuitatem in Basilica. Mesenates Sosium, æque in Basilica. Puteolani Proculum Eutychem, & Acutium iuxtà Basilicam sancti Stephani. Festum, & Desiderium Beneuentani collegere.

Seuerus Antistes Neap.

Aliquot post annos Christianorum persequutionibus restinctis, cùm eius rei fama iam inde percrebuisset Seuerus Neapolitanus

litanus Antistes indè Neapolim corpus transferendum decreuit, & cum clero & populo hymnos concinente, eò profectus, sanctis repertis relliquiis, quanta omnium animi lætitia fuerint perfusi, quantum sibi gloriæ & honoris comparasse prædicauerint, quis narrabit? Lætitiæ tamen & gloriæ maior accessio facta est, cùm mulier quæ sanguinem seruauerat, Seuero illum libentissimè obtulit, qui cùm ad capitis, corporisq. prospectum positus esset, obduratus anteà, subitò mollitus est. O præclarum sanctarum Relliquiarum miraculum. Accedant hæretici; explorent, obseruent, stupeant, & Fidem Catholicam miseri amplectantur. Ianuarius ad probandam Fidem vnus satis esset. In eius sanguine, omnium sanctorum martyrum sanguis videtur esse cõcretus. Liquatur sanguis; corda liquentur necesse est. Motus in sanguine diuinitùs excitatur, quid tandem infidelium corda ad Romanæ Ecclesiæ veritatem, & pietatem non excitantur? Sertibus redimiti, floribusq. ornati Neapolitani cum admirandis Relliquijs lætissimi ad vrbem rediere. Illustrior quàm quoscunque vidit Capitolium, hic triumphus habitus est, & magis quàm fasces Imperium, sanguis & corpus beati Martyris Romanam Ecclesiam exornauit, Neapolim locupletauit, Christiani nominis orbem amplificauit. Hinc factum est deinceps vt mense Maio, primoq. eius mensis Sabbato, quando hoc festum celebratur, Sacerdotes circunferentes per ciuitatem relliquias floribus redimiti incederent. Quem tamen morem sancta antiquauit Ecclesia.

Sanguis S. Ianuarij.

Translatio S. Ianuarij.

Seuerus in æde ab ipso condita, quæ ad mille passuum extrà ciuitatem aberat, relliquias condidit sub Constantino. Licet Ioannes Diaconus in Episcoporum Neapolitanorum Chronicis, tantæ sepulturæ Ioannem Episcopum Neapolitanum interfuisse, & manibus suis in eadem æde condidisse dicat. Quod verò simile haud est, quandò asserit eundem sub Damaso, & Siricio Pontificibus floruisse XIIII. Neapolitanæ Ecclesiæ Antistitem, & tamen eius martyris translatio Puteolis facta est, Diocletiani & Maximiani persequutionibus restinctis, vt diximus, florentibus Siluestro Pontifice, & Constantino

Sepultura S. Ianuarij.

Imperatore, quorum viguit Seuerus ætate, veluti ex eius & Ianuarij constat Actis.

Sico Dux Beneuētanorum abstulit D. Ianuarij corpus

Neapoli à Sicone Beneuentanorum Duce, qui eam vrbem maxima obsidione occupauerat, eius martyris corpus anno 818. ab ea quam diximus æde à Seuero ædificata ereptum est, ductumq. Beneuentum, vbi in maiori Ecclesia cum sanctis Festo & Desiderio coniunxit, vt Herempertus in Longobardorum historia, & Leo Ostiensis scribunt, quos tamen Beneuentum transtulerat Cyphius Senator.

Lib. 1. c. 22.

Ad Montem Virginem translatum.

Annum circa 1154. cùm Gulielmo I. Beneuentum maximo cum exercitu recuperaturo, S. Amatus Montis Virginis monachus, & S. Gulielmi eius monasterij fundatoris discipulus victoriam prædixisset, pollicitus est Rex victoriæ Montis Virginis Ecclesiam participem facturum. Qua consequuta, multa Sanctorum corpora, & relliquias, quæ Beneuenti reperit, ijs dono dedit. Et quamuis Sanctorum nomina in vita S. Amati, & in eius loci Historia reticeantur, coniectura tamen præuidemus tunc martyris Ianuarij corpus eò fuisse traductum.

Ab Oliuerio Carrafa Neapolim ductu.

Anno posteà 1497. ab Oliuerio Carrafa Cardinali, & olim Neapolitano Archiepiscopo impetratum ab Alexandro VI. Pontifice, vt in Basilicam Neapolitanam transferre liceret; quod Alexander Carrafa Oliuerij frater Neapolitanus tunc Archiepiscopus, sollemni celebritate fecit, vbi tandem cum ingenti Neapolitanorum gloria vrbis defensor, ciuium adiutor & consolator requiescit.

Ædes D. Ianuario à Neapolitanis Puteolis condita.

Aedes ibidem à Neapolitanis Puteolis est condita anno 1574. vbi ædicula priùs erat, cum marmoreo Ianuarij capite, quod hoc tempore in noua æde cernitur, & ob antiquitatis relligionem veram Martyris esse imaginem arbitrantur. In ea commorantur Sacerdotes Capuccini, qui tanto cultu locum auxere, vt apertè confiteantur Puteolani, terræmotus maximos quibus vehementer afflictabantur, eorum aduentu planè desijsse. Ipse illud videns animaduerti, in eo horrido loco suauissimos fructus enasci, & inter ignes hortorum delicias multa commoda elargiri. Vt meritò sanguis ille flammas quæ possent

prouolui,

prouolui, restinguat, & agri solum aridum ad fructus parturiendos cum maxima vbertate fœcundet. Neapolitani vt sui iuris ædem esse significarent, hoc epigramma adscripserunt,

DIVO IANVARIO
DIOCLETIANI SCELERE OBTRVNCATO
NE QVOD SACRI CORPORIS SANGVINE MADVERAT SOLVM SINE HONORE DIVTIVS
REMANERET NEAPOLITANA CIVITAS P. P.
ÆRE P. F. 1580.

In altari hæc leguntur,

LOCVS DECOLLATIONIS S. IANVARII
ET SOCIORVM EIVS.

Canonicis Puteolanis soli causa pendet singulis annis Neapolitana ciuitas xlij. ceræ pondo, aut pecuniam ceræ loco; quæ quòd aliquandò carius emitur, pecunia quoque aucta est. Præfecti ad eam rem ex nobilibus & popularibus constituti, qui perpetuò illud curent.

Sulphur, ignes, terræmotus.

Erumpit in Vulcani Foro inter densos igneos vapores sulphuris congeries, qua vndique locum igne concretum esse non dubitamus: & aquæ circùm calidæ, & littora calore æstuant, & dùm crebris terræmotibus quatitur solum, aut flammas illicò erupturas, aut saxa, agrosq. atque mare ipsum conflagraturum tibi facile persuaseris. Admiratur ea loca Statius,

----- *medij altè permissus anhelat*
Ignis aquis, & operta domos incendia seruant.

Quod si Philosophorum placitis ad ea probanda vti velimus, non placet eorum sententia qui accendi aiunt subterraneos ignes calore quem Sol, aliaq. sidera lucis interuentu emittunt. Qui enim fieri posset vt in abditissimos terræ meatus, & specus, solares radij penetrarent, quos terræ tantum superficiem peruadere nos docet experientia? Neque illud fieri posse dicemus, vt calor à sideribus emanans tanta vi ad loca sulphure & bitumine plena perueniat, vt ignem valeat excitare. Quamobrem *Sol non accendit calore sub terraneos.*

Collegium Conimbricense. quæ cum optimis Philosophis Collegium Conimbricense decreuit sequutus, dicam, subterraneum ignem inflammari ab exhalatione, spirituue cauernis incluso, qui spiritus dùm in locorum angustias per ἀντιπερίστασιν frigoris cogitur, vel dùm hàc illàc exitũ quærit, ipso attritu & conflictatione accenditur. Quandoquidem motus non caloris tantùm causa est, sed etiam flammæ, cùm idoneam materiam nactus fuerit. Fomitem verò *Georgius Agricola.* ignis subterranei, Georgius Agricola statuit esse sulphur & bitumen. Et quamuis sulphur factitium quoque reperiatur, fossile tamen, & spontè nascens hisce in locis cernitur, viuumq. *Bituminis plura genera.* appellant. Bituminis plura genera enumerat Plinius. Is verò de quo agimus admodum pinguis succus est, & calidus oleacei liquoris. Interdùm aquis innatat, ignium naturæ cognatus. *Terræmotus Puteolani.* Hinc terræmotus. Non tantùm enim vi frigoris cum terra constipatur, & hinc indè exprimit exhalationem, terram identidem ferit; sed etiam cùm exhalatio obsistente frigore per antiparistasim (vt diximus) calorem introrsùm colligit, deindè rarescit. Et veluti puluis tormentarius igne correptus impositam turrim commouet & disturbat; sic incensa exhalatione terra quatitur, & labefactatur. Anno 1198. sub Federico II. Vulcani Forum maximè exarsit, & terræmotu tota regio concussa est. Sub Alphonso Aragoneo pridiè Cal. Aug. anno 1488. domorum & hominum internecio facta est. Anno 1538. memorabilis ille terræmotus, ex quo mons cinereus excitatus est. Hoc debuerat Munsterus dicere, non ad Vesuuium eam conflagrationem transferre.

Ignis materia.

Quoniam verò pinguia quæ intrà terram gignuntur sunt di- *Marga. Sulphur. Bitumen.* uersa, marga, sulphur, bitumen, quod nam ex ijs materia illius ignis esse censetur? Margam sanè reijcimus, cùm non ardeat, neque vlla terra pinguis, nisi sulphurata fuerit, aut bituminosa. Sulphur ardet quidem, sed veluti hæc citò aqua extinguitur. *Ignis subterraneus bitumine nutritur.* Non igitur occulti ignis sunt materia. Quocirca bitumine nutritur, licèt sulphur ignis pabulum aliquos scripsisse, in aquis

expli-

explicabimus. Fomes ignis illud eſt, ardet enim in aquis, earumq. humore paſcitur; & Tacitus ſub Nerone ſcribit in agro oppidi Vbiorum ignem arua & villas combuſiſſe, qui, quoniam materia erat bituminoſa, neque fluuijs, nec alio quouis humore poterat reſtingui. Quocircà qui ignes apparant admirabiles, quos in aquam coniectos extingui non videmus, ſemper aliquid bituminis aut piſſaſphalti admiſcent, aut eorum quæ ex bitumine conſtant; & lapides ad Epheſtos Lyciæ montes, in ipſis aquis ardentes, vt ait Plinius, bituminoſos eſſe intelligimus. Negat tamen id Baccius, qui ſcribit nouam hanc eſſe Germanorum opinionem, nam ſi ità eſſet, omnes eſſent calidi fontes bituminoſi, & aſſeclas egererent flammas. Et ſulphuri calorum materiam tribuit. Quæ tamen in hoc loco noſtra non eſt diſputatio.

Lapides in aquis ardẽtes

Sulphur.

In ardentibus ſemper locis ſulphur reperies, quod pinguitudo terræ eſt, quam & ipſa vis caloris expreſſit, quæ in monte Puteolano maxima cernitur. Ad Haſdam quoque pagum fons erupit, qui viciniam ſulphuris fœtore impleuit. In Iſlandia tres montes Heda, Crucis, Hegla ad cœlum elati, fodinas ſulphuris narrant, vnicum incolarum mercimonium, & vectigal inſulæ, ex qua mercatores onuſtas naues euehant. Mons ipſe cum furit, ſulphur euomit, & ingentia ſaxa emittit. Tàm autem in bituminis tota temperatione quàm ſulphuris, ineſt aer & ignis, ideòq. facilè concipiunt ignem. Poeticè philoſophatus eſt Silius Italicus lib. 12.

Sulphur varijs in locis. Aquæ ſulphureæ, Purgatorium actæ in Pannonia. Feruentes lacus in Gothia, in Iſlanda. Campi ardentes in Caria, & Phrygia.

Ac iuxta caligante ſita longumq. per æuum
Infernis preſſas nebulis, pallente ſub vmbra
Cymmerias iacuiſſe domos, noctemq. profundam
Tartareæ narrant vrbis; tùm ſulphure & igni
Semper anhelantes, coctoq. bitumine campos
Oſtentant, tellus atro exundante vapore
Suſpirans, vſtiſq. diù calefacta medullis
Aeſtuat, & ſtygios exhalat in aere flatus.

Parturit,

Parturit, & tremulis metuendum exsibilat antris
Interdumq. cauas luctatus rumpere sedes
Antexire foras, sonitu lugubre minaci
Mulciber immugit, lacerataq. viscera terræ
Mandit, & exesos labefactat murmure montes.

Thesauri Puteolani.

Mirum quàm hominum opinionem ad sulphuris cauernas, ad ignium & scrobium diuerticula, thesaurorum excogitatio decipiat. Animam profectò habere diuitem non cogitant. Quid verò ad animam pecunia? Nunquam legerũt Alexidem,

Ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν. τὰ δὲ χρήματα
Ταύτ' ἐστὶν ὄψις, παραπέτασμα τοῦ βίου.
Animam habere diuitem oportet. Pecuniæ autem
Hæ nihil quàm ostentatio sunt, & velamentum vitæ.

Thesaurorũ inuentores delusi. Conueniunt ex tota Europa mendici. Magorum libros se habere iactant. semper tamen oleum & operam perdunt. Vulgi ignari fabulis allecti in cryptis, & specubus auri dolia occlusa esse sibi persuadent. Algenr, sudant inuestigando collium iuga, anfractibusq. petrarum latitant, signa in littorum scopulis, agrorumq. surculis, & arborum radicibus quæritantes. In Vulcani Foro aurum nasci credunt. In Gauro monte, quem Barbarum dicunt, Reges esse ex auro dictitant carbunculis splendidissimos, custodiri tamen laruis, spiritibusq. ideòq. aditum non patere. Seipsos spectra videre asserunt, sed somniasse videntur cum renunciant. *Collenucius.* Decepit multos Collenucij historia, qui Robertum Nortmannum captiui Sarraceni opera multos Puteolis thesauros euertisse scribit. Fabulosam eam narrationem ostendit statua è marmore, redimito capite, ænea vitta, in quam rem totam incisum carmen significaret. His similia carmina & nugæ ceteros alliciunt ignaros, Psello fidem adhibentes, qui huiusmodi multa de dæmonibus fabulatur. Illud maiori admiratione dignum, viros ceteroqui doctos, relligiosos, prudentes, (si tamen vnquàm in huiusmodi hominibus prudentia possit inesse) ad eundem scopulum allidere solitos.

Auri

Auri sacra fames quid non mortalia cogis
Pectora?

Periere sæpissimè thesaurorum cupidi, aut aquis submersi, aut corrupti aeris fœtore exanimati, atque insanæ auaritiæ sic dederunt pœnas. Petrus Salius vrbanus homo, ridiculo spectaculi genere Germanos aliquot, Gallosq. in Puteolanis cryptis irrisit. In ea loca eos comitabatur; præmittebat tamen socios ad eas artes instructos. Dùm ipse characteribus signandis studebat (has technas moliebatur) prodibant personati clientes, ignibusq. arte excogitatis, & tumultu nimio metum afferentes, paratis fruebantur mensis, cùm thesaurorum inuentores fugientes, ne vultum quidem vertere auderent. Thesaurum tunc hospes inuenies, cùm sors ipsa obtulerit. Qui characteribus pecuniam inuenire conatus est, semper se carbones inuenisse affirmauit. Hæc etiam insaniæ species. Nec tamen negauerim aliqua sæpè in agro Puteolano reperiri, quæ magnarum rerum monumenta præseferunt. Nuper colonus dùm foderet, ad xl. nummos argenteos, aereosq. inuenit Antonini & Traiani, quos apud me seruo. Ad Cumas alius, anteriorem leonis pedem reperijt ex Agatide lapide, quem ad mille aureos æstimarunt, opere perpolito, quem Catherina Zunica & Sandoual Ferdinandi è Castro in hoc Regno Vicarij vxor coemit, atque in Hispaniam detulit, dignum Rege munus. Thesaurorum tamen opinio interim neminem, rogo, fallat. Legito Francisci Petrarchæ de inuento thesauro somnium in epistolis.

Petrus Salius

Puteolis multa reperiuntur.

Lib. 7. ep. 7.

Tumultus Puteolani, & Comitiua.

Oppidum felicissima cœli regione collocatum, placidissimi maris vndis perfusum, fructuum vbertate inter Tyrrheni maris ciuitates notissimum, splendidissimis villis ornatum, vt loquitur Philo Iudæus, quò Caligulam ex Vrbe sequutus fuerat, ab omnibus fuit maximè desideratum, quamobrem & cùm Dictatura L. Cornelius Sylla se abdicasset, eò ad bene & feliciter viuendum diuertit. Bellicis propterea motibus turbarum aliquandò.

De legatione ad Caium.

Annibal.

Annibal.

Lib. 4. dec. 3. *Annibal in Auernum lacum descendit per speciem sacrificandi* (inquit Liuius) *reipsa, vt tentaret Puteolos, quiq. ibi præsidio erant.* Et paulò post; *Sacro indè perpetrato ad quod venerat, & dùm ibi moratur, peruastato agro Cumano vsque ad Miseni promontorium, Puteolos repentè agmen conuertit, ad opprimendum præsidium Romanum. Triduum ibi moratus Pœnus, ab omni parte tentato præsidio. Deindè vt nihil procedebat, ad populandum agrum Neapolitanum, &c.*

Gotthi, Vandali.

Anno 406. cùm Imperij maiestas paulatim esset declinata, hostium quoque temeritatem in se concitauit. Cùm præcipuè *Alaricus.* Gotthi Alarico duce, & latè vagarentur, & Gallis bellum infer- *Stilico.* rent, maximis copijs Italiam adorti. Tunc à Stilicone Arcadij & Honorij Præfecto reiecti, Romam contendentes, Honorio tantùm imperante, & Pontifice Innocentio I. vrbem vi receperunt & diripuerunt. Mox triduò ibi commorati, Neapolim se recepere, maxima clade Campaniam afficientes, quam Puteoli haud euasere publicis priuatisq. ædificijs incensis.

Gensericus. Quam nec euadere potuerunt cùm Italiæ fines Gensericus Rex Vandalorum ingressus, Campania vexata, Puteolanos cō- *Totilas.* cidit & perdidit anno 456. cùm tamen anteà Totilas per Galliam Cisalpinam, Etruriam, Vmbriam, Marsosq. Campania penetrata, Beneuēti mœnia disiecit, Neapolim obsedit, & in suam potestatem redegit Cumas. Puteolanis vim facere conantibus, *Gotthi.* Gotthi ciuitatem populati sunt, vastarunt agros, & mœnia funditùs euerterunt, nihilq. fuit reliqui quod vastitatem, squalo- *Puteolana miseria.* remq. non ostenderet. Decedente ex Italia Totila, vrbs Puteolana habitatores desiderauit. Quòdq. prius oppidum Imperatorum fuerat domicilium, & Romanorum deliciæ, armentorum & reliqui pecoris sordes ex parietinis eluere nequiuit. Lucrini *Oppidum instauratur.* lacus commodo piscatores adductos vrbem instaurasse scribūt, ijsq. adiumento fuisse Græcos, qui ex Calabria soluentes, in hanc

hanc oram aduecti, regionis felicitate irretiti, cum piscatoribus inita societate, ædificia restituenda curarunt, & multis ex finitimis in ciues adscitis, frequentem vrbem reddiderunt. Nouæ innituntur opinioni.

Longobardi, Sarraceni, Massamuti, Nortmanni.

Longobardos maximas iniurias Puteolanis intulisse, ijsdem de causis credendum est, cum præcipuè Cumis potiti fuerint. Sarracenos omnia vastasse crediderim, & de Puteolanis locis affirmat Eugipius; tùm anno 568. à Barbaris fœdissima in Neapolim facta irruptione. Tunc Longobardi fracti viribus Ludouicum Imperatorem accersiuerunt, tertio in Italiam aduentu, qui Puteolanis balneis vsus est, vt scribit Leo Ostiensis. Nortmannos item, conciliata sibi voluntate Puteolanorum à Rainulpho, qui cum Sergio Neapolitanorum Duce coniunctus erat. Quamobrem Pandolphus Capuæ Princeps, quocum Rainulphus bellum gerebat, hostilia ijsdem arma intulit. Atqui anno 1038. quòd cum Archiepiscopo Mediolanensi Conradus Imperator inimicitias exerceret, in Italiā se contulit. Allatoq. nuncio à Casinensium Monachorum iniuria Capuæ Principem Rainulphum non abstinuisse, auditis eorundem querimonijs, Principatu eum priuauit, suffectusq. in eius locum Guaimarus Salerni Princeps, ad quem liberam detulit Puteolanorum ditionem, & Adenolphum Capuanum Archiepiscopum à Principe in carceres detrusum liberauit. Anno 1136. cùm Lotarius Campania esset egressus, quòd Rinaldus Abas Casinas Sanctum Germanum oppidum recepit, & ad Abatiam occupandam accessit, Guibaldus ad Lotarium ad petendum auxilium misit, atque hæc scripsit; *Post profectionem à nobis vestram, Sarraceni, Nortmanni, & Longobardi in Campaniam irrupere, & direptione incendio, ac cæde omnia miscuere &c. Nostrorum verò dictorum sunt ciuitates Puteolana, Allifana, & Telesina, quæ nihil aliud nisi olim se fuisse demon-*

Longobardi Sarraceni.

Ludouicus Imperator in balneis Puteol.

Lib. 1. c. 38.

Lotarius.

Chron. Cas. lib. 4. c. 127.

ſtrant, & ſi quæ ſuperſunt, ſolo æquantur, vt Capua, nam poſtquam fortunas & homines exhauſerunt, incendium ſubiecerunt.

Moabitæ. Apud Sigebertum, Maſſamuti (quos & Moabitas dicunt) poſt vſurpatum Mauritaniæ regnum, Regemq. patibulo. affixum, etiam Regem Bulgiæ occidentes, regnum eius inuaſere, ipſam Siciliam, Romam quoque ſe inuaſuros minitantes anno 1151. Et anno 1154. cùm Gulielmus Siciliæ regno potiretur, ijdem Puteolis in Italiam caſtrum ſpoliant, ſed Siculis perſequentibus profligati ſunt. *Ioannes Neapol. Dux.* In vita S. Seueri legitur, Ioannem Neapolitanorum Magiſtrum militum, & Campaniæ Ducem annum circa 1014. eo tempore quo Henricus Conradi filius Romani Imperij coronam ab Apoſtolica Sede ſuſcepit, cnm exercitu Puteolos inuaſiſſe, caſtriſq. poſitis oppidum expugnare conatum. *S. Seuerus.* Atque tunc miraculo claruit Seuerus, nam Capuanus quidam ab oppidanis confoſſus oculum ſagitta, Seueri auxilio ſagittam extruſit, quod nulla medicamentorum genera efficere potuiſſent.

Renatus. Alphonſus.

Maximum in re bellica hoc oppidum Alphonſo cum Renato contendenti, negotium faceſſiuit, magiſq. Puteolos, quàm Neapolim poſt multos labores deſiderauit; neque aliud hoſtile oppidum in Campania relictum fuerat. Cùm igitur recepta *Arx Auerſana.* Auerſana arce, Caietam profectus eſſet, indè Capuam reuerſus, in Puteolos impetum faciens, oppidanos terrore illato in deditionem compellere ſperabat. At quoniam oppugnationem irritam loci natura faciebat, quòd ſcilicet & præcipiti rupe, & maris altitudine, & muro circumducto, & ponte per quem perauguſtus dabatur aditus, oppidum muniebatur, quamobrem nunquam ſe dedituros animaduertebat, hominum obſidionem, in vitium, arborumq. conciſionem tranſtulit. Quare ad oppugnandam Octauij Turrim ad Veſeuum caſtra mouit. Multiſq. *Antonius Caudola.* cùm Antonio Caudola peractis, Puteolos iterum tentare decreuit, quòd nunquam Renati fidem violare voluerant. Roſtratis nauibus accerſitis iuſsit vt maritimos commeatus impedirent. Ipſe

Ipſe tormentis inuectis oppidanos perterrebat. Cùm diù reſtitiſſent, atque omnium rerum ſpes eos defeciſſet, re potiſſimum frumentaria interclusi, miſſis qui cum Rege de deditione agerent, acceptiſq. vtrinque conditionibus, tandem portas Alphonſo aperuere.

Turcæ.

Anno 1554. plurimùm Puteolanis detrimenti imminebat cùm Oenobarbus Solimanicæ claſſis Ductor, vaſtata Inarime & Prochyta, iuſſit vt Salecco duce Turcarum cohortes è nauibus deſcenderent, & tormentis vrbem expugnarent. Petri tamen è Toleto prudentia, eorum furori celeriter occurrit. Qui mille equitibus nobilibus, proceribuſq. Neapolitanis confeſtim conuocatis, multis prætereà cum peditum cohortibus Puteolos aduolans, Saleccum, Præfectumq. terga vertere coegit, Iannettino Auria nouiſſimum claſſis agmen inſequente, vt cùm ſeſe occaſio obtuliſſet, aliquid damni barbaris inferret. Obijt tunc Puteolis bombardæ ictu ſtrenuus Dux Saiauedra Hiſpanus, qui maximos Puteolanis viuens faciebat animos, dùm ſumma vigilantia mœnia perluſtraret. Hanc Petri victoriam diligentiſſimè in ſepulcro marmoreo ſculpſit Ioannes Nolanus, quod in D. Iacobi Hiſpanorum æde integerrimè eſt poſitum.

Oenobarbus.

Saleccus.

Petrus è Toleto fulcinit Puteolanis.

Iannettinus Auria.

Saiauedra.

Comitiua.

Plura Comitum genera habes in Notitia, & apud Iuriſconſultos. Qui tamen ab Auguſtorum comitatu nomen traxerunt, in quorum aula primi ordinis viri erãt, ijq́. fortaſſe Auguſtales. Hinc Comitiua domeſticorum, ſacrarum largitionum, rei priuatæ, ſacri patrimonij, ſollemniorum, theſaurorum, horreorum, ſcholarũ, & huiuſmodi. Ad aulicum quoque iudicium redacti, Comites Conſiſtoriani, de quibus Spartianus in Herodiano, *Cum iudicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos, aut Comites ſolum, ſed Iuriſconſultos*, &c. Maximè verò ad prouinciarum iudicium. Habes etiam apud Græcos τοπάρχας, & apud Francos, Landgrauios. Capitolinus ſcribit eos Comites, confecto

Comites varij.

Comites aulici.

Comites prouinciarum.

In vita Veri.

 bello.

bello. Verùm Imp. distribuisse prouincijs regendis; & Orientis Comites à Marcellino commemorantur. Hi profectò cum Præsidibus sub Præfecto Prætorio erant. Ideóq. Suetonius de Tiberio, *Caium* (inquit) *Orienti præpositum, cùm visendi gratia traiecisset Sauum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollij Comitis & rectoris eius*. Sic etiam cùm in Præfecti Prætorio Illyricano, Thracias, Pontum, Dacias, Mæsias, totámq. Græciam legamus, legimus etiam apud Marcellinum, Comitem Thraciæ Iulium, qui scilicet illius prouinciæ Præfectus erat, quam alius Prætoriani regebat potestate Præfecti. Huiusmodi Comitiuam Neapolitanam facio apud Cassiodorum, *qua ciuilia negocia æqui trutinatores examinarent, & gemmatum tribunal considerent*. Transijt nomen ad Nortmannos, honorisq. fuit insigne, vt ait Gulielmus Apuliensis, legimusq. vel prouinciæ, vt Apuliæ Comites; vel ciuitatum, vt Aquini, Fundorum, Auersæ. Ad eum honoris gradum accesserunt Puteoli, iam tùm fortasse cùm Guaimaro oppidum delatum est, quod suprà retulimus. Anno igitur 1144. Salerni diploma Rogerius Rex subsignat, in quo hæc leguntur; *Confirmamus iam dicto Monasterio* (de S. Maria de Cappellis loquitur) *hortum qui vocatur de Iubenullo iuxtà continentiam oblationis, quam per cartam Adenulphus quondam Comes Puteoli ei fecit*. Et Lãdulfus Comes Castri Puteolani Adenulfi Comitis filius, & Gayltragunæ Comitissæ quædam restituit Nicodemo Igumeno Monacho sub Porphyrogenito, & Alexio. Subscribunt etiam Comes Cupersani, & Comes Tricarici.

Littus, aer, ciues, nobilitas, lapides.

Aer Puteolanus temperatus. Propter mare, Auernum lacum, & aquam passim scaturientem, Puteolanum aerem humidum esse quidam senserunt. Alij ob sulphureas mineras siccum prædicant. Ea tamen quæ à Miseno monte ad oppidum ora protenditur, collibus & montibus ad Orientem, Septentriones, & Occidentem circumuallata, ad Meridiem est peruia, vbi calidæ aquæ benignè passimq. manãt, aut sulphureæ, aut aluminosæ, aut salsæ, aut bituminosæ, qua-

rum

rum plurimæ partim conflagrationibus, partim terræmotu latent, cuius terra lutosa, pinguis, fertilis, arboribus refertissima, temperata dicēda est, atque idcircò præcociores fructus, quàm aliæ proximè regiones producunt. Morbi tamen incolis biliosi, breues, salubresq. quæ optimam cœli temperiem patefaciunt. Viri colorem subflauum habent; ad contentiones procliues, quibus Romani remedium afferre coacti sunt; à societate & cultu abhorrentes, agriculturæ addicti. In Climate Dia Romes collocati, quod temperatius Auerroes, & Galenus esse defendunt. Atque ità (addo enim terræ viscera igne repleta) Puteolanus aer calido citrà primum gradum exuberat, & in humido & sicco est temperatus. Meridionalibus ventis perflatus, gelidorum ventorum iniurias propellit. *Morbi.* *Color.* *Contentiosi.* *Clima.*

Littus, præter æquoris thesauros, olera in arena producit, quæ hortensia alibi desiderantur. Ad Dominicanorum ædem, furente maris æstu, varia lapillorum genera fluctus proijciunt; Corneolas præsertim, in quibus variæ incisæ imagines, antiquorum superstitionem referentes. Et quamuis Albertus scribat eas non ità facilè intelligi, nisi ab ijs qui Astrologiam & Magiam callent, & Thebitus adijciat imagines in lapidibus sculptas, nunquàm ornatus causa fuisse positas, sed vt ab ijs gemmæ virtutes aliquot sortiantur; ea tamen Christianam pietatem minimè decent, quæ isthæc ludicra & puerilia cōtemnit. In Puteolanis lapillis, Mercurius, sæpissimè incisus cernitur, quo cum crumenam & gallum adpingunt, vt fortasse homines ad mercaturas exercendas, vigilantes impellerent. Quapropter & Formicam in ijs depictam arbitror, vt ostenderent rerum prouidentiam omnibus conuenire. Gallum quoque in Agatide inueni, quem si quis in annulo gestaret, contra aereos spiritus valere existimabant. Hæc etiam vulgò reperiuntur; Gallina, ad rerum copiam & prolis numerum. Aquila in christallo, quæ homines efficerent victores & eloquentes. Mustella, vt febrim depelleret. Ciconia & Cancer, ad hostes propellendos. Noctua, vt doctos redderet viros. Rana, vt piscatores. Lepus in Diaspro, qui timorem depellit. Serpens in Onice, qui ventos reprimit. *Corneolæ, & lapides Puteolani.* *Mercurius.* *Formica.* *Gallus.* *Gallina.* *Aquila.* *Mustella.* *Ciconia.* *Cancer.* *Noctua.* *Rana.* *Lepus.* *Serpens.*

Vitis

Vitis aut spicæ, Principibus homines beneuolos reddunt. Hominis imago in Chalcedonio, viæ securitatem. In lapillo hæc leguntur, CVIVS. quæ ad coercendum sanguinis fluxum valere aiebant. In alio, ΕΥΔΗΜΙΑ; *Bona popularitas*, ad popularium animos sibi alliciendos. Et si *εὐθυμίαν*, scriptum quoque arbitrarer, quæ animi hilaritatem & securitatem significat. In Sardonio, qui in eodem littore repertus est, imago virilis quædam, ad cuius dexteram legitur, ΔΙΑCΤΡΙ. ad sinistram, ΑΡΤΑΤΕΙC. sub pedibus, ΑΑΤ. in altera facie, bouis caput sculptum, suprà quod Iouis fulmen cernitur, ad renum dolores conferre dictitabant. In quodam Diaspro, imago Terminali ferè similis, quæ tamen ad femora alas habet cum his notis, ΒΥΔΑΙΒΩΘ. In alio, ex vna facie quodam tropheum in Iouis fulmine collocatū; ex altera hi characteres, ΑΒΡΑCΑΞ. Multa item similia quæ longum esset recensere. Pollubra argentea quoque inuenta scimus præter auri scobes. Eius artis officinas ibi fuisse constitutas nemo est quin iudicet, vt potissimam Emporij partem.

Nobilitas.

Puteolanæ familiæ nobiles. Nobilitatem Puteolis profitentur Constantij, Bossi, Russi, Aquilerij, Capomatij, Frangipanes, Damiani, Pisces, Cioffi, Arcani, Berrilli, Compostæ, Bonhomi. Anno 1255. Augusto mense, die Bartholomæo Apostolo dicato, naualem pugnam describit Matthæus è Iuuenatio, quatuor nauium, quarum vna Simonis Vintimilij Siculi erat, alia Paulonis Donursi, tertia Henrici Spatinfacciæ Constantij, quæ in nauim Ancon tanam impetum fecerant, cùm ad rem frumentariam comparandam Barolum appulisset. *Venati.* Proculi etiam Venati mentio fit, qui cum Iosepho Dominomarino, & Sergio Mastroiudice Surrentinis, captiuus in ea naui ductus est.

Constantij ex Germania. CONSTANTIOS ex Germania cum Federico I. anno 1154. Puteolos aduenisse quis dubitat? Neapolim deindè sedes transtulere, in qua ea familia omnibus nobilitatis splendoribus, Regum familiaritate, Magistratuum decore, titulorū amplitudine emicuit.

emicuit. Cui tamen maximè addidit lumina Fuluius Constantius, in quo Neapolitana ciuitas omnia gloriæ ornamenta collocauit, & qui præclaro virtutis & comitatis encomio omnium in se ora conuertit, Philippis II. & III. charus, supremo Neapoli Magistratu, & Marchionatus titulo insignitus. *Fuluius Constantius.*

De BONOMO, pluribus nobilitatis insignibus floruere: Sub Federico anno 1429. Caracciolo Bonomo, scribitur vt Vincentium Setarum munitionibus prouideat, qui bombardis præerat, cùm ad Roccam Gulielmam castra haberentur. A Sigismundo Poloniæ Rege, Hieronymus Bonomus Eques auratus constituitur ob gesta erga Reginam Bonam, de quo hæc Rex ipse asserit, *Et Illustrissima Dominæ Isabellæ Ducis Mediolani matris nostræ charissimæ alumnum fuisse & esse, & quòd Serenissimæ & amantissimæ Dominæ Reginæ Poloniæ Dominæ Bonæ fideliter seruis. Cumq. hoc tempore in Regnum Neapolitanum ad Illustriss. Dominam Isabellam Ducem Mediolani, à nobis, & à Serenissima Domina nostra Regina proficisceteris, noluimus ne aliquo condigno meritis ac virtutibus tuis ornamento à nobis non condonatus discederes. Te ideò præmissorum intuitu, hodiè coràm nostra Serenitate, & nostrorũ Principum, Comitum, & Baronum præsentia, creamus & insignimus constitutum motu proprio auctoritate nostra Regia, & ex certa scientia, militem & equitem auratum facimus, & cinguli decoro insignimus*, &c. Addiditq. insignimus armatum equitem cum nudo gladio; idq. Hieronymo de Puteolis tantùm tribui iubet, atque ijs qui ex corpore originem ducunt; quod hoc encomio exprimitur, *Et nihilominus à nobilissima familia tua per hoc nostrum additamentum, te, & successores tuos minimè separatum, vel seiunctum esse volumus*. Consaluus Ferdinandus Regni Vicarius, Petro Angelo Bonomo Castrinoui Neapolitani Vicecastellano scribit, conceditq. fundacum (vt vocant) salis in Puteolana ciuitate, quod ad Regem ex Simonetti Bossi obitu deuenerat. Barensi quoque Arci idem præfuit, vt ex litteris quibus Andreas Carrafa Sanctæ Seuerinæ Comes subscribit. Ioannes Berardinus cũ Iacobo Constantio cohortis duces fuere *Bonomi.*

ad

ad Petri è Toleto custodiam corporis; cuius etiam victui cum duobus myoparonibus consuluit, cùm in arcem nouam se recepisset anno 1547. Quem prætereà bello Romano, & cum Francisco Antonio filio, Albæ Ducem sequutus est. In Ostiæ obsidione, pontem ex cymbis extructum cum alijs Continuis custodiuit, & in Regis actis, Continuus adscitus est. cui tandem Oliuarensium Comes ob emeritam militiam stipendium Puteolis degenti soluendum iussit. Horum nobilitati nihil profectò hæres cedit Abbas Iulius Cæsar Bonomus Puteolanæ Ecclesiæ decus.

Marinus Boffa. BOFFAM familiam Puteolanam, Marinus ille apud Ioannam Reginam Magni Cancellarij officio functus (quod ei munus delatum est anno 1415. dùm Regina Regno potita esset) illustrauit, cuius deindè successores à Ioannella Extendarda quam vxorem acceperat, Extendardi dicti sunt. Antequàm Ladislaus decederet, apud Ioannam Osterlichij tunc Ducem plurimùm poterat Pandolfellus, & Marinus Boffa, qui omnia diligenter administrabat. Erat apud Ioannam Ioannella Iacobi Extendardi Alifanorum Comitis filia, & Reginæ ex mulierum serie neptis. Cùm verò Iacobus in Bonifacij IX. familiaritatem esset adscriptus, Pontifex Ioannellam Samueli cuidam eius nepoti vxorem dare tentauit. At cùm puellula quatuor tantùm annos nata esset, ità inter eos actum est, vt cùm grandior ætate esset, ad nuptias veniret. Quapropter aliquot post annos Samueli sponsam exposcenti, responsum est, matrimonium illud ob ætatem irritum esse existimandum. Ad Marinum Boffam causæ patronum Samuel confugit. Et dùm ea de re in iudicio agebatur, mortuo Ladislao, Ioanna Regnum suscepit, & Boffæ eius tutela tradita est; per quem Sfortia Attendolus, qui cùm Braccio contenderat, hæreditatis Ioannellæ amplitudine permotus, vxorem Comiti Francisco filio petijt. Boffa verò vt suæ etiam fortunæ consuleret, Samuelem, Sfortiamq. deludens, omne studium quod in alios esset conlaturus, in seipsum libentissimè contulit, & Ioannellam sibi vxorem copulauit. Procuratorē primò Francisci Sfortiæ fuisse asserit Aelius Marchesius.

Deindè

Deindè Iurisconsultum. Eius matrimonij causa multa sibi oppida comparauit. Apud Facium, Alphonsus Rex castra in Nolanum mouens, inducias per aliquot dies fecit cum Marino Boffa, qui Vallem Caudinam occupauerat. Quem tamen ad Arpaiam Castris positis, scalis admotis, propugnatoribus reiectis, vsus naualibus socijs, quòd in oppugnationibus eos perutiles esse arbitrabatur, captiuum duxit. Cùmq. Argentium Regi dedisset, veniam impetrauit. Tanta cum Boffa & Renato Rege intercesserat necessitudo, vt dissidij inter Alphonsum & Ioannam, Boffam existiment fuisse auctorem. *Lib. 5. de reb. gest. Alph.*

Ex CIOFFIS, Ioannes Andreas Præses Regiæ Cameræ fuit sub Regibus Aragoneis. Paschalis verò apud Ioannam II. à Secretis fuit. Is cum Antonio Malitia Carrafa ad Pontificem Legato, calamitoso Reginæ tempore, collega missus est. Qui ex Lygurino portu Florentiam, vbi Pontifex erat, profecti, cùm auxilium frustrà petijssent, aliud sibi consilium ineundum statuerunt. Alphonsus Aragonum Rex comparata classe Cyrnum insulam, quæ in Genuensium erat potestate, aggredi decreuit. Et accersitum Garsiam Cabalinium Valentinianum equitem, Legatum quoque ad Pontificem misit, qui belli caussas aperiret, ne animo à se abalienato eum Pontifex iudicaret. Cum hoc loquuti Carrafa & Cioffus, & in Sardiniam Regem adeuntes, Reginæ calamitate exposita, Regni Neapolitani proposita felicitate, ad opem Reginæ ferendam à ceteris bellicis apparatibus eum reuocarunt. Cioffus ex Sardinia Neapolim, indè in Populoniam vbi eum Malitia expectabat, septem dierum nauigatione appulit. Ad Regem in Sardiniam redire, & adoptionis voluntate patefacta negocium confecerunt. Sed dùm Cioffus præmittitur, vt omnia quæ gesta fuerant Reginæ & Neapolitanis nunciaret, ad Palæopolim ab Aloisio Andegauensi, qui Neapolim cum classe cõtendebat, captiuus factus est. *Garsia Cabalinius.*

DAMIANI nobilitate semper Puteolis viguere. Paridem habuere, qui à Ferdinando Rege Puteolorum, & Tripergulæ montium ad venationes custos electus est. Petrum Angelum, qui in Puteolana defectione ab Philiberto Aurãcio diplomate

Fffff fidelis

fidelis appellatur, vtq. præclarum eluceret testimonium, symbolum addidit cum hisce notis, *Culpari metuit fides*. Franciscum, qui ab Alberto Austriaco in Belgia, mortuo Vincentio Piccolomineo successor peditum cohorti datus est, ibiq. fortiter obijt.

Ex ceteris familijs nihil certi habui, neque hoc tempore seruandæ memoriæ homines student cùm præcipuè scriptores nacti fuerint. Aliquorum prætereà Puteolanorum memoriam non *Stephanus Partiu nacia.* prætereundam censui. Stephanus cognomento Partiuinacia, multa obtulit Ioanni Abati monasterij Sanctorum Anastasij, & Basilij (quod in regione Neapolitana ad Melia situm erat) quod sub Basilio Magno, & Constantino eius fratre coniunctum erat monasterio Beatæ Mariæ, quæ ad Cappellam dici- *Marcus Pulex.* tur. Eius rei scripta ibidem seruantur. Marcum Pulicem, non parentum origo, sed virtutis gloria nobilitauit. Singulari certamine (præter multa præclarè gesta) inspectante Andrea Au- *Afflict. decis. 375.* ria se acerrimum pugnatorem ostendit. Gabriel à Fraia Ferdinando I. Regi M.& D. aureos mutuatus est. Brundusinæ arci idcircò præfectus. Et post eius obitum, Manfredoniæ arci Bartholomæum filium præfecit, qui à Magno Consaluo, restituta pecunia, arcem Aragoneis restituit.

Ecclesia Puteolana.

Proculus. Templum Augusto dicatum, à Christianis D. PROCVLO Martyri, Puteolanæ Ecclesiæ Diacono, sacrum, & maior Basilica constitutum est sub Diocletiano. Proculi ibidem seruatur corpus. Vrbis Patronum Puteolani maximo cultu venerantur. Hunc anteà cum Eutichete & Acutio ciues transtulerant in Prætorium Falcidij ad triuium, quod S. Stephani coniungi- *Celsus.* tur ædi, vbi martyrio sunt coronati. D. CELSI, Petri Apostoli discipuli in eodem templo corpus colunt ex traditione. Tra- *Nicea.* dunt ibidem esse corpora S. NICEAE Proculi matris, de qua *Lib. 11. c. vlt.* Petrus de Natalibus in Catalogo, *Proculus, & Nicea mater eius, ipso die in ciuitate Puteoli martyrij palmam percipiunt.*

Tùm

Tùm etiam corpus PATROBAE Puteolani Episcopi, vnius ex lxxij. discipulis, cuius meminit Paulus ad Romanos, & cuius & Philologi natalis pridiè nonas Nouembris celebratur. Citat Dorotheum in Synopsi Illustriss. Baronius, qui Neapoli præfectũ Episcopum tradit, licèt Hyppolitus martyr testetur fuisse creatum Episcopum Puteolanum. Non rectè de ONESIMO Pauli discipulo senserunt, qui Ephesiorum Episcopus creatus est post Timotheum. Romæ lapidibus martyrium pertulit, ibiq; sepultus; indè Ephesum delatus. Qui QVARTVM Episcopum numerant (hinc ad Quartum locus & ædes) nescio cur ità diuinarint. Illud profectò maximæ Puteolanorum laudi tribuitur, quòd inter primos CHRISTI Fide fuerint initiati, cùm Diuus Paulus Rhegio discedens, Puteolos profectus, ibi septem diebus fuerit commoratus; *Et cùm venissemus Syracusam, mansimus ibi triduò. Indè circumlegentes deuenimus Rhegium; & post vnũ diem flante Austro, secũda die venimus Puteolos, vbi inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septẽ, et sic venimus Romam.* Catenis vinctũ Paulum Puteoli viderunt, qui doctrinæ eloquio omnia antiquæ legis ænigmata esset soluturus. Audiuit Paulum prædicantem (quo enim pacto linguæ, & cordis facundiam prædicator eximius septem diebus continuisset?) oppidum Puteolanum, cuius antra nobilioria oracula, quàm fatidicæ mulierculæ responsa resonarunt. O beatos Puteolos, qui quicquid Paulo Adrumeto per Asiam, per Aegeum, per Italiam nauiganti contigit, septem dierum consuetudine audiuere. Vidisse Augustos, præclarum fuit, at augustissimum Christianæ relligionis Principem habuisse, omnem excedit amplitudinis opinionem.

Patroba.

In Martyro'.

Lib. de 72. disc.

Onesimus.

Quartus.

Act. Apost. cap. 28.

S. Arthemas.

A Petro quodam, qui ad Stephanum Præsulem Ecclesiæ Puteolanæ huiusmodi scribit, *Venerabili Patri, & sanctæ Puteolanæ Ecclesiæ inclito Præsuli Domino Stephano, Petrus.* & quæ sequuntur, Arthemæ scribitur passio quam incompositè editam priùs asserit, & Stephani hortatu ad cultiorem ab ipso stilo

redactam, veluti Ambroſius S. Agnetis, & Aupertus S. Fortunatæ geſta puriori eccleſiaſtico dogmate conſcripſerunt. Seruantur manuſcripta Longobardis literis à Bartholomæo Chioccarello. Hic Arthemas nobili genere Puteolis natus, Cathigentæ ſæcularium litterarum præceptoris audiror, cùm ceteris pueris ob ſingularem indolem à præceptore præpoſitus eſſet ea docturus, quæ ipſe didicerat, ea tantùm docebat quæ à Chriſtianis parentibus ipſe audiebat, ſanctiſſimæ præcipuè Trinitatis myſterium, quo puerorum animos imbuere laborabat. Et cùm Cathigenta à Chriſtiana relligione eum reuocare nequiret, & ad Præſidem id detuliſſet, eo ſic iubente, graphijs (gladij ferrei ſunt quibus ſcribendo vtebantur) puerum alij pueri occiderunt. Veteres ſcribebant vel ſtilis, vel calamis; quia autem σιδηροφορεῖν non licebat, & ſtilis, & calamis ad necem inferendam abutebantur, ſed illis frequentiùs. In hiſtoria Eccleſiaſtica, & apud Prudentium multos martyres graphijs confoſſos, animam Deo reddidiſſe legimus in Plutarchi Gracchis perit Antyllus quidam γραφείοις μεγάλοις κεντούμενος. Iſidorus refert cautum aliquandò Romæ ne ferrea graphia quiſquam haberet, ſed oſſea. Euagrius lib. 3. Stephanum Antiochiæ Epiſcopum a pueris interemptum καλάμοις ἰσαδόρασιν ὀξυνθεῖσι, narrat. Ex cuius martyrii conſtantia, multi ex Puteolanis ad Fidem conuerſi ſunt. Martyrio coronatus eſt vij. Calend. Februarii. Hæc inter alia leguntur à Petro addita,

Ergò benigne Pater, quia claro dogmate fulges,
Martyrium ſacrum præfati martyris almi
Sume ſagax placidè grates referendo tonanti,
Atque ſacræ plebi ſtudioſè tradere cura,
Gaudeat vt ſemper de vero dogmate ſacro,
Ac Domino CHRISTO laudem decantet ouanter.

Graphia ferrea.

Quæ & ſimilia huiuſmodi refero, vt niſi ſancta probauerit Eccleſia, improba ſunto. Libet tamen aliquandò quæ ad aliorum fortaſſe manus non peruenerunt, in medium afferre ad ſanctorum gloriam.

Epiſcopi.

Episcopi.

Nulla ex nostris vicinis ecclesiis Episcoporũ seriem seruauit. Ideoq. nec sacratum rerum historiam contexere possumus. Aliquos eo pacto quo licuit in numerũ digerere studui ex tota Campania, veluti Puteolanos hosce in hunc ordinem compuli. IVLIANVS, sub Leone Pontifice, & Theodosio & Valentiniano Imperatoribus, cùm Leo Theodosium reprehendisset, qui ex toto orbe Episcopos Ephesum conuenire iusserat, nec digna videbatur causa qua Synodus Oecumenica esset celebranda, & tamen ab ea sententia eum dimouere non potuisset, constituit sanctus Pontifex, vt Eutichetem eiusq. fautores in sua hæresi refrenaret, è latere Legatos mittere Ephesum ad Concilium, atque eisdem ad Flauianum Constantinopolitanum epistolas dare, qui cùm vniuersa Synodo veritatem de Verbi Incarnatione decernerent. Ad tantam rem obeundam missi Iulianus Episcopus Puteolanus, Renatus Cardinalis tituli Sancti Clementis, & Hilarius Diaconus Cardinalis. *Iulianus.* THEODORVS, iisdem ferè temporibus. Lapis Puteolis. *Theodorus.*

HIC REQVIESCIT S. THEODORVS EPISCOPVS
QVI DEPOSITVS EST III. ID. MAIAS CONS.
THEODOSI XV. ET VALENTINIANI IIII.

Misenatem hunc Episcopum plerique arbitrati sunt. Lapis tamen Puteolis est, & mortuo Leonardo Vairo à sordidis indoctisq. viris ad focum appositum, fractum, combustumq. reperi, à qua calamitate in hæc scripta vindicaui. STEPHANVS, Hic ille est ad quem scripsit Petrus. *Stephanus.* CLAVDIVS, sub Hilario in Romano Concilio, anno 471. *Claudius.* AVCVPIVS, cuius mentio fit in Concilio sub Symmacho, & cum eo subscribunt Stephanus Episcopus Neapolitanus, Adeodatus Formiensis, & Rosarius Surrentinus, anno 517. *Aucupius.* Puteolanus, & Cumanus Episcopi interfuere consecrationi Ecclesiæ S. Gregorij Neapoli à Sergio Neapolitano Archiepiscopo celebratæ, anno 1187. MATTHAEVS. Huic Episcopo, à Carolo primo Neapolitanorum Rege præcipitur, vt decimæ soluantur anno 1274. *Matthæus.*

A. EPI-

A. EPISCOPVS. Sic legitur in eiusdem Actis anno 1284. *Venerabilis Pater I. Episcopus insulæ Caprearum, & Dominus A. Episcopus Puteolanus*. ANGELVS Episcopus Puteolanus anno 1277. ex Actis in cœnobio sancti Laurentii, Auersæ.

Angelus.

Ioãnes Brito. IOANNES Brito. In iisdem Actis anno 1288. *Die Dominico 14. Aprilis. Ista die fuit consecratus Dominus Ioannes Brito Episcopus Puteoli, & comederunt cum Domino Rege, Dominus Cancellarius, & plures alij Prælati, & Clerici*.

Nicolaus Scõditus. NICOLAVS Sconditus. In choro Basilicæ Puteolanæ,

....IACET CORPVS REVER. DNI DNI NICOLAI SCONDITI DEI ET APOSTOLICÆ ...... PVTEOLANI QVI OBIIT AN. D. M.CCC. VIII. . . . MENSIS SEPTEMBRIS.

Anno 1310. Episcopus Puteolanus percipit annuas vncias 12. super tintoria Neapolitana, & cum Episcopo Isclæ, & Grauinæ agunt pro decimis. Et anno 1311. pro decima omnium prouentuum Curiæ. G. EPISCOPVS. Sic in Actis; anno 1314. *Ioanni Manenti de Sallone, venerabilis P. fratris G. Puteolani Episcopi, Sanciæ Reginæ Confessoris, annua pensio vnciarum 20. conceditur*. Anno 1343. Episcopus Puteol. agit pro decimis, & articulis *pro informatione de Hospitale S. Marthæ ad tripergulas*. Anno 1327. Ludouico Bauariæ Duci Regnum Neapolitanum inuasuro, Episcopus & Capitulum Puteolanum opem tulerunt. LAVRENTIVS. Anno 1410. in Statutis Collegij Theologorum Neap. vrbis, institutis sub Ladislao Rege, editis à Nicolao Muczapede Aquilano Regni Siciliæ Cancellario, & confirmatis ab Leonardo de Afflicto eiusdem quoque Regni Cancellario, inter alios Episcopos, Magister Laurentius de Neapoli est Ordinis Heremitarum S. August. Puteolanus Episcopus, deindè Tricaricensis. ALOISIVS de Constantio. ANTONIVS Iaconia. In eadem Basilica eius memoriæ lapis dicatus est,

Laurentius. Statuta Collegij Neap. Aloisius de Constantio. Antonius Iaconia.

ANTONIVS IACONIA LICIENSIS EPS PVTEOL. MAIORQ. REGINALIS CAPPELLANVS LXX. ANNIS CVM OMNI VITÆ INTEGRITATE VIXIT SVAM PONTIFICIAM DIGNI-

GNITATEM XX. ANNOS OFFICIOSE GESSIT VITÆ MVNERE D. FVNCTVS M. D. XV. CHRISTI . . . . ANNO VERO III. SANCTISS. PAPÆ LEONIS CONDITVR TAMEN HIC SIBI TVMVLVS VBI SVOS INSIGNES SVARVM VIRTVTVM TITVLOS ETIAM POST FVNERA SERVAT OMNES HIC IN CHRISTO LEGENTES VALETE ET PRO EO SEMPER IPSVM ORATE.

SIMON de Vernaculis, anno 1519. I. MATTHAEVS Castaldus, xliiij. annos Ecclesiæ Puteolanæ præfuit ex familia Oliuetana monachus. Antè Basilicæ fores iacet epigramma. *Simõ de Vernaculis. Io. Matthaeus Castaldus.*

TEMPLVM IOVI A CALPVRNIO L. F. PRIVS
DEINDE D. PROCVLO DICATVM
MIRABILI TERRÆMOTV AC MEMORABILI
INCENDIO PENE COLLAPSVM ANNO D.
M. D. XXXVIII.
IOANNES MATTHÆVS CASTALDVS
PVTEOLANVS ANTISTES INSTAVRAVIT.

LEONARDVS Vairus, Beneuentanus Canonicus Regularis, inter Collegij Neapolitani Theologos adscriptus anno 1570. Philippo II. Regi, cui aliquot annos in Hispania sacra fecit, ob singulares animi dotes, maximè acceptus. Ecclesiam Puteolanam ornamentis, relligione, redditu plurimùm auxit, cùm nunquàm Episcopatus iura diminui passus fuerit, quamobrem cum Neapolitano Archiepiscopo acerrimè contendit, & victor euasit. Scripsit de Fascino libros tres, in quibus & stili cultus, & doctrinæ veritas elucet. Obijt anno 1603. pridiè nonas Decembris. HIERONYMVS Bernaldus de Quiros Hispanus, monachus. *Leonardus Vairus. Hieronymus Bernaldus de Quiros.*

De Lucrino lacu, et Portu Iulio.

Ostrea.

Lucrinus lacus Ostreorum piscatione celeberrimus; τῶν ὀστρέων δὲ θήραν ἔχων ἀφθονωτάτην, inquit Strabo. Ideoq. Varro, in nuptiis eos commendat,

Tunc nuptiæ videbant Ostreas Lucrinas.

Et

Et ad omnem voluptatem Martialis,

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.

idemq. *Puella senior, dulcior mihi Cygnis,*

Agna Galesi mollior Phalantini,

Concha Lucrini delicatior stagni.

& alibi, *Non omnis laudem pretiumq. Aurata meretur,*

Sed cuius erit Concha Lucrina cibus.

Et quamuis Clemens Alexandrinus, Ostrea Abydena gu-
Ostrea varijs in locis. losis exprobret, & Licinius Mutianus sic multa genera laudet, *Cyzicena maiora Lucrinis, dulciora Britannis, suauiora Edulis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, ficciora Coryphantenis,*
Lib.32.c.6. *teneriora Istricis, candidiora Circeiensibus.* Et Plinius palmam tributam dicat iis Ostreis, quæ suprà Rhodani ostia in lacu ϛομαλίμνης appellato nascuntur; & Catullus laudet quæ sunt in Hellesponto,

------ colit ora

Hellesspontiaca, ceteris ostreosior oris.

Et Lucanus quæ in Chalcedone,

----- ostriferum dirimat Chalcedone cursu.

Lucrina tamen omnibus antecelluisse, Romani luxus magnifi-
Dialogus Asellij Sabini. centia demonstrauit. Suetonius Tiberium, ait, Asellio Sabino donasse CCHS pro Dialogo in quo boleti, ficedulæ, ostreæ, & turdi certamen induxerat, quæ omnia mensarum erant præci-
Lib.1. epig. 137. pua condimenta. Lasciuum idcircò lacum appellat Martialis,

Dùm nos blanda tenent lasciui stagna Lucrini.

Portus Iulius.

Plinius à Lucrino Tyrrhenum mare seclusum ait, quod inter Italiæ miracula collocat. Id quidem PORTV IVLIO factum est, cuius adhuc antè Lucrinum vestigia extant, adhuc conspiciuntur saxa quæ ad molem muniendam iaciebantur. Errantq. proculdubio qui ad Misenum Portum Iulium fuisse contendunt. Quid enim Virgilii verba innuunt?

----- Lucrinoq. addita claustra?

Atque indignatum magnis stridoribus æquor?

Iulia

Iulia quà ponto longè sonat vnda refuso,
Tyrrhenusq. fretis immittitur æstus Auernis.

Vbi Seruius ait; *In Baiano sinu Campaniæ contrà Puteolam ciuitatem Lacus sunt duo, Auernus & Lucrinus, qui olim propter copiam piscium vectigalia magna præstabant. Sed cùm maris impetus plerumque perrumpens exindè pisces excluderet, & Redemptores grauia damna paterentur, supplicauerũt Senatui. Et profectus Cæsar, ductis brachijs, exclusit partem maris, quæ anteà infesta esse consueuerat, reliquitq. breue spacium per Auernum, quo & copia piscium posset intrare, & fluctus non essent molesti, quod opus Iulium dictum est.* Reprehenditur à Beroaldo, quòd Iulium Cæsarem Dictatorem intellexit. Reprehenditur à Suetonio, qui de Augusto ait; *Viginti seruorum millibus manumissis, & ad remum datis, Portum Iulium apud Baias immisso in Lucrinum & Auernum lacum mari, effecit.* Iuuenalis sic describit, cùm anteà dixisset,

Portus Iulius à quo ædificatus.

------ tùm gratus Iulo &c.
Tandem intrat positas inclusa per æquora moles
Tyrrhenamq. Pharon, porrectaq. brachia rursum
Quæ pelago currunt medio, longèq. relinquunt
Italiam; non sic igitur mirabere portus
Quos natura dedit -----

Lib. 4. Saty. 12.

Miror Ioannem Brittanicum, portum hunc Hostiensem intelligere magnis molibus à Claudio extructum, quem à Diuo Iulio sæpiùs destinatum scribit Suetonius, cùm subdat Iuuenalis,

Hostiensis portus.

------ sed trunca puppe magister
Interiora petit Baianæ peruia cymbæ
Tuti stagna sinus -----

Portum natura factum fortasse intelligens, quem ad Misenum parauit Agrippa, quem in mediis vndis ædificando laude superauit Augustus. Phari in eorum altero brachio vestigia conspiciuntur. Et Iulium appellasse existimarem, maternum genus respicientem. Sic enim Sextus Aurelius; *Octauianus patre Octauio Senatore genitus, maternum genus ab Aenea Iuliam familiam sortitus.* Vel quoniam à Iulio Cæsare fuerat exco-

Iulius à genere materno.

gitatus, vt ait Lambinus in illud Horatii in Poetica;

------ siue receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet
Regis opus, sterilisuè diù palus aptaq. remis
Vicinas vrbes alit ------

Petrarcha in Itinerario scribit à Iulio conditum, ab Augusto immutatum. Strabo verò, Ὁ δὲ Λοκρῖνος κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαϊῶν, χώματι εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης ὀκτασταδίῳ τὸ μῆκος, πλάτος δὲ ἁμαξιτοῦ πλατείας, ὅ φασιν Ἡρακλέα διαχῶσαι, τὰς βοῦς ἐλαύνοντα τὰς Γηρυόνος. δεχόμενον δ' ἐπιπολῆς τὸ κῦμα τοῖς χειμῶσιν, ὥστε μὴ πεζεύεσθαι ῥᾳδίως, Ἀγρίππας ἐπεσκεύασεν. εἴσπλουν δ' ἔχει πλοίοις ἐλαφροῖς, ἐνορμίσασθαι μὲν ἄχρηστος, τῶν ὀστρέων δὲ θήραν ἔχων ἀφθονωτάτην. Ἔνιοι δὲ τοῦτον αὐτὸν, τὴν λίμνην εἶναι τὴν Ἀχερουσίαν φασίν, *Porrò Lucrinus sinus in latum producitur vsque ad Baias, interclusus ab extremo mari aggere longo stadia viij. tanta latitudine, quantam lati currus orbita occupat. Eum aggerem aiunt ab Hercule factum, dùm in Gerionis boues ageret. Cùm autem tempestatibus mare agitantibus vndas multis locis admitteret, & difficulter terrestri itinere posset peragrari, ab Agrippa est, quod deerat structuræ additum. Naues admittit leues, stationi inutilis, sed capturam ostreorum habet copiosissimam.* Nihil de portu Strabo scribit, sed de stagno tantùm, à quo ad Baias ab Hercule ad littus via producta fuerat, quam Agrippa instaurauit. Quod iter his verbis commemorat Silius Italicus, qui & Cocytum appellatum fuisse à veteribus Lucrinum scribit,

Lib. 12.
Cocytus dictus est Lucrinus.

Ast hic Lucrino mansisse vocabula quondam
Cocyti memorat, medioq. in gurgite ponti
Herculeum commendat iter, quà dispulit æquor
Amphityoniades armenti victor Iberi.

Lycophron in Cassandra, Lucrini mentionem facit. Hoc tamen non prætereundum, tàm boni nominis Lucrinum lacum apud Romanos fuisse, vt primus nominaretur in vectigalibus, veluti vt primus miles fieret bono nomine obseruabant Consules, vt ait Cicero. Et Festus; *Lacus Lucrinus in vectigalibus*

Lucrinus boni nominis omen.
Lib. 1 de nat. Deor.

publicis

publicis primùs locatur eruendus, ominis boni gratia, vt in dilectu censu'ue primi nominantur Valerius, Saluius, Statorius. Huius lacus diuitias vnà cùm Tripergulæ, vel Trispoti delicijs, *Trispotum.* quo in loco arx, thermæ, & ædificia plurima erant, cinerei montis subita exhalatio miserrimè contumulauit. Perijt quoque pauperum præsidium quippè Xenodochium ibi conditum fuerat à Carolo Illustri anno 1307. quod D. Marthæ dicatum, agri *Xenodochiũ.* Cumani partem præter cetera possidebat. In vita Placidi scribit Gordianus, à Tertullo Romæ patricio dimidiam lacus Lucrini partem, & insulam Caprariam (vt ipse loquitur, Capreas autem intelligit) in salo Neapolitano, B. Benedicto dono datas *Lucrini pars D. Benedicto data.* cùm eum ad Cassinum inuisisset. Sic enim Surius, mense Octobri 522. A lucro, Lucrinum dictum esse, cum ceteris confirmat Ioannes Boccacius; *Lucrinus lacus est Campaniæ inter Misenum, Baiarumq. caput, & Euboicas Cumas. Lucrinus vt veteres dicunt, à lucro dictus, nam cùm in eodem multitudo magna piscium caperetur, ex quibus maximum mercatores consequebantur lucrum, Lucrinus dictus est.* *Lib.9. cap.8.*

Delphini amor.

Quæ Plinius de Delphino in hoc lacu pueri amasio narrat, quem ex Baiano Puteolos in ludum litterarium dorso ferebat, quòd eum Simonem appellauerit, & panis fragmento, allexerit, & hoc nomine appellatum in Gallia Narbonensi quasi in hominum societatem adscitum, sæpenumerò piscari asserit Plinius, qui voluerint credant. Mœcenatis, Flauiani, & Flauij Alfij testimonio illud comprobat. Appionem eius rei testem citat Agellius, & aliquot sæculis antè apud Naupactum Theophrasti auctoritate Delphinos amatores fuisse cognitos scribit. *Lib.7. cap.8.* Appion verò ex Aegyptiacorum lib. 5. narrat historiam cui est initium, περὶ Δικαιαρχείαν δελφῖνα ἐρῶντα παιδὸς, καὶ πρὸς παιδικὴν ἐπτοημένον φωνὴν, & quæ sequuntur, contrà Aristotelis opinionem, qui lib. 4. Historiarum nullum esse piscem dicit, qui habeat φωνὴν, sed tantùm Ψόφον quendã, aut τρισμὸν, *strepitum & stridorem.* Et quamuis linguam habeat, non tamen ita

foluta & articulata eſt, vt vocem edere poſſit. Atque adijcit rem non minus mirandam, pueri mortui, neque ad littus accedentis, obitum animaduertiſſe Delphinum, atque eſſe exanimatum, & in eius ſepulcro humatum. Solinus per multos annos tandiù geſtum eſſe puerum narrat, donec aſſiduo ſpectaculo deſineret miraculum eſſe quod gerebatur. Hæc quidem eſt illa Φιλοπαιδία apud multos auctores, ideòq. amaſij venerei, laſciuientes dicuntur. Fabulam ſcripſiſſe Herodotum de Arione idem Agellius ait. Et vt fabulam commentus eſt Ouidius,

Herodot. lib. 1.

Indè (fide maius) terga Delphina recuruo
Se memorant oneri ſuppoſuiſſe nouo.
Ille ſedet cytharamq. tenet, pretiumq. vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.
Dij pia facta vident; aſtris Delphina recepit
Iuppiter, & ſtellas iuſſit habere nouem.

Pauſanias de Delphino.

Et fabulam narrare mihi viſus eſt Pauſanias, qui Delphinum Melicertæ cadauer extuliſſe in littus, & Phalantum in Italiam tranſuexiſſe ſcribit. Et tamen audacter hoc commemorat in Laconicis ſe vidiſſe, Τὸν ἐν Προσελλωνῄ δελφῖνα τῷ παιδὶ σῶστρα ἀποδιδόντα, ὅτι συγκοπέντα ὑπὸ ἁλιέων αὐτὸν ἰάσατο, τοῦτον τὸν δελφῖνα εἶδον, καὶ καλοῦντι τῷ παιδὶ ὑπακούοντα, καὶ φέροντα ὁπότε ἐποχεῖσθαί οἱ βούλοιτο; *Ego ſanè in Proſelene delphinum vidi, qui puero à quo ſanatus fuerat cùm à piſcatoribus vulnus accepiſſet quaſi mercedem curationis penderet, dicto ſe audientem præbebat, & eundem quocunque ille iuſſiſſet dorſo tranſuehebat.* Quid ſi in hac re Græcus fuit Pauſanias? Ad eaſdem nugas acceſſit Ariſtoteles, qui mortuum Delphinum ab alijs in ſumma pelagi dorſo euectum ſcribit, ne ab aliqua marina bellua deuoraretur. Et Aelianus lib. 16. c. 6. eos piſces mortuorum memoriam non abijcere contendit, & ad ſummam eos aquam alleuare, vt hominibus ſepeliendos tradant. Quaſi verò cum piſcibus loquutus, eorum didicerit ritus. Quid de puero Iaſenſe ſomniant? Quid de Leucothea ad Corinthum à Delphino expoſita? Quod monſtrum de Caerano narrat, & de naui quæ naufra-

De Delphino, varia.

naufragium fecit Plutarchus ? Et de Palæmone Delphino insistente ? Oppianus in Halieuticis pro parricida, & impio eum habet qui Delphinum occiderit, hominem enim ab eo pisce obseruari existimabant. Ideòq. Epigrammatarius,

—— ἴςτφον ἀσεβέες.

Quare idem Oppianus fabulatus est homines à Dionysio in pisces mutatos esse. Ab hominum tamen cum piscem consuetudine non abhorrere, quotidiana nos docet experientia, quandò naues, atque cymbas videntur comitari, & ferè cum nauigantibus colloqui.

Noui montis eruptio.

Antiquarum rerum monumenta Puteolis, eam habent admirationem, quam quæ Romæ sunt reliqua, quæ maximum animo & oculis afferunt stuporem. At verò quæ in ijs locis aut ignes, aut thermæ, aut montes obijciunt, omnem superare admirationem facilè videntur. Quid admirabiliùs monte illo cinereo, qui vnius diei noctisq. spacio, tantùm creuit, vt cum alijs circùm montibus contendat? Anno siquidem 1538. cùm anteà biennio Puteolana regio maximis terræmotibus fuisset agitata, cùmq. viginti perpetuis diebus loci adiacentes, atque ità vt domus nulla superesset integra, & quæ proximam non minaretur ruinam; pridiè Cal. Octobris, qui dies Michaeli Archangelo sacer est, prima noctis vigilia (vt Antonius à Falconibus, & Simon Porcius scribunt) terræ cumulus erectus est, cùm priùs mare cc. passibus recessisset, accolis piscium copiam capientibus, & dulcium aquarum scaturigine erumpente, nascentis subitò montis figuram imitatus. Aperto deindè veluti ore miros euomit ignes, lapides, tantùmq. fœdi cineris, & pumicum, vt obruerint ædificia, & frugibus, atque arboribus ad vj. vsque lapidem funestam iacturam intulerint, pendentemq. vindemiam verterint in cinerem, dùm necatæ iumenta passim iacerent, & Puteolani cum liberis & vxoribus, nudi, squalidi, lugentes, calamitatem detestantes Neapolim se reciperent. Barbarorum maximas Puteolani iniurias pertulere; hanc autem quam natura

tura ipsa intulit, & perferre coacti sunt, obliuioni nunquam tradent, & iniuriæ testem coram oculis montem ipsum quotidiè contemplantur. Hieronymus Borgius in carmine ad Paulum III. sic deplorauit.

Quis fumus turpat niger ora nitentia Solis?
Sulphureis tenebrosa palus effusa cauernis
Fluctuat Aetneis eructans altiùs ignes.
Nunquid Auernales Phlegeton prorupit in vndas
Terribiles fluctus & saxa sonantia torquens?
BAIANAE reboant vndæ simul agmen aquarum
Dulce fluit, celeri fugiens contraria cursu.
Excidit è tremula Miseno buccina dextra
Rauca sonans, metuit rursus Prochyta ægra ruinam,
Eruta visceribus fumantis murmura terræ
Horrificis complent piceas mugitibus auras.
Tristis ab occasu facies, & torua minatur,
Vndè lues Latias infecit tetrior vrbes,
Tùm quæ saxa furens ingentia sæpè sub altum
Spiritus emittit cœlum ceù Circinus orbem.
Amphitheatralem struxere ad multa repentè
Millia, saxosos reuomente voragine fluctus.

Vorag ineum appellat Porcius cinerem illum & siccum, sed longè lutosum & humidum cecidisse scribit, ad lx. ferè passuum millia; illudq. superare omnem admirationem, montem circum eam voraginem ex pumicibus & cinere m. passuum & eo amplius altitudine vna nocte esse congestum, & ex multis, quæ in eo inerant spiramenta, duo eius ætate superfuisse, alterum iuxtà littus ad Auernum procurrens, alterum in ipso montis medio, atque durare ad eam vsque diem incendium, quod tamen intermitteretur aliquandò. Deindè rem physicam considerans, multa profert, quæ ad Meteorologica, & ad Astrologiam pertinent, illudq. potissimùm, quòd cum porosum littus illud fuerit, & cauernosum, facilè exhalationes motu velocissimo raptæ, materiam in ea regione bituminosam, atque perustam inflammarunt, & propulsam eiecerunt hiatum illum efficientes.

Quòd

Quòd autem mare recesserit, exhalationibus tribuendum, quæ exire volentes, terram rarefecerunt, & veluti sitiens aquam per rimulas hausit. Ardebatq. materia bituminis, propterea quòd quæ iuxtà scatebant aquæ, calidæ erant, & exhalationum impetu, incendio robur est additum. Idem contigisse scribit Aristoteles in Ponto Heracleæ. Magnos quoque eructauit ignes Vesuuius sub Tito. In Arime quoque insula L. Martio, & Sex. Iulio Coss. in Epomeo, apertum incendium maxima voragine.

Motum nullo hiatu facto, Georgius Agricola molem egerere dicit; qui ipse quidem proprio caret nomine, sed opus ἀναφύσημα Græci nominant, quòd ipsi inflato sint plerunque spiracula, quomodo tumulus propè Troezena ortus est, & hic Mons nouus, multæq. insulæ enatæ (vt arbitrantur) Delos, Rhodus, Anaphe, Nea, Thera, Theresia, Aenaria. Afferit montem spiraculis fuisse plenum iam tùm cùm enatus est. intus flagrare & fremere, fumumq. multis in locis emittere, in quibusdam etiam riuulos effundere calidissimos, & descendere in craterem nonnullos tentasse, qui miserè perierunt. Hoc tempore crater hortus est.

De



De Auerno lacu.

AVernus, Ἄορνος, καὶ Ἄορνις dicitur Tzetzis auctoritate. Sinui huic mari propè ipsum littus profundo, faucibus commodè ad recipiendas naues instructo, à Lucrino prohiberi portus vsum, scribit Strabo; ἔστι δ' ὁ μὲν Ἄορνος κόλπος ἀγχιβαθὴς καὶ ἀρτίστομος λιμένος καὶ μέγεθος καὶ λιμένος φύσιν ἔχων, χρείαν δ' οὐ παρεχόμενος λιμένος, διὰ τὸ προκεῖσθαι τὸν Λοκρῖνον κόλπον προβραχὺ (vel προσβραχῆ) καὶ πολύν; *Est autem Auernus sinus maris profundus, plano ostio, magnus, & portus naturam habens. Portus verò vsum non præbet sinus Lucrinus, qui antè illum iacet prælongus, & altus.* Paludem laqueo circunductam vocat Lycophron ἀμφιτόρνωτον βρόχῳ, *quoniam rotunda figura circumducitur.* Locum quem Ditis ostium esse credebant veteres superstitiosi, Auernum vocabant. Quamobrem multa Auerna commemorat Lucretius,

Lib. 5.

Multa Auerna.

Lib. 6.

Nunc age Auerna quæ sint loca cunque lacusq.
Expediam, quali natura prædita constent.

Et Virgilius, —— *& Auerna per alta*
Congressus ——

Et

Et Aristoteles lib. περὶ θαυμας. ἀκουσμ. quandam Auernam paludem describit, non longè ab insulis Electridibus, fluuioq. Eridano in Epiro, cuius aquæ calidæ odorem exhalant grauem & tetrum; in qua nec animal vllum bibat, neque auis volet; quod si volare conata fuerit, continuò in eam decidat & intereat. Hinc, Αορνα, *sine auibus*. Virgilius,

Quam super haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis se halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.

Dixerat quoque anteà Lucretius, Lib. 6.

Principio quòd Auerna vocantur, nomen id ab re
Impositum'st, quia sunt auibus contraria cunctis
E' regione ea, quòd loca cum aduenere volanteis
Remigij oblitæ pennarum vela remittunt,
Præcipitesq. cadunt, molli ceruice profusæ
In terram, si fortè ità fert natura locorum,
Aut in aquam, si fortè lacus substratus Auerno'st.

Tzetzes ait aliquos scripsisse, Auernum calidum esse lacum ramosum, ibiq. esse quæ ad Phaetontem pertinent, & Electrum nasci. Alios in Alexandri gestis, montem fecisse Auernum, qui xiiij. stadiorum altitudinem contineret, à quo ob frigiditatem aues abhorrebant. Sotionem, Agathosthenem, Dionem, ceterosq. historicos, non lacum, neque montem, sed Os quoddam dixisse apud Diabenem Mesopotamiæ, & Syriæ regionē propè Asphaltitidem lacum. Quasi verò ex eo Naphtha emanaret. Et Pausanias in his quæ de Thracio Orpheo scribit, ait credidisse aliquos illum ad Auernum Thesprotiæ mortua vxore venisse, quòd ibi peruetus esset oraculum per vmbrarum euocationem, ibiq. Eurydicis animam sequutum, & deceptum, sibi ipsi mortem consciuisse. Quis diuinare poterit, an hac de causa Laberius apud Agellium lib. 11. cap. 5. in lacu Auerno dixerit pro amante muliere, *Amorabundam*?

Necya.

Ea propter cuique Auerno Necromantica cum maximo humanæ prudentiæ dedecore applicatur. Et de nostro loquens Strabo; ἐμύθευον ἐν τῷ Λόγῳ τὰ περὶ τὴν νεκυίαν τὴν Ὁμηρικήν, quandò aiebant mortuos ibi responsa dare, ideòq. Vlyssem eò aduenisse. Vlyssis verò Auernum apud Cimmerios ad Bosphorum Cimmerium, ad Septentrionem describit Homerus, ad cuius imitationem Virgilius hunc Auernum Aeneæ explicauit. Quod verò detestabilis Magiæ genus ab Homero narratur? quænam fabulæ? quid à Christiana religione magis abhorrens?

Cimmerij Septentrionales

Homeri necya.

Odyss. 11.

Ἀμφ' αὐτῷ δ' ἐ χοὰς χέομεν, &c.

Scrobem fodi cubitalem quoquò versus;
Circà eam autem libamina fundebamus omnibus manibus
Primum mulso, postea verò dulci vino,
Tertium verò aqua, insuper farinam albam commiscui.
Multum autem precatus sum mortuorũ infirma capita etc.

Et si alij addiderint lac, oleum, spumam canum, lyncis viscera, oculos draconum. Quæ veluti placentæ in ignem conijciebantur. Euripides de placenta & scrobe Menelaum loquentem inducit,

Σὲ τὴν ὄρυγμα δεινὸν ἠμαλλημένην
Τύμβου καλῶ καὶ δ' ἐμπόρους τ' ὀρθοστατάς.
Μῖνον τί φεύγεις; ----
Te festinantem ad terribilem fossam
Sepulcri, & ad sacras placentas in iguem coniectas voco.
Mane. Quid fugis?

Nigrarum deindè pecudum sanguine fossa implebatur, quæ Herois ense fodiebatur; & horum suffitu corporibus iungi animas credebant, futura hoc pacto prædicentes. sic enim ibidem de Tiresia,

Αἵματος ὄφρα πίω, καὶ τοι νημερτέα εἴπω.
Sanguinem at bibam, & tibi vera dicam.

Idcircò Ψυχομαντεῖον in hoc Auerni lacu fuisse scribit Cicero,

cero, Appiusq. νεκρομαντεῖον illic facere solebat. Eam Virgilio causam fuisse, inquit Turnebus, fingendi Aeneam per Auernum ad inferos descendisse, quòd esse crederentur illic Plutonis spiracula animas remittentia Magico ministerio, & retrò recipientia. Sed in ea parte Italiæ (inquit Max. Tyrius serm. 6.) quæ Magna Græcia dicitur, apud Lacum cognomine Auernum, diuinatorium antrum fuit, antriq. ipsius Sacerdotes ductores animarum ab ipsa re denominati; quò qui oraculi causa venisset, præcatione in primis facta, victimis cæsis, liquoribusq. effusis, vel patris, vel amici cuiuspiam animam excitabat ab inferis. Hinc Aeneæ quoque cum Sibylla ad eum lacum congressus, hinc etiam Scrophæ diuinatio, quam à Lacu Auerno dimissam, scribit Messala Coruinus lib. de Augusti progenie, condendæ Vrbis locum demõstraturã. Quæ ad ripam Tybridis consedit, & Scrophæ vexillum tunc elatum, de quo Virgilius,

1. Tus. — Plutonis spiracula. — Aenea descensus ad Plutonem. — Scropha.

Vide age, & ingentem factis fer ad æthera Troiam.

De qua sic Aurelius Victor; *Quippè meminerat Venerem tibi aliquandò prædixisse* (de Aenea loquitur) *cùm in externo littore esurie compulsi, sacratasq. mensas inuasissent, illum condendæ sedis fatalem locum fore. Scropham etiam iacentem, quam cùm è naui produxissent, vt eam immolarent, & se ministrorum manibus eripuisset, recordatum Aeneam quod aliquandò ei responsum esset, vrbi condendæ quadrupedem futuram Ducem*. affert auctores Cæsarem, & Lucatium. Quam vanitatem coarguit Augustus excisis siluis, quæ caliginosum & obscurum reddebant locum. Quod Agrippæ opera factum scribit Dio; idemq. refert tunc supra Auernum simulacrum quoddã sudore tanquam humano repletum inuentum esse. Id CALIPSVS fuisse existimant, cui sacrum locum illum esse dicebant, quamquam & Terminalem quoque Deum ibi cõstituat Lycophron, qui de Auerno loquens subdidit, in Cassandra,

Lib. 48. — Simulacrum Calipsus. — Terminalis Deus.

----- ἔνθα Τερμιεὺς
Ὀρκωμότους ἵδρυσεν ἀφθίτοις ἕδρας;
----- vbi Terminalis
Iusiurandi constituit Dijs sedes -----

Necya.

Ea propter cuique Auerno Necromantica cum maximo humanæ prudentiæ dedecore applicatur. Et de nostro loquens Strabo; ἐμύθευον ἐν τοῖς λόγοις τὰ περὶ τὴν νεκυίαν τὴν Ὁμηρικὴν, quandò aiebant mortuos ibi responsa dare, ideòq. Vlyssem eò aduenisse. Vlyssis verò Auernum apud Cimmerios ad Bosphorum Cimmerium, ad Septentrionem describit Homerus, ad cuius imitationem Virgilius hunc Auernum Aeneæ explicauit. Quod verò detestabilis Magiæ genus ab Homero narratur? quænam fabulæ? quid à Christiana religione magis abhorrens?

Cimmerij Septentrionales

Homeri necya.

Odyss. 11.

Αμφ' αὐτῷ δ' ἐ χοὰς χέομεν, &c.
Scrobem fodi cubitalem quoquò versus;
Circà eam autem libamina fundebamus omnibus manibus
Primum mulso, postea verò dulci vino,
Tertium verò aqua, insuper farinam albam commiscui.
Multum autem precatus sum mortuorũ infirma capita etc.

Et si alij addiderint lac, oleum, spumam canum, lyncis viscera, oculos draconum. Quæ veluti placentæ in ignem conijciebantur. Euripides de placenta & scrobe Menelaum loquentem inducit,

Σὲ τὴν ὄρυγμα δεινὸν ἠμαλλημένην
Τύμβου χαλῶ κὶ δ' ἐμπύρους τ' ὀρθοστατὰς,
Μῆνον τί φεύγεις; ——
Te festinantem ad terribilem fossam
Sepulcri, & ad sacras placentas in ignem coniectas voco.
Mane. Quid fugis?

Nigrarum deindè pecudum sanguine fossa implebatur, quæ Herois ense fodiebatur; & horum suffitu corporibus iungi animas credebant, futura hoc pacto prædicentes. sic enim ibidem de Tiresia,

Αἵματος ὄφρα πίω, καί τοι νημερτέα εἴπω.
Sanguinem at bibam, & tibi vera dicam.

Idcircò Ψυχομαντεῖον in hoc Auerni lacu fuisse scribit Cicero,

cero, Appiusq. νεκρομαντεῖαν illic facere solebat. Eam Virgilio causam fuisse, inquit Turnebus, fingend' Aeneam per Auernum ad inferos descendisse, quòd esse crederentur illic Plutonis spiracula animas remittentia Magico ministerio, & retrò recipientia. Sed in ea parte Italiæ (inquit Max. Tyrius serm. 6.) quæ Magna Græcia dicitur, apud Lacum cognomine Auernum, diuinatorium antrum fuit, antriq. ipsius Sacerdotes ductores animarum ab ipsa re denominati; quò qui oraculi causa venisset, præcatione in primis facta, victimis cæsis, liquoribusq. effusis, vel patris, vel amici cuiuspiam animam excitabat ab inferis. Hinc Aneæ quoque cum Sibylla ad eum lacum congressus, hinc etiam Scrophæ diuinatio, quam à Lacu Auerno dimissam, scribit Messala Coruinus lib. de Augusti progenie, condendæ Vrbis locum demõstraturã. Quæ ad ripam Tybridis consedit, & Scrophæ vexillum tunc elatum, de quo Virgilius, *1. Tusc.* *Plutonis spiracula.* *Aeneæ descensus ad Plutonem.* *Scropha.*

Vide age, & ingentem factis fer ad æthera Troiam.

De qua sic Aurelius Victor; *Quippè meminerat Venerem tibi aliquandò prædixisse* (de Aenea loquitur) *cùm in externo littore esurie compulsi, sacratasq. mensas inuasissent, illum condendæ sedis fatalem locum fore. Scropham etiam iacentem, quam cùm è naui produxissent, vt eam immolarent, & se ministrorum manibus eripuisset, recordatum Aeneam quod aliquandò ei responsum esset, vrbi condendæ quadrupedem futuram Ducem.* affert auctores Cæsarem, & Lucatium. Quam vanitatem coarguit Augustus excisis siluis, quæ caliginosum & obscurum reddebant locum. Quod Agrippæ opera factum scribit Dio; idemq. refert tunc supra Auernum simulacrum quoddã sudore tanquam humano repletum inuentum esse. Id CALIPSVS fuisse existimant, cui sacrum locum illum esse dicebant, quamquam & Terminalem quoque Deum ibi cõstituat Lycophron, qui de Auerno loquens subdidit, in Cassandra, *Lib. 48.* *Simulacrum Calipsus.* *Terminalis Deus.*

----- ἔνθα Τερμιεὺς
Ορκωμότας ἵδρυσεν ἀφθίτους ἕδρας;
----- *vbi Terminalis*
Iusiurandi constituit Dijs sedes -----

Terminalis siquidem Iuppiter dicitur, ὡς ἀρχὴ καὶ τέρμα πάντων.

Annibal ad Auernum. Lib. 4. Dec. 3. Ad eas superstitiones obeundas, Annibal quoque ad Auernum hunc accessit vt sacrificaret, quod scribit Liuius. Tunc sanè truculentior ne atque horridior fuerit barbari viri, an Auerni aspectus, ignoro. Ad eum tamen tunc quinque iuuenes nobiles Tarento venerunt ad Thrasimenum, & Cannas capti, & maxima comitate ad domos sunt dimissi. Diti sacrum fuisse locum *Orci ostium.* hac de causa idem Strabo ait, & Orci ibi ostium esse credebant. Cicero 1. Tusculana è vetere Poeta,

Indè in vicinia nostra Auerni lacus
Vndè animæ excitantur obscura vmbra, aperto ostio
Alti Acherontis ------

Manalis lapis. Quod Manalem quoque lapidem fuisse appellatum ait Festus. Et, Manium postem, etiam dictum reperi. In locis pestilentibus *Lib 6.* ostium Orci esse dicebant. Plautus Trinummo,

Acherontis ostium in nostro est agro.

& Lucretius, *Ianua nec puteis Orci regionibus illis*
Credatur ----

Lib. 6. & licet Virgilius dicat,

---- quandò hic inferni ianua Ditis
Dicitur -----

Non tamen illud intelligebat, hunc tantùm Auernum inferni fuisse ianuam. Nam cùm animas omnes ad inferos descendere putarent, multis in locis Orci ostium esse credebant, quibusuis scilicet locis pestilentibus, vt quæ spiracula erant quæ fœdita-*Lib. 5. contra gentes.* te, & grauitate animam extorquerent. Arnobius, scribit Protumnum quendam ignominiosum Dei amatorem, Ianuam Ditis, atque Acherusiæ aditum pollicitum esse indicaturum Liberò Semeleio, si sibi facilis ille Deus morem gereret.

Sed quæ à Latinis Ostia Ditis nominantur, ea Græci Πλουτώνεια, & χαρώνεια dicunt. Plinius, *Lib. 2. c. 93.* *In Sinuessano agro & Puteolano Spiracula vocant, alij Charoneas Scrobes mortiferum* *Lib. 1. de Diu.* *spiritus exhalantes.* Et Cicero, *Non videmus, quàm sunt varia terrarum genera, ex quibus mortifera quædam pars est, vt & Ampsancti, & in Asia Plutonia quæ videmus.*

Aristoteles

Aristoteles totum illum tractum quondam Pyriphlegetontem appellari solitum scribit, qui deindè hæc de Auerno nostro; Περὶ τὴν Κύμην περὶ Ἰταλίαν λίμνη ἐστὶν ἡ προσαγορευομένη Ἄορνος. περικεῖσθαι γὰρ λέγουσι περὶ αὐτὴν λόφους κύκλῳ τὸ ὕψος οὐκ ἔλαττον τριῶν σταδίων, καὶ αὐτὴν εἶναι τῷ σχήματι κυκλοτερῆ, τὸ βάθος ἔχουσαν ἀνυπέρβλητον; *Apud Italas Cumas lacus est Auernus appellatus, forma circulari, profunditate immensa tumulis vndique septus, trium ad minus stadiorum altitudine.* Subdidit nihil habere admiratione dignum. Hoc tamen ibi esse mirandum, quòd densissimis circumpositis arboribus nullum in lacu cernitur natans folium. Aquarum puritati illud videtur tribuere. Eundem vocat Ἀορνεῖτον Antigonus, apud quem vide elegantem Timei locum. Pyriphlegetontem etiam in Auerno cum Oraculo commemorant alij (quapropter Apollinis templum ibi collocant) ex aquis calidis Acherusiæ vicinis, & vicinum aquæ potabilis fontem, à qua omnes abstinebant Stygis aquam putantes. In Epiro locus Aornus quoque dicitur, qui pestilenti exhalatione insignis, non finit volucres cœlo frui libero. In India non procul à Nysa, Saxum, est Aornum. Et quædam exhalationes etsi terra nullos habeat specus, animantes solent necare; vt Lepores Ithaca, Noctuas Creta, Canes Sigarus, Scorpiones Galata circa Africam.

Problem. Pyriphlegeton

Aorni varij.

Lucretij locus de Auerno.

Cùm de Auerno loquutus est Lucretius, *Lib. 6.*

Is locus est Cumas apud, Etruscos & montes
Pompeij calidis vbi fumant fontibus aucti,

locum corruptum existimat Turnebus, quid enim Auerno cum Etruria? atque legit, *Aduers. lib. 22 cap. 19.*

— *Cumas apud Ocris Vipera montis;*

quæ lectio Sibyllæ interpretatione & Oraculo indiget. Neque huiusmodi loquutus est Lucretius, vt Oscam linguam redoleret, vt Ocris, montem confragosum significaret, & Vipera exitiosum & pestilentem locum. Rectiùs aliqui legunt,

Cumas

---- *Cumas apud montemq. Misenum*

vel, ------ *montemq. Vesuuum*,

propterea quòd Pompeios deindè videtur commemorare. Antiquam ipse lectionem retinerem, vt Etruscus mons sulphureus appelletur, à Gigantum parte, quæ in Etruriam in Phlegrea illa pugna eiecta est. Audi Pomponium Laetum,

Huc quicunque venis stupefactus ad ossa Gigantum,
Disce cur Etrusco sint tumulata solo, &c.

Acheron.

Acherontem quoque Auernum appellatum dixere, quòd in eum Acherusia palus, quæ ad Cumas est, influeret per subterraneos meatus, quamuis & Acherusiam in Lucania commemoret Eutropius. Eandem, & in Epiro alteram memorat Liuius dùm scribit, Alexādrum Epiri Regem, vt caueret Acherusiam aquam, & Pandosiam vrbem ex oraculo Iouis Dodonæi, quæ vrbs, & qui amnis in Epiro sunt, ociùs transmisisse in Italiam, vt quàm maximè abesset ab Epiro. Qui tamen propè eam vrbem, atque amnem occisus est ab exule Lucano. Amnem in Epiro Acherontem ex Molosside fluentem in stagna inferna accipit Thesprotius sinus, vt apud eundem Liuium. Et arborem albæ populi reperit Hercules ad amnem Acherontem in Thesprotide, ex cuius lignis victimarum femora Ioui Olympio cremabat. Seruius ex æstuarijs Acherontis, vel Acherusiæ, vel Acheruntiæ, Auernum nasci scribit. Ad quod allusit Silius lib. 12.

Acherusia in Lucania.
In Breuiario.
Dec. 1. lib. 8.
Acheron in Epiro.

Hinc vicina palus, fama est, Acherontis ad vndas
Pandere iter cauas stagnante voragine fauces
Laxat, & horrendos aperit telluris hiatus,
Interdùmq. nouo perturbat lumine Manes.

Et Petrarcha in Itinerario, *Ea autem huiustemodi apta loca, quòd ibi sint Auernus, atque Acheron tartarea nomina, ibi Ditis ostia limen irremeabile, & ille facilis descensus Auerni.* De Acherusia, Cumis aliqua scripsimus.

Stygia

Stygia palus. Cimmerij.

Stygiam quoque paludem fuisse dictum Auernum, idem Silius ſcribit;

Ille olim populis dictum Styga, nomine verſo
Stagna inter celebrem nunc mitia monſtrat Auernum.
Tum triſti nemore, atque umbris nigrantibus horrens,
Et formidatus volucri, letale vomebat
Suffuſo virus cœlo, Stygiaſq. per vrbes
Relligione ſacer ſæuum retinebat honorem.

& Lycophron in Alexandra,

Λίμνην τ' Αορνον ἀμφιτόρνῳ τὴν βρόχῳ
Καὶ χεῦμα Κωκυτοῖο λαβρωθὲν σκότῳ
Στυγὸς κελαινῆς νασμὸν ----
Paludemq. Auernam laqueo circunductam,
Et Cocyti fluuium tenebris abſortum
Nigræ Stygis riuum ----

Ex ea obſcuritate Cimmerios ibi habitaſſe crediderunt. De quibus Strabo dùm loquitur, ait includere Auernum ſupercilia, rectà ſurſum enata, & vndique præterquàm in aditu imminentia, ſilua olim magnarum arborum inacceſſa. Quam poſteà cùm ipſius Strabonis ætate cæcidiſſet Agrippa, & loca ædificijs eſſent occupata, & actus infrà Auernũ Cumas vſque cuniculus, omnia hæc Cimmeriorum fabulam deleuerunt, vt ipſe innuit Ephorum reprehendẽs, qui Cimmerijs locum illum dicãs, ſcripſit eos in ſubterraneis ædificijs habitaſſe, quæ Argillas vocabant. Idcircò deludere videtur antiquos, qui lacum non nauigabant, niſi priùs Genios Manes in tenebris illis placaſſent, Sacerdotibus ad id conſtitutis. Sed Cicero Acad. quæſt. l. 2. *Cimmerij populi* (inquit) *in Italia ad Baianum, & Auernum ſinum, incolentes vallem ingenti iugo circumductam, qua neque matutino, neque veſpertino Sole contegitur. vndè prouerbium, Cimmeriæ tenebræ.* Aurelius Victor aliquorum refert opinionem, qui dixere Aeneam ab Euxinio ſinu inter Miſenum, & Auernum comperiſſe Sibyllam mortalibus futura præ-

Lib. 5.

Argillæ.

dicere

dicere in oppido, quod vocabatur Cimbarionis, ibiq. de statu fortunarum suarum sciscitatum, aditisq. fatis vetitum ne is cognitam in Italia sepeliret Prochytam cognatione sibi coniunctam. Volcatio, & Arilio ea tribuit. Cimbarionis oppidum, Cimmerios videtur denotare. Lycophron verò,

Καὶ Κιμμερίων ἔπαυλα κ' Ἀχαιρουσίαν.

&, —— ὄβριμῦς τ' ἄλσος ὑδαίας κόρης
Πυριφλεγές τε ῥεῖθρον, ἔνθα δ' ὕβατος
Τείνει πρὸς αἰθέραν κρᾶτα πολυδέγμων λόφος.

Et Cimmeriorum domicilia, Acherusiamq.
---- Proserpinaq. nemus inferna puella,
Et Pyriphlegetontem fluuium, vbi inuius
Tollit in cœlum verticem capax collis.

Ergo nemus illud Proserpinæ dicatum erat. Hæc in Baijs commemorauit. Eorum habitationes ad Bosphorum descripsit Homerus. Indè ad omnia loca obscura significatio emanauit. Eorum domum, ignaui somni penetralia appellauit Ouidius. Et tristes noctis tenebras, Homerus. Et quemadmodum Auerni locus, sic & Cimmerij aliundè huc sunt translati. Vltrà Odyss. 11. enim Oceanum Cimmerios summus Poetarum posuit,

Η δ' ἐς πείραθ' ἵκανε βαθυρρόου Ὠκεανοῖο
Ενθα δ'ὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε.

Illa ad fines peruenit proofundi Oceani,
Hic verò Cimmeriorum erat virorum populusq. ciuitasq.

Idq. credula obseruauit antiquitas quippè constitutis ab Hercule columnis, indicante nullum prætereà inueniri posse littus, vltrà illas inferos constituerunt vbi Sol diù non lucet, sed fulguris in modum præteruehitur, vt scribit Isacius.
1. in Eutrop. Quamobrem Claudianus,

Est locus extremum pandit qua Gallia littus
Oceani pratentus aquis, quà fertur Vlysses
Sanguine libato populum mouisse silentum.
Illic vmbrarum tenui stridore volantum
Flebilis auditur questus, simulacra coloni
Pallida, defunctasq. vident migrare figuras.

Omnem

Omnem lacum Auernum,trium ſtadiorum altitudine circundari ſcribit Ariſtoteles, ſalſis vndis, nigroq. colore ob profunditatem, ſulphur oluiſſe, & denſam fœtidam caliginem, quoniam obſcœnum ſacrum humano ſanguine conficiebatur. Sulphuris odorem occidiſſe aues ſcribit Seruius. Vibius Sequeſter immenſam aquis altitudinem tribuit, quæ tamen ducentas vlnas non excedit. Piſces paucos gignere,eoſq. paruos,atque nigros, nec humano vſui commodos, ſcribit Ioannes Boccacius. Ad Auerni ingreſſum cellam in cuniculo vermiculatam, ceruleoq. colore depictam, balneum, non Sibyllæ habitationem omnes affirment neceſſe eſt; nam calorem illum, & tenebras, quis perferre habitando potuiſſet? E' regione magni ædificij veſtigia ſuperſunt. Apollinis templo tribuunt. Alij thermas exiſtimarunt. Extat hoc tempore balneum Subcellarium. *Lib. de flum.*

Foſſa Neronis, Mons Chriſti, Mons Gaurus.

Magiſtris & machinatoribus Seuero & Celere vtebatur Nero, quibus ingenium & audacia erat etiam quæ natura denegauiſſet per artem tentare, & viribus Principis illudere, vt ſcribit Cornelius Tacitus. Ab his cognitum Neronis ingenium. *Lib. 5.* Aedificiorum delectabatur luxu, vt etiã in veſtibulis coloſſos centum viginti pedum poſuerit, porticus triplices milliarias ædificauerit, cuncta gemmis & vnionum conchis diſtincta, & auro lita ornanda iuſſerit, vt etiam ex cœnationibus vnguenta ſpargerentur & flores. Exquiliarum mons totus aureus, aurea domo, viſus eſt. Ideòq. ab lacu Auerno nauigabilem foſſam vſque ad Oſtia Tyberina depreſſuros promiſerant ſqualenti littore,aut per montes aduerſos. Suetonius huiuſmodi nauigationem deſcribit, vt nauibus, nec tamen mari iretur, longitudinis per clx. milliaria,latitudinis qua contrariæ quinqueremes commearent. Ad quod opus perficiendum ſontes qui morte plectendi eſſent, damnati ſunt; & quicunque in carceribus deuincti eſſent toto Romano Imperij orbe, in Italiam deportari. Id enim apud Suetonium ſignificat, *Quod vbique eſſet cuſtodiæ*; *In Ner. c. 31.*

quicunque custodiebantur. Et Custodias, vinctos ipsos appellant Iurisconsulti. Sed quænam Imperatoris insania? præter Imperij vires, nitebatur thesauris. Vecordem sanè hominem, ea tantùm vanitas ostentauit. Antiquissimam Didonis gazam ex Tyro aduectam, eques Romanus pollicitus est. At ipse pecuniarum, animæ, corporis, ingenij profusor, adhibuit fidem. Mox, quòd eum spes fefellit, rapinis se totum dedit. Opus præclarum, sed quod absolui nunquam potuisset. *Licolam* vulgò, dicunt.

Ad Auernum etiam, Mons CHRISTI est. Miror doctos viros in dubium reuocare, an CHRISTVS Saluator ad Auernum resurrexerit in hoc monte, & ab Auerno Puteolano prædam tulerit, nam Poeta quem Eustasium falsò dicunt,

Est locus Australis, quo portam CHRISTVS Auerni
Fregit, & eduxit mortuos indè suos.
Hac domus est triplex, hinc iure Tripergula dicta,
Vna capit vestes, altera seruat aquam, &c.

& Alcadinus apud eosdem eandem ignorantiam sequutus,

Est locus effregit quo portas CHRISTVS Auerni,
Et sanctos traxit lucidus indè Patres;

cùm sciamus Redemptorem operatum esse salutem in medio terræ. Quid Hierusalem cum Puteolis? Quid Auerno lacui, cum Sepulcro illo celeberrimo, in quo iam sanctarum mulierum redolent aromata? An Angelos in monte CHRISTI fuisse dicemus eos, qui in Sepulcro Hierosolymis dixerunt, *Surrexit non est hic?* Quasi vero Auerno lacu opus fuerit summo illi conditori, & fabulosum locum ipsa veritas ad sui ipsius gloriæ monumenta declaranda elegerit. Auernum verò pro Inferno acceptum Theologis quoque exprimit D. Ambrosius, qui in hymno cecinit,

Auernus pro Inferno.

Ne fœda sit vel lubrica
Compago nostri corporis
Per quam Auerni ignibus
Ipsi crememur acriùs.

Quemadmodũ Prudẽtius in hymno ad oẽs horas, tartarũ dixit,

Quia

Quia ipsum (ne salutis Inferi expertes forent)
Tartarum benignus intrat ----

Et Sedulius grauissimus auctor tartarum, erebum, & chaos appellauit.

Quod ad GAVRVM pertinet, tres hoc nomine montes appellatos reperio. Primus is est, qui ad Massicum propè Minturnas, Suessamq. surgit. De quo Cicero, *Hac lege Tribunicia Decemuiri vendent agrum Campauum. Accedit & mons Gaurus, accedunt silleta ad Minturnas. Adiungitur & illa via vendibilis Herculanea multarum diuiciarum, & magnæ pecuniæ.* Et Liuius; *Consules ambo cum duobus ab Vrbe exercitibus profecti, Valerius in campaniam, Cornelius in Samnium; ille ad montem Gaurum, hic ad Sutriculam castra ponunt.* Massico sic coniungit Statius, in Via Domitiana, *Gaurus.* *l.2. Agraria.* *Lib.7. Dec.1.* *Lib.4. Silu.*

At quæ Echo simul hinc & indè fractam
Gauro Massicus vuifer remittit.
Miratur sonitum quieta Cyme,
Et Linterna palus, pigerq. Sauo.

Quòd vitibus plenus erat, idem Statius Icarium appellat, *Silu 1.*

---- *Icario nemorosus palmite Gaurus.*

Icarus Oebali Laconum Regis filius accepto à Libero patre vino, rusticis distribuit, qui toxicum accepisse arbitrati, eum interfecerunt. Frondentem vitibus, & Nisæum appellat Silius, *Lib.8.*

---- *& frondentia læto*
Palmite deuastat Nysæa cacumina Gauri.

Quippè in Nysa vrbe Arabiæ, quæ Aegypto contermina est, Bacchus à Nymphis fertur educatus. Per Falernos, Gauranosq. saltus Fabium sic maceraſſe Hannibalem scribit Iornandes, vt qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. *Lib.1. de reg. ac temp. succ.*

Secundus, qui Stabijs imminet. Silius, *Lib.12.*

Illic Nuceria, & Gaurus naualibus apta.

A quo Gauranum oppidum ad Stabias appellatum confirmant indigenæ, Surrentinis collibus, & Nucerino nauali cõterminus.

Tertius, qui Puteolis est ad Auernum, quem Barbarum nominant, de quo Lucanus, *Lib.2.*

----- vel si conuulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Auerni.

Et Iuuenalis Satyra 9.

Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,
Suspectumq. iugum Cumis, & Gaurus inanis,

Quo epitheto vel montem significat ad agriculturam ineptum, nullo arbore consitum, sed nudum, quare non credendum vitibus fuisse abundantem; & cùm de vino loquimur, Gauranum propè Massicum intelligamus necesse est; vel inanem dicit, nam cauernis olim abundabat. Sulphureum dici ab Ausonio arbitrati sunt,

Idyll.9.

Tales Cumano despectat in æquore ludos
Liber, sulphurei per iuga consita Gauri,
Perq. vaporiferi graditur vineta Veseui.

Quem tamen de primo Gauro loquutum affirmo, & ob scrobes Suessanas Gaurum qai imminet, sulphureum dixisse. At Sidonius Apollinaris de Puteolano cecinit,

Inter delicias mollirent corpora Baiæ,
Et se Lucrinus quà vergit Gaurus in vndas.

In hoc monte quàm variè Diabolus inuentoribus thesaurorum illudit? Quantam sibi in eius visceribus carbunculorum copiam proponunt? Ridiculum profectò, & homine indignum.

BALNEAE NEAPOLITANAE, Puteolanæ, & Baianæ. Cap. XXV.



TRIPLICI ordine has Balneas distinximus, vt Neapolitanas, præter illas quas Strabo commemorat, aitq. aquas non inferiores Nea polim habuisse Baianis, & balnearũ regiones in eadem ciuitate sub Græcis Imperatoribus leguntur, eas intelligam, quæ extra cryptam, Balneolum vsque continentur. Eas inquam quæ in ijs locis reliquæ extant. Puteolanas quæ indè ad Tritulum. Baianas, quæ Misenum vsque reperiuntur. Ordo verò hiç est;

Lib.55.

Sudatorium

Sudatorium S.Germani.

Neapoli Puteolos discedentibus, post cryptam quæ in Pausilypano colle est, ad dexteram Agnanus lacus occurrit, circularis, collibus vndique conclusus. Per apertum ferro montem immensæ maris vndæ, excisi rupium parietes, cauiq. specus ad piscium stabula, atque recessus facti, limo & arenis oppleti, ranis nunc, & serpentibus domicilium, quorum globi verno tempore è summis rupibus in aquas prouoluuntur, aquaticis auibus esca. Quapropter nulla ibi piscium societas. Linis maturandis aptissimus. Mons Spina paulò suprà sentibus, & viperis redundans, squalore erat obsitus. Ad cultum paucos ab hinc annos redactus, inter hortos Neapolitanos numeratur, & eodem pacto quo Neapolitani, accolæ immunes habentur. Ad lacus oram cellæ sudatoriæ concameratæ sunt, sub quibus è solo calidi vehementer erumpunt vapores, vt si quis vel nudus introierit, repentè quàmmaximos sentit è corpore sudores effundi. Hinc loco nomen datum. Conferunt hæc vaporaria plurimùm podagricis. Noxios ac nimios humores eliciunt. Vlcera interiora sanant, & ad multiplices corporum morbos valent.

S. Germani, & Paschasij historiam ex D. Gregorio adscribam ad suffragia pro defunctis contra hæreticorum deprauatam opinionem, commendanda; *Cùm adhuc essem iuuenculus* (inquit) *& in laico habitu constitutus, narrari à maioribus audiui, quòd Paschasius huius Sedis Apostolicæ Diaconus miræ sanctitatis vir fuerit, eleemosynarum operibus maximè vacans, cultor pauperum, & contemptor sui. Post multum tempus mortis eius Germano Episcopo Capuano medici dictauerant pro salute corporis, vt in thermis angularibus lauari debuisset. Qui ingressus easdem thermas, prædictum Paschasium stantem, & obsequentem in caloribus inuenit. Quo viso vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret inquisiuit. Cui respondit, Quod nulla alia causa in hoc loco pœnali sum deputatus, nisi quia in parte Laurentij cõtrà Symmachum in Pontificatu sensi. Sed quæso pro me Dominum deprecare, atque in hoc cognosces,* *Lib. 4. dial. cap. 40.*

quòd

quòd sis exauditus, si huc rediens, me non inueneris. Quòd post paucos dies ità factum est.

6. Tomo Annalium.

Cùm de Paschasio in pœnis mancipato loquitur Illustriss. Baronius verba Gregorij; *In sua tamen sententia vsque ad diem sui exitus perstitit*, declarans, ait exclusiuè illud esse intelligendum. Etenim omnium est receptum assensu, non posse in cœlum admitti, qui in terra se ab Ecclesia separauit. Grauis illa quidem Paschasij culpa fuit, quòd post receptum à sancta Synodo Symmachum in Romanum Pontificem, ei minimè communicare voluerit; venia tamen factus dignus, cùm in exitu ipso, facti pœnituerit. Textus prætereà quem idem citat, *In Angularis Thermis*, habet. Melior lectio, quàm, *In Angularibus*. Non longè à Sudatorio antrum est, cui canes dedere nomen, quos cùm in antrum inijciant, moribundi extrahuntur, & in lacum immissi, ad vitam illicò reuocantur. Pestiferæ indè erumpunt exhalationes. Os Plutonium ad Hierapolim commemorat Strabo, & specus Corycium, & Typhonæi, Pomponius Mela. Pontanus ad Massicos montes quid simile narrat.

Balneum Bullæ.

Præter hunc lacum Bulla est, quasi aqua bulliens, ob Soli feruidi naturam, in quo effossa scrobe, & aqua superinfusa frigida, mox concalescit, & sulphuream virtutem adipiscitur. Aerem aquæ densa caligine obnubilant, quamobrem nullas ibi aues videre licet. Ad quartum caliditatis gradum eas accedere medici dicunt, quæ deductæ ad priuatos vsus in balneis, mirificè frigidis omnibus capitis morbis, & articulorum opitulantur. Subtilis tamen cùm sint essentiæ, ac digerentis facultatis, eas nitri, atque æris obtinere mixturam conijciunt, idcircò auribus, & oculis mederi, nutritoria instrumenta corroborare, splenem attenuare, vterum flatibus discussis abstergere. Eadem alienam aquam ibi calefactam virtute loci efficere animaduerterunt. Mederi præcipuè oculis hasce aquas scribunt, easq. cum ijs connumerant, quæ S. Anastasiæ, Iuncariæ, Petræ,

plagæ

plagæ Romanæ in Aenaria dicuntur; tùm verò cum Sudatorio in Minio Hispaniæ fluuio, cum scopuli aquis Viterbiensibus, & cum ijs quæ ad Viuares in Delphinatu, atque ijs quæ de Trigorio in via Ostiensi dicuntur. Addit & Solini fontes in Sardinia, & Bracculas aquas Baijs, oculorum nebulis percōmodas.

Astruni.

Cùm ad Septentriones perrexeris, mirabilis efficaciæ lauacrum occurret, quod à Strunis nomen accepisse scribit auctor is qui ad Federicum opus scripsit de Balneis. Astranam vocat Sauanarola, & Strumam Vgolinus. Asturium appellandum potiùs aliqui censent ab earum auium venatione. Sex millium ferè passuum circulo locus inter montes circumscribitur, inter quos peramœna vallis est, quæ paulatim ad mille passuum latitudinem cogitur, vt Amphitheatrum repræsentet. Siluæ ceruorum, & aprorum greges alunt, volatilium præsertim maximam copiam. Regiæ venationi locus dicatus est, & præfectus hac de causa constitutus. Ferunt Reges Neapolitanos ibi venatoria spectacula edidisse inspectantibus è iugis collium ciuibus. Memorabile illud narrant, quod ab Alphonso Rege est *Alfonsi Regis liberalitas.* editum, collocata nepte Heleonora Federico III. Germanorum Imperatori, cui cum tota ferè Germana nobilitate interfuit, compluribus etiam cum Hispanis Principibus, qui Heleonoram ex Hispania deduxerant. Exhibita tunc venatio fixis ad Agnanam paludem tentorijs. Fontes è vario vini genere constituti, mensæ apparatæ, in quibus ad xxx. millia hominum discubuere. Solem in hoc magnificentiæ genere nihil quicquam vidisse magnificentiùs, asserit Pontanus. Spiritus ibi *Lib. de magnif. c. 161.* semper sulphureus, & calidæ passim scatentes aquæ. Aliquæ adeò temperatæ, vt neque in potionibus medicatis incommodæ habeantur. Ventriculo auxiliantur, pectus leniunt, appetentiam excitant. Dentibus, faucibus, voci, capiti, & omni rheumatum generi, siccando, digerendo, corroborando, sunt adiumento. Nitratam, æratam, sulphuream materiam obtinere optimi medici arbitrantur. Mengus etiam alumine constare asserit.

afferit. Oculorum fuffufionibus non adeò hypochyfi confirmata potus auxiliatur. Cum Duccia S.Philippi, & Badenia in Helueticis, tum Grotta Viterbienfi ea in re cōuenire eas aquas fcribunt. Ebibitum balneum Anginas, & Pleuritides arcet. Frequentis vfus præter ceteras Puteolanas balneas habentur, nam præteriti incendij minore calamitate affectæ funt, & integram fuarum aquarum naturam retinent. Vere, æftate ineunte, & autumni parte vtiles.

Foris cryptæ.

Retrogrediendum eft, vt rectà deindè incedamus, & littoris oram perluftremus. Triptam hoc lauacrum vocat Sauanarola, re tamen ipfa à crypta Paufylipana nomen accepit, ex qua cùm egreffus fueris, ad maris oram occurrit. Apud Elifium ex Sauanarola aqua hæc potu, & operatione dulciffima eft, ignitos artus refrigerat, deficcata febribus membra rigat, pulmonem læfum, iecur, pectus fanat. Debilitatem ftomachi tollit, fed nocet hydropicis. Ad tuffim vtiliffima. Aufertq. cutis infectiones.

Iuncariæ.

Iuncariam, Deiuncaram vocat Sauanarola, confortare ait ftomachum & hæpar, pectus lenire, lætificare animum, gaudia inducere, fufpiria tollere, alacres in muliere efficere vires, renes confortare, excitare coitum; fed hæcticas primæ & fecundæ fpeciei iuuare, non credit. Giuncaram, & Vincaram Franciottus. Iuncaram, auctor balneorum. Eius mineram nitrum, ferrum, & aurum arbitratur Menghus. A iuncis ibi nafcentibus nomen habet. Potu hæc aqua impinguat, viribus tamen non languidis. Venerem iuuat, renes confortat, & chronicas febres decernit. Pectus roborare ait Vgolinus, exiccationis caufam remouere, & inter ceteras effe faluberrimas. Inter potulentas aquas numerantur.

Balneolum,

Balneolum, vel Plagæ.

Balneolum ab Elisio in radice Olibani montis, quà Nesidem protenditur versus, describitur; *Sed tanta virtutis, & efficaciæ eius præstantia, vt infirmus non solum aquam ibi, sed Deum adesse putet.* Caput, stomachum, & cetera membra confortat, oculorum nebulam fugat, consumptos & debilitatos reficit, quartanæ continuæ, & quotidianæ materiam destruit, à doloribus ex quocunque morbo, vel febre præcedentibus liberat. Olibanus verò ad Puteolos mons est ex prædura silice (saxa hodie appellant) in summa omnium rerum sterilitate constitutus, quapropter, ὅλος βάνος, totus sterilis, dicitur. Hunc montem à Caio excisum ad Italiæ vias silice sternendas aliqui dixerunt, nam Suetonius dixit; *Iacta moles infesto ac profundo mari, excisa rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati,* &c. Eliciuntur nunc indè Pontonibus saxa ad molem Neapolitanam vndique firmandam, ne maris æstu, & fluctuum impetu labefactetur; & ad vias ciuitatis sternendas.

Mons Olibanus.

Cap. 37.

Petræ.

In extremo hoc littore Petræ est lauacrum. Ab effectu nomen inditum, calculum enim frangit, & educit arenulas. Caput à doloribus liberare scribunt, detergere oculos, auribus auditum præstare, cordi, & pectori opitulari. Eius aquæ potus interiora expurgat. Nitrosa est. idcircò laudatur ad internas, & calidas affectiones hepatis, renum, vteri, vesicæ, vt aqua portulenta, & remissæ admodum caliditatis, & mediocriter digerentis facultatis. Qualis etiam superior Plagæ aqua, Tritulæ, & aliæ. Idcircò represso per balneum temperatum (inquit Baccius) feruore visceris, phlegmonæ arcentur, abscessus, causones, aliaq. perniciosa vitia. valere item in febribus cum Plagæ aquis, & Tritulæ, sed pituitosis.

Subſidij hominum.

Sic appellat Franciottus, quod vulgus, *Zuppa d'huomini*. Mengo nitroſum, & ferrugineum eſt. Vgolino cauſas frigidas remouet, pectoris defectum tollit, & confert articulis. Obſtructæ ibi aquarum venæ ſunt fonte relicto, quæ tamen ſub arena infra cryptam, & mare perquiruntur. Maximam ijs medici tribuunt ſalubritatem, ex qua nominis emanat ſignificatio, mirum enim in modum ægrotis ſubuenire dicuntur. Ad podagram plurimum valere ſcribit Altimarus. Eliſius, tumidi ventris onera deponere, omnemq; doloris ſpeciem auferre. Debilitatis tamen reſtaurationem præclarè lauantes adipiſcuntur.

Orthodonici.

In Olibani radicibus in Puteolani Epiſcopi hortis lauacrum eſt ad quod per multos gradus deſcenditur, quapropter flante Auſtro calor intus incluſus, exhalationis expers, intrantes enecat. Grauè ibi profectò olens ſpiritus, & mephitis. Auditas ibi aliquandò lugentium voces ſæpiùs mihi aſſeruit Leonardus Vairus Epiſcopus. Aqua tamen educta corpora febribus conſumpta reſtaurat, ſtomachi nauſeam expellit, ephemeras & errantes febres tollit, & maximè ad phtiſim paratas. Ad ſudationes, & in balneis ſumitur.

Calaturæ.

Celaturam Franciottus, Collaturam Vgolinus, Calcaturam vulgus. Deſcendit aqua ex rupis latere, quæ turpes ex ore notas remouet, ſtomacho ſubuenit, tuſſim fugat, præteritas crapulas digerit, mentem corroborat, cor lætificat.

S. Anaſtaſiæ.

Ad monaſterium S. Anaſtaſiæ defoſſa ſcrobe in arena ipſa littoris, aqua erumpit clara, ad arenulas detrudendas, & calculos confringendos aptiſſima. Habet cum proximis aquis aliquam æris ſimul cum nitro portionem, atque idcircò oculo-

rum

rum caligini, & suffusionibus medetur. Franciottus Anastasij nominat. Olim hic erat Adiutorij balneum.

Cantarelli.

Cantarelli balneum (inquit Baccius) *à Canthari forma per quam fluit, dictum perhibetur.* Cuius cùm primaria olim esset gloria in Puteolanis vtpotè quòd mirandis modis tùm occulta persanaret vlcera, tùm ossium quoque fragmenta, quæ opere indigerent chyrurgico, extraheret, immò fluentem vndique sanguinem supprimeret, vterumq. ferentes summoperè iuuaret, ceterùm post incendium ad Tripergulas cui vicinum id balneum extiterat, submersum cinere, nec satis post aliquam adhibitam operam restitutum, tota iam laus in Aenariæ balneis defluxit, quæ tàm genere, quàm copia, & fœlici vsu præsertim Gurgitelli ac Furnelli aquæ præstantes, similes, ac maiores etiam obtinent facultates. Quamobrem non desunt qui hisce & Cantarellis, occultam proprietatem è benigno quopiam cœlesti aspectu tribuant. Ferri & Magnetis habet operationes.

Fontanæ.

Aretinus haud longiùs à sua ætate repertas aquas scribit. Formam, alio nomine dixerunt. Nitrata in ijs & bituminosa mixtura, & inter suaues annumeratæ, hoc est quæ vel odore, vel sapore nullam præseferunt insuauitatem, sed quæ dulcibus non sunt comparandæ velut etiam Iuncaria, aliæq. balneæ in Puteolano, & Baiano. Proprietates his carminibus describit Lombardus.

Fert somnum, ventrem reddit, fluxumq. soporem
Conciliat pueris, lac citò multiplicat.
Saxa mollificat, renes expurgat arena,
Cuncta lauacra super, nausea fit procul hinc.
Vesicam reserat, lapidem frangitq. potenter;
Affectis podagra, vulneribusq. nocet.

Ciceronis, vel Prati.

De Prata, vulgò aquæ dicuntur. Opus Ciceronis creditur in Academia extructum. Spontè tamen ibi nascentibus aquis. D. Gregorius libro 1. Dialogorum meminit monasterij, quod Balneum Ciceronis vocabatur. Eas verò aquas, quòd oculis medicinam afferunt æratas arbitratur esse Georgius Agricola. Ad lippitudinem mirum in modum celebratæ. Conferunt etiam viscerum torminibus. Sed totum ferè corpus languidum restaurant. Ob illud iuuandi oculos experimentum, arbitrantur aliqui aquas cadmia participare, quæ in Cumano agro naturalis est, Dioscoride auctore, ac in Baiano. Quippe ibi quoque chalcitis, mysi, sori, melanteria, chalcantum; ὥσπερ (inquit) καὶ ὁ ἐν τῇ Κύμῃ λίθος εὑρισκόμενος.

Arcus.

In sinistra Auerni lacus parte, in qua Balnearum copia cernitur (decem commemorat Aretinus) ab ædificij forma, Balnea Arcus nuncupatur. Consumptos corporis artus restaurat, corpori robora addit, ventrem exonerat, pelli cutim restituit, stomacho præsto est, & interiora omnia iuuat. Caueant splene & iecore laborantes.

Rainerij.

Ab inuentore hæc aqua nomen accepit. In Tripergulis collocat Aretinus. Aquas tamen etiam Trituli ad sanitatem exposcit. Scabiem & impetiginem sanat, putridum corpus mundat, restaurat cutim, leprosis prodest, inquit Elisius. Salsi phlegmatos hostis aqua est.

Tripergulæ.

Vgolinus totius corporis debilitatem, & segnitiem auferre dicit, superfluumq. dolorem pellere. Elisius, mentis defectum auferre scribit, alleuiare corpus, cor exhilarare, membrorum profugare onera, stomachi varios dolores arcere, pedũ grauitatem remouere, symptomata explodere. Balneum vetus dicitur.

S.Ni-

S. Nicolai.

Elisius; *Omnia balnea potentes, aut magis solliciti occupant; hoc solum mirifici Confessoris pauperibus subuenit, & ideo S. Nicolai dicitur. Hæc aqua ab alijs descripta non est, nec ab intelligentibus satis experta. quantum tamen compertum habeo, debiles fouet, consumptos restaurat, stomachum conformat, & vires reparat.* Lombardus;

Infirmos refouet, consumptis præstat opemq.
Confirmat stomachum robur aqua hæc reparat.

Scrophæ.

Vnda mirabilis (inquit Elisius) sic dicta, vel quod scrophulas sanat, quod Christianissimorum tantùm Gallorum Regum sputo tribuunt; vel quod scropham in ea volutari viderint. Scabiosis & leprosis prodest, impetigines sanat, ventris sarcinam, & pondus deponit. Articulos iuuat. Lombardus;

Iste latex dictus sic est, quia χοιράδας *aufert,*
Aut vnda hac volui scropha reperta quod est.
Leprosis prodest; scabiem (mirabile dictu)
Salso Lichenas phlegmate purgat aqua hæc.
Articulis confert, deponit pondera ventris,
Nodosæ eximium pharmacon est podagræ.
Vteris his scrophæ quicunque salubribus vndis
Cum tumidis vites salsa leguminibus.

S. Luciæ.

Quòd oculis aquæ S. Luciæ subueniunt, id nominis sibi compararunt. Suffusiones oculorum recentes, & nebulas destruunt. Et quamuis Elisius scribat, has aquas aliquandò cæcos illuminasse; neminem tamen id vidisse scio. Articulorum & capitis dolores pellunt. Surdis maximo sunt adiumento.

Arculi,

Arculi, vel S.Mariæ.

Huius etiam nominis aquæ ad Παλαιόπολιν, Romandiolam, Senas, Viterbium, & Flaminiam. Quæ non minus frigidum caput calefaciunt, quam Porrectæ aquæ ad Bononiam. Aedificium lauacro nomen dedit. Hepar calidum aptat (ait Elisius) à nimia frigiditate, ac rheumate absoluit, oculos ab ophthalmia seruat, stomachum roborat, somnum nimium, superfluamq. vigiliam propellit, aureamq. mediocritatem inducit.

S. Crucis.

Ea quæ in hac aqua miracula enumerat Elisius, hoc sanè tempore minimè cernimus; ait enim quamplurimis id euenisse vt alienis brachijs & pedibus huc adducti, vel baculis nitentes, sanos deindè, & nullius auxilij indigentes discessisse. Omnes contractiones, etiam ex vulnere, neruis, aut iuncturis oblæsis mirificè iuuat; ob quam proprietatem ad peduum, ac manuum vulnera, & distentiones quas sanat, artuum nomen, & insignia obtinet S. Crucis. Viscerum insuper, ac ventris inflationes, testiculorum tumores prohibet, podagram discutit, omnium tandem valdè sulphurearum vtilitatem præbet. Hydropicos, & hypocundriacos mirificè iuuat. Phlegma extrudit. A podagra liberat. Crassam ablegat pituitam. Maxima cum voluntate ijs aquis ægri vtuntur. Quòd si ad corroborandum ventriculum, calidis intemperantijs succurrendum est per balnea, quæ modicum refrigerent, reprimuntq. astrictoria facultate per initia, potus aquæ Sanctæ Crucis aptissimus habetur, velut aqua in villa Lucæ, & Porretanæ.

Subcellarij.

In Auerno ad Cumanæ Sibyllæ antrum (vt vocant) Subcellariæ aquæ sunt, quasi ex cella emanantes, dulces, lucidæ, & quas ceteris Baianis aquis antecellere medici existimant. Vgolinus Sutrillarium vocat. Vulgus *Scassa budello*. Decocti caponis iuris habet saporē. Capillos prolixos facit (ait Elisius)

labia

labia sanat, dentes & gingiuas mundificat, lentiginem, & scabiem remouet; pulmoni, iecori, spleni medetur; ardorem, & pondus vesicæ soluit, vrinam prouocat, arenulas eijcit, quartanam quotidianam, & tepidas febres sanat, tussim tollit, præcipuè verò stomachum confortat, totumq. corpus exhilarat. Post longas febres, & in phtisicis & hecticis nondum exhaustis, aliquot medici ex medicatis aquis laudant insessus, non febris ratione, cui plerique quoque aiunt naturales balneas aduersari, sed ad conciliandum robur stomacho, hepati, alijsq. nutritorijs, quod in longissimis morbis potissimum primò quæritur. Ad eam rem maximè eas aquas comprobarunt, quæ mediocriter calidæ sunt, nec vltrà primum gradum siccantes, inter quas Petra, Plaga, Iuncaria, & hæc Subcellaria ad Baias probantur, quæ sanis conueniunt, nec admodum qualitate excedunt temperatas, ac dulces.

Ferri.

Ferri mineram, scribit Plinius, metallorum omnium esse largissimam, & vbique propemodum reperiri. Ferè semper aliquid ferrugineæ naturæ cum ceteris mineris in hisce aquis reperitur, sed potissimum in hoc lauacro, quod ferri colorem referre videtur. Idcircò oculos, aures, caput mirificè iuuat, soluitq. hemicraneas affectiones. Aqua ebibita iecori, spleni, ventriculo, renibus, vtero, omnibus interaneis vitijs, à relaxatione ortis, opitulatur. Ex aliqua bituminis participatione pulmoni confert. Siccat, abstergit, roborat. Quod si aqua plagæ Romanæ, quæ in Aenaria est (cuius fontes maximo cum labore, & maxima cum ægrotantium vtilitate aperuit Iulius Iasolinus, nostra hac ætate medicus celeberrimus) cum ferreæ sit mineræ, & ferruginei coloris, phlegma salsum deijcit, sanguinem, & pruritum oculorum tollit, lacrimas inhibet, gingiuas exesas sanat, dentes firmat, ossium fracturas firmat, & fluxiones sistit; eadem profectò aquas has Baianas effecturas non vereor.

Palum-

Palumbariæ.

Lauacrum Palumbarium, vel crypta Palumbaria dicitur, à palumbibus ibi nidificantibus. Hoc si quis vti voluerit, à salsis, & frigidis caueat necesse est. Cardiaci, arthritico morbo, renibus, oculisq. plurimum prodest. Vrinæ meatus aperit, oculorum nebulas expellit, stomachi passiones aufert.

Saluianæ.

Sic dictas aquas à quadam muliere alij scribunt; alij Siluianam appellant, & Siluiæ Deæ antiquos dedicasse scribunt. Nugæ. Salmariam vocat Vgolinus, aitq. eas non permittere, vt menses mulierum vltrà suos periodos fluant, & vteri inueteratas affectiones curare. Quamobrem mulieribus plurimum confert, cum etiam steriles fœcundet.

Tritulæ.



In Baiano littore Balneæ, & Sudatorium eodem nomine appellantur. Frictolas, à fricando dictas scribit Blondus, atque indè Tritulas appellatas. Alij sic dictas asserunt, à tertiana

febre

febre sananda, quæ apud medicos τριταῖος πυρετὸς dicitur. Trifoli alij dixerunt, & monti Trifolinum vinum adscribunt. Vbi vegeta in primis natura ignis, cuius communes causas explicat Vitruuius, qui aut ex sulphure, aut alumine, aut bitumine sub his collibus loca, vario caloris gradu afficiat. Infrà ad mare calidis abundat aquis, quæ perenni vena, & sub prærupta rupe balneas efficiant, vbi semota ab imbribus & ventis habentur semper vtilissima. Imaginum ex plaste ibi pictarum aliquot fragmenta supersunt, quæ cuiusque balneæ virtutem exprimebant. *Ardores esse in his locis*(addidit Vitruuius)*etiam hac res potest indicare, quod in montibus Cumanorum, & Baianis sunt loca sudationibus excauata, in quibus vapor feruidus ab imo nascens ignis vehementia perforat eam terram, per eamq. manando in his locis oritur, & ita sudatorium egregias efficit vtilitates*. Sudatorium sic in Itinerario à quodam docto viro describitur. Lib.6.c.5.

In primis celso sita Sudatoria monte,
In tria diuisus specus est ceu brachia, quorum
Sulphureos extrema tenent fumantia fontes
Solis inaccessos radijs sub rupe cauata.
Ingressu via longa patet, cinis impedit albus,
Atque calens mediæ prodientes agmine fossæ.
Ingrediendo caue tollas caput, arduus vnda
Fumus agit, totoq. fluunt corpore riui;
Visceribusq. trahens animam vapor æstuat intus.
Sin submissus eas, & cautè lumina serues,
(Nam sine luminibus nulli est intrare potestas)
Victor eris, nimium sed non tentare sinistram:
Dira tibi mens sit; necat intus perfectus aer,
Profuit & nulli tacitas quæsisse latebras.

Cornelius Celsus de eo sic loquitur; *Sudor eius duobus modis elicitur, aut sicco calore, aut balneo. Siccus calor est, & arena calida, & Laconici, Clibani, & quarundam naturalium sudationes, vbi è terra profusus calidus vapor ædificio includitur, sicut super Baias in Mirtetis habemus*. Quamobrem Mirteta ad

Tritulum fuisse dicunt. Balnei tamen locum penitus ignoramus. Idq. tantùm scimus, quòd Vitruuius, & Celsus scripsere. Quasi mortetum dixerunt, pro funesta mirti significatione. Omnibus tamen ægris lauacrum erat inuisum,

Sulphura contempti, vicus gemit inuidus ægris.

Morbo Gallico laborantibus plurimum prodest, atque ijs qui capitis fluxionibus afficiuntur. Viris, mulieribusq. statis horis locus datur. Iuuat sudantes colloqui, atque canere, dùm caloris molestias blandis sermonibus mulcere conantur. Quiq. dimidia hora sudauerit, strenuus profectò ad eam rem habetur. Trituli balneas D. Hieronymus viduis, virginibusq. Christianis vitandas admonuit. Omnium balnearum virtutes habere dicuntur.

Aquæ S. Georgij.

Huius nominis aquas ad Ducciam commemorat Baccius, strenui ac Diui militis nomine insignitas, quæ ad fœda vlcera persananda habēt facultatem. Ferrea, atque ærea minera nostra hæc aqua nitrosa quoque est, lapidem frangens, ad ferrum è corpore eliciendum admirabilis. Sed quoniam subterranna est, quasi κατὰ γῆ, Georgij nominatam, aliquibus placet.

Pugilli.

Nitrosas hasce aquas esse scimus, eandemq. cum proximis habere naturam. Ventris solutionem compescunt, & hemorroidarum fluores, calidum, aerisq. intemperiem remouentes. Quapropter nec à ferro videntur alienæ. A longis febribus liberant. Caput & splenem efficacissimè adiuuant, eorumq. dolores arcent, confortant debiles, & consumpta membra restaurant. A breuitate id nominis sunt assecutæ.

Culinæ, vel Culmæ & Petrolei.

Inter bituminosas Petrolei nomine multæ aquarum scatebræ, quamuis & nitro constent, blandè purgantes, subamaræ, & graui odore reperiuntur. In Italia multis in locis scatent, & Senis

& Senis non longè ab Arbia flumine, ibidemq. ad viam maritimam Petroium Gastellum, vbi Petroleum emanat. Et Viterbij non procul à fonte Grottæ percelebri, calore tactu & essentia temperatæ, quapropter pueris, & delicatis naturis perutiles. Multæ itidem in Baiano Tripergulanæ, Solis, & Lunæ eo nomine celebrantur. Tùm Culma ad Auernum, in quibus tamen maior sulphuris portio dignoscitur, idcircò exiccando valentiores, minusq. emollientes. Huius tamen generis aquæ abstersoriam habent virtutem, omnesq. cutis maculas, pruriginosas simul & ichorosas exiccant. Contracta emolliunt, distenduntq. conuulsos neruos, crassa extenuant corpora, fluxiones sistunt, grauedines, ac raucedines, & cetera id genus epotæ corrigunt. Eodem omnes aquæ imbutæ sunt vapore, quæ soporem inducunt, vel caput grauant, sensusq. obtundunt. Habet has bitumen operationes. A monte qui supereminet, ob altitudinem, Culma à Franciotto dicitur, & corruptè Culina.

Solis & Lunæ.

Ob aquarum excellentiam quæ ceteris præstat, hoc præclarum nomen paruum hoc balneolum est consequutum. Per ruinas antiquorum ædificiorum eò descenditur, directe un q. inuenitur, & mari occupatum. Sed defossa terra, scatet aqua, sulphuri commixta, quæ tamen ferri partes obtinet [illegible] uas, ac nobilem ex Magnete virtutem, quamobrem infixa spicula ferrea mirificè extrahit; calefacit egregiè, exiccat, atque corroborat. Ruptis, laxatis, fractis mirum in modum confert, & antiquorum vlcera compescit. Diuinum hoc appellarunt balneum, cùm præcipuè omne guttarum, dolorumq. genus tollat, fluentem sanguinem sistat, vlcera sanet, podagram subleuet.

Gibborosi.

Hæc inter nitrosas aquas potabilis quidem, ac præter ceteras in renibus iuuandis efficacissima perhibetur, meatus vrinarios aperiens, abstergens, firmans; arenulas, & mucores his locis

adhærentes extrudens; fluores muliebres ex locorum imbecillitate maximè sistens.

Episcopi.

Nobile hoc balneum vel ab aliquo fortasse Episcopo instauratum, vel ad Episcopum Puteolanum pertinens, vel quòd Prælati vtantur plurimum, quibus podagra solet esse familiarior. Roborat stomachum, prouocat appetitum, extrahit ferrum, & omnia membra exhilarat.

Fatarum.

Podagricis quoque vtile & familiare. Stomacho vires addit, nauseam expellit, appetitum prouocat. de quo sic Lombardus,

Confortat stomachum, viuacem reddit ὄρεξιν,
Dat podagræ auxilium, nausea fit procul hinc.
Extrahit absconsum atque latens in corpore ferrum,
Exhilarat nimis hic omnia membra latex.

Bracculæ.

Ab humilitate, & loci depressione sic dictum. Vgolinus Bretolam vocat, fortasse vocis similitudine deceptus. Inter nitratos fontes constituitur, qui tamen ære simul & sulphure non mediocriter participat. Quocircà non adeò soluit ob sulphuris tenacem siccitatem, temperatè calefaciens. *Ex natura tamen æris* (inquit Elisius) *grossas fauces subtiliat*, Broncaulas vocant. Raucam vocē ebibita claram reddit; oculis & ceterorum sensuum vitijs opitulatur. Longas febres remouere credunt.

Speluncæ.

Sic dictum à Spelunca, in qua lauacrum est. A Galeno scriptum tradunt, si quis quinque drachmis huius calentis aquæ singulis diebus biberit, in membris quæ diaphragmæ adiacent, opem & robur comparaturum. Quem tamen locum nusquam in Galeno reperies. Hydropicis, tussi, guttæ est adiumento.

Feniculi.

Feniculi.

Inter Mare mortuum, & Misenum montem, inter agrestes feniculos aqua emanat, cui frutex ille nomen attulit, quæ & lippos oculos abstergit, & eorum vlcera sanat, & maculas delet, & oculorum aciem reddit illustriorem.

NESIS INSVLA, ET EVPLOEA. Cap. XXVI.



OCCVRRIT Puteolos proficiscentibus Nesis, quam non insulam, sed continentem fuisse facilè arbitrarer, quin & Pausilypi promontorium, nisi Ciceronis locus ex x. Philippica apertè insulam ostenderet, sic enim de Bruto ait; *At hunc ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis Luculli propinqui sui*. Et hanc, insulam Nesidem fuisse ad Atticum scribens declarat; *Bruto tua litteræ gratæ erant, fui enim apud illum multas horas in Neside, cùm paulò antè tuas litteras accepissem*. Et epistola 3. eiusdem libri; *Hæc ego conscendens è Pompeiano tribus actuariolis, decem scalmis Brutus erat in Neside, etiam nunc Neapoli Cassius*. Ecce tibi insulam, & in Luculli potestate. Nomen idipsum declarat, νῆσος enim paruam insulam significat. Lib. 16. ep. 1

Plinius Nesidis asparagum laudat. Lucanus, & Papinius tetrum loco tribuunt aerem. Alter, Lib. 19. c. 8. Lib. 6.

---- tali spiramine Nesis,
Antraq. letiferi rabiem Typhonis anhelant.

Alter verò,

---- indè malignum Silu. 3.
Aera respirat pelago circumflua Nesis.

Et *Nesis*, non *Nessus*, legendum. quid enim Centauro cum insula, cùm præcipuè Inarimem adiungat? Vicina loca adhuc cœli

cœli grauitate occupantur. Insula tamen excisis siluis, sub clementi cœlo hac ætate videtur posita. Quam siluam commemorat Statius,

Siluaq. quæ fixam pelago Nesida coronat.

Quidam tamen in Itinerario,

Post hanc asparagis plenam Nesida videmus,
Pars hæc Pausilypi quondam, maris insula nunc est.
Multos ibi seruat furtiua Cuniculus antra,
Antra Typhoneos quondam spirantia fumos,
Et circà Eumenidum nebuloso tristia luco.

Locum fabulæ dedit Sannazarius,

Te quoque formosa captum Nesidis amore
Pausilype irato compellat ab æquore quæstu.

Pontanus dùm Nympham describit, maris in quo posita est proprietates narrat,

Illum Nisa tenet deserti ad littoris algam
Nigra genu, croceisq. genis, & lumine glauco.

Parua quidem insula, mille & quingentorum passuum ambitu, Amalphitanorum Ducum habitatione nobilis. Ab Alphonso Piccolomineo primo loco tribus millibus, & quingentis aureis coempta, in qua tamen grandis pecunia, celebrandis conuiuijs consumpta est. A Piccolomineis ad Scyllacensium Principem, à quo ad Neapolitanam ciuitatem, indè à Conchanorum Principem, mox iterùm ad Neapolitanam ciuitatem, lite licet cohorta. Portu Pauone, qui ad meridiem vergit, cuniculorum copia, phasianorum olim volatu, & oleis, & vinea, & fructibus, & piscatione illustris. Omnibus nauigantibus ob tutissimam nauium stationem cognita. Arx in ea rotunda est, quæ vndique prospecta, speculatrix tota illa ora colitur. Nec displiceret si quis dixerit hanc insulam Græcorum ætate Nisæam appellatam fuisse, cùm haud longiùs Megaris quoque insula extet, cùmq. Athenienses eius nominis insulas inter se proximas plurimi fecerint.

EVPLOEA, parua quoque insula (scopulus potius) inter Tyrrheni maris insulas meruit annumerari. Et quoniam ibi reconditus

conditus sinus est, ex quo maris æstus, & vndarum tempestates detruduntur, *Gaiolam* dixere. Gratissimus nauigantibus recessus. Nobilissimus itidem ædificiorum vestigijs, quæ ciuitatem referunt, & omnem antiquitatis gloriam redolent. *Felix omen* locum appellauit Statius in siluis, *Lib. 2. Silu.*

Inde vagis omen felix Euplœa carinis.

Et in Hercule Surrentino, *Numen*,

Et placidus Limon, Numenq. Euplœa carinis.

Quæ verba efficiunt vt credam, templum cuius aliquot ibi sunt ruinæ, Euplœæ numini marino fuisse dicatum. At verò Veneris Euplœæ numen illud erat. *Venus Euplœa.* Veneris enim ædem mari proximam Græci venerabantur, veluti in Atticis scribit Pausanias, apud Gnidios præsertim, qui Venerem Doritidem, Acream, & Gnidiam colebant, & hanc ipsam ab ijsdem Gnidijs Euplœam appellaram affirmat, νεώτατον δὲ, ἣν Κνιδίαν οἱ πολλοὶ, Κνίδιοι δὲ αὐτοὶ καλοῦσιν Εὔπλοιαν. Sannazarius Nymphā facit,

—— totidem vitreis Euplœa sub vndis

Seruat, adhuc plures Nesis mihi seruat Echinos.


Vitreas illas vndas, & algarum confertissimos hortos, manu tractare ne pigeat dùm præternauigaueris.

En tibi Campani littoris, Craterisq. ambitum, quo Neapolitanæ vrbis celeberrimus situs contineri facilè prospicies. A Pausilypo discessimus; ad eundem locum regressi sumus, felicissimam oram describentes. Quod effecit, vt Capuam, cui secundus post Neapolim locus debebatur; Nolamq. aliasq. mediterraneas vrbes vltimo loco describendas reliquerimus.



CAPVA.

CAPVA. Cap. XXVII.



APVA hæc illa est, quæ in orbis Principatu, cum maximis vrbibus æmula contendens, Italicarum vrbium pulcherrima, in pulcherrimo agro posita (vt loquitur Cicero) ad maximum gloriæ fastigium euecta, tot virium, copiæ, Senatus, illustrium virorum, amplitudinis, ædificiorumq. splendoribus emicuit, vt non felicis tantùm Campaniæ caput laudauerit Strabo, κεφαλὴν ὀνομάσας Καπύην, sed omnibus gentibus, bellorum præcipuè diuturnitate fuerit admirabilis. Stellates, & Leborini campi, vel Leboriæ, quæ in via finiebantur ab vtroque latere Consulari, quæ à Puteolis, & quæ à Cumis Capuam ducebat, vel Phlegræi, inter quos posita est, Pœnorum sanguine adhuc redundant, ipsumq. describit aratrum in glebis virtutis immortalitatem. Resonant huiusmodi theatra, quæ Italicas moles magnificentia, & structura antecedunt, vt magnitudinis significationes, vocesq. adhuc toto terrarum orbe referantur. Templorum ruinæ, alijs vrbibus eam reddunt nobiliorem. Ambulacra, Xystiq. licet terræ aggeribus obruti, ædificio tamen, & picturarum fragmētis, quæ ad antiquorum solertiam & industriam celebrandam supersunt, veluti quædam honoris lumina, in lucem reuocant suorum ciuium dignitatem. In monte illo Tifatis celeberrimo, qui tot annos elephantorum gregibus fuit oppletus, Dianæ præclarum numen inter parietinas adhuc ferè conspicias. Vicus adhuc Appius colitur, adhuc nobilissima redolet vnguenta Seplasia, & dùm supereminet Tiberij erectū Capitolium, in eius cadauere vigent spiritus, quibus viua inter florentissimas vrbes summo cum honore viuebat.

Plin. lib. 18. c. 11.

Aliquorum affert Dionysius opinionem, quibus placet à Remo eam vrbem ædificatam, & à proauo Capy sic denominasse, & Καπύας plurali numero dictam. Ab Aenea conditam ceterisq. Troianis, & à Capy appellatam placet Aristho apud Halicar-

Lib. 1. Antiq.

Halicarnaſſeum. A Capy Samnitum duce nomen fuiſſe inditum, innuit Liuius. A Capy Siluio Virgilius, *Lib.4.Dec.1.*

Et Capis hinc nomen Capuanæ dicitur vrbi.

vel à Falconis augurio, qui Etruſcâ lingua *Capis* dicitur, vt ait Seruius. Et ſex. Pompeius, in Campania Capuam quibuſdam à Capy appellatam placere ſcribit, quem à pede introrſum curuato nominarunt antiqui, & noſtros Falconem vocare. Alijs, à planicie regionis. Iſidorus Siluio Albanorum Regi tribuit; additq. alios dicere, à capacitate nominatam, quòd eius terra omnem vitæ fructum capiat. Maximè tamen Suetonij auctoritate commoueor, qui ſic ſcribit in Iulio; *Cùm in Colonia Capua deducti lege Iulia Coloni ad extruendas villas ſepulcra vetuſtiſſima disÿcerent, idq. eò ſtudioſius facerent, quòd aliquantùm vaſculorum operis antiqui ſcrutantes reperibant, tabula ænea in monumento in quod dicebatur, Capis conditor Capuæ ſepultus, inuenta eſt, conſcripta litteris uerbiſq. Græcis hac ſententia; Quando oſſa Capys detecta eſſent, fore vt Iulo prognatus manu cōſanguineorum necaretur, magniſq. mox Italiæ cladibus vendicaretur. Cuius rei (ne quis fabuloſam, aut commentitiam putet) auctor eſt Cornelius Balbus familiariſſimus Cæſaris.* A Falcone aliqui non recedunt, ad Etruſcorum genus reſpicientes *Cap.81.* quippe ait Liuius, eam quæ nunc Capua eſt, Vulturnum Etruſcorum fuiſſe vrbem, à Samnitibus captam, & Capuam à Capye eorum duce dictam, quamuis propiùs verò ſcribat ſic eſſe *Ibid.* dictam à campeſtri agro, vel à Campo, vt loquitur Plinius; vel *Lib.3.c.5.* quòd caput fuerit xij. vrbium in Campania, quæ fuere Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculanium, Pompeij, Atella, Calatia, Caſerta, Caſilinum, Vulturnum, Sidicinum. Sed ea, Volturna dicta eſt, quaſi Vol Turrhena, Tuſcorum imperij Regina. Seruius in illud Virgilij,

Oſcorumq. manus ----

Capuenſes dicit, qui antè Oſci dicti ſunt. Ex quibus verbis, aliqui Oſcam fuiſſe quoque Capuam dictam ſibi perſuadent. Apud Annium hæc leguntur; *Oſcus Vetulonienſis adeptus imperium Italiæ, plurimas Colonias dedit, vt ait Manethon, & à*

se Oscas, & Volscas, quasi Volescas, idest Consulares Oscas cognominauit, quarum Volsci in Latio primi fuisse conditi apparent, quod vocabulo Tyrrheno eos Volscos, idest, priscos Oscos, (Osci enim fuerunt Capuani) appellauit. Sed ea ætate Volscorum caput Suessam vocat Strabo, quam à Tarquinij Prisci filio captam scribit, ὁ δ' υἱὸς αὐτοῦ τὴν Σύεσσαν εἷλε τὴν μητρόπολιν τῶν Οὐόλσκων. Cato verò de originibus, Anxurem; *Osci, qui nunc Capuani. Volosci, quos vocamus Volscos, quibus metropolis fuit Anxur, nunc Taracina, Stabia, Anitini.* Oscus quidem Vetuloniensis serpentem gessit insigne. Et Oscos dici ait Seruius, vbi serpentum copia cernitur. Hos Oscorzones Capuæ dicunt.

Suessa.

Anxur.

Beatissimam Polybius sic appellauit, κατὰ μέσα καὶ πεδία κεῖσθαι συμβαίνει τὴν πασῶν ποτε μακαριωτάτην πόλιν Καπύην, eamq. felicitatem Gigantum pugnam fabulis inuolutam significasse scribit Strabo, cùm eam regionem ob soli vbertatem multi sibi vendicare desiderauerint. Quapropter Campanas delicias his verbis Annibali exprobrat Paulus Diaconus; *Iactet se licet Roma victorijs, Annibalem tamen Campaniæ luxurijs immorantem prouincia deliciosa superauit. Dùm aquis innatat, dùm piscibus atque ostreis passim inficitur, dùm olet, dùm potat, dùm dormit, aquarum resolutio molliuit Punicam feritatem, & quem alia durauerant, Seplasia Campaniæ oppidum, unguentis odoratis labefactauit, & soluit.* Capuæ vicum, non oppidum fuisse declarat multis in locis Cicero, & Asconius Pedianus plateam vocat, in qua vnguentarij soliti erant negociari. Atque Capuanorum vnguentorum meminit Plautus Rudente,

Lib. 2.

Teq. oro, & quæso si speras, tibi
Hoc anno multum futurum Sirpe, & Laserpitium
Eamq. eventurã exagogam Capuam saluam, & sospitem.

Vnguenta Capuana.

Captam pro *Capuam* habebant antiqui Codices. Campanos luxus exprobrat Strabo, aitq. eò progressos esse, vt conuiuas ad cœnam promisso gladiatorum in singulas personas pari, vocarent. Cùmq. Annibal deditione ijs in suam potestatem receptis exercitum ibi in hibernis haberet, dicebat, periculum sibi

esse

esse ne victor ab hostibus opprimeretur, proptereaquòd loco virorum, mulieres recepisset milites, nam milites ex Africa viros adduxerat, & iàm fœminæ ijdem videbãtur delicijs dediti. Addo & diuitias, quibus veluti Patauium, Mutina, Bononia Romanorum colonia ad sinistram earum vrbium, quæ procul à mari habitantur, ità ad dexteram Capua à Tuscis condita apud Pomponium Melam, abundabat; quapropter amplissimã atque ornatissimam vrbem Cicero nominat. Quibus ex delicijs, atque opibus, insolentis arrogantiæ vitio Capuani notabantur, Liuiusq. populum luxuria, atque superbia clarum appellat; & Legatos Campanos auxilium à Romanis petentes, huiusmodi loquentes inducit, vt magnificè loqui in ea fortuna non posse affirmarent, & vrbis amplitudine, & agri vbertate vlli populo, quàm Romanis cedere. Et Cicero oratione contra Rullum, Campanos dicit, semper superbos bonitate agrorum, & fructuũ magnitudine, vrbis salubritate, descriptione, multitudine; ipsamq. Capuam domicilium superbiæ, sedemq. luxuriæ, quapropter arroganter alterum Consulem postulare non verita est. Et Polybius scribebat, vt refert Athenæus, Campanos ob agri bonitatem, diuitijs affluentes, in voluptatem, & luxum eripisse, atque ea in re Crotoniatarum, & Sybaritarum celebratas delicias superasse, & cùm præsentem felicitatem ferre non possent, Annibalem vocasse, & à Romanis defecisse. Addiditq. in prima oratione, illum locum propter vbertatem agrorum, abundantiamq. rerum omnium, superbiam, & crudelitatem genuisse. Sed intolerandam Campanam arrogantiam, atque ferociam, ratione, & consilio Romanos ad inertissimum, & desidiosissimum ocium produxisse, alibi idem Orator explicauit; quamobrem in posterum prouidentes, neruis vrbis omnibus excectis, solutam, ac debilitatam reliquerunt. Ea superbia plenum epigramma Næuii Poetæ Agellius dicit, Lib.7.Dec.1. Lib.1.c.24.

Immortales mortales si foret fas flere
Flerent diuæ Camœnæ Næuium Poetam.

Vereor ne aliquo in Capuanos odio tenerentur Liuius, Cicero, Agellius, qui fortes arrogantes; diuites, superbos appellarunt.

Mmmmm 2 Et

Et illud quidem optimè scimus Romanis sæpè Capuanos timorem incutiisse, sic enim Cicero, *Statuerunt homines sapientes si agrum Campanis ademissent, Magistratus, Senatum, publicum ex illa vrbe Consilium sustulissent, imaginem Reip. nullam reliquissent; nihil fore quòd Capuam timeremus.*

Rerum tamen vicissitudine factum est, vt Campani à Samnitibus magnis cladibus affecti, sese populo Romano dediderint. Nō multo post cùm defecissent, agri parte mulctati sunt; ademptus enim eis est ager Falernus, qui Campani pars fuerat. Magnis deindè seditionibus inter se conflictati, Præfectos accepere, & leges à L. Furio Prætore, cùm vtrumque ipsi petissent pro remedio ægris rebus intestina discordia. Postremò Capuæ receptæ, quæ secundo bello Punico ad Annibalem defecerat, omnis Reipublicæ decor sublatus est. Idq. his verbis explicat Cicero; *Maiores nostri Capua Magistratus, Senatum, Consilium commune, omnia denique insignia Reip. sustulerunt, neque aliud quicquam nisi inane nomen Capuæ reliquerunt.* Et Liuius; *Capuam frequentari placuit, corpus nullum ciuitatis, nec Senatus, nec plebis Concilium, nec Magistratus esse, sine Concilio publico, sine imperio, multitudinem nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem fore.* Mœnia tantùm, tectaq. agricolis reliquerunt, ne nobilissimæ, opulentissimæq. vrbis ruinis omnis Campania, omnes qui Campaniam circà accolunt populi ingemuissent. Receptaculum facta fuit aratorum (vt ait Cicero) rusticorum nundinæ, cella, atque horreum Campani agri. Itaque hoc perscriptum in monumentis veteribus reperietis, vt esset vrbs, quæ eas res quibus ager Campanus coleretur, suppeditare posset; vt esset locus comparandis, condendisq. fructibus; vt aratores cultu agrorum defessi, vrbis domiciliis vterentur; idcircò illa ædificia non esse deleta. Idemq. alibi scribit, propter agrum quem omni fertilitate terræ satis constabat primū in Italia esse, vrbem esse seruatam, vt esset aliqua aratorum sedes, vrbi frequentandæ multitudo incolarum, libertinorum, & institorum, opificumq. retenta, agrum omnem, & tecta publica populi Romani esse facta. O deplorandam calamitatem. Quid reliqui in

Orat. 2. cont. Rull.

tanta

tanta vrbe cernimus? inane nomen. Ea vrbs quam alteram Romam posse fieri dicebant;quæ inter eas numerabatur tertia,quæ in terris omnibus poterant imperii grauitatem,ac nomen sustinere,Carthaginem scilicet,& Corinthum,à Romanis ad solitudinem redacta,à barbaris in relliquiarum,& ruinarum contemptu deuastata,nisi nobilitatis gloria fulgeret,quæ profectò maxima est, & quæ nihil illustribus Europæ vrbibus cedit, nihil sanè haberet reliqui, quod Campanum præclarum nomen posset retinere.

Varia Capuanorum fortuna. Samnites, Cumani, Romani.

Samnites fatigatis bello Etruscis in societatem vrbis, & agrorum accepti sunt. Imparem tamen gratiam retulere, cùm grauatos festo die somno, epulisq. nocturna cæde adorti veteres incolas noui coloni Capuam in suam potestatem redegerunt,Coss.C.Sempronio Atratino,& Q.Fabio Vibulano,eamq. rem vt peregrinam, sed memoria dignam Liuius tradit. Tunc fortasse in medio castrorum loco consepto, cratibus, paleisq. & linteis contecto, sacrum factum est, quod iterùm ex vetusta Samnitium relligione Ouius Pauius Sacerdos peregit, de quo idem Liuius lib.10. *Ab V.C. anno 332.*

M. Petilio Libone, & C. Sulpitio Coss. Defectiones multæ; alia ad Soram,& ccxxv.auctores defectionis Romam missi,qui ad vnum in foro virgis cæsi sunt, ac securi percussi; alia ad Luceriam Samnitibus receptis,sed ad vnum Lucerini & Samnites cæsi, & transcripta eò duomillia colonorum,& quingenti; alia Capuæ,sed coniuratio oppressa est sublatis capitibus defectionis, qui sibi vltrò mortem consciuere. Et cùm Samnites spe Campanæ defectionis ex Apulia Capuam petiissent, à Coss. ad xxx. cæsa Samnitum dicuntur. Maleuentum pauci confugerunt, quod mox Beneuentum est appellatum. *Defectiones.* *Maleuentum.*

Sidicini à Samnitibus armis oppressi à Campanis opem petere,& cum iisdem se coniungere deliberarunt. Indè factum est *Anno 412.*

VT

vt in Campanos Samnites arma verterent, qui fluentes luxu à Samnitibus vsu armorũ fortissimis in agro Sidicino pulsi sunt. Iterùmq. firmo præsidio Tifatis imminentibus collibus occupatis, in planitiem, Tifataq. descendentes, fœlici prælio Campanos intrà mœnia compulere. Aduersis hisce in rebus Legatos ad Romanum Senatum miserunt petituros, vt eorum defensionem susciperent, auxiliumq. ferrent. At Romani quamuis Capua ad varietates annonæ horreum populi Romani fore videretur, fide magis, quàm vtilitate permoti, quòd Samnites fœderatos habebant, quòd amicis, socijsq. fidem violare recusarent, antiquiorem amicitiam, & consuetudinem nouæ præponendam existimarunt. Tunc Legati ad Consules manus tendentes, Capuam, agros, delubra Deum, in populi Romani ditionem dederunt, & lacrimantes in vestibulo Curiæ huiusmodi procubuere, vt Romanos Patres ad misericordiam excitarent, dùm intelligerent humanarum rerum vice omnia commutari, eosq. à quibus paulò antè finitimi auxilium petiissent, infractis animis non tantùm ad alios confugere, sed alienæ se tradere ditioni. Diuturnum hinc cum Samnitibus bellum, magnæ exercituum clades, lætissimi Consulum triumphi, auditæq. Campanorum, & Suessanorum Legationes, quibus petiere vt in ea loca præsidia in hiberna mitterentur.

Capua horreum Romanorum.

Capua Romanis deditur.

Suessani.

Latini, & Campani defecere. Pugnatum est acriter. Ad Minturnas ex fuga Latini se contulere. Ex ijs viui multi oppressi, maximè Campani. Decij Consulis corpus postero die inuentum coopertum telis, funusq. à Manlio collega factum. Latium & Capua agro mulctati. Latinus ager, & Falernus Campanorum, Romanæ plebi diuisus est. Extrà pœnam fuere Latinorum Laurentes, & Campani equites qui non desciuerant, quibusq. ciuitas data est, & iussum vt populus Campanus eis in singulos annos vectigal soluerent. Eius rei monumentum in tabula ænea in æde Castoris fixum est.

Latini. Anno 414.

Capua mulctatur agro. Ager Campanus diuiditur. Equites Campani.

Accepta in valle Caudina ignominiosa clade sub iugum missi Romani in via haud procul Capua corpora, quæ vix lucem intueri audebant, humi prostrauerunt. Quod cùm Capua-

Anno 433.

nis

nis nunciatum esset, absque mora sociorum commiseratione permoti, Consulibus maiestatem restituendam esse decernentes, quibus cum ingenti intuentium miseratione paludamenta detracta fuerant, eorum insignia, fasces, lictores arma, equos, & militibus commeatus miserunt. Tùm venientibus Capuam Senatus omnis, populusq. obuiam egressus, gratissimis eos hospitijs acceperunt. Atqui tunc quidem inter se certabant Capuanorum comitas, animiq. in socios magnitudo, & Romanorum militum pudor, ex quibus nec sermo, nec oculorum conspectus elici poterat. Postero die nobiles iuuenes Capua missi, vt ad Campanorum fines eos prosequerentur. A quibus reuersis, & in Curiam vocatis, cùm percunctatum esset, quidnàm rei victi milites in itinere egissent? responderunt nunquam se abiectiores vidisse animos, nunquam Romanam indolem taciturniorem, quapropter videri Samnites non Romam, sed Romanam virtutem vicisse. Cùmq. ob eam rem deploratum esset in sociorum Concilio Romanum nomen, Offilius Calauius Ouij filius, genere clarus, virtute insignis, ætate verendus, *Audite* (inquit) *Patres; surda ad solatia Romanorum aures irarum ingentem motum audiunt; fixi in terram oculi cadauerū moles, cruoris flumina intuentur, silentium illud, mutaq. vox, nil nisi clamores, gemitusq. Samnitibus excitabunt.* Non potuit Campanus Romanorum virtutem reticere.

Capuanorū animi magnitudo.

Offilius Calauius Capuanus.

In Campaniæ defectione, Samnites ex Apulia ad Caudium reuocati sunt, vt si qui motus occasionem aperiret, Capuam Romanis eriperent, quandò nec ipsa defectionis crimine caruit. Et paulò post cùm omnia infida Romanis essent, Capuæ quoque occultæ Principum coniurationes patefactæ, & apud Dictatorem C. Mænium, qui M. Follium Magistrum Equitum dixerat, Clanij, Ouius, & Nouius capita coniurationis accusati sunt.

Anno 441.

Coniurationis capita Capuæ.

Annibal post Cannensem pugnam Neapolim vrbem maritimam nequicquam tentauit. Ad Capuam indè diuturna felicitate, atque fortunæ indulgentia luxuriantem, flectit iter. Ibi tunc Pacuuius Calauius, qui Senatum sibi, plebiq. obnoxium fecerat,

Pacuuius Calauius.

fecerat, summumq. Magistratum Capuæ gesserat, cùm ad Thrasymenum malè pugnatum est, cognoscens Senatui infestam plebem, magnum facinus se ausurum sperabat, si Annibali Capuã tradidisset. Conuocato Senatu claudi Curiam iussit, præsidioq. in vestibulo relicto, effecit vt nemo iniussu suo adire, aut egredi posset. Mox vocato ad concionem populo, nouos Senatores eligendos persuasit. Sed vbi peiores aut inopia, aut artium quæstu nominarentur, plebs Senatum in Curia detentum, dimittendum esse clamauit. Hinc Senatus in plebem deinceps summa animorum propensio, qua factum est vt Senatui potentia plebs antecelleret. Tunc Liuius ea notat; *Prona semper ciuitas in luxuriam, non ingeniorum modò vitio, sed affluenti copia voluptatum, & licentia plebis lasciuire, vt nec libidini, nec sumptibus modus esset, &c. Romanorum quoque imperium spernerent.* Tunc etiam connubia Capuanorum cum Romanis mixta notantur, & trecenti equites, qui apud Romanos militabant, præter nobilissimos Campanos, qui vrbibus Siculis præsidio erant.

Plebis Capuæ licentia.

Trecenti equites Capuani in Romana militia.

Missi eo tempore Legati ad Varronem Consulem, qui tantùm Campanæ virtuti tribuit, vt prolapsum clade Romanum Imperium, Capuanorum fide, & viribus retentum, cùm triginta millia peditum, quatuor equitum conscripserint, & pecuniæ, frumentiq. maximam copiam coegerint, recuperari posse existimaret. Ex redeuntibus demum Legatis, vnus Sabius Virius, quòd Romanos calamitate oppressos vidisset, nihil de rerum vicissitudine cogitans, eò prorupit insolentiæ, vt à Romanis in agro Campano acceptam iniuriam vendicare, & Italiæ Regno potiri posse, tempus ipsum polliceri sibi, socijsq. persuaderet. Persuasum quoque plebi, Senatuiq. Campano. Quapropter ijdem Legati ad Annibalem missi, qui pacem occultus cum condicionibus acciperet. Duo tunc nebulæ Campani nominis splendori obstruxerunt; quòd luxum, superbiamq. ad barbari hominis pedes prostrarunt; & quòd Romanos Capuæ comprehensos balneis inclusos expirare coegerunt. Decius Magius Capuanus summæ virtutis vir Pyrrhi dominationem, & Tarentinorum

Capuanorum potentia.

Sabius Virius.

Capuanorum pax cum Annibale.

Decius Magius.

tinorum seruitutem obijciens, vt audiuit à Pœno præsidium mitti, nullo pacto recipiendum esse vociferatus est, quin vt illud maximum, & memorabile facinus perpetrarent Capuani, vt interfecto hostium præsidio se Romanis restituerent, ac conciliarent. Comprehendi Magium iussit iratus Annibal. At quoniam inter condiciones acceptas hæc vna erat, vt ius Pœno nō esset in ciuem Campanum, & ne ex animorum concitatione tumultus oriretur, ad Marium Blosium Prætorem Campanum nuncios misit, qui dicerent se, postero die Capuæ futurum. Marius, vt Campani frequentes cum coniugibus, & liberis Annibali obuiam prodirent, edixit. Magius nec egressus Capua est, nec aliquo pacto timens, cum filio ociosè per ciuitatē inambulauit. Annibal ingressus vrbem diem festum celebrandum à Senatu postulauit. Diuertit apud Munios Celeres, Stenium, Pacuuiūq. nobilitate, & diuitijs inclitos. Adhibuit cœnæ Iubellium Tauream insignem bello virum. Perolla Calauij filius, de interficiendo Annibale consilium cœpit, sed Calauius eum retardauit. cui filius tria obiecit; Defectionem inijsse à Romanis, pacis cum Annibale fuisse auctorem, & restituendæ Romanis Capuæ esse impedimento. Senatus frequens postero die datus est, in quo gratias Campanis egit, Capuamq. Italiæ caput breui futuram pollicitus fuit. Magius vinctus extrà portam obuoluto capite raptus est, & in naui impositus Carthaginemq. missus, Cyrenas à tempestate delatus est, vbi cùm ad statuam Ptolæmæi Regis confugisset, Alexandriam ad Ptolæmæum à custodibus deportatus est, à quo permissum vt Romam, aut Capuam rediret. Capuam non sibi tutam arbitratus est. Romam si petijsset, transfuga fuisset iudicatus.

Marius Blosius Prætor Campanus.

Magij animi magnitudo.

Munij Celeres. Iubellius Taurea. Perolla.

Post Cannensem pugnam summa Campanos possidendi Cumas cupiditas incessit; quod vt faciliùs consequi potuissent, defectionem à Romanis sollicitarunt, quam cùm impetrare nequiuissent, ad dolos artesq. animos verterunt. Consueuerant Campani ad Hamas, quæ silua ad tria millia passuum Cumis aberat, sacrificia celebrare. Ad ea Senatum Cumanum inuitarunt, vt ibi de mutua societate inter se decernerēt, vtq. Pœnos vterque

Campani in Cumanos conjurant.

populus hostes haberet. Cumani de fraude suspecti, Graccho Consuli, qui ad Linternum castra posuerat, nunciarunt, quæ Legati Campani proposuerant, quæq. ipsi responderunt. Is ad Cumas castra mouit, ciuesq. intrà mœnia manere, & ex agris omnia in vrbem conuehere iussit. Conuenere Campani frequentes, eorumq. summus Magistratus Marius Alfius cum xiiij. millibus militum non procul insidias occulte moliebatur. At Gracchus silenti profectus agmine, prima vigilia somno stratos, & è sacrificiis inermes redeuntes Campanos obtruncat. Ad duo millia cæsa sunt cum ipso Alfio duce. Posse in Romanos irruere tunc Annibal, qui castra ad Tifata habebat, sibi persuaserat, tùm præcipuè quòd arbitrabatur Romanorum exercitum, tyronum magna ex parte, seruorumq. victis spoliandis, prædæq. incumbere, ideòq. citatum agmen præter Capuam rapit, & ad Hamas accedens, strata tantùm sociorum corpora inuenit.

Marius Alfius summus Magistratus Campanorũ.

Alfius, & Campani occiduntur.

Q. Fabius profecto in Apuliam Annibale, agrũ Campanum igne, ferroq. depopulatus est. Campani tunc eò redacti fuerant, vt nihil viribus suis fidentes, egredi portis, & in aperto castra antè vrbem munire deliberauerint. Qui cùm equitatu plus possent equestribus prœliis hostes sæpiùs lacessebant. Taurea Iubellius inter equites Campanos fortissimus, cùm diù perlustrãs oculis obequitasset hostium turmis, tandem quæsiuit vbinam esset Claudius Asellus Romanus, multisq. verbis ad pugnam prouocauit. Consulem Asellus percunctatus est, Num eius permissu extrà ordinem cum hoste pugnare liceret? Liceat, inquit Consul. Arma extemplo cœpit, Taureamq. nomine compellauit. Ad pugnam accesserunt in castrorum vallo, in ipsis mœnijs spectantibus Campanis. Infestis hastis concitarunt equos. Sed quoniam sine vulnere pugna protrahebatur, Iubellius, *Non equitum, sed equorum* (inquit) *hoc certamen erit; quamobrem in cauam hanc viam demittamus equos; ibi nullo ad euagãdum spacio cominùs conserentur manus.* Tunc in viam Claudius egit equum. At Iubellius verbis, quàm re ferocior, *Minimè sis* (inquit) *Canterium in fossa*; quæ vox in rusticum prouerbium prodijt,

Taureæ Iubellij, & Aselli monomachia.

prodijt, quoties quis ad id negocij trahitur, in quo nequaquam valeat; aut vbi res vehementer erit impedita, & periculosa; veluti & illud contrà dicimus, τὸν ἵππον εἰς πεδίον, *Equum in planiciem*. Etenim quemadmodum plurimum valet equus in planicie, ità minimè valet in fossa. Claudius cùm ex via longè perequitasset, nullo obuio hoste in campum, hostis ignauiam increpans, victor reuersus est.

Q. Fabio Maximo, & M. Marcello Coss. maximo apparatu bellum geri cœptum est. Ceterùm duodeuiginti Legiones hoc anno comparatæ, & res naualis edicto à Censoribus impetrata, perterruerunt Campanos, ne ab eorum obsidione Romani bellum inciperent. Quamobrem ad Annibalem Legatos miserunt, ne nouis conscriptis exercitibus Capuam oppugnari pateretur. Ad Tifata aliquot dies consedit Pœnus, & Numidis, Hispanisq. castrorum præsidio relictis, ad Auernum quasi sacrificaturus, sed reipsa vt Puteolos potiùs tentaret, descendit. Puteolanis magnam cladem intulit.

Capuani apparatu Romanorũ perterrentur.

Annibal Puteolos contendit.

Tunc etiam equites cxij. nobiles Campani, Magistratuum permissu Capua profecti, ad castra Romana venerunt, quæ super Suessulam erant. Per militum stationem Prætori nunciarunt, se cum eo colloqui velle. Cn. Fuluius castris præerat. Qui nuncio audito, x. ex eo numero ad se inermes deduci iussit, cùmq. audisset, quæ postularent, hoc est, vt Capua recepta sibi bona restituerentur, in fidem omnes accepti sunt.

Equites Campani à Cn. Fuluio recepti.

Fames ea tempestate à Romanorum fide huiusmodi Campanos alienauit, vt cùm Romani sementem facere in eorum agro exercitum prohibuerint, ad Annibalem, qui Tarenti erat confugientes, petierint vt priusquàm Consules ad obsidendam Capuam educerent Legiones, frumētum ex propinquis locis conuehi iuberet. Tunc Hannonem Annibal ex Brutijs ad iuuandos Campanos misit, qui maxima cum celeritate, atque diligentia, vehiculis, ac iumentis frumentum comportandum curauit. Pugnatum inter eos. Victi Campani, sociiq. Idcircò Legatos ad Annibalem miserunt, qui dicerent Romanos Consules ad Beneuentum esse, itinere vnius diei Capuam in eorum potesta-

Campani ad Annibalẽ confugiunt.

tem venturam; ne ciuitatem quam ipse Carthagini æquare solebat, desertam, & omni ope destitutam populo Romano traderet. Duomillia equitum cum Legatis missi sunt. T. Gracchus ex Lucanis Beneuentum aduenit, cui sacrificanti triste prodigium factum est, duo enim apparuerunt angues ex improuiso, qui adeso iecore abierunt. Obijt in pugna Gracchus.

Badij, & Crispini singulare certamen. Singulare alterum certamen, sed aliqua ex parte, violata fide odiosum, inter Badium Campanum, & Crispinum Romanum commemoratur. T. Quintio Crispino Badius veteris hospitij consuetudine coniunctus erat, quòd antè Campanam defectionem Badium morbo affectum Crispinus liberaliter, comiterq. acceperat. Victis Romanis à Magonis equitatu, & oppidanorum eruptione, insolenter se agere prœliis lacescendo videbantur Campani. Badius antè stationes progressus, Crispinum ad se euocari iussit. Fit obuiam Crispinus, qui fortasse amicitiæ, atque veteris hospicii congressum expectabat. Cùm Badius, *Te ad pugnam* (inquit) *Crispine prouoco. conscendamus equos; vter bello sit melior decernamus.* Crispinus, ad ea respondit, *Nunquàm se hospitali dextera hospitem esse violaturum.* Atque sic loquutus abibat. Sed Campanus ferociùs increpans, probra, & ignauiam in insontem iaciebat, hospitii iura nulla inter eos esse insolentiùs dictitans. Quæ cùm Romanus ferre non valeret, cùm sibi ab Imperatoribus permissum esset, vt in hostem prouocantem pugnare liceret, ad pugnam prodiit. Humerum Badio hasta transfixit, atque ità vt ex equo languens desilierit, & ad suos confugit, cruentamq. hastam ostentans, magna cum laude ad Consules deductus est. Semper huiusmodi absque consilio prouocantes periere, semper insolentium fregit ratio vires.

Iterùm obsideri Capua cœpta est. Casilinum, & duo ad Vulturni ostium castella frumento communita sunt. Appius Claudius Consul D. Iunio ad ostium Vulturni, M. Aurelio *Puteoli.* Cotta Puteolis præposito, iussit vt naues, quæ ex Etruria, & Sardinia appulissent, in castra frumentum mitterent, inuenitq. Fuluium collegam omnia molientem ad occupandã Capuam; & ambo

& ambo eam vrbem circumsedentes, Claudium quoque Neronem Prætorem ex Suessula euocarunt, atque tria circà Capuam Prætoria erecta sunt. Miserant Legatos ad Annibalem Campani, qui dicerent ab eo Capuam derelictam, atque ferè traditam Romanis. A P. Cornelio Prætore litteras Consules acceperunt, quibus scriptum erat, vt prius quàm Capuam operibus clauderent, potestatem ciuibus facerent, vt qui eorum vellent, è Capua exirent, suasq. res secum educerent, liberos ita fore, qui antè Idus Martias exissent. post eam diem, omnes hostium loco esse habendos. Campani Romanorũ misericordia abutentes, non tantùm Consulum dicta spreuerunt, sed contumelijs etiam Romanum nomen affecere. Et licet Legati omnia Annibali ad Brundusium nunciauerint, isq. responderit, anteà obsidionem soluisse, & nunc Consules aduentum suum nõ laturos; redeuntes tamen Capuam ingredi duplici fossa, valloq. cinctam non potuere. Decretumq. à Senatu ne Consules Capua abscederent priusquàm expugnassent. Et cùm arctiori custodia ad Annibalem neminem mittere possent, Numida quidam per media castra eruptionem tentauit. Interim equestribus prœlijs sæpiùs Campani victores euadebant. quos tamen deinceps Romani singulis velitibus in singulos equos acceptis vicerunt, & iàm tùm velites in Romanis Legionibus institutos innuit Liuius. Annibal ad Capuam exercitum ducit, & ad Tifata consedit, præmissis anteà Capuam nuncijs, vt scirent quo tempore Romana castra esset aggressurus, eodemq. Campani ex vrbe Irrumperent. Appius Claudius Campanis, Fuluius Annibali est oppositus, Claudius Nero in via quæ Suessulam fert, C. Fuluius Flaccus constitit è regione Vulturni fluminis. Varia in pugnando fortuna. Occisorum varius numerus. tandem Annibal ab oppugnandis Romanorum castris suos auertit, & ad obsidendam Romam proficiscens, Q. Fuluium Consulem, relicto collega, è Capua abduxit. Sed Flaccus cum exercitu Capuam redijt. Edicto Proconsulis vulgatum apud hostes, Vt qui ciues Campanus antè certam diem transisset, sine fraude esset. At nulla facta est transitio, magis metu, quàm fide continente, nullam

Capua assiicta.

Romanorum in Campanos indulgentia.

Lib. 26.

Iam enim veniam ob defectionẽ sperare posse sibi persuadebant. Nobilitas Campana Remp. deseruit, nec in foro, nec in publico aliquo loco apparebant; continebant se domi, exitium expectantes. Vibius Virius cum xxvij. Senatoribus in conuiuio dextris inter se datis, venenum sumpsit, cùm de deditione facienda Campani deliberarunt. Aperta itaque Iouis porta est, & Romani intromissi. Seuerior Fuluius in puniendis Campanis fuit, cùm Claudius impetrandæ veniæ facilis esset. Theanum enim profectus à Magistratu Sidicino petijt Campanos quos in custodia haberet; qui producti, virgis cæsi, ac securi percussi sunt. De iis quoque qui Calibus erant, sumptum est supplicium. Taurea Iubellius cùm Flacco diceret, vt ipsum quoque occideret, vt gloriari posset, multo fortiorem ipso virum occidisse, Flaccusq. negaret, gladio quem veste texerat, transfixo pectore ad Imperatoris pedes procubuit. Tunc Calatia, & Atella in deditionem acceptæ, multitudo Campana venundata. Et cùm quibusdam delendam esse Capuam placeret, agri bonitate seruata est, vt aratorum, libertinorumq. & artificum sedes esset; quapropter ipsa Capua, agerq. Campanus Populo Romano addicti sunt. Et huiusmodi amissum fœdus, ciuitasq. Romana, de quibus Varro Consul dixerat, *Vobis fœdus æquum, & leges nostras, & magnæ parti vestrum ciuitatem dedimus, communicauimusq. vobiscum*. Et Regulus, eodem tempore in Senatu dixit, *Per Senatum agi de Campanis, qui ciues Romani sunt, iniussu populi Romani non video posse*.

Vibius Virius cum Senatoribus veneno torruunt. Iouis Porta Capuæ. Capua Romanis deditur.

Taurea Iubellius seipsum perimit.

Lib. 2. Velleius Paterculus scribit venisse Sullam in Italiam, & exercitum duxisse per Calabriam, Apuliamq. cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, vrbium in Campaniam, tentasseq. iustis legibus, & æquis conditionibus bellum componere, sed iis quibus immodica cupiditas esset non potuisse pacem placere. Felici circà Capuam euentu Scipionem, Norbanumq. Consules superasse, & Norbanum acie victum; Scipionem ab exercitu suo desertum, ac proditum, inuiolatum à Sulla esse dimissum. Post victoriam, qua descendens montem Tifata cum Norbano concurrerat, Sullam gratum Dianæ, cuius numini

Capuana regio Dianæ dicata.

mini regio illa sacrata est, soluisse; aquas salubritate in medendis corporibus nobiles, vt potiùs agros omnes adduxisse Deæ, huius gratæ relligionis memoria, & inscriptionem templi affixam posti, & æream tabulam id esse testatam. *Diana templum.*

Idem auctor dùm Italicos Imperatores numerat, recenset *Ibid.* Silonem Poppædium, Herium Asinium, Instrium Catonem, C. Pontidium, Telesinum Pontium, Marium Egnatiũ, Papium Mutilium, & Minatium Magium ipsius auctoris atauum, qui nepos Decii Magii Campanorum Principis celeberrimi, & fidelissimi viri, tantam bello Romanis fidem præstitit, vt cum Legione quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum, *Herculaneũ capitur.* simul cum T. Didio caperet, Pompeios, cum L. Sulla oppugnaret, Cosamq. occuparet.

Gotthi, Vandali, Longobardi, Sarraceni, Græci, Nortmanni, Franci.

Capuanæ vrbis amplitudo quam decem ferè & octo millia passuum ambitu fuisse circumductam coniectura eorum locorum curiosi præuiderunt, ad aratorum redacta sedes, & opificia, cò magis deploranda est, quòd alias passa, quibusque temporibus calamitates, cladesq. inter barbarorum ferocias, & incendiorum ruinas disiectis muris, squalenti agro, exemplum miseriæ se obtulit omnibus gentibus, quibus nihil vnquam fuit antiquiùs, quàm Capuam vel possidere, vel delere. Quæ tamen felici sidere condita, deleta, possessa, afflicta, principatus munere semper claruit, & Regni Neapolitani mediterranea clauis, veluti maritima Caieta, vt in hac re duo hæ vrbes præcipuè contendant, munitissima custodia, atque tutela existimatur. Et licet post Reipublicæ, Magistratuumq. & Senatus celebrem illam veterem dignitatẽ L. Fuluio, & L. Plaucio Venoce Coss. post Theanenses, & Canusinos ad deditionem compulsos à Flacco Plaucio, ab eodem cœpti fuerint creari Capuæ Præfecti, legibus à L. Furio Prætore datis, quo tempore Diodorus, Manium Fuluium, nõ Lucium Consulem legit, Madiastaticum nihilo-

nihilominus summum Magistratum posterioribus temporibus retinuisse scribit Liuius, & in barbarorum tumultibus suos habuit Gastaldeos,Comitesq. mox etiam in senescenti suo sæculo Principes,quorum auctoritas ac dignitas, hac ætate qua renatam Capuam Austriorum Imperio felicissimo cernimus, ad eorum filios primogenitos, veluti Aragoneis mos erat,peruenisse optimè scimus,quod vnum maximam gloriam illustrissimæ vrbi peperisse non dubitamus.

367 Sub Valentiniano, Vandali omnem Campaniam auidi prædæ ferro, flammisq. commiscuere, Capuam vastarunt, euerterunt Nolã,aliasq. vrbes,prædaq. onusti in Lybiam sunt regressi. An verò Alarici anteà, Totilæ posteà rabiem subterfugisse Capuam dicemus, cùm nulli pepercerint Campaniæ ciuitati?

Capua à Genserico Rege igne,ferroq. absumpta est;Gotthis postea eiectis, cùm refici, habitariq. cœpisset,post annos circiter c. à Longobardis sub xxx. Ducibus iterùm deleta est. instaurata deindè ab eo loco duobus millibus passuum, in quo sita erat.

846 Ne quis Gastaldeos eiusdem auctoritatis cum Principibus fuisse existimet, legat Leonem Ostiensem necesse est, qui ait, Capuanos quibus Landulphus Gastaldeus præerat, odio habentes Radelchim Beneuentanorum Ducem, ad Siconulphum Siconis filium Tarentum vbi exulabat,se contulisse, atque elegisse sibi Principem. Ab hoc primo ob belli auxilia Sarraceni cum Calphone eorũ Rege per Pandonem, qui Barim regebat, sunt accersiti. Ab ijs proditus Pando est, totaq. regio deuastata. Cùm se illicò Capuam contulissent, eam vrbem in cinerem redegere. Iterùm quoque ad Barim cùm degerent, & Calabriam, Apuliam, Beneuentum vndè à Ludouico Imperatore paulò antè eiecti fuerant, æquo iure Radelchi, & Siconulpho prouincia diuisa, deperdere niterentur, eundem Imperatorem in Italiam euocarunt. Tunc Sarracenos Capuæ commoratos indè intelligimus, quòd Capuanorũ arte Imperator detinebatur, quominùs cum barbaris dimicans victoriam consequi posse sperabat, quamobrem Siconulphi filium Salerno in exilium misit,

Landulphus Gastaldeus. Siconulphus Capuæ Princeps.

Sarraceni Capuæ.

Ademarius Salerni Princeps. *Sicopolis.* *Noua Capua.* *Lando Comes Capuæ.*

misit, & Ademario tradidit principatum. Iisdem temporibus Capua, quæ Sicopolis quoque dicebatur antè xv. annos in monte Trifisco ædificata, ob multa commorantium facinora, sæpiùs igni tradita est, & vt ab ea calamitate eam liberarent, Lando Comes,& Landulphus (Pandulphus, alibi) Episcopus, ad pontem Casulini eam ædificarunt, vbi hac quoque tempestate sita est. Differt tempore à Leone Ostiensi Herempertus, qui prætereà hæc addidit; *Landulphus autem Sicopolim ingressus, à Radelchis dominatu se subducens, Siconulpho sociatus est, ac primùm cum Neapolitanis coniunxit fœdera, quorum auxilio Calabriam, & Apuliæ partem subiugarunt.* Atque vt eorum temporum calamitatem exprimeret qua Capuani, Neapolitani,& Beneuentani opprimebantur, ait; *Erat autem adhuc inter Siconulphum, & Radelgisium frequentissima pugnæ concertatio,& quotidiana litium seditio, vndè ex diuersa parte, quibus via iustitiæ displicebat, alternatim ab vno in alterum confugiebant, fremebantq. crebræ rapinæ, & incestæ fornicationes erant, sicut vniuersi erranei, & ad malum prompti, quasi bestiæ sine pastore aberrantes in saltum. Sed cùm iugiter auidi bello inuicem lacerarentur,& esset omnium pernicies,& vt ità dicam animæ, & cordis extrema perditio, maximè quia Sarraceni Beneuenti degentes, quorum Rex erat Massan, intrà, extràq. omnia funditùs deuastarent,* &c.

Capuani Neapolitanis fœdere coniuncti.

856 Sarracenorum item incursionibus obuia Capua Seodæ eorum Regi Bari egresso occurrit, qui ea vrbe ad desolationem redacta, positis in agro Neapolitano castris, omnem eram terra, mariq. depopulatus est. E' Capuæ direptione redeuntes Barbaros Macelpotus Telesinus, Vandelportus Bouianensis Gastaldei, Lambertus Dux Spoletinus, & Gerardus Marsorum Comes, quos Gastaldei conduxerant, aggressi sunt. Anceps diù victoria, ad Sarracenos tandèm inclinauit, multis ex ducibus, militibusq. peremptis. Ferocior ea pugna cùm factus esset Seodas, multas vrbes cepit, atque deleuit; sed Theanum Bertharij Abbatis prudentia, cladem euasit.

Capua, & Neapolis obuia Sarracenis. *Seoda Rex Sarracenorũ.*

871 Ludouicus Lotharij Imperatoris filius vlturus Adalgisum,

qui Græcorum promissis corruptus, cum Samnio, Campania, & Lucania defecerat, Beneuentum profectus est. Lucaniam, & Samnium in deditionem accepit. Sola Capua muris confisa, quæ quia quadrato lapide erat constructa (vt scribit Regino) audaciam repugnandi ciuibus præbuit, in rebellione perseuerabat; sed obsidione cingitur, cuncta hostili rapacitate diripiuntur; nouissimè vites, olíueta, & ceteræ fructiferæ arbores radicitùs exciduntur. Capuani desperatis rebus, Episcopum adeunt, rogantq. vt accepto D.Germani corpore, cuius animam venerabilis Pater Benedictus in sphæra ignea ab Angelis in cælum viderat deferri, idq. in feretro portantes in castra Imperatoris, subsequente vniuersa plebe, veniam defectioni impetrarent. Sic factum, fusæ illic lacrimæ, & præces. Imperator natura clemens misericordiam illis largitus, à direptione Capuanæ vrbis abstinuit. Sed expulsis Græcis, quibus Samnium, Campania, & Lucania à Ludouico recedentes se subdiderant, custodibusq. ex militum suorum numero relictis, Beneuentum adijt. Ibi ab Adelgiso, vel in carcerem detrusus, vt scribit Leo Ostiensis, quòd Franci in ea ciuitate multa insolenter agerent; vel ab eodem igne palatio admoto Imperator inducias poscens, huiusmodi veniam impetrauit, vt nunquam deinceps Beneuentanos fines esset ingressurus. Scribunt aliqui è custodia esse dimissum, vt maximo exercitui ex Africa aduenienti resisteret, quorum ad nouem millia ad Capuam interemit; & Capuam ingredientem, Sarracenos metuentes, in Calabriam se contulisse relicta Capuanorum ditione, quam idem auctor Principatum appellat. Imperator annum Capuæ commoratus, sublato S.Germani corpore, in Franciam est reuersus.

lib. 2. Chron. — *Capua diripitur à Ludouico.* — *D.Germani corpus.* — *Sarraceni Capuã deserunt.* — *S. Germani corpus in Frãciã defertur.*

Per ea tempora Athanasius Neapolitanorũ Dux inito cum Sarracenis fœdere, auaritia ductus, eorum incursionibus Neapolim, Beneuentum, Capuam, ipsam Romam subiecit. Et missis Aprocrisariis in Siciliam (vt Heremperti verbis vtar) Agarenis qui ad Vesuuij montis radices consederant, Regem Sichamum postulauit. Qui veniens, ijsq. præfectus, iusto Dei iudicio, postea Neapolitanos miserrimè afflixit. Extat eius rei perennis

Athanasius Dux Neap. — *Sarraceni ad Vesuuium.*

memoria

memoria in longiſſima epiſtola, quam Ludouicus ad Baſilium Conſtantinopolitanum ſcribit, in qua hæc præcipuè leguntur; *Poſtremò de Neapoli nobis in Chriſto fraternitas tua, quaſi miſerimus populum ad incidendas arbores, & meſſes igne cremandas, & hanc ditioni noſtræ ſubdendam, cùm licet ab olim noſtra fuerit, & parentibus noſtris pijs Imperatoribus tributa perſoluerit. Verùm nos ab eius ciuibus præter ſolitas functiones nihil exegimus, niſi ſalutem ipſorum, vt deſererent contagia perfidorum, & plebem deſiſterent inſequi Chriſtianorum, nam infidelibus arma, & alimenta, & cetera tribuentes ſubſidia, per totius Imperij noſtri littora eos ducunt, & cum ipſis tociens B. Petri Apoſtolorum Principis fines furtim deprædari conantur, ità vt facta eſſe videatur Neapolis Panhormum, vel Africa. Cùmq. noſtri quoque Sarracenos inſequuntur, ipſi vt poſſint euadere Neapolim aufugiunt, quibus non eſt neceſſarium Panhormum repetere, ſed Neapolim fugientes, ibidemq. quouſque prouiderunt latitantes, rurſus improuisò ad exterminia redeunt. Super quibus illos ſæpè monuimus, ſed ex admonitione facti ſunt peiores, adeò vt Epiſcopum proprium, quoniam eos vt vitarent conſortia malignorum monitabat, ex vrbe proiecerunt. Ergò ſi ſocietatem non diſſoluerint infidelium, ſecundum Apoſtolum, qui præcepit dicens, Nolite iugum ducere cum infidelibus, & paſtorem, atque Epiſcopum proprium non receperint, portionem eorum ponemus cum his quorum libenter amplexi ſunt vnionem, & in vna lance appendemus vtroſque, quoniam nō ſolum qui faciunt talia, ſed qui conſentiunt facientibus, dignus morte iudicat memoratus Apoſtolus, præſertim cùm vnanimiter arma contra Chriſtianos ferant, & dimicent, & ſi quos Fidelium capere poſſunt, Sarracenorum manibus tradunt, cum ipſis ad bellum vno impetu procedentes.* Quæ cùm poſtremò ad manus venerint, prætermittere nolui. non modò vt ſciamus Francis etiam Imperatoribus aliquandò fuiſſe ſubiectam, tributa pendentem, vt Ludouici verba declarant, quod etiam illud potiſſimùm patefacit, cùm Neapolitani recepto Dauferio maximas calamitates à Grimoaldo accipientes, qui ad portam Capuanam eorum

Neapolitani Francis Imperat. tributa perſoluebant.

Neapolis, & Panhormum Sarracenorũ receptacula.

Porta Capuana.

exercitum nemine resistente insequutus fuerat, & à Sicone acerrimam obsidionem passi disiecto ad maris oram arietibus, & machinis muro, datisq. obsidibus duobus filijs, & genitrice, nec seruata fide, à patre, & filio sexdecim ferè annos bello oppressi, ad Francorum præsidia confugerunt, quibus Ludouicus primus Caroli filius imperabat, vt non mirum sit si Ludouicus ad Basilium scribens suam Neapolim dicat; sed etiam vt Athanasij res gestas cum Capuanis, eodem loco congerâmus. Hic enim vt anathema à se exploderet, à Capuanis, & Guaimario Salernitanorum Principe contrà Agarenos auxilium petijt, qui ad Lirim castris positis, Capuam, Salernum, Neapolim crebris incursionibus vexabant. Nec à fallacia destitit Athanasius, qui aliud ore ostendens, aliud pectore tegebat, propterea quòd Sarracenis clàm accersitis, Capuam sibi subdere moliebatur, in quos Lando Beneuentanorum Dux fortissimus impetum faciens, facta internecione deleuit.

Athanasius à Capuanis opē petit.

Athanasius Capuæ deditionem desiderabat.

Capuaui intereà expulso Landulpho Episcopo canonicè electo, Landenulphum quendam nobilem Capuanum coniugatum, & neophytum sibi Episcopum elegerūnt. Qua ex re orta ciuili discordia, Sarraceni totam regionem vastarunt. Ad discordias sedandas Pontifex bis Capuam accedere coactus est, & Landulphum Capuæ veteris ordinauit Episcopum, & Landenulphum Capuanæ Ecclesiæ præfecit, & æqua sorte vtrique Episcopatum distribuit.

Duo Episcopi Capuani.

Ad rem Capuanam facit, quod Ioannes Cuspinianus, & Cœlius Curio narrant, sub Basilio Agarenos, qui tot annos Italiam occupauerāt, eius Imperatoris auxilio profligatos esse, & Soldanum eorum Ducem captum, annum Capuæ in captiuitate delituisse. Hunc nunquam ridere visum esse, nisi semel currus rotam circumuolui, & imam partem in altum erigi videntem, *Sic* (dixit) *res vertuntur humanæ, quod sine cachinno nescio explicare*. Hunc etiam Italiæ Regi persuasisse, si Capuam, & Beneuentum firmissimo dominio possidere voluisset, iuberet vt nobiliores ciuitatis aliò migrarent, sic enim faciliùs plebs iugum esset subitura. Quod consilium cùm Regi placuisset, &

Soldanus

Soldanus omnia patefecisset, populares Regem ad venationem progressum, vrbe excluserunt, Soldano libertatis precium soluentes. Capuam paucos post dies barbarus obsedit, & licet Capuani non admissis ad Regem Legatis, ad Basilium confugerint, Legatum tamẽ qui auxilia missurum Imperatorem nunciabat redeuntem, & in itinere captum, monuit vt contraria ciuibus nunciaret. Ductus Legatus antè mœnia, stans clara voce, *Bono animo* (inquit) *ciues vos esse iubeo, mox enim opem feret Imperator*. Soldanus eum confodit, & obsidionem soluit.

ATHENVLPHVS, quem Adenulphum vocat Gulielmus Apuliensis, Gastaldatum Capuanũ, siue Ministerium (sic enim Longobardi Præfecturam vocabant) suscipiens, Athanasij auxilio, vt ait Herempertus, & vt scribit Leo Ostiensis, Comes cum filio Landulpho effectus, & Princeps, cum suis ea ditione annos clxxvij. potitus est. Magnæ tunc inter Neapolitanos, & Capuanos discordiæ ortæ sunt. Cùmq. Athanasius vehementi cupiditate in Capuam exarderet, & cùm multa inter eos mala intercederent, Athenulphus iureiurando Capuam illi concessit, vtq. firmiùs illud obtineretur, filium obsidem Athanasio misit, quem tandiù retinuit, quàm repromissum (sic loquitur Herempertus) à Guidone factum Athenulphus susciperet, acceptoq. fœdere Gallico, obside restituto, inter vtrumque annò vno, & mensibus tribus inita pax est. In eius Ducis Neapolitani potestate Capuam fuisse, ea verba patefacere videntur; *Cùm adhuc ille moraretur, Athanasius dolorem conceptum in opus erumpens, Græcos, & Neapolites, seu omnes Capuanos generaliter morans, super Abellanum misit castrum quo tunc præerat Landulphus Suessulanus. Mox autem vt illuc superuenit exercitus, fraude illorum, qui intrò erant captum est, apprehenso in eo Landulpho, & filio eius iuniore, nuruq. illius, vxore videlicet Landonis, qui cum Guaimario profectus fuerat.* Lando anteà in quodam plaustro ingressus Capuam (tumultus enim cum Aione, Adelgisio, Guaiferio, & alijs erant) in Episcopali aula pugnam inijt, quò cùm accessisset Athenulphus, manus conseruit, & Valanes illustris vir occubuit; quapropter eius partes Landonis

897 *Athenulphus Comes, & Princeps efficitur.*

Neapolitanorum, & Capuanorum discordiæ.

Abellanũ castrum à Neapolitanis capitur.

donis amici sequuti sunt, qui cum Guaiferio fugam arripuit: & eorum clientes capti, in vincula sunt coniecti, inter quos erat Landulphus Episcopus, qui tamen omnes dimissi sunt, cùm Athenulphus Gastaldatus iura suscepit.

Athanasij, & Athenulphi pactum.

Sed animaduertens Athanasius Capuam esse captam, innouandæ pacis cum Athenulpho occasionem reperit; missisq. inter se nuncijs, illud obseruandum statuit Dux Neapolitanus, vt in Amphitheatrum proficiscerentur, ibiq. adesset Athenulphus; quo facto, firmatoq. fœdere, præcepit vt cum Guaiferio filium obsidem mitteret, interim multarũ artium effector Athanasius, Capuam dolo populatus est. At verò in tàm crudeli, & impia persequutione præstare Deus volens misericordiam Capuanis, Athanasium è tanta elatione deiecit, quippe cùm Græcorum, Neapolitanorum, & Sarracenorum exercitum contrà Capuanos misisset, Athenulphus cum suis, & militibus quos Aio dederat auxiliatores occurrens, nemine ex suis deperdito, nisi quodam Alderico, victor, atque triumphans, præda onustus ad castra redijt. In eo prœlio Sarraceni qui ab Athanasio, & qui ab Aione erant, manus conserere noluerunt, vt nemini fauere viderentur, quasi verò sibiipsis iniuriam, & mortem inferre non liceret. Seruant barbari fidem. Hoc tempore inter se fortasse fratres dimicarent. Susceptis viribus ab Athenulpho, & deiectis animis Athanasius, pacem petere statuit, quæ diuturna esse non potuit, propterea quòd Sarraceni simul conuenientes, omnem iram in Neapolitanos exercuerunt, & iusto Dei iudicio, inquit Herempertus, *Neapolites vastantur, qui vastarunt.*

Athanasius à Capuanis vincitur.

Athenulphus cũ Gregorio Duce Neapolitano Sarracenos eijcilit.

Athenulphus Sarracenorũ odio accensus, cum Gregorio Neapolitanorum posteà Duce, & Amalfitanis, cum iis viriliter ad Minturnas pugnarunt.

Landulphus Athenulphi frater.

Miserat ad eam rem peragendam Athenulphus ad Leonem Imperatorem, Landulphum filium, qui vbi de Athenulphi obitu nunciatum est, Capuam reuersus cum Athenulpho fratre Principatu potitus est. Is cum Gregorio Neapolitano, & Ioanne Caietano, & Ioanni X. coniunctus, immanes hostes ex Italia eiecerunt. Ab ijs Principibus Ioannes Abbas in Archidiaconi

Ecclesiæ

Ecclesiæ Capuanæ locum suffectus est, qui Theano Capuam monachorum congregationem transtulit.

Hungari Capuam, Beneuentum, Sarnum, Nolam diripiunt. Capua multos captiuos ducunt, ad quos redimendos grandem pecuniam fuisse impensam, narrat Leo Ostiensis. *Hungari.* 934


Sico Capuanus Episcopus contrà instituta diuina, atque humana, Ecclesiam S. Angeli, quæ tunc ad Arcum Dianæ dicebatur, violenter eripuit. Martinus Pontifex Ecclesiam S. Mariæ de Capua Casinensi Cœnobio confirmauit. Ioannes quidam Capuanus, eidem monasterio obtulit Ecclesiam S. Viti, quæ in monte S. Agathæ suprà Capuam sita est. *Sico Episcopus Capuanus.* *Arcus Dianæ*

Landulphus Athenulphi frater, inito fœdere cum Ioanne Neap. Duce, huiusmodi conuenere, vt totis viribus Salernitanum Principatum inuaderent, Gisulphum eius ciuitatis Principem adolescentem nihili facientes. Conscripto Capuanorum, & Neapolitanorum exercitu, Salernum castra mouerunt. At Gisulphus, adiuuante Mastalo Amalphitanorum Comite, prœlio se, suosq; committens, Capuanos, Neapolitanos, & Beneuentanos terga vertere coegit. Icto simul deindè fœdere, Nolam solo æquarunt, prædia pupulati sunt, mox pacem consequuti. 946 *Nola.*

Interponitur hoc tempore MARINVS Dux Neapolitanus ab Heremperto, cuius à me nulla mentio facta est in Ducibus, & qui captam Capuam demolitus est. Meminitq. non multos post dies Alamanos, Spoletinos, Saxonesq. Capuam venisse, sed non reperta ibi Græcorum phalange, quibus infestissimi erant inimici, vnà cum Capuanis vrbem obsedisse, & diripuisse. Indè Abellinum castra mouentes, igne combusserunt, quòd illud oppidum se Græcis dedidisset. Nec defuit Abellinum quin Capuani cum Neapolitanis odia, & dissidia exercerent, nam Adelferius indè eiectus Capuam se contulerat. Et cùm Beneuentani, & Neapolitani cum aliquot Sarracenis Capuanos insequerentur, collatis signis, multisq. vtrinque peremptis, Adelferius captus est, & Neapoli custodiæ traditus. *Marinus Neap. Dux.* *Capua diripitur.* *Abellinum.*

Ea

Ea ciuitas hoc tempore tùm annonæ promptitudine, quà cum Tripalda eiusdē ditionis vicinæ ditantur prouinciæ, ipsaq. Neapolis cùm in ea loca quotidiè ex Apulia maxima frumenti copia comportetur, tùm Camilli Caraccioli Principatu, qui Tripaldæ Ducatum in Marinum filium, lectissimum equitem contulit, omnibus rebus ad hominum vitam commodis, magnificentissimè extructis hortis pulcherrimè consitis, aquarum perennium diuortijs, fontibusq. quæ ad Regium ornatum accedunt præclarissimis, illustris inter Regni Neapolitani ciuitates reddita est. Is ortus ex clarissima Caracciolorum familia Russa, (cuius celebris antiquitatis monumentum, numisma,



cciola fa Chrono quod ad manus nuper peruenit, ostentat, cuius etiam in Chronologica Caracciolæ Familiæ Historia Franciscus De Petris meminerat) tantum sibi gloriæ domi, forisq. comparauit, tantùmq. militari disciplina, prudentia, animiq. candore inter Italos, Hispanos, & Belgas inclaruit, vt non modò inter eos, qui de pace, & bello decernunt, ab Austriacis Regibus fuerit adscitus, sed ad Aurati etiam Velleris dignitatem, maximo cum totius familiæ honore, fuerit euectus.

dulphus. 954 PANDVLPHVS Landulphi filius, qui *Caput ferreum* dictus est, Principatui succedens, Ioannem Pontificem XIII. à Romanis pulsum, & Capuæ commorantem, rogauit vt Ioannem fratrem Episcopum Capuanum consecraret, qui ad Archiepiiepisco- Capua- scopalem dignitatem extulit, & tunc primùm Archiepiscopatus Capuanus institutus est. Ex Aloara vxore plures filios suscepit, dulphus. sed LANDVLPHVS primogenitus, mortuo patre, Principatum adiuit.

973 Othone primo defuncto, secundus Otho eius filius Capuam venit, coacto exercitu cum Sarracenis in Calabria dimicauit.

In ea

In ea pugna præter multos Principes,& Episcopos,Landulphus cum Atenulpho fratre occubuit. Imperator Capuam reuersus, Aloaræ Landulphi vxori,& Landenulpho filio (Landulphum nominat Sigonius) Principatum confirmauit. Et sequenti anno non tantùm Græcis & Sarracenis, sed etiam Romanis, & Beneuentanis iratus,Beneuentum hostiliter diruit,& S.Bartholomæi ossa indè extulit, Romamq. traducenda iussit,vt in Germaniam transferret. Mortua Aloara, quæ octo annos regnauerat, Landenulphus filius à quibusdam Capuanis ad S. Marcelli ædem cæsus est, ad quam Principum more feria v. sanctæ Paschæ processerat, ideoq. LAIDVLPHVS frater successit. Quam iniuriam vt vlcisceretur Transmundus Theatinus Comes affinis, cum Rainaldo, & Oderisio Marsorum Comitibus, comparato exercitu,Capuam quindecim dies obsidens,ferè deleuit. Hugo item Marchio ab Imperatore missus, qui nunquam obsidionem solueret, nisi traderentur qui Principem occiderant; quos traditos varijs cruciatibus necauit. Terræmotus biennio post Capuæ, & Beneuenti maximus commemoratur. *Landenulphus occiditur.* *6. Laidulphus*

Obierat interim Otho II.& successorem habuit Othonem III. Hic animaduertens Laidulphum in fratris necem conspirasse,de Principatu eum deiecit, & trans Alpes relegauit, & in ADEMARIVM quendam, quem secum à puero educatum vnicè diligebat, & quem Balsami clerici filium facit Leo Ostiensis, paulò antè honoris gratia Marchionem creatum,dignitatem contulit. Qui à Capuanis eiectus est,& in eius locum PANDVLPHVS è S. Agata Landulphi Beneuentani Principis filius, fuit subrogatus. 984 *7. Ademarius* *8. Pandulphus*

Robertus cum suis Nortmannis Capuam ad Pandulphum Principem peruenit, cum quo Melus Barensis commorabatur. Inter Nortmannos, Melumq. fœdus ictum est,quibuscum Græcorum fines expugnauit. Capuanus Princeps Imperatoris partes sequutus,aureas illi claues misit, Capuam, seipsum, Principatumq. vltrò offerens. Boiano Catapano permisit vt Dattum caperet, qui in turri ad Lirim erat, & à Nortmannis venia impetrata, Dattus parricidarum more in mare præcipitatus est. 1015

Ppppp Belgrinus,

1023 Belgrinus, vel Piligrinus Capuam armato milite cinxit; Pandulphusq; Princeps metuens ciuium proditionem, Belgrino occurrens, de ijs quorum culpa in eum reijciebatur, se in Imperatoris (Henricus erat) iudicio purgaturum asseruit. Sed dùm causam diceret, morte mulctandum Imperator censuit. Factaq; à Troianis deditione (Troiæ enim hæc fiebant, quam Græci tunc ædificandam curauerant) Imperator Capuam veniens vt exercitum reficeret, coniecto Pandulpho in carcerem, Principatu PANDVLPHO Comiti Theanensi tribuit, qui posteà Oratorium B. Ioannis Baptistæ ad monasterium D. Benedicto dicatum suprà Landulphi corpus construxit.

Troia.

9. Pandulphus Theanensis.

1025 Mortuo Henrico Imp. Conradus Imperium est assequutus. Ab eo Pandulphus qui in Germaniam eiectus fuerat, libertate recuperata, Capuam accitis Græcis, Appulis, Nortmannis, Rainulpho, & Araolino Comitibus Marsorum, expugnauit. Pandulphus autem Theanensis quem Principem Imperator elegerat, cum Ioanne filio, omnibusq. suis Neapolim se recepit. Sequenti anno ipsa quoque Neapolis capta est, Sergio Magistro militum indè expulso, tribusq. annis Capuanus Princeps præfuit, quam verò idem Sergius recuperauit.

Neapolis capitur à Capuanis.

1038 Conrado ex Germania profecto, & Mediolani commoranti, de Pandulpho multa quærentes detulerūt, quòd præcipuè B. Benedicti cœnobio bona abstulisset. Et querimonijs commotus pijssimus Imperator Romam venit, præcipuosq; viros ad Principem misit, qui de restituendis bonis agerent, quæ ad monachos pertinere arbitrabantur. Legati Capuam profecti, re infecta ad Imperatorem rediere. Exercitum is mouit ad Casinum, & Capuam tendens, Pandulphus ad S. Agatæ arcem fugauit, quam ea de causa munitissimam habebat. GVAIMARIO Salernitano Capuæ Principatus, & Rainulpho, vel Rannulpho Auersæ Comitatus traditur. Adenulphum Capuanum Archiepiscopum sedi suæ restituit. Pandulphi obsides ducens, Beneuentum petijt. Eo tempore Guaimarius, fauentibus Nortmannis, Surrentum cepit, & Guidoni fratri obtulit.

10 Guaimarius.

Rannulphus Auersæ Comes.

Surrentum capitur.

Pandulphus post Conradi obitum, de recuperanda Capua cogitans,

cogitans, auxilium à Græco Imperatore petiturus Constantinopolim contendit. At Imperator à Guaimario monitus, non modo opem illam ferre abnuit, sed etiam eum in exilium egit. Quo tandem Capuæ decedente, Vesuuius mons in flammas erupit. Sequenti anno Leo Pontifex Capuam, mox Beneuentum venit, & inter ipsum & Imperatorem commutatio Beneuenti facta est cum Bamburgense Episcopatu.

Pandulpho LANDVLPHVS filius successit, sed RICCARDVS 11. Landulphus.
Capuam obsidens, fame & omni egestate compulsam in deditionem accepit, atque ità Auersæ Comes nobilissimum Principatum obtinuit: quamobrem Leo IX. Capuam & Beneuentum excommunicauit. Hic IORDANEM filium habuit successorem, 12. Riccardus. 13. Iordanes.
qui cum totam Campaniam armis adeptus esset, obijt anno 1093
1093. Capuani RICCARDVM secundum Iordanis filium odio 14. Riccardus.
habentes, eiectis è Capua Nortmannis, Auersam ad matrem eum confugere compulerunt. Ope à Rogerio Apuliæ Duce præstita, Capuani deditionem facere, accepto Riccardo, coacti sunt. De ijs sic Gulielmus Apuliensis de Rannulpho loquutus,

Huius præclara processit stirpe Ricardus
Qui post successit, quo non animosior vllus,
Nemo magis largus, qui non virtute minorem
Iordanem genuit, Iordanis & indè Ricardum.

In eius demortui locum Capuanus Princeps ROBERTVS 15. Robertus.
eius frater effectus. cui alter quidam Riccardus successit. sed 16. Riccardus.
non diù viuentem, ROBERTVS Iordanis frater subsequutus est, 17. Robertus.
quem Iordanem alij dicunt, corruptumq. Pauli Diaconi textum existimant. Ea ætate Nortmannos à Capuanis expulsos narrat Bertoldus Constantiensis, addiditq. eos circumquaque vsque ad ciuitatis murum omnia præda & incendio deuastasse. veluti Procopius ait Francorum bello peracto, potuisse quempiam circà Capuam campos spectare cruore, & sanie diutiùs inundantes, & proximum flumen excessisse ripas, vt vltrà quàm ferre posset hostium cadaueribus repleretur, & recitatum sibi hoc epigramma; *Aquas Casilini fluminis mortuis grauatas suscepit Tyrrheni maris littus, quandò Francorum gentem occidit Ausonius*

ensis, vbi misero hæc gessit morem Bulsino. Felix etiam iste fluctus, & erit barbarico pro trophæo diutinè eructans sanguinem.

Per Quadragesimas tempus, Conuentus Capuæ actus est, cui Victor cum Episcopis & Cardinalibus præfuit, & Cincius Consul, Iordanes Princeps, atque Rogerius Roberti filius, Dux Apuliæ adfuere. Eo peracto, clerici & laici omnes præcibus eum sollicitarunt, vt Pontificiam dignitatem non recusaret. Quas cùm biduò spreuisset, Duce, Principe, & Cardinalibus ad pedes procumbentibus, tandem cessit, ac xij. Cal. Aprilis in festo Palmarum, superiora Comitia confirmauit.

1111 In conditionibus quibus de coronatione cum Summo Pontifice & Petro Leonis agebat, Henricus IIII. Imperator, hæc etiam interposita sunt; *Se vitam Pontificis, honorem, libertatem, regalia, patrimonia S. Petri, & nominatim Apuliam, Calabriam, Siciliam, Capuanumq. Principatum conseruaturum, atque omne ius Ecclesiarum, omnesq. earum res dimissurum.* Tunc etiam ob Henrici, & Germanorum scelera, qui in Pontificem, omnesq. Romanos manus sacrilegas intulerant, Robertus Capuanus Princeps, trecentos milites Romanis misit Ferentinum, qui cùm vrbem ingredi non possent, Capuam rediere. Henricus magis in

Gelasius. Latij oppida sæuijt. At Gelasius animos in tanta rerum iniquitate non abiecit, sed Roberti Principis, aliorumq. Apuliæ procerum aduocatis auxilijs, aduersus Henricum profectus, adeò eum exterruit, vt Gregorio Fregipanibus commendata vrbe

Calistus. abierit. Calistus Beneuentum progressus, à Gulielmo Apuliæ

1120 Duce, Roberto Principe Capuæ, ceterisq. eius prouinciæ proceribus aditus, sollemnia ab omnibus sacramenta exegit, & rebus compositis Romam reuertit, inquit Sigonius.

1130 ROGERIVS cùm Principatum Roberto ad Innocentium Pontificem Pisas profecto eripuisset, Sicilia, Calabria, & Apulia in suam potestatem redactis, Regni dignitate eam ditionē insignire studebat, atque nulla Pontificia auctoritate Regem Siciliæ se nuper appellare incœperat, quòd cùm omnes ægrè ferrent, ido-

Anacletus. neam nactus occasionem ad Anacletum accedens, sibi semper præsto futurum pollicitus est, si Regem appellasset. Anacletus

quòd

quòd maximè exoptabat amplexus, Beneuentum profectus, Rogerium præsentem, Siciliæ Regem, Apuliæ, Calabriæq. Ducem, & Capuæ Principem declarans, Feudatarium Ecclesiæ confirmauit. Henricus verò Capuam cum exercitu profectus, Aquilanos in fidem recepit qui Lotharii & Innocentii imperata se facturos dicebant. Idem Capuani dicentes, à Rogerio defecerunt, quòd intelligerent Principatum Roberto esse restituendum, veluti re ipsa fuit Henrici auctoritate restitutum, Campania in ditionem adducta. Et Lotharius posteà cum Innocentio Capuam venit, & instituto Ranulpho germano Duce Apuliæ, Robertum item Capuæ Principem confirmauit. Sed Rogerius ex Sicilia cum exercitu ad recuperandam Italiam mouens, inter alia oppida Capuam adortus, vastitate & incendio deformauit. Nec ab ecclesiis abstinuisse, innunt scriptores. Paulò post Innocentius ne vlla in futurum belli superesset machina, Regem ipsum Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ Ducem, & Capuæ Principem asseruit; ipseq. Amfulso filio (Alfonsum alij dicunt) Capuæ Principatum tradidit.

Innocentius. 1136 *Capua incenditur à Rogerio.* *Amfulsus.*

Anno 1156. Gulielmus Rex Siciliæ, cùm ab Adriano Pontifice pacem postulasset, & ad pedes procidisset, in gratiam acceptus, Rex quoque Siciliæ, Dux Apuliæ & Calabriæ, atque Capuæ Princeps est comprobatus. Princeps Capuanus dùm Lirim transibat captus, Gulielmo traditus, in Sicilia excæcatus in carcere periit. Henricus Gulielmi filius Capuæ Princeps anno 1170. obiit; Panhormi, apud Rogerium fratrem sepultus. 1170
Anno 1204. in agro Campano Gualterius Brenna Neapolitanos profligauit. 1204
Anno 1251. Capuani Manfredum accipere recusarunt, id quod Neapolitani quoque fecerant, ne scilicet Regem haberent, quem Pontifex non inaugurasset. Idem Aquino faciundum persuasit Casertæ Comes. Erat tamen Manfredus Capuæ cum Archiepiscopus Folignensis ab Innocentio missus est, vt eum ad Ecclesiæ obedientiam hortaretur. 1251

Gulielmus. *Henricus.*

Numerantur inter Capuanos Principes, præter Nortmannos, Petrus Surrentinus, quem è Sersali familia historia Monastica scribit, additq. alius auctor, eius nummum cum Sersalium

insignibus

insignibus vidisse. Sfortia, suæ Reginæ munere. Sergianus Caracciolus, qui tamen Principis titulum accepto dominio recusauit. Rainaldus è Duratio spurius filius Ladislai. Franciscus Prignanus, qui miles, Princeps Capuæ, & Magnus Camerarius in Actis appellatur; cum alibi legatur, Andreæ & Ioannello Tomacello Vrbani Papæ fratribus, Nuceriam, & Minorbinum donati, quæ Francisci Prignani Capuæ Principes fuerunt.

Federicus Imp.

1220 AEdificijs assiduè incumbens Federicus II. Imp. post arcis Capuanæ molem, quæ Neapoli munitissima habebatur
3. par. tit. 19. cap. 6. *duas turres in flumine iuxtà Capuam* (inquit Antoninus) *Castrum Pratense, & arcem S. Miniati ædificauit*, strato ponte in quo eius signum marmoreum positum cernimus cum hoc epigrammate,

FEDERICO II. MARMOREÆ TVRRIVM CORONIDIS
RESTITVTORI VETVSTAM REPONIT STATVAM,
ORDO POPVLVSQ. CAMPANVS.

Lib. 4. c. de spect. In porta ciuitatis eam statuam meminit Lucas de Penna, & hos versus sub ea sculptos, qui Imperatoris versutiam patefacerent,

Cæsaris imperio regni custodia fio.
Quam miseros facio, quos variare scio!

Duorum iudicum in vtroque latere imagines habuisse addidit, in quorum altero,

Intrent securi, qui quærunt viuere puri.

in altero, *Infidus excludi timeat, vel carcere trudi.*

Hic multa à maioribus & ab ipso concessa priuilegia irrita facienda esse deliberans, generali Conuentu Capuæ conuocato, quem *Curiam Capuanam* appellauit, Curias enim loca in quibus consedebat dixere, atque sic legimus, *Quapropter cùm ex prædecessorum more vniuersali Curiæ Roncaliæ pro Tribunali sederemus*, omnia eò comportanda iussit, & post aliquas eorum confirmationes, in constitutione Regni, sub titulo de priuilegiis, asseruit, *vt priuilegia & concessiones tàm à Diuis Augustis parentibus*

rentibus nostris, quàm à nobis antè Curiam Capuanam indulta quæ per nos post tandem Curiam confirmata non essent, nec non ea quæ proximè turbationis tempore post transfretationem nostram vsque ad festum Purificationis B. Virginis à nobis, aut Rainaldo Duce Spoleti concessa fuerint, mandauerimus reuocari, &c. neque quis audeat ea quæ ipse haud confirmauerit, detinere. Et aliquot diplomatibus idem Imperator subscribit, *Post Curiam Capuæ celebratam*.

Et Ferdinandus Rex Catholicus in ciuitate Tori, quicquid à Federico factum scriptumve fuerat, quòd Capua capta nullum sibi à Gallis superesse præsidium cognosceret, obliterat, irritumq. facit, iubetq. Vito Pisanello Federici Secretario, vt omnium scripturarum fidem faciat, vt exactiori diligentia omnibus scriptis potuisset abrogare.

Ad Siciliam, Apuliam, & Capuam recuperandam clasis à 1162
Genuensibus Federico tradita est, atque omnem tunc oram à portu Monœci vsque ad portum Veneris, feudi nomine, saluo iure popularium obtinuere.

Braccius, vel Brachius. Alfonsus.

IN templo non procul à Capua celeberrimo, in quo ingens 1420
turris exurgebat sub Ioanna II. Sfortia Dux trecentos lectissimos equites præsidio reliquerat, qui agrum Campanum dies noctesq. infestabant; quibus Braccius summa prudentia obstitit, nisi malueris dolo, quod fusius in sua historia describit Campanus. Sed ob multa præclara facinora à Regina concessam suam idem Capuam fecit. Idq. cùm multi ægrè pertulissent, habita concione in qua obsecrabat ciues ne se indignum putarent vt in ea vrbe regnaret, neque obscuro eum loco natum arbitrarentur, quæ vetustissimi generis splendore emicaret, & genere clarum, imperio auctum facile pati posse, tùm præcipuè cũ acciperent qui ciuium fortunas & capita esset defensurus, iniuriasq. propulsaturus; plebem huiusmodi mouit, vt primum Dominum, Principemq. salutauerit. Qua re permoti omnes qui

principem

principem locum in ciuitate obtinebat, omnesq. Magistratus, iureiurando se adegere, perpetua in eius Imperii fide mansuros. Arces ei tradita sunt. Muneribus, ludis, publicisq. gratulationibus acceptus est.

Ioannæ litteræ. Gaspar Peregrinus historiarum Alfonsi Regis scriptor, litteras Ioannæ recitat quibus Capuanos Alfonsi Regis aduentum monet, tùm præcipuè de conducendo Brachio, quas ipse vt rem curiosam, neque ab aliis adductam, recensere non grauabor. Et huiusmodi sunt;

Fideles, dilecti, ad ineffabilem immensamq; lætitiam vestræ fidei intimamus, quod hodie prima hora diei feliciter redit à Serenissimo filio nostro domino Rege Aragonum &c. Magnificus vir Raimundus de Perilionibus miles, Regiæ classis Capitaneus, Comitatum Ceritaniæ, & Rosilionis Gubernator, vnà cum viro Fratre Romeo Magistro militiæ S. Mariæ & S. Georgij de Montesio Regio Collaterali & Consiliario, ac Ammirato, pluribusq; alijs Magnatibus, & militibus Regisq. Oratoribus, ituris tàm ad Dominum Summum Pontificem Martinum, quàm ad Commune Florentiæ cum galeis quatuor, & cum magnæ pecuniæ quantitate, tàm pro conducendo Brachio, quàm pro alijs opportunis ad statum nostrum, ac cum votiua & expeditione omnium horum pro quibus ad dictum dominum Regem transmisimus, non pro cõseruatione, defensione, & augmẽto status nostri, sed pro finale confusione & ruina nostrorum hostium et rebellium quorũcunque, post quos Admiratum & Capitaneum intrà proximos hos dies ad hoc regnum Dei præsidio felicissimè proficiscetur. Et omnino præfatũs dominus Serenissimus Rex cum maximo apparatu nauium, galearum, & fustium, ceterorum opportunorum & expeditum ad imponendum finem optatum præsentibus nouitatibus, exultate, et congratulamini itaque, & vestra cordis lætitia replete. Aduenit namque illa optata dies qua videbitis pacem perpetuam, bonorum remunerationem, at prauorum repressionem ac pœnam. Data in Castro Nouo Neap. sub annulo nostro secreto die mensis Aprilis decima quarta Indit. Quæ prætereà ad Capuam ab Alfonso gesta fuerint, ex Facio cognoscimus.

ODE-

Odectus Fuxius.

Iàm Gallorum exercitus icto fœdere Argentium peruenerat, cùm Capuani Regni Proregem quid sibi faciundum esset consuluere. Interim decem milites leuis armaturæ ad vrbis mœnia accedẽtes, vt Lautrecco Christianissimi Regis Duci sese dederẽt hortati sunt; sin secus facerent, omnem exercitum eò venturum maximo cum Capuanæ vrbis detrimento nunciarunt. Quod cum Electi resciissent, nec rem Fœciales, aut Tibicines afferrent, neque eos nosse, nec inconsultò Prorege quicquam statuere posse, responderunt; quapropter ad suos redirent. Dùm, duos tabellarios, ne litteræ interciperentur Neapolim mittunt, Tibicen sex militum custodia, ante mœnia clangore obstrepens, deditionem, & fidem poposcit, quæ Christianissimo Regi, & sanctissimo fœderi debebatur. Quod licet plurimũ timoris ciuibus incuteret, ne tamen, à Cæsaris fide deficerent, vtq. omnem operam in ea tuenda præstarent, quam summa virtute semper seruauerant, rem differre conantes, in re tam graui consulto opus esse, dixere. Odectus aliquo pacto se delusum arbitratus, tertio loco aliquot Duces misit Valerium, & Marium Vrsinos, Simonem Romanum, Farfarellam, Siluam, Mauream, & alios, quibuscum ad mille equites leuis armaturæ erant, qui ad portas ciuitatis Electos euocantes, aut cederent, monuere, aut ab exercitu Capuam diripi, agrum vastari paterentur. Triduum ad deliberandũ Electi petiere. Cùmq. temporis huius spatium ipsos concedere non posse, Duces respondissent, vt ad Odectum venirent hortati sunt, à quo peterent ea quæ vellent; fore vt facilè impetrarent. Quod cùm Electi non probarent, in D. Annunciatæ consilium conuocàrunt. Variæ in eo latæ sunt sententiæ, eam verò potiorem existimarunt, vt cùm Capua, & murorum munitionibus, & bõbardis, militibusq. tùm præsertim annona careret, quamobrẽ numeroso hostium exercitui resistere non posse planè intelligebant; cùmq. ab Vgo Moncada Prorege, & Principe Aurancio, pedites, equitesq, Capuam missi, ab iisdem Neapolim mox fuerint reuocati, qua ex re animaduertebant, eos Principes, inutile

Capuani ad deditionẽ vocantur.

Qqqqq præsi-

præsidium Capuanum existimasse, nihilq. indè commodi Cæsarem habiturum, statuere vt Proregis litteras expectarent; & intereà plerique nobiles & populares eligerentur, qui cum Ducibus ea nocte essent; primo deindè mane deditionem facerent, ea tamen conditione, vt omnia ciuitatis priuilegia liberaliter confirmarentur. Litteris à Prorege acceptis, quibus eorum fidelitatem huiusmodi laudabat, vt nisi maxima impellente calamitate, sese dederēt, Odectum ad Magdalunū Deputati adiere, clauesq. ciuitatis elargiti sunt. Quos humaniter acceptos, confirmatis priuilegijs quæ Matthæo Ambrosio Florentino Generali Auditori, & Nicolao Panegacolæ Locumtenenti demandauerat, Capuam remisit. Dùm hæc gererentur, per exploratores certior factus est Aloisius Gherra Gallus Capuæ Præfectus, Imperiales ad Capuam accedere. Illicò dispositis ad mœnia militibus, hostium venientium multitudine perterritus, quid rei esset ignorabat. Cùm subitò propè monasterium D. Mariæ apparuere Iulius, Georgius, Aloisius è Capua, Fabritius Maramaldus, Ioannes Iacobus Marchesius, Stephanus Gallucius, Hector, & Pompeius Farina, Franciscus è Ratta, compluresq. alij nobiles Capuani; & à Iulio auditum; En Capuani, quorum fides nostris Regibus semper cognita est; è vita decessit Odectus, dissipata sunt Gallorum castra, profligatus hostis est; Cæsareæ Maiestati liberi animo manus date; Imperatori vestro acclamate; Patriam, vosipsos obtestor; furorem Cæsaris à communibus tectis auertite; excandescentis ira placanda est; venia petenda; salus omnium desideranda. Horum monita, Aurantij litteræ quas hastæ cuspide porrexerat, Gallorum iniuriæ, antiquæ gloriæ ambitio, tantum potuere, vt omnium vocibus per mœnia, in compitis, intrà priuatos parietes, IMPERIVM, IMPERIVM, fuerit exauditum. Introducti sunt Imperiales; eiecti Galli; & per Stephanum Gallucium, Capuam ad Imperatoris fidem redijsse, summa cum Neapolitanorum gratulatione certior factus est.

Capuani se dedunt.

Capuani reuocantur ad Cæsarem.

Episcopi

Episcopi Capuani.

RVFVS, S. Apollinaris discipulus, de quo in Martyrologio; *Capua in Campania S. Rufi Episcopi, & Martyris, qui cùm esset Patriciæ dignitatis, à B. Apollinare S. Petri discipulo, cum vniuersa familia baptizatus est.* Hunc deindè cum B. Petro Antiochia Romam cum alijs aduenisse, nempe Marcum, qui ab eodem Petro acceptum Euangelium scripsit, Apollinarem Rauennati Ecclesiæ Præfectum, Martialem Gallijs, Pancratium Tauromenijs, Metaphrastes testatur. De eo sic meminit D. Paulus epist. ad Rom. *Salutate nobis Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam.* *Rufus.* *Die 19. Iun cap. 16.*

PRISCVS, qui anno à CHRISTO nato quadragesimo sexto, cum alijs à B. Petro Apostolorum Principe ad propagandam Christianam Fidem Episcopus est ordinatus. Ipse enim Capuæ; Pancratius, Martianus, Berillus, Philippus Siciliæ; Asprenas Neapoli; Epaphroditus Tarracinæ; Fesulæ Romulus; Nepe, Ptolomæus; Lucæ, Paulinus; Rauennæ, Apollinaris; Veronæ Eutropius; Patauio Prosdocimus; Ticino Syrus; Aquileiæ Hermagoras; Lemouicensibus, Tholosanis, Burdegalensibus, Martialis; Coloniensibus, & Treuerensibus Maternus, & Valerius; Rhemensibus, Sixtus; Arelatensibus Trophimus; Senonensibus Sabinianus; Cænomanensibus Iulianus; Viennæ & Moguntiæ Crescens, Catalaunas, Mennius; Bituricensibus Vrsinus; Arecernensibus Austremonius; Sanctonensibus Eutropius; Germaniæ Eucharius, Egistus, & Martianus; Hispaniæ Torquatus, Ctesiphon, Secundus, Indaletius, Cæcilius, Hesychius, & alij, præfecti fuere. Vt hoc sibi tribuat gloriæ Capua, quæ cum Neapoli inter eas numerentur vrbes, quibus Fidei donum ab Apostolorum Principe fuit elargitum. Hunc verò fuisse Priscum arbitror, quem martyrem celebrat Martyrologium, cùm ait; *Capua via Aquaria Sancti Prisci Martyris, qui fuit vnus de antiquis* CHRISTI *discipulis.* Idq. magis confirmant Petri de Natalibus verba; *Priscus discipulus fuit vnus ex antiquis discipulis* CHRISTI, *licet inter nomina lxxij. discipulorum, qui à Dorotheo Abate* *Priscus.* *Episcopi præficiuntur ciuitatibus.*

conscripti sunt, non reperiatur. Hic enim ille paterfamilias in cuius domo CHRISTVS *Pascha sibi parari fecit, & in eius cœnaculo cum discipulis discubuit, & eorum pedes lauit, vt Damascenus dicit. Hic primus Ascensionem Domini, veniens Romam cum Apostolo Petro in partibus Campaniæ Euangelium prædicauit. Qui & apud Capuam in via Aquaria depositus est.* In Ecclesia S.Prisci, hoc legitur epigramma;

Anno Domini quingentesimo sexto Ind.xiiij. Regnante Zenone Imperatore in Constantinopolitana vrbe, Gelasio Papa in Romana vrbe, Beata Matrona fieri fecit istam Basilicam ad honorem B.Prisci, cum auctoritate supradicti Papæ, & aliorum Prælatorum, constituit, & ordinauit, vt omnes qui hanc Basilicam deuotè visitauerint annis mill. indulgentiam suorum peccatorum acceperint.

Aristæus. ARISTÆVS, huiusmodi à Martyrologio commemoratur; *Capuæ Sanctorum Martyrum Aristæi Episcopi, & Antonini pueri.* Horum facta ab Vsuardo, Beda, & alijs celebrata, bellorum clade excidisse scribit Illustriss.Baronius. licet in Breuiario Capuano, de Antonino tantum agatur.

Castrensis. CASTRENSIS, in Martyrologio quoque sic notatus; *Capuæ Sancti Castrensis Episcopi.* Notatur quoque in Capuanis Tabulis. In eius Actis, aliqua censura indigere innuit Cardinalis Baronius. Venerandum eius Sancti corpus exstat in Sicilia in metropolitana Montis Regalis Ecclesia, vbi hoc inscriptum epigramma,

Conseruat nautas, & dæmonis eripit ira
Quem prius obsesso de corpore fecit abire.

Castrensis Episcopi vitam à Laurentio monacho Casinensi scriptam, affirmat Petrus Diaconus in lib.de viris illustribus.

Augustinus. AVGVSTINVM, vt Episcopum Capuanum existimem, efficit Martyrologium S. Sophiæ Beneuenti, in quo hæc leguntur; *Beneuenti Natale S.Augustini Capuani Episcopi, & Sanctæ Felicitatis matris eius, quorum corpora hic habentur.* In alio quoque eiusdem Ecclesiæ Martyrologio scribitur, *Natale S.Augustini Episcopi, & S.Felicitatis matris eius in S.Sophia.* In Calendario

dario itidem, *Sanctorum Augustini, & Felicitatis matris eius in S.Sophia*. Sed quid statuam in tàm veteri memoria, ignoro.

PAMPHILVS. *Capua Sancti Pamphili Episcopi*. De quo etiam Breuiarium Capuanum. Pamphilus.

RADELBERTVS. de quo infrà. Radelbertus.

PAVLINVS. Hic iàm à puero gloriosissimæ virtutis castitatis amator, liberales artes quibus imbutus erat pauperibus adolescentibus impartiens, omnia prosequutus quæ Dei timentem virum decent, diuino auxilio meruit coronari. Studia siquidem scholastica cùm deseruisset, è Britanniæ Natali solo decedens, patrimonio pauperibus erogato, Hierusalem petijt, æternæ Hierusalem imaginẽ non oblitus. Indè cùm orbẽ terrarum peragrasset, Capuam diuino afflante numine flectit iter. Obierat in ea ciuitate Radelbertus Antistes, & Paulini sermonibus cùm quotidiè recrearentur Capuani, & eloquentioribus eiusdem actionũ linguis edocerentur, Cleri cõsensu Episcopum sibi electum Romano Pontifici consecrandum obtulere. Et quamuis eam dignitatem renuisset, à diuina tamen voluntate non recedens, à Capuanis maxima cum reuerentia receptus est. Octo annos, & eò amplius præfuit, quos scismaticorum persequutione habuit infensos, licet in ea huiusmodi patienter se gesserit, vt ex aduersariorum cordibus perfidiæ venena, comitate, tolerantia, eleemosinis sustulerit. Inualescente enim fame in totius orbis orbitate, & squalore, pauperum domos inuisere non recusauit, alimonias summa cum charitate præbere studuit, atque ità, vt matronæ quæ cum tribus filiis obuiam ierat, mulam in qua equitabat, dono dederit. Obiit Confessor beatissimus vj. Id. Octob. cuius corpus in Capuana Ecclesia conditur. Paulinus.

RVFINI, Sergii Papæ, & Grimoaldi Longobardorum Ducis temporibus, corpus Capuæ inuentum est, sedente Episcopo Decoroso. Ea ætate cùm à Longobardorum gente Sanctorum Cemiteria excolerentur, in Martyrologio duorum Sanctorum nomina scripta inuenta sunt, *Octauo* scilicet *Calen. Septemb. Natale Sancti Rufini Cõfessoris*, & vno intermisso die, *Sex. Cal. Septemb. Natale Sancti Rufi Martyris*. Cognito Rufini natalitio die, Rufinus.

locus in quo repositus erat, ignorabatur. Quem cùm Episcopus & Clerus reperisset, ad Basilicam B. Petri Apostoli relliquias maxima cum lætitia in æde Sanctorum Martyrum Stephani, & Agathæ condidit. Memorabile commemoratur miraculum, quod ibi Rufinus edidit de Audoaldi filio moribundo, qui ad vitam illicò est reuocatus.

Vitalianus. VITALIANVS, Capuæ ortus, suæ ciuitatis Episcopus ob eius vitæ merita electus est; castus, humilis, simplex, eleemosinarum dispensator. Ad septuagesimum annum cùm peruenisset, à Domino vt aurum in fornace, probatus est. Consilio enim ab iniquis inito, fornicationis accusatus est, clàm ereptis suis è cubiculo, & scorti vestibus ibidem repositis, quas videndas populo publicè ostentarunt. Quo audito, Vitalianus ingemuit, aitq. *Audite filij; verum dicitis, quia ego peccator sum, & multa mala Deo meo egi, vndè & illud super me induxistis; hoc autem ab alijs pati debui, non à vobis qui filij, & heredes estis Ecclesiæ.* & respiciens in cœlum dixit; *Tu Deus qui cœlum terramq. tua gubernas dextera, qui scrutaris renes & corda, & scis omnia antequam fiant, destrue hoc falsiloquium.* Et *Valete* dicens, abiit. At proditores comprehensum, & in corio consutum proiecerunt in mare; qui tandem incolumis ad Romanum portum delatus est. Iam tùm adeò sterilis Capuanus ager factus est, vt nec segetem, nec herbam procrearet. Quapropter Dei iudicio id factum non verentes, ad sanctum Episcopum profecti, ad eiusq. pedes prouoluti, veniam consequuti sunt, Capuamq. deducentes, cum primùm ad vrbem accessere, ingenti pluuia, qua diutiùs caruere, tota regio maduit. Reuelato ei loco vbi vitæ finem esset expleturus, in montem qui à vulgo Virgilii dicitur, profectus, constructo templo B. Virgini, Calendis Augusti requieuit in pace.

Bernardus. BERNARDVS, De quo Tabulæ Capuanæ, & Martyrologium 4. Idus Martii.

Proterius. PROTERIVS, Concilio Romano sub Melchiade interfuit. &
313 anno sequenti, Concilio Arelatensi.

Vincentius. VINCENTIVS, vir clarissimus appellatus, insigni vir doctrina & prudentia, multas ab Apostolica Sede Legationes obire solitus

tus

tus erat. Mediolanum ad Constantem missus. In Synodo Sardicensi Gratianus eum numerat, cum Ianuario Beneuentano, & Calepodio Neapolitano, licet Athanasius Archidamum & Philoximum Presbyteros Legatos in ea Synodo nominet, qua in re fidem esse Athanasio adhibendam scribit Cardinalis Baronius. Missus cum Euphrata Episcopo Agrippinæ ad Constantium qui Antiochiæ commorabatur, vt pro Synodi decretis Episcopos quos eiecerat, ad suas ecclesias reuerti pateretur. Facta tunc Episcopis Legatis iniuria, cùm nuda meretrix in ædes Euphratæ per dolum Stephani Arriani Episcopi immissa est: sed fraude detecta, Stephanus Episcopali dignitate fuit exutus. A Liberio Papa ad Constantium in Galliam quoque missus fuit, & ad Concilium Ariminense. Inter egregia hæc gesta, turpe facinus commisit, cùm ob vim & contumelias, contrà Athanasium in Concilio Nicæno subscripsit. *Ianuarius.* *Calepodius.*

IVLIANVS, huiusmodi celebratur à Spanhemensi Abbate, vt acris & vehementis fuerit ingenii, Græcis & Latinis litteris imbutus. Tunc verò illaudatus relictus est, cùm Pelagii errores sequutus, aduersus Augustinũ scribere ausus fuerit, quamobrem eius libri reiecti fuere. Sub Arcadio, & Honorio vixit. *Iulianus.* 411

TIBVRTIVS, sub Hilario in Concilio Romano conuenit. *Tiburtius.* 463

CONSTANTIVS, sub Symmacho, & Felice. *Constantius.* 499

ALEXANDER, qui Germano præcessit. *Alexander.*

GERMANVS, Amantio patre, Iuliana matre Capuanis claris ciuibus ortus, pauperorum consuetudinem amplectens, mortuo patre, assentiente matre, pauperibus bona omnia distribuenda curauit. Defuncto Alexandro Capuano Episcopo, omnium votis in Antistitem electus est, quam dignitatem sanctissimè gessit. De hoc Germano in Puteolanis balneis meminimus, quando in Angularibus Thermis Paschasium Apostolicæ Sedis Diaconum, stantem & obsequentem sibi in caloribus inuenit, quòd contrà Symmachum pro Laurentio sensisset, sed eiusdem Germani præcibus liberatus. Mortuum & in cœlo gradientem, à Beato Benedicto esse visum retulimus; eiusq. sancti corporis intuitu Ludouicum Imperatorem, Capuam deperdere conantem, *Germanus.* 518

nantem, ad misericordiam esse inclinatum.

Victor. VICTOR, quem eruditione, & sanctitate conspicuum appel-
561 lat Martyrologium, Iustiniani Imperatoris temporibus vixit. Confutauit Paschalem Cyclum Victorij, seu Victorini Aquitani, vt Beda testatur. Quapropter errasse Trithemium dicit Cardinalis Baronius, qui sub Zenone Imperatore vixisse eum scribit. Huius Episcopi Cyclus receptus est in quarta Synodo Aurelianensi. Eiusdem præfatio extat in Consonantiam Euangelicam Tatiani Alexandrini.

Festus. FESTVS, quem Sixtus habuit prædecessorem, vt ex Gregorij
594 Lib.4.c.70. epistolis elicimus.

Sixtus. SIXTVS, de quo idem Pontifex.

601 Basilius. BASILIVS, cuius idem meminit.

Lib.9.c.22. GAVDIOSVS, qui in Concilio Lateranensi sub Martino I.
Gaudiosus. subscripsit.

649 Decorosus. DECOROSVS, is est, sub quo Rufini miraculum commemorauimus. Omni christianarum virtutum genere illustris. Dominica quadam die, post sanctorum locorum (vt consueuerat) visitationem, in suggestum ascendens refecto sermonis esca populo, syncope superueniente, expansis ad cœlũ brachijs, CHRISTO Saluatori præces fundens, spiritumq. Altissimo commendans, in pace & tranquillitate obdormiuit.

Archiepiscopi.

Ioannes. IOANNES Landulphi Capuæ Principis frater, primus Capua-
908 nus Episcopus celebratur, cuius nomine Capuana Basilica, Metropolitana effecta est à Ioanne XIII. Romano Pontifice, qui Roma expulsus Capuam venit, ibiq. à Principe liberaliter exceptus.

...o. LEO monachus Casinensis; qui quatuor annos, & sex menses
980 sedit, auctore Leone Ostiense.

...ib.2.c.9. GERBERTVS monachus Casinensis. A Marino Freccia in lib.
...erbertus. ...itim... de Subfeudis sanctitatis gloria celebratur. addiditq. eius ossa in Galliam à Ludouico Imperatore fuisse translata.

...nulphus. ADENVLPHVS, cuius meminit Diploma, quo Monasterium
986 S.Lau-

S. Laurentij Auersæ ab Archiepiscopali iurisditione eximit, proptereaquòd Aloara, & Landenulfus eius filius Principes illud ædificauerant; *In nomine Domini Dei Saluatoris nostri* IESV CHRISTI. *anno ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo sexto, quam & quarto anno Landenolfi excellentissimi Principis mense Aprilis xiiij. Inditione. Necnon & quincto anno Domini Adenolfi egregij Archipræsulis, quo Deo fauente sanctæ Capuanæ Sedis Archipræsul consecratus est*, &c.

ADENVLFVS, quem à Pandulfo Capuano Principe in carceribus detentum Conradus II. Imperator in libertatem restituit. Licèt in Monasterio Cauensi in quodam Bedæ libri, Longobardis litteris scripti margine, hæc legantur; *Anno* 1038. *Conradus Imperator ingressus est Capuam in Vigilia Pentecostes, & eodem die ibidem coronatus est. Athenulfum Archiepiscopum fecit, & elegit.* *Adenulphus.* 1038 *Chron. lib. 2 c. 66.*

HILDEBRANDVS, sub Alexandro II. interfuit Concilio ab eodem Pontifice Romæ conuocato, quod Chronica Cass. citat lib. 3. c. 24. Extant ad eum Gregorij Papæ VII. aliquot epistolæ, in tertio volumine Epistolarum Decretalium. *Hildebrandus.* 1061 *Epist. 25.*

YLDENIDVS, qui sollemni Consecrationi Casinēsis Ecclesiæ interfuit; subscripsitq. priuilegio ab eodem Pontifice cum alijs Præsulibus hoc modo; *Ego Yldenidus Capuanus Archiepiscopus.* *Yldenidus.* 1071

HERVEVS, Gregorij VII. ætate, quo cum Monasterio Casinensi pro sui Cleri dignitate de S. Angeli Ecclesia in Concilio Romano disceptante, Monasterium in ea lite victor euasit. In maiori Capuana Ecclesia hoc reliquum est huius Præsulis monimentum, *Herueus.* 1074

Auxit opes, mores, Clerum quoque, res, & honores
Præsulis Heruei lux fulgida luce diei.

SENNES, qui cum Othone Abbate Casinensi, ædem S. Angeli ad Formias, quæ in S. Nicolai honore nuper condita erat, & Brunone Signiense Episcopo dedicauit. Postridiè Archiepiscopus idem, armata Capuanorum manu, Ecclesiam violandam, altare diruendum, Relliquias ad se afferendas iussit. In Synodo Romana à monachis Casinensibus accusatus est; vbi emen- *Sennes.* 1099 *Chron. lib. 4. c. 30.*

dationi cum Clero, & populo sese subiecere. Iisdem monachis Citrariæ castellum concessit.

Otho. 1119 OTHO, qui cum Calixto Pontifice Beneuenti commorante conquæstus est, à Monasterio Casinensi tres Capuanas Ecclesias S.Benedicti, S.Angeli, & S.Rufi fuisse ablatas, de quarum Chron. lib. 4. c. 71. restitutione agebat. Ad Casinenses tamen Pontificis sententia pertinuere. In Cathedrali Ecclesia hæc eius extat memoria,

Hoc pius Antistes Cleri lux Otho parauit,
Ecclesiæq. pater res, mores, amplificauit.

Philippus. 1129 Fazellus de reb. Siculis. PHILIPPVS, cum Rogerio Archiepiscopo Beneuentano, & Ioanne Archiepiscopo Salernitano, alijsq. summis proceribus, Rogerij Regis Coronationi adfuit, quæ celebrata Panhormi est.

Gulielmus. 1137 GVLIELMVS Rauennas nobili loco natus, qui cùm Capuanus Archiepiscopus electus esset, Rogerij Regis præcibus Archiepiscopus Salernitanus creatus est, sic in eius ciuitatis Indice legitur. *Virum vtique in diuinis, & humanis rebus præditum*, appellat Abbas Alexander in vita Rogerij, qui illud etiam addidit, huius prædecessorem Simonia accusatum dignitate fuisse depositum.

Alfanus. ALFANI, mentio fit in quodam diplomate Gulielmo regnante (primus ne fuerit, an secundus, ignoratur) à D.Sebastiani Monialibus seruato, quo Archiepiscopus Ioanni Caracciolo agrum quendam concedit.

Matthæus. 1195 MATTHÆVS, qui cũ alijs Præsulibus Diplomati Henrici VI. Imperatoris, & Siciliæ Regis subscripsit, quo aliqua Ecclesiæ Montis Regalis ab ipso conceduntur. Huic Capuano Archiepiscopo, & Bartholomæo Archiepiscopo Panhormitano, necnon & Gulielmo Archiepiscopo Rhegiensi, Innocentius Papa III. litem decernendam commisit, quæ inter Montis Regalis, & Rossani Archiepiscopos intercedebat. Extant eiusdem Innocentij epistolæ Decretales ad Matthæum, ex quibus familiarem fuisse Federici Siciliæ Regis cognoscimus. Eo defuncto, Innocentius ad Archidiaconum, & Clerum Capuanum scripsit, vt maturè nouum Episcopum eligerent, non diù expectatis his, qui longiùs aberant, orta enim erat in electione dissensio; ac subdidit;

Cùm

Cùm inter vniuersas Metropoles Capuana sit Apostolicæ Sedi vicinior, ad prouisionem ipsius specialiùs aspiramus.

RINALDVS Celani Comitis filius, cuius meminit in Diurnalibus Casinensibus, quos scripsit Riccardus è S. Germano Notarius. *Rinaldus.* 1222

IACOBVS, sic enim in D. Laurentij Auersæ scripturis legitur, licèt alibi .I. tantùm legatur; familiarissimus Imperatoris Federici II. fuit. quod ex litteris ab eo scriptis de administrando Apuliæ Regno intelligimus, cùm præcipuè omnibus Magistratibus imperare, & Imperialem pecuniam erogare videretur. *Iacobus.* 1229

M. Archiepiscopum Regum acta notant. In D. Thomæ Aquinatis vita eius ecstasis Neapoli coram Capuano Archiepiscopo eius discipulo, alteroq. Cardinali celebratur. 1269

PETRVS GERRA è Ferentino Soranus primo loco Episcopus, deindè Archiepiscopus Montis Regalis, & Nolani Episcopatus administrator. A Montis Regalis ad Capuanum Archiepiscopatum, indè ad Aquileiensem Patriarchatum traductus. *Petrus Gerra* 1297

IOANNES, cui à Carolo I. in eius Actis conceditur vt aliqua ex Regno ad Romanam Curiam transmittere liceret. *Ioannes.* 1301

INGERANNVVS Stella Iurisconsultus summa familiaritate Roberto Regi coniunctus. Consiliarius, & Quæstor anteà fuit. Deindè, vel Archiepiscopus, Magnus Regni Cancellarius creatus est, cuius Magistratus auctoritate Neapolitano Gymnasio præfuit, eiusq. dignitati vt consuleret, denuò ex studijs redeuntes scholares nouo examine probandos statuit. Interfuit cum Riccario fratre classi, qua Calabriæ Dux Roberti filius Siciliam inuasit anno 1325. Quo tempore affines quoque diuitijs, ac dignitatibus claruere, inter quos Petrus Stella Regis cubicularius, & Riccarius Magister Rationalis, & Quæstor, tùm etiam Consiliarius, Commensalis, & Canonicus Cameracensis. In canonizatione gloriosissimi Thomæ Aquinatis Auinionij anno 1323. cum Ioanne XXII. Pontifice, & Roberto Rege Archiepiscopus quarto loco orauit. *Ingerannus.* 1311

ANDREAS, Clementis V. Pontificatu ex Regum Actis. *Andreas.* 1314

RICCARDVS de Rogerio, patria Salernitanus. *Riccardus.* 1342

Ailardus. 1344 AILARDVS, qui Reginæ Ioannæ I. Coronationi adfuit, quæ in D.Claræ Neapoli pridiè Cal.Augusti ab Americo Cardinali Legato Apostolico dicata est.

Stephanus. 1376 STEPHANVS, cuius mentio fit in Bulla, in qua de beneficij cuiusdam collatione agitur. Seruant Casinenses Monachi in D.Laurentij Auersæ, sub Gregorio XI.

Athanasius. 1393 ATHANASIVS, qui à Ladislao Rege obtinuit, vt decimæ Ecclesiæ Capuanæ soluerentur.

Philippus. PHILIPPVS, cuius Acta in Thesauro Capuano habentur.

1410 *Nicolaus.* NICOLAVS Acciapaccia, nobilis Surrentinus, Tropeensis primo loco Episcopus, Surrentinus deindè, mox Capuanus Archiepiscopus, & tandem post Basileensis Concilij gesta, ab Eugenio IIII. in Cardinalium numerum vocatus; de quo plura diximus cùm de Surrento egimus.

Andreas. ANDREAS è Capua, è Neapolitana nobilitate sub Aragoneis Regibus.

Iordanus. 1468 IORDANVS Gaetanus ab Aragonia. Hic cum Ferdinando egit, vt cùm Castrum maris Vulturni, arcem, agros, iurisditiones Capuanis vendiderit, efficeret quoque vt census ipsi solueretur, qui anteà à Suessæ Duce solutus fuerat. Arcem expugnatam abstulerat Duci Ferdinandus, retinebatq. ea ratione qua ad Ecclesiam Capuanam spectaret. Ex multis inscriptionibus quæ Capuæ leguntur, eundem Archiepiscopum Antiochenum Patriarcham fuisse constat, quo nomine epistola dedicatoria Breuiarij Capuani appellatur, ex qua item quadraginta quatuor annos illi Ecclesiæ præfuisse constat.

Ioannes. 1496 IOANNES Lopes Valentinus Hispanus, Pontificis Datarius, Perusinus Episcopus, Capuanus deindè Archiepiscopus, & Cardinalis tituli S. Mariæ Transtyberim electus ab Alexandro VI. Fuit etiam Corianus Episcopus in Hispania, Romæ decessit, & in D. Petri sepultus est.

Hippolitus. 1507 HIPPOLITVS Estensis Ferrariæ Ducis frater. Strigoniæ, & postea Agriæ Archiepiscopus electus, Cardinalis tituli S. Luciæ in Silice ab eodem Pontifice creatus; Archiepiscopus Mediolanensis, tùm Capuanus, Episcopus Ferrariæ, & Mutinæ, S.Petri

in Vrbe

in Vrbe Archipresbyter, singulari prudentia Antistes, grauibusq. rebus gerendis præclarus.

NICOLAVS Scombergius Misnensis Sueuus, Ordinis Prædicatorum, à Generali Claretio socius, & Terræ sanctæ Prouincialis creatus, Procurator Ordinis Romæ est effectus. Ad Archiepiscopatum Capuanum à Clemente VII. & ad Cardinalatum tituli S.Sixti à Paulo III. fuit euectus. Suam diligentissimè ornauit Ecclesiam, laqueato tecto addito. *Nicolaus.* 1523

THOMAS Caracciolus Neapolitanus maior Cappellanus in Regia Aula, cui contigit lustrali Aqua Carolum Quinctum Imperatorem Neapoli in maiori Ecclesia aspergere. Fuit primo loco Triuenti Episcopus. *Thomas.* 1536

NICOLAVS Gaetanus Romanus, à Paulo III. Diaconus Cardinalis in Carcere Tulliano, deindè Capuanus Archiepiscopus electus, sed à Iulio III. Diaconus Cardinalis S. Eustachij, & Episcopus posteà Corozopitensis; quamobrem Capuano Archiepiscopatu se abdicauit. *Nicolaus.* 1540

FABIVS Arcella Neapolitanus, cùm esset Bisinianensis Episcopus, Neapolitani Archiepiscopatus possessionem pro Cardinali Ranuccio Farnesio accepit, iubente Paulo III. qui eidem Fabio Breuis Apostolici auctoritatem, omnemq. iurisditionem commisit. *Fabius.* 1549

NICOLAVS Gaetanus, denuò Archiepiscopus Capuanus creatus est. Synodum Prouincialem in sua Diœcesi celebrauit, mox discessit, cùm anteà quoque ibi residere noluisset. *Nicolaus.*

CÆSAR Costa Maceratensis, Iurisconsultus insignis, qui lectura Perusino Gymnasio præfuit. Scripsit Iurium ambiguitates. Antiquam Capuam, veramq. Theatri formam, in maioris Ecclesiæ palatio delineauit. *Cæsar.*

ROBERTVS Cardinalis Bellarminus Politianus Iesuita, quem hæresum esse fortissimum depulsorem, libri quos scripsit Controuersiarum ostendunt. Hic cùm maximum onus fortasse expertus esset animarum curam habere, Archiepiscopatu libens se abdicauit. *Robertus.*

ANTONIVS Gaetanus, qui missus Legatus est in Germaniam. *Antonius.*

Alij

Alij Sancti Capuani.

MARCELLVS, Castus, Aemilius, Saturninus, Capuæ martyrium pertulere, vt in Martyrologio pridiè Non. Octobris. De quibus etiam Beda, & Petrus in Catalogo. licèt Cardinalis Baronius Africanos fuisse dicat, & eorum Relliquias ab Episcopis persequutione Vandalica ex Africa pulsis in Campaniã delatas.

Priscus, alter ab eo qui in Via Aquaria Capuæ commemoratur, qui cum socijs Sacerdotibus Castrense, Tammaro, Elpidio, Canione, & Viridonio in Campaniam ex Africa pulsi aduenientes, varijs Ecclesijs præfecti fuere. Quapropter aliqui Priscum Capuanum Episcopum faciunt.

Quinctius, Archontius, & Donatus, inter Capuanos Martyres. Rufus, & Carpophorus sub Diocletiano, & Maximiano passi. Quartus, & Quinctus, quorum natale habetur Romæ in via Lauicana ad Centumaulas. Eorum corpora Capuam translata fuisse affirmat Martyrologium vj. Id. Maias, & eorum nomine Cœmiterium appellari scribit Panuinius libro de Cœmiterijs. In Breuiario Capuano, Capuani Episcopi nominantur. Quo autem pacto duo simul eiusdẽ ciuitatis Episcopi, eodem die Martyrio coronantur? Beda vj. Cal. Decembris celebrat Capuæ Nicanorem, Cassianum, & Felicissimum. Idemq. Non. Nouemb. meminit Quarti Presbyteri Capuani, qui Iuliani, & Cæsarij Martyrũ corpora, quæ Tarracinæ ad mare peruenerant, vehiculo imposita, in suam domum pertulit. Petrus de Natalibus in Cathalogi lib. 11. cap. vlt. meminit Luphili, & Fortunati Martyrum, qui Capuæ passi sunt Idib. Octob. Sigebertus in Chronicis, scribit duos Monachos è Cordumo in Hispania Capuam transtulisse S. Vincentij Martyris, & Leuitæ Relliquias, quas indè abstulit Theodoricus Metensis Episcopus anno 969. Othoni Imperatori coniunctus, eas cum alijs Relliquijs ex tota Italia conquisitis in Galliam transferens in Ecclesiam S. Vincentij in Insula Vrbis ab eo ædificatam.

S. Ioannes nobilis Capuanus, Casinensis Capuæ ædificati Monasterij Abbas, de quo Leo Ostiensis, & Petrus Diaconus.

In

In eodem Monaſterio ſepultus.

S. Paulus Capuanus, Caſinenſis monachus, ſanctitate illuſtris, ex cuius corpore, dùm decederet, anima veluti Sol lucida, egredi viſa eſt, vt apud eoſdem Auctores.

Beati.

Frater Ludouicus Capuanus, Baccalaureus Ordinis Heremitarum S. Auguſtini, doctrina, & admirabili ſanctitate claruit circa annum 1400. Sic refert Ioſeph Pamphilus Epiſcopus Signinus in Chronicis Auguſtinianis.

Raimundus Ordinis Prædicatorum Generalis, ſanctitate illuſtris, S. Catherinæ Senenſis Confeſſor, ideoq. eius vitam exarauit. Norimbergæ anno 1399. deceſsit.

Eccleſia Capuana.

A Conſtantino Eccleſiam Capuanam fuiſſe erectam Damaſus ſcribit lib. de Munificentia Conſtantini Imperatoris de Eccleſijs fundandis, & dotandis, Platina item, & Illuſtriſsimus Baronius, ſanctis Apoſtolis dicatam, Conſtantinianam dictam, argenteis, aureiſq. vaſibus, & poſſeſsionibus ab eodem locupletatam. Idem ſcribit etiam Herempertus, addiditq. à Germano Capuano Epiſcopo, Sancti Stephani nomine appellatam, quòd eius Sancti Relliquias Imperator dono dedit. In Decretalibus epiſtolis ſub Landulfo Archiepiſcopo, Stephani nomine dicitur. In Capuano Breuiario in tranſlatione corporis S. Stephani, quæ fit Cal. Maij, legimus, eius Sancti corpus Conſtantinopoli Romam fuiſſe tranſlatum Theodoſio imperante; dùmq. Capuæ in itinere triduò eſſet, præclariſſima miracula edidiſſe, quamobrē Epiſcopus, populuſq. Capuanus multis præcibus S. Stephani Brachium obtinuere; aitq. *Poſtquam autem Capuæ appropinquarunt, tota Ciuitas ſimul cum Epiſcopo in occurſum ruunt. Quo in loco, quia per triduum morati ſunt multi ibi paralytici ſunt curati, & quicunque ſanitate indigens aduenit, lætus & incolumis ad propria remeauit. Epiſcopus autem, & populus Capuanus tandem magnis præcibus obtinuerunt vt eius Martyris*

brachium concederetur. Indè verò cœpto itineri insistentes, tandem Romam veniunt. Eadem ferè leguntur in Actis inuentionis, & translationis eius Sancti vetustis characteribus scriptis, quæ Bartholomæus Chioccarellus retinet; Hæc autē leguntur; *Capuæ igitur corpus Stephani recipitur, & brachium eius dextrum à Capuanis deuotis obtinetur, & metropolitana Ecclesia in eius honore fabricatur.*

Antiqua monimenta.

Capuanam illam Rempublicam, quæ aliquandò Romanis fuit formidolosa, & qua alterius Romæ nomen adepta est, sic enim Cicero, *Tunc contra hanc Romam communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quæretur*, Respublica item municipalis subsequuta est,tùm etiam Colonia quam deductam vltimo loco ab Augusto præter antiquam, sic meminit Plinius de Alica Campana loquens; *Posteà (mirum dictum) admiscetur creta, quæ transit in corpus, coloremq. & teneritatem affert. Inuenitur hæc inter Puteolos, & Neapolim in colle Leucogæo appellato. Extatq. D.Augusti decretum,in quo annua vicena millia Neapolitanis pro eo numerari iussit è Fisco suo, Coloniam deducens Capuam.* Et Iulia Capua Felix Colonia dicitur apud Frontinum. Dissuadebat Cicero legem Agrariam,qua Capuam deduci Coloniam volebant. Contrà verò ac Cicero suaserat, Iulius Cæsar Coloniā deduci voluit, idcircò Colonos lege Iulia in Colonia Capua deducta commemorat. Hinc lapides,

Q. ANNIO. IANVARIO. EXACTORI. OPERVM. PVBL.
ET . . A. . MENTIS. HVIC. ORDO. DECVRIONVM
OB. MERITA. EIVS. HONOREM. AVGVSTALITATIS
GRATVITVM. DECREVIT. VIX. AN. LXX.
VIVOS. SIBI. FECIT. POSTERISQ. SVORVM.

Sed alios adscribam vetustatis gratia.

IMP. CÆSAR. AVG. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS
FELIX. AVG. PARTHICVS. MAX. BRITANNICVS
MAX. P. M. P. P. COS. III. DES. IIII.
VIAM. INVNDATIONE. AQVÆ
INTERRVPTAM. RESTITVIT.

Et

Et,

EVTYCHVS. VILLIO
A. PLVMBO
EVAGOGVS. A. F..
FECERVNT. SIBI. ET. SVIS.

Item,

L. CÆCILIVS. L. F.
CÆCILIA. L. L.
SALVIA. FECIT
QVARTA. VIX. A. IX
OSSA. HEV. SITA. SVNT.

Et,

Q. FABIO. Q. L. BARNÆO
APICVLA. LIBERTA. FECIT.

Ibidem,

H. M. S. S. E. N. N. S.
IN. FR. P. XII. IN. AGR. P. XII.

Ibidem,

M. CORNELIVS. M. L.
PHILENOS. O. N. S. S.

Ibidem,

VERSICVLA. SP. F. AGELLE
SIBI. ET. VERSICVLANÆ. DAPHNE
MATRI. SVÆ. ET. SVIS
QVI. MORTVI. FVERVNT
H. M. S. S. E. N. N. S.

Et,

M. POMPEIVS. APOLLONIVS. SIBI. ET
PONTIÆ. HILARÆ. VXORI
M. POMPEIO. FELICI. LIB.
M. POMPEIO. CELERI. LIB.
M. POMPEIO. AVCTO. LIB.
Q. MESVRIO. ATTICO
Q. MESVRIO. FELICI
PACTVMEIÆ. CAMPANÆ

INFERRI. HOC. NON. LICET. NISI. QVORVM
NOMINA. SCRIPTA. SVNT. ET. QVIBVS. CAVERO
M. POMPEIO. ITHACO. POMPEIÆ. VRBANÆ
ITHACI. LIBERT.

tùm etiam,

Q. PETICIO. M. F. FAL. MAG. FANI
DIANÆ. EX. TESTAMENTO. Q. PETICI
M. F. FAL. L. PETICIO. M. F. FAL. FRATRI.

Familiæ, & illuſtres viri.

Maximis ſplēdoribus Capuanæ nobiles familiæ enituere, quorum lumina in Neapolitanā quoque nobilitatem diffuſa huiuſmodi collucent, vt eam ſtēmatum gloria reddiderint illuſtriorē. Huiuſmodi eas enumerato; Antignanā, Archiepiſcopam, Argentiam, Azziam, Blancam, vel Nouellonam, Bauciam, è Capua, Ebolam, Falcam, Ferramuſcam, Frappieram, è Franco, Galluciam, Iunganam, Lanzam, vel Bozzetam, Leoneſſam, Magiam, Marcheſiam, Marottam, Mazziottam, Olimpiam, Pellegrinam, Rattam, Ricciam, Rinaldam, Roſſam, Thomaſiam, è Vineis, Vitelliam, atque alias quas cum noſſe per litteras ad Capuanos deſideraſſem, nec aliquid reſcire licuerit, nollem negligentiæ notari, ſi quid deeſſe curioſi arguerint. Ex Argentijs, inter Capuanos proceres Haimo commemoratur, quem Magnatem Abbas Alexander nominat; omnibusq. ex ea præclara familia, Cæſar quem ſibi chariſsimum Capua ſeruat, maiorem dignitatem humanitate, liberalitate, animiq. magnitudine comparauit. Azzia familia, Commendatores ſacri D. Lazari Hieroſolymitani Hoſpitalis Commendatores habet, quam Lazarus è Raymo ſub Federici Imperio anno 1228. condidit, vbi leproſi commorentur, locuſq. à Valerio Vrſino Nucerino Epiſcopo conſecratus, Diuorum Stephani, Raymi, & Pauli Relliquijs ornatus eſt. In Ferramuſca, Hector ille Troiano æqualis fuit, qui corporis, animiq. robur in Gallico conflictu Ludouico XII. & Ferdinando Catholico imperantibus, acerrimè cum duodecim commilitonibus, totidemq; hoſtium heroibus pro Rege, pro Regno, pro exercitu

Haimo Argentius.

Commendatorij S. Lazari.

Hector Ferramuſca.

citu ostentauit. In Franca, sidus illud emicat lucidissimum, quo Iurisprudentiæ gloria enituit, Vincentius Iurisconsultorum sui temporis maximus, Consilij Præses, vitæ integritate, consiliorum, & sententiarum raritate, variorum scriptorum excellentia celeberrimus. In familia è Capua quis illustrissimos viros litterarum, armorum, titulorum fama percelebres enumerabit? In Marchesia, cuinam Fabij illius nomen erit ignotum, in quo vno Iurisconsultorum corpus, disciplina, facundia, memoria, prudentia, consilio, maturitate, rerum omnium copia compactum orbis tot annos admiratus est? Petrum nobilissima ciuitas habuit è Vineis, Federici II. Consiliarium, historijs clarum, qui Regni Siciliæ Constitutiones Imperatoris iussu conscripsit, licèt accusatus fuerit quòd querimonias eiusdem Federici, & epistolarum librum aduersus Romani Pontificis auctoritatem exarauerit. Miror à D. Antonino non Capuanum, sed Teuthonicum clericum fuisse existimatum. Hieronymum Aquinum, Græcis, Latinis, Italicisq. litteris apprimè imbutum, inter bonos nostri temporis Poetas adnumeratum. Lucam Censium, qui de Bello Vandalico scripsit, & libellum de Paraclito. Symmachum Bigium Sannazarij Epigrammatibus commendatum. Ioannem Baptistam Attendolum inter litteratos viros, Linguarum cognitione, quas optimè callebat, Theologiæ, & Philosophiæ studijs excellentem, Græcorum, Latinorum, & Gallorum Poetarum interpres, emendator, obseruator. Cuius si Museum legeremus, omnibus disciplinis, omni eloquentia refertum, nihil esset, quod in omni doctrinarum genere desiderare possemus. Infelici obitu obrutum, quandò ex incitata rheda ab auriga derelicta, antè Capuanam portam, perfracta ceruice rotæ velocitate, omnium cum lacrimis è vita excessit. Camillum Pellegrinum, cuius scripta aduersus Florentinos Academicos, qui Ludouicum Ariostum contrà Torquatum Tassum defendebant, tota Italia summis laudibus extulit. Horatium Marchesium causarum patrocinijs admirabilem, candidis litteris, & mansuetioribus Musis deditum, quod non multis ea ætate contigerat. Tiberium Olimpium, qui Principum aulam, Senatus consessum,

Vincentius de Franco.

Fabius Marchesius.

Petrus è Vineis.

Hieronymus Aquinus.

Lucas Censius.

Symmachus Bigius.

Io. Baptist. Attendolus.

Camillus Pellegrinus.

Torquatus.

Horatius Marchesius.

Tiberius Olympius.

Cæsar Vitellius. doctrina,& eloquentia amplificauit. Cæsarem Vitellium, qui apud Austriacos summa cum sua laude Iurisconsultus vixit. *Benedictus è Vua.* Benedictum è Vua, Casinensem Monachum, poeticis studijs nitidè imbutum. Ioannem Thomam de Marinis scriptorem de *Io. Antonius Campanus.* Feudis. Si quis Ioannem Antonium Campanum inter hos numerauerit, sciat regionem, non vrbem, doctissimo viro nomen dedisse, cum Cauellis pago perobscuro ortus fuerit, qui à Gallucio agri Capuani oppido non longè abest. Nec desunt alij, quorum nomina memoriæ commendari debent, cùm ingenio floreant, dùm quauis exercitatione versari voluerint, atque ità vt præter alias disciplinas rem Comicam illustrauerint, & in noua Capua, veteris theatri voces exaudiantur.

AVERSA. CAP. XXVIII.



NTER Oscos Atella est, cuius mores ad lasciuiam, & obscœnitatem Sybaritica fœdiorem in Comœdijs eruperant, quas Atellanas dixere, quasq. T. Sempronius Bononiensis scripsit Ciceronis ætate. Atque indè factum, vt versus, verbaq. nimiam licentiam continentia, Atellanarum nomine insignirentur. Ex eius ciuitatis relliquijs Auersam esse conditam plerique affirmant. Ipse quid decernam nescio. Nullum ibi aut lapidum, aut parietinarum, aut alicuius rei, quæ antiquitatem referret, conspicitur monumentum. *S. Elpidius.* Sancti tantum Elpidij nomen reliquum est, qui sub Arcadio Atellanus Episcopus, in D. Arpini pago (qui non longè ab Auersa abest, quiq. ab Elpidio Arpinus corruptè dicitur) nobi- *Episcopi Auersani.* lissimæ Basilicæ titulo appellatur, vndè Auersam translati Præsules, Auersani, non Atellani dicti fuere, vt cùm primùm Atellæ habuerimus Elpidium, Primum, Felicem, Eusebium Atellanos Episcopos, Auersæ deindè cognoscamus, Greimundum sub Victorem II. Goffridum sub Ricardo I. Gismundum sub Vrbano II. Ioannem. Robertum sub Gelasio. Ioannem sub Innocentio II.

Ioannem

Ioannem sub Cælestino II. Gualterium sub Alexandro III. Falconium sub Lucio III. Gentilem sub Cælestino III. Basintium sub Innocentio III. Basuinum. Ioannem Lambertum. Fidantium sub Clemente IIII. Adam sub Nicolao IIII. Landulfum Brancacium. Leonardum sub Bonifacio VIII. Petrum de Buranosco Hispanum, Episcopum anteà Anagninum sub eodem Pontifice. Raymundum sub Ioanne XXII. Bartholomæum. Ioannem sub Benedicto II. Ioannem sub Clemente VI. Angelum sub Innocentio VI. Poncellum Vrsinum Vrsi filium sub Gregorio XI. Bartholomæum sub Clemente VII. Marinum de Iudice sub Vrbano V. Amalfitanum Archiepiscopum, Tarentinum, Commendatarium Ecclesiæ Auersanæ, & S.R.E. Cardinalem, qui sub Vrbano VI. grauissimas Legationes gessit, primum ad Florentinos, Perusinos, Insubrum Principes, & per totam ferè Italiam pro arduis Romanæ Ecclesiæ negocijs, vt hos scilicet populos, & Principes Romanos hactenus Ecclesiæ rebelles conciliaret, & Vrbano VI. obtemperantes redderet; Postremò in Hungariam Legatus est ad Ludouicum Regem, cui Vrbanum sic scripsisse animaduertit Ven. Fratri Marino Archiepiscopo Tarentino Administratori Ecclesiæ Auersanæ, Camerario nostro anno Pontificatus eiusdem quarto. Aliquot annis post læsæ Maiestatis reus factus, Nuceriæ cum alijs quinque captus est, tortus, diù carceri inclusus, & postremò Genuæ interfectus. Poncellum Vrsinum sub eodem Vrbano VI. Romanum Episcopum Auersanum, Presbyterum Cardinalem, tituli S.Clementis; hic primo honoris sibi collati memor, Vrbano aliquandiu fidus comes frequentibus eius peregrinationibus adhæsit. Ceterum dicti Pontificis pertinacia victus, ab eo cum Nuceriæ esset, animi causa proficisci simulans, aufugit, neque eum amplius vidit, moram in suis oppidis trahens, quo mortuo, cum noui Pontificis comitijs Romæ in Vaticano interfuisset, quatuordecim Cardinalibus, qui tunc in conclaui aderant in duas æquas partes deductis, ipse suffragijs ad Pontificatum vocatus est, totidem Cardinalem Acciaiolum eligere obstinatè contemnentibus, & cum alter, vt alteri cederet, nulla ratione adduci posset, instauratis

ratis

ratis comitijs, ex renunciatione Car.Carboni, omnium suffragijs, Romanus Pontifex creatus est. Petrum Tomacellum Bonifacium IX. apppellatum, à quo Poncellus Sabinorum per A.S. Vicarius Generalis constituitur, necnon Romæ iij.Id.Feb.1395. Pontificatus eiusdem sexto, diem clausit extremum, fuit Commendatarius Hospitalis S. Thomæ in Monte Celio de Redemptione captiuorum. Raynaldum Brancatium Cardinalem sub Martino V. Iacobum sub Paulo II. Petrum sub Sixto IIII. Ioannem Paulum Vassallum sub eodem Pontifice. Ludouicum ab Aragonia, Neapolitanum Marchionem Hieracensem, filium Ferdinandi primi Aragonei Regis, & fratrem naturalem Alphonsi Regis Neapolitani, Prothonotarium Apostolicum, & electum Episcopum Auersanum, Diaconum Cardinalem S.Mariæ de Cosmedin creatū ab Alexandro VI.anno 1496.post S.Mariæ in Cosmedin ex familia itidem de Centobles nobilissima in Catalonia, Episcopum Legionensem in Hispania obijt Romæ 21. Ianuarij anno 1518. ætatis suæ 46. Siluium Pandonum filium Comitis Venafri sub Leone X. Antonium Scaglionum sub eodem Pontifice. Pompeium Columnam Romanum Episcopum Theatinum, Presbyterum Cardinalem Basilicæ SS. duodecim Apostolorum, Archiepiscopum Montis regalis, Aquilanum, & Auersanum, ac S.R.E.Vicecancellarium, creatum Cardinalem à Leone X. anno 1517. Cal Iul. Sacconum C. S. Laurentij in Damaso Proregem Neapolitanum. obijt Neapoli quarto Kal. Augusti 1532. sepultus in sacrario Monachorum Montis Oliueti. Fabium Columnam Patriarcham. Balduinum de Balduinis. Georgium Manzolum. Petrum Vrsinum. Bernardinum Morram sub Clemente VIII. Illustrissimum Philippum Cardinalem Spinellum sub Paulo V. Quæ vix scire potuissem, nisi Octauius Fasolus ex Auersana Ecclesia monuisset.

De Elpidio verò hæc leguntur; *Igitur tempore quo Arcadius Imperator Constantinopolitanus morabatur, & Honorius cum Theodosio fratris filij regnabant, tunc beatissimus Elpidius Episcopus huius ciuitatis Atellanæ, virtute perspicuus, ità in Spiritu sancto feruebat, & secundum illud Euangelij testimonium, vbi dicit*

dicit Dominus discipulis suis, quia spiritus subijcientur vobis, sæpiùs videretur à ciuibus suis, qui post incendium ciuitatis remanserat, & cum eo aduesperascente iàm die, & Sol occubitum, antè cellam eius transeuntes, teneret quod spiritus quasi resultantes, & flagellis eorum iudicarent, ità vt ipsos spiritus audirent Christiani dicentes, Iàm vnquàm antè cellam Elpidij transeamus. Perfecto in CHRISTO hoc de sæculo viginti duorum annorum spacio Confessor, migrauit ad Dominum, & sepultus est in isto loco die tertio Id. Ianuarij Basso, & Flabio Philippo Coss. Nam & Cyonium presbyterum auunculum eius, germanum suum sepeliuit posteà iuxtà eum, & desuper fabricauit Basilicam, constituens altare ad offerendum Domino Iesu Christo laudis sacrificium. Cùmq. perfecta essent omnia ipsius Basilicæ fabrica, & ipse Sanctus Elpidius magnificans Deum, quiescens in pace cum magnis honoribus iunctus est, & depositus nono Cal. Iunias.

Vrbem quæ nunc extat, à Nortmannis initium duxisse Leo Ostiensis, Pandulfus Pisauriensis, Volaterranus, & Abbas Alexander scripsere, cuius verba subnectam; *Erat autem in eadem Terra laboris ciuitas quædam Auersa, quam Nortmanni cum Apuliam aggrederentur primitùs condiderunt, quæ licet duodecim Magnatibus militibus, atque immenso populo in se habitantibus glorietur, tamen potiùs aggere, quàm murali circumcingebatur ambitu.* Nescio quid de Gallis garriat Gulielmus Apuliensis incultus, sed eius temporis scriptor. quem licet Gallos cum Nortmannis confudisse asserant, eos tamen separasse didicimus. De Gallis primum, *Auersam quis condidit.*

Post annos aliquot Gallorum exercitus vrbem
Condidit Auersam Ranulfo Consule tutus.
Hic opibus plenus locus, vtilis est & amœnus;
Non sata, non fructus, non prata, arbustaq. desunt.

Gallos eam gentem appellat.

Nullus in orbe locus iucundior; hunc generosi
Consulis elegit prudentia præmemorati.

Sic

Sic deindè diuidit, ----- *nullus*

Partibus Ausonijs Gallorum terror habetur
Ex quo Nortmannos Catapan abscedere fecit.

At verò de huiusmodi Auctoribus nulla ratio habenda est, qua vera elicere queamus. illud optimè nouimus, Nortmannos eam vrbem habuisse conditores; & sic dictam affirmant, quòd Capuam, & Neapolim expugnaturus Robertus Guiscardus, in eius agri ruinis castris positis locum haberet, qui magnis vrbibus aduersaretur, quamobrem & Aduersam esse appellandam contendunt, ne in Auersum Nortmannum ædificatorem somniemus, nec in Anuersam incidamus, quod perperam plerique crediderunt.

In campestri loco vrbs posita, Leborinos campos excolit. *Vina Auersana.* Vinis Centorensibus, & Asprinis, quæ longam ferunt ætatem, quæq. calorum molestias, asperitate, & leuitate subleuant, laudatissima. Tritico, panico, milio, implet horrea, tùm verò vbertimè abundat hordeis; licèt aëris notatur inclementia, locorum *Arx Auersana.* humiditate crassas nebulas manè eleuante. Arx non ædificio nobilitatur, quod humile profectò est, sed Regum domicilio, & procerum conuentus, ingruentibus bellis, tùm verò funestam *Auersani Episcopi ditio.* Andreæ Regis cæde, & Neapolitano foro, quod in eam arcem peste sæuiente translatum est, quò etiam publicas mercimonias asportandas iussere. Nobilitarunt prætereà duodecim Barones, quorum Rogerij vitæ auctor, & diploma Puteolis exaratum meminit, in quo Gulielmus de Piroldo Alexandri filius, Petro Abbati Monasterij ad Cappellam Sancti Petri Ecclesiam in agro Cumano sitam concedit. Quapropter & Cumanam ditionem Auersanæ Ecclesiæ tribuo, cùm præsertim in Cumanam Arcem Auersanus Episcopus Goffridum è Montefuscolo nobilem Neapolitanum introduxit, veluti suprà commemorauimus. prætérquamquod pagorum Faucis, Patriæ, & Promaci Auersanos Episcopos dominos, tùm in villa Casandrini Vassallos habentes, in Roberti Regis actis reperi. Quòd si familiarum splendore nobilitas vrbibus accersitur; præter Altimaram, Cutinariam, Grimaldam, Landulfam, Pacificam, Scaglionam, Siluestram, Simonellam,

nellam, Riccardam, è Valle, plurimum familiæ è Tufo debet, quæ suis virtutibus, & Aragonum Regum magnanimitate, maximam patriæ gloriam comparauit; cùm non modò titulorum præmijs, pecuniæ subsidio, largitionum muneribus subditis optimi illi Reges satisfecisse voluerint, sed ijs etiam dignitatibus, quæ vel ad ipsorum corpora subditorum dignitate pertinebant; quod in multis quoque Hispaniæ ciuitatibus obseruatum legimus, vt cùm primùm in vrbes ingrederentur, equo insidentes, perfræna alicui familiæ vehendos concederent, quod huic familiæ contigit Auersæ, & de Franchis Capuæ. Nobilitarunt præterea Legalium studiorum disciplina in Couello Barnaba, & Marcello è Mauro, Regiæ Cameræ Præsidibus, Felice Barnaba, Thoma Grammatico Consiliario, Scipione Cutinario Regente, qui profectò varijs virtutum encomijs enituere.

NOLA. Cap. XXIX.



PICENTINORVM vrbs Nola in Italia Ptolemæo, Diodoro, Straboni. In Samnio constituit Epitome Liuij. Amicam Romæ dicit D. Paulinus in S. Felicis natali tertia. Colonia Augusta est apud Frontinum. Nomen retinet Νωλανάδης apud Polybium, sed corruptè. Aedificium, cuinam tribuam ignoro. Solinus à Tyrijs cum Fidenis, & Aricia fuisse conditam scribit. Leander à Gepidis, Trogi Pompeij auctoritate fretus, quod nusquàm in eo auctore inueni, à quo tamen Chalcidensium Coloni numerantur Falisci, Abellani, Nolani, cùm Græcas Italiæ vrbes describit; quamobrem Ambrosius Leo eiusdem sortis cum Neapoli Nolam facit; Strabo verò de Neapolitanis scribens, permixtas ibi fuisse Græcorum, & Campanorum voces de Chalcidicis loquutus, nullam Chalcidensium in Nolano ædificio mentionem facit, licèt Silius Italicus Chalcidicam nominet, Lib. 11.

Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.

Quòd si eo argumento vtamur, quod Nolanos præsidio accersitos à Palæpolitanis legimus, vt Græcorum quoque consuetudine, & auxilio firmiores essent, aduersantur nihilominus Liuij verba, cùm ait; *Tùm duo millia Nolanorum, & quatuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus, quàm voluntate Græcorum recepta Palæpoli*, quibus verbis diuersi à Græcis Nolani constituuntur. Ipse Græcos existimo, mixtos deindè, recepta Colonia, quam sic patefaciunt lapides,

IMP. CÆS. C. VALERIO. DIOCLETIANO
PIO. FEL. AVG. COL. FEL. AVG. NOLA.

Et

T. TETTIENVS. T. F. FELIX
PATRON. COL. NOLANÆ.

Sed & ius etiã Municipij fœdere fortasse Italico, alius ostendit.

L. LICINIO. L. F. SER. VALENTI. PATRONO
MVNICIPI. CVRAT. REIP. NOLANORVM
S. P. Q. NOLANVS. D. D.

Id quod in Ordine, & Populo exprimitur,

D. N. FL. VALERIO. CONSTANTINO
PIO. FELICI. IM. SEMPER. AVG.
ORDO. POPVLVSQ. NOLANVS
D. N. M. Q. EIVS.

Et

DOMI. DOMITIANVM. BARBARORVM
D. D. N. N. PATRIA. DON. I.
AVDAVIT. VESTA. IM. STATVAM
NOLANVS. ORDO. ET. POPVLVS
CONSECRAVIT
CVRANTB. AC. DEDICANTE
ORTENSIO. CONVIARO
PROVINCIÆ. CAMPANIÆ

Et in Decurionibus,

L. CLAVDIO. ET. CLEMENTI. AN. XX
II. VIR. DESIGNATO. L. CLAVDIO. LL. FELICI
AVGV.

AVGVSTALI . LOCVS . DATVS . VTRISQ.
DECVRION. DECRET. IN. F. PED. CXXX
IN. AGR. P. XXV
QVOD . FILIVS . PATRI . FACERE . DEBVIT
PATER . FECIT . FILIO

Item

N. FLAVIO . VALERIO . CONSTANTIO . SV. .
FELICISS. AC . BEATISS. CÆSARI
ORDO. POPVLVSQ. NOLANVS
D. N. M. Q. EIVS.

Habes ea ætate Reipublicæ patronos, eiosdemq. erga eos sacrandis statuis gratitudinem. Habes prætereà regionis, vel ciuitatis vicos, quorum incolæ, vel tribules in referendis patronis gratiam contendebant, regionem inquam Romanam, & Iouiam, quæ Pollium Iulium Clementiarum huiusmodi extulere,

POLLIO . IVLIO . CLEMENTIANO
SVBVENTORI . CIVIVM
NECESSITATIS . AVRARIÆ
DEFENSORI . LIBERTATIS
REDONATORI . VIÆ . POPVLI
OMNIVM . MVNERVM . RECREATORI
VNIVERSA . REGIO . ROMANA
PATRONO . PRÆSTANTISSIMO
STATVAM . COLLOCAVIT.

Et de Iouia,

POLLIO . IVLIO . CLEMENTIANO
PATRONO . . . . AMABILI
LARGISSIMO . CVIVS . FACTA
ENARRARI . NON . POSSVNT
EIVS . MERITIS . REGIO . IOVIA
STATVAM . CENSVIT.

Habes item Decuriones, Augustales, & Quinquennales.

P. SEXTILIVS . P. F. FAL. RVFVS
HID. ITERVM. II. VIR. QVINQ. POMP.
DECVRIO. ADLECTVS . EX . VETERIB.
NOLA . AVFIDIÆ . ST . F. MAXIMÆ . MATRI

L. PETRONIO. L. F. FAL. VERO. VITRICO
DECVRIONI. NOLA
EX. TESTAMENTO. HS. VLↃↃ. ARBITRATV
FIDI. L.

tùm etiam,

L. SATTIO. L. L. PHILEROTI
MAGISTRO. MERCVRIALI. ET
AVGVSTALES. NOLÆ. ET. DAERIÆ
Ɔ. L. RVFAE. VXORI. ET. L. STATTIO
L. L. AMPLIATO. EX. TESTAMENTO
L. STATTII. L. L. PHILEROTIS.

Et relligionem, & militiam,

CVRIATIO. L. F. FLAMINI. DIVI
AVG. PRIMIPIL. TRIB. MILIT. II.
PRÆF. CASTR. PRÆF. FABR.
ARBITRATV. HYACINTHI. LIB.

Sic etiam,

T. RVTILIO. VARO. TRIBV. MIL.
LEG. V. MACEDONIO. PRÆT. EQ.
ALÆ. BOS. Q. DIVI. VESPASIANI
ÆD. CVR. COM. IMPERATO
PATRONO
D. D.

Auguſtorum quoque memoriam,

INVICTO. AC. PERPETVO. AVGVSTO
BONO. REIP. NATO.

Et

AVGVSTO. SACRVM
RESTITVERVNT. LAVRINIENSES
PECVNIA. SVA. CVLTORES
D. D.

Et

M. AGRIPPAI. AVGVSTI
NEPOTI.

Et

IMP. CÆSARI. DIVI. TRAIANI
PARTHICI. FIL. DIVI. NERVÆ
NEP. TRAIANO. HADRIANO. AVGVSTO
PONT. MAX. TRIB. POT. XIII.

Et

Et

D. M.
MAXENTII. INVICTI. AC.
PERPETVI. AVGVSTI.

Nec desunt Dedicationes, aut Magistratuum tabulæ, qualis in pago S. Pauli, ad curiosorum, & antiquariorum gratiam,

SVF. A. PLAVTIVS. L. NONIVS
T. SALVIVS. PARIANVS
A. TERENTIVS. II. VIR
SEX. APONTVS. PROCVLVS
Q. NOLCENNIVS. ÆD.
L. CASSIVS. LONGINVS
M. VINICIVS. COS.
SVF. C. CASSIVS. LONGINVS
L. NÆVIVS. SVRDINVS
M. SENTIVS. RVFVS
Q. VIB. FIDIVS. SEDATVS. II. VIR
P. SVBIDIVS. POLCIO
SEX. PARIANVS. SERENVS. ÆD.
T. CÆSAR. AVG. V. COS.
SVF. VII. ID. MAI.
FAVSTVS. CORNELIVS. SVLLA
SEX. TEIDIVS. CATVLL. COS.
SVF. K. IVL.
L. FVLCINIVS. TRIO. COS.
T. OPPIVS. PROCVLVS
M. STAIVS. FLACCVS. II. VIR. ITER. Q.
M. ANTONIVS. FLORENS
A. CLVVIVS. CELER. ÆD.
SVF. K. OCT.
P. MEMMIVS. REGVLVS. COS.
CN. DOMITIVS. ÆNOBARBVS. COS.
SVF. K. IVL.
A. VITELLIVS. COS.
M. VALERIVS. POSTVMVS
Q. LVCCEIVS. CLEMENS. II. VIR
C. SENTIVS. SEVERVS
L. IPPELLIVS. ATTICVS. ÆD.
SER. SVLPICIVS. GALBA
L. SVLLA. FELIX. COS.

Nec

Nec parentum, liberorum, coniugum affectus,& officiorum ministeria, veluti, Ministros Larum Augusti.

A. SPVRIVS. ANTIOCHVS. VIVOS
SIBEI. ET. SVIS. FEC.

Et

DIIS. MANIBVS
Q. OVIO. Q. F. GAL. MODESTO
VIX. A. XX.
ET. GAVIÆ. DOR. GAL.
SORORI. EIVS
GAVIA. LYRIS. MATER
ET. SIBI. INF. P. XXI.
IN. AGR. P. XXI.

Et

FISIÆ. SEX. F. RVFINÆ. SORORI
FISI. SERENI. AVG. LARVM. MINISTRI
L. D. D. D.

Et

T. VEDIVS. T. F. II. VIR
T. VITTORIVS. C. F. LIBRIPENDES
EX. D. D.

Et

DIS. MANIBVS
Q. FVLVI. Q. LIBERTI
SECVNDI. SACRVM.

Et

FL. VALERIO. PORTIÆ. TVLII
CONSTANTIO. C. CATONIS. F.
NOBILISSIMO. CÆS.

Et

T. FABVRIO. FELICI
FABVRIA. QVIETA
MARITO. OPTIMO. ET. SIBI
L. D. D. D.

Et

Et

D. M.
D. CLODIO. HERCVLANEO
MARITO. OPTIMO
CLODIA. VERECVNDA
BENEMERENTI. FECIT.

Et

D. M.
AVRELIÆ. AMPLIATÆ
MATRI. CARISSIMÆ
VRBANVS. FILIVS
B. M. F.

Et

D. M.
QVINTIO. CORNELIANO
VIX. AN. XI. M. XI. D. XI.
ANTONIA. VITALI
FILIO. PIENTISSIMO.

Et

D. M.
ÆLIÆ. FESTÆ
Q. LVTATIVS. IANVARIVS
CONIVGI. BENEMERENTI
SIBI. ET. SVIS
IN. F. P. VIII. IN. A. P. XIII.

Et

D. M.
L. LICINI. OLCANI
VIVVS. SIBI. FECIT.

Et

C. CAVILIO
CL. APOLLONIO
PATRONO. EX. TESTAM.

Et

L. CORNELIVS. OPTATVS
SYNODO. SVO
P. S.

Et

Et

T. FLAMINIVS. T. F. LONGINVS
D. S. P. F. C.

Et

D. M.
FELICISSIMO. VIX. AN. VIIII. M.X.
P. TITIVS. PRISCVS. FILIO
ET. TITIÆ. ARISTARCHE
SORORI.

Præter alia fragmenta, quæ multis in locis pagorum,& ciuitatis eruta pafsim iacent; & quæ Nolanæ amplitudinis claritatem oftentant,cùm nullam Campaniæ vrbem, antiquis monumentis ditiorem infpiciamus.

Nomen.

Nomen vrbi à fitus proprietate inditum, ait Ambrofius Nolanus, quòd in campeftri loco pofita,nec flumine aliquo irrigatur, nec occupatur lapide, idq. fignificari fcribit νω, & λα. Sed aut iocari voluit,aut Græcæ linguæ fe prorfus ignarum oftendit. Quòd fi à Græca voce effet nomen illud deducendum,à νωλεμὴ potius dicerem, cùm multis hoftium incurfionibus fortiter reftiterit. Nomen verò Nolæ reticuiffe Virgilium ijs verfibus, quibus eius agri felicitatem defcribit,

Talem diues arat Capua, & vicina Vefeuo
Ora iugo -----

Vbi *Nola iugo* dicere debuerat, idq. ob aquæ riuum, quem in Maronianam villam deducendam negauerant Nolani, vel fi mille Gellij dixiffent, fabulofum exiftimo.

Tumultus Nolani.

Cum Neapolim nequicquam Annibal tentaffet, ducto in Nolanum agrum exercitu, voluntariam eius vrbis deditionem non defperans,idq. plebis præcipuè auxilio,cùm Senatus,atque primores Romanam fidem violare turpe exiftimarent. At quoniam fimulandum duxere ne indigna pati cogerētur,huiufmodi de deditione agebant, vt refciirent quas conditiones noui fœderis

deris causa essent accepturi. Ad Marcellum Claudium interim Legatos mittunt, qui Cannusij cum exercitu erat, qui dicerent quo in discrimine res Nolana futura esset, ni absque cunctatione opem ferret. Fecit id quidem lubens Romanus Prætor, & aduentu simulato, per agrum Satriculanum, Trebianumq. Nolam peruenit, tantumq. Pœnis timorem intulit, vt illicò Neapolim decesserint. Marcellus L. Bantium Nolanum acrem iuuenem, equitem nobilissimum conciliat, & muneribus placat. quem, quòd semineccem Annibal in Cannensi pugna inter cadauerum aceruos repertum, benignè curatum cum donis domum remiserat, nouarum rerum, & tradendæ Pœno Nolanæ vrbis sollicitum arbitrabatur. At verò maxima acceptum comitate, fortiter, ac fideliter Romanos iuuantem expertus est. Interim Nolana plebe ad defectionem spectante, quasi euocato Annibale, summa prudentia Marcellus intrà mœnia se recepit, ne prodendæ vrbis occasionem plerisque daret. cùm tamen per nocturna colloquia multi ex plebe cum Pœnis de deditione tractarent, id cum ex Senatoribus rescisset Marcellus, collaudata eorum fide, cuncta simulauit, donec impetu facto, reportata victoria, habita de ijs quæstione in foro, qui clam in colloquijs cum hostibus fuerant, septuaginta, & eo amplius proditionis damnatos, securi percussit.

Mox vt Hirpinis, Sãnitibusq. satis fecisse Annibal videretur, si subleuandi oneris causa in proxima loca exercitum duceret, relicto in Tifatis præsidio Nolam pergit, quò Hanno ex Brutijs cum supplemento Carthagine aducto profectus est. Castrisq. positis non ea reperisse ratus est, quæ à Legatis acceperat. Siquidem Marcellus intrà mœnia copias tenuit, vtq. Senatores omnia explorarent, iussit. Hanno Herenniũ Bassum, & Herium Petrium alloqui desiderabat. quod cùm Marcelli permissu licuisset; Annibalis fortunam, atque virtutem extollere, Populi Romani senescentem maiestatem, & perfractas vires obijcere cœpit; multa prætereà quibus eos ad deditionem alliceret. Cùm verò ex ijs quæ Nolani respondissent, potiundæ vrbis spem abiecisset, facta obsidione, collatis deinde vtrinque fortiter signis, tandem ad

Vuuuu Marcel-

Marcellum victoria inclinauit, qua erectis plebis animis, quæ semper à Romanis desciuerat, omnium votis exceptus, laudatusq. Marcellus, cùm præcipuè Numidæ, atque Hispani equites ad eum transfugerint, immortalem sibi gloriam comparauit. Quamobrem Statuæ monumento, ENSEM ROMANORVM in lapide appellarunt.

Ex Samnitium quoque varia fortuna Nolanorum virtus elucet quibuscum socia arma tulere, memorabilesq. victorias reportarunt, quapropter & Victoriæ templum conditum adhuc extare conspicitur; licèt cum ijsdem incendia, & seruitutem Petilij Dictatoris fuerint experti. Norunt Nolanorum virtutem Neapolitani, cùm Romanorum impetum expectantes, eorum præsidio Palæpolim studuerint muniri. Quòd si Maurorum, & Vandalorum iniuria interierit, nihil aliarum vrbium calamitati in Campania cedat. Reliqua tamen, quæ in ea vrbe viget nobilitas, summorumq. virorum, qui domi, forisq. claruere præconium, Nolanæ magnitudinis, & amplitudinis retinet exemplum. Cùm verò nobilium familias Ambrosius Nolanus notauerit, nihil est, quòd hoc volumine recenseam. Neque ignoro hoc tempore nobiles numerari Albertinam, Alfanam, Baronam, Cæsarinam, Fellechiam, Fontanarosam, Frezzam, Ioseppam, De Iudicibus, Mastrillam, Monfortam, Mariseolam, De Notarijs, Palmam, Risiam, Tansillam, licèt in Tansilla, & Risia marium series desierit, duæq. tantum mulieres supersint. Mastrillam illustrium virorum progenitricem dicemus, qui aut Magistratuum dignitatibus Neapolitanum forum, Senatumq. decorarunt; aut virtutum præconijs Iesuitarum coetum præclarum reddidere; viuentq. æternum Gregorius, & Carolus Mastrillus, cuius gloria vitæ exemplo, prædicationis nobilitate, tùm præcipuè bonorum operum assiduitate, & magnificentia tota Italia maximo cum splendore elucet.

Ecclesia

Ecclesia Nolana.

Historiarum monumentis celeberrima vrbs Nolana, sacrarum rerum relligione, Sanctorum Martyrum carnificina, vt ferè totus ager sanguine redundet, præclara effecta est. Quamobrem meritò Sanctus Paulinus Episcopus tertio Sancti Felicis natali scripsit,

Tu quoque post vrbem titulos sortita secundos,
Nam priùs imperio tantum, & victricibus armis,
Nunc & Apostolicis terrarum, & prima sepulcris. &c.

Basilica, hoc tempore assumptæ Virgini, Stephano anteà Prothomartyri, antiquioribus temporibus Virgini, Felici, & Paulino, dicata est. Seruat Felicis Episcopi, & Martyris corpus, ex quo Manna emanare affirmant. Meminit Martyrologium; *Nolæ in Campania Felicis Episcopi, & Martyris, qui à quintodecimo ætatis suæ anno miraculorum gloria claruit, & sub Marciano Præside, cum alijs triginta, agonem Martyrij compleuit.* Alibi quoque dictum fuerat. *Nolæ in Campania natalis S. Felicis præsbyteri, qui (vt Sanctus Paulinus Episcopus scribit) cùm à persecutoribus post tormenta in carcerem mitteretur, & cochleis, ac testulis vinctus superpositus iaceret, nocte ab Angelo solutus, atque eductus fuit. Postmodum verò cessante persequutione cum vitæ exemplo, ac doctrina multos ad Christi Fidem conuertisset, clarus miraculis in pace quieuit.* vt inter illustriores Christi martyres fuerit adscriptus. Meminere Beda, aliiq. neoterici. Tùm eius gesta doctissimè Paulinus decem natalibus conscripsit. Ne Turonensem commemorem, qui ex Paulini carminibus mutuatus est; nec Marcellum Præsbyterum, cuius scripta non tantum Baronius, sed etiam Bartholomæus Chioccarellus, & Marcus Antonius de Caualeriis, antiquarum, & curiosarum rerum maximi indagatores seruant. Hoc profectò Nolani præcipuum existiment, quòd ex intimis orbis regionibus ad Felicis sepulcrum gentes venerationis causa conuenerint, quod potissimum D. Augustinus, vt epistola 137. prodidit, est admiratus. Quod sic etiam Damasus Pontifex explicauit,

Qui ad te sollicitè venientibus, omnia præstas,
Nec quemquam pateris tristem repedare viantem,
Te duce seruatus mortis quod vincula rupi.

Mille passuum Nola Cœmeterium abest (corruptoq. vocabulo, Cemitinum pagum appellant) in quo profectò Martyrum thesaurus reconditur. Ibi Tyrannorum Præsides incoluisse, ibi tot Christianorum sanguinem effusum, memoria hominum proditum est. Supplicij locum ostentant carceres, obscuri, & tetri locorum ambages, columnæ quibus innoxii fortasse fideles illigabantur, puteusq. marmoreo lapide opertus, quem sanguine adhuc esse repletum, multorum miraculorum testimonio, plerique affirmant. Vndique templum venerandam redolet antiquitatem, vndique lapides, vrnæ, sepulcra in admirationem adducunt; multaq. indè aliò translata Sanctorum corpora fuisse, facilè crederem. Alibi enim legitur, *d. p. s. Sanc. M. D. M. N. Aureliani Episc. in pace . . . plus M. LXXX. sedit ann. XXXVIII. d. p. est oct. ab. K.* Alibi etiam, *dpep. Paulini iunioris D. iij. id. Septemb. H. Dioso. moro. V. C. Cons.* Itemq. *Dep. Sanc. Felicis Episc. V. id. Feb. pos. Cons. s. Augusti. V. C.* In marmorea prætereà tabella, *Hoc quod cernitis, discite, quòd Lupenus Episcopus compsit, & ornauit in Ecclesia.* Et, *Lupenus Episc. fieri pracep. amore Dei, & Sanctorum Felicis, & Paulini, & Laurentij, & Patricij.* Sunt etiam lapidum fragmenta, quæ aliorum meminere, qui è vita decesserunt. Quamobrem de hac Basilica loquutum fuisse Paulinum, ad Seuerum scribentem, arbitrantur, Ambrosij Leonis opinionē confutantes, qui Basilicā à Paulino in Nolana vrbe ædificatā fuisse scribit. Hoc locū honore decorauit Franciscus Albertinus Archidiaconus, & Cœmeterij Præfectus,

Siste gradum, quamuis properes, En siste viator,
Te cogat pietas, relligioq. loci.
Ingredere, & cineri manibus da lilia plenis,
Quemq. Augustinus, Paulinus, Bedaq. libris
Concelebrant, flexo tu venerare genu.
Ingredere, at mundo corde, & simul excute plantas,
Sanctorum quandò corpora mille premas.

Episcopi.

Episcopi.

In ea Ecclesia hi numerantur in eorum tabulis Episcopi; S.Felix, S.Calionius martyr, S.Aurelianus martyr, S.Maximus, S.Quintus, S.Paulinus, S. Ruffus, S. Laurentius, S. Patricius, S.Felix iunior, Leo primus, Lupenus, Basilius, Leo secundus, Theodosius, Damasus, Leo tertius, Bernardus, Petrus, Ioannes, Landonus, Iacobus, Frater Petrus, Nicolaus, Eligius, Franciscus Rufulus, N.Carafa, Franciscus Scaffanus, Flaminius Minutulus, Leo de Simeone, Ioannes Antonius Buccarellus, Orlandus Vrsinus, Ioannes Franciscus Brunus, Antonius Scarampus, Philippus Spinola deinde Cardinalis, & Fabricius Gallus, qui præter Diœcesanos cætus, quibus post tot Patres à salutis anno 159. maximè gloriatur, nullum vnquam laborem amplificando suæ Ecclesiæ cultu, ædificando, reparando, prætermisit, atque ità vt Christianæ pietatis obseruator, assidua sollicitudine in dilucidiorem statum Nolanam Ecclesiam reuocauerit. Hic Sanctorum ossa imbrium iniurijs obnoxia recondidit, Basilicam suo, & publico sumptu ædificauit, relliquiarum thesauris locupletauit, Canonicos ampliori dignitate ornauit, Diœcesim plurimis Collegiatis Ecclesijs insigniuit, Camaldulensem Eremum, à Pompeo Fillichia legatum instituit, Virginum templa, pietatis Montes, Xenodochia à nobilibus Nolanis instituta, retinet solertia, auget ritibus, amplificat deuotione, vt Nolani tanto viro debere summo præconio fateantur. Paulinum ex nobilissimo, & opulentissimo, pauperem, & humilem pro Christo factum, & seipsum, pro redimendo viduæ filio, quem Vandali, Campania deuastata, in Africam abduxerunt, in seruitutem dedisse, meminit Romanum Martyrologium. addiditq. non solum vitæ sanctitate, & eruditione, sed etiam potentia aduersus dæmones claruisse, Romam deinde eius corpus translatum in S. Bartholomæi insula cum eodem Apostolo seruari. In Montis Virginis Ecclesiæ consecratione inter alias Relliquias, S. Quinti Nolani Episcopi Relliquiæ adfuere. Patricium sanctitate illustrem, pictura,

& lapis in Coemeterio ostentat. Iuliam, & Iucundam Nolæ cum S.Felice martyrij palma coronatas non ignoramus.

Hos prætereà ex tenebris eruit Episcopos idem Chioccarellus, cui acceptos refero. IOANNES TALAYA Patriarcha Alexandrinus, qui ob Græcas hæreses Romam profectus, à Felice Pontifice Nolanus Episcopus creatus, in ea tandem vrbe post aliquot annos obijt. Eaq. Liberatus Archidiaconus Ecclesiæ Carthaginensis refert in Breuiario causæ Nestorianorum, & Euthychianorum, quod 2. Conciliorum volumine legitur. SERENVS, qui Concilio 2. Romano à Symmacho celebrato anno 499. interfuit. SIXTVS, cuius in S. Felicis miraculis extat memoria. AVRELIVS, in Romano Agathonis Concilio anno 681. ANONIMVS anno 1093. qui S. Laurentij monasterij Abbati Auersanæ ciuitatis Ecclesias S. Mariæ Domicellæ, Speluncæ, S. Saluatoris de Valle, & S. Ianuarij de Silua concedit. Anno 1105. GVLIELMVS Episcopus Nolanus, assentiente Clero, sub Riccardo Principe, Ecclesiam S. Paulinæ, monasterio S. Seuerini, & Sosij Neapoli concessit. FRANCISCVS Fontana Parmensis, Messanensis primùm Archiepiscopus, ex Sicilia ob bellorum calamitates profectus, Nolanæ Ecclesiæ administrator electus, Mediolanensis Archiepiscopus anno 1295. creatus est. PETRVM GERRAM, cum Montis Regalis Archiepiscopatum exercere ob bellorum causas nequiset, Administratorē Nolanæ Ecclesiæ anno 1296. Apostolica Sedes effecit. HECTOR de Iudice, Amalfitanus anno 1413. VLAMINGVS vel Flaminius in Concilio Constantiæ, anno 1415. FELIX Mastrillus Ioannis Thomæ filius.



ABEL-

ABELLA. Cap. XXX.



IN montium, & collium theatro posita, sedet in Campana planitie, respicitq. fronte meridiem, tergore vergit ad septentriones, adeò clementi cœlo, vt nihil videatur posse fieri salubrius. Et quamuis hyeme, montium iuga, quæ alta cerrorum, quercuum, castanearum coma conuestiuntur, niue in vallibus, foueisq. coacta, ad Neapolitanæ vrbis commoda rigeant; tanta nihilominus afflatur crateris amoenitate, vndè placidissimo Austri, Zephiriq. spiritu aer impellitur, vt nunquam accolæ frigorum iniurias pertimescerent, nisi aliquandò ferox in siluas, in hortos, in campos Borea sæuiens, arbores velleret, campisq. maximam calamitatem afferret. Ceteroqui fructuum copia, vinorum generositate, olei abundantia nobilis, quod Venafranum fortasse antecellit. Mella dixeris inesse Hyblæa, quapropter melliferam appellauit Virgilius,

Et quot mellifera expectent mœnia Abella.

Nolam, Laurum, Roccam Rauinolam, Montemfortem, Panderanum, Sanmartinum, Ceruinaram, Rotundos, & Arpaiam finitimas haber. Et licèt Neapoli sexdecim millibus passuum absit, tanta nihilominus vicinitate frui licet, vt si quis oriente Sole ex editiori loco in eam vrbem oculos conuertat, moenia, priuatasq. domos enumerare posse videatur.

Veteris Abellæ vestigia haud à noua longiùs absunt, murorum, turriumq. relliquijs perspicua, vigintiquatuor ferè stadiorum ambitu circumscripta. In cuius medio Amphitheatri cernuntur ruinæ, in quo tota profectò cauea ouali forma reliqua est, vbi ferarum, gladiatorumq; munera iàm anteà intermissa, sub Antonino edita, superior lapis exposuit, & vbi sanguinis loco, fructus enutriuntur, quos totam regionem sapidos, præcocesq. proferre ferax agri solum floribus hyemali tempore vernans patefacit. Vasa ibi antiquo opere elaborata, lateritia quamplurima reperiuntur sepulcra cineribus referta, quæ à vulgo molimenta,

menta, pro monimentis appellantur. Circundatur ea murorum pars, quæ ad montes pertinet, fluuio, qui nullo præterquàm Abellæ nomine adepto, è montibus illis emanans, non modò agrum alluit, atque ita vt cùm per riuos deriuetur, immittatur in puteos, qui passim vbique conspiciuntur, cuiusque aquarum bonitate, & frigiditate Abellani æstiuis caloribus maxima cum voluptate recreantur; sed ad Nolanorum quoque cisternas, soluto pretio, deferantur. Munitissima in edito colle arx cernitur, antiquo ædificio extructa, à Petro Antonio Spinello Seminariæ Duce restaurata; qui cum Carolo filio Abellæ pulcrè consitos hortos condidere; in quibus hæc præclari animi monumenta legimus,

PETRO ANTONIO SPINELLO
COMITI SEMINARIÆ
PATRI ERECTVM. M. D. LXI.

Prætereà,

GENIO GRATIIS HILARITATI ANIMIS
LÆTA AMOENITATE AC SECVRA REMISSIONE
LEVANDIS
CAROLVS SPINELLVS DVX SEMINARIÆ.

Et

Ocia pulcher ămat Phœbus, castæq. sorores
Pieriæ θεάτρον δ'ὴ πόλις ἀτυχὴς.

Oblectatus ijs vehementer est Philippus Cardinalis Spinellus Caroli filius, dùm Abellam animi causa diuertisset.

Colonia, & Municipium.

N. PLAETORIO. ONIRO. AVGVSTALI
BISELLIARIO. HONORATO. ORNAMENTIS
DECVRIONALIB. POPVLVS. ABELLANVS
ÆRE. CONLATO. QVOD. AVXERIT. EX. SVO.
AD. ANNONARIAM. PECVNIAM. HS. X. N.
ET. VELA. IN. THEATRO. CVM. OMNI. ORNATV
SVMPTV. SVO. DEDERIT. L. D. D. D.

Magi-

Magiſtratus, & Relligio.

M. PROPR. PVBLICE. O. T. F.
SERG. CILONI. PRÆF. PISCINAM
ET. DVOVIR. ITER. QVINQ. SVA
PECVNIA. ÆDIFICAND. CVRAVIT
COLONI. ET. INCOLÆ.

Et

T. ANSISTIO. T. F.
CALCILONI. DVOVIR.
IVRIDICVNDO.

Item

L. ANTISTIO. T. F. ALCIRON
PRÆF. DECVRION.
DECRETO. IVREDICVNDO.

Et

N. PETTIO. N. F. GAL. RVFO
II. VIR. ALIMENTO. PEC. PVBLICÆ
CVRAT. FRVMENT.
CVLTORES. IOVIS. OB. MERITA. EIVS
L. D. D. D.

Et

IVLIO. C. F. MACRO
DVOVIR. QVINQ. EX. TEST.
ARBITRATV. OFILIAI. C. R. RVFAI
VXORIS.

Et

N. MARCIO. N. F. GAL. PLAETORIO. CELERI
QVÆST. II. VIR. T. LEG. VII. GEMIN. LEG. XVI.
ET. HRM. DONIS. DONATO. A. D. TRAIANO
BELLO. PARTHIC. CORONA. MVRALI. TORQVIB.
ARMILLIS. PHALÆRIS. T. LEG. II. GALL. T. LEG.
XIIII. GEM. MART. VICTOR. T. LEG. VII. CL. PE.
T. LEG. ADIPI. P. P. LEG. EIVSDEM. PRÆPOSIT
NVMEROR. TENDENTIVM. IN. PONTO. AB
SARO. TRIB. COH. III. VIG. PATRONO. COL. D. D.

Et

POMPEIÆ. C. F. RVFÆ
MATRI. TIRONIS. PROBA. ET. SANCTA
CARA. SVIS. VIXIT.

Alium

Alium quoque Christianorum lapidem adijciam, ne quid eius loci monumentis detrahatur, quo vir coniugi Prænestinæ tumulum posuit,


Prænestina tibi verus . . . heu graue onus
Soluo sub hoc charum deponens marmore corpus.
Discreuit nos vita quidem, sed viuet amoris
Indiuisa fides, erit hic quoque copula nobis
Coniugio nostro, nec mors diuortia ponet,
Concordes animas CHRISTVS reuocabit in vnum.

Domini.

Plurimum nobilitatis Abellæ attulit ædificium, quòd à Græcis cum Nola, & Neapoli ædificatam existimant, quodq ij eam vrbem incoluerint, qui inter eos populos adsciti fuere, quibus cum Turno aduersum Latinum Regem arma capere libuit. Eadem ferè semper noblitatis dignitate Dominorum successione viguit. Auellæ familiam, quæ ex eius loci possessione emanauit, & antiquitate, & viribus, & fortunarum copia, quis non efferat, si Bauciæ deindè, & Gesualdæ illustrissimis familijs adiunxerit? Riccardum, Rinaldum, Ioannem de Auella, multis cum laudum honoribus historiæ commemorant; vt vel iàm extincti, in tàm præclaro stemmate adhuc nitere omnes affirment. Vrsinorum mox potestati subdita, cum Vrso à Ferdinando Rege, cum Comitatus Nolani quoque titulo donata, ad Henricum quoque Vrsinum deuenerit. Quòd si aliquandiù non ità floruerit, parere coacta Hieronymo Pellegrino; quòd tamen cum Abellæ dominio Caprearum quoque Comitatum obtinuerit, & quòd insigni Magistratu ea ætate functus fuerit, licèt ad superiorum Comitum splendorem non accesserit, nobilem quoque non neget habuisse possessorem. Ex Pellegrino, ad Hieronymum Columnam ob Catherinæ filiæ coniugium translata est. Suo nihilominus emicuit splendore, in Pirrho, Carolo, Scipione Spinellis, Cariati Principatus, & Seminariæ Ducatus lumine nitentibus, quorum domi, forisq. præclara gloria, antiquam veteris municipij dignitatem instaurauit. Sed quæ Vrbi maximarum rerum accessio

ab

ab Octauio Cataneo facta est, qui templa cultu, rempublicam bonis artibus, agriculturam admirabili exercitatione locupletauit? dirutas domos restituit perduxit aquas, exaedificauit hortos, cunctaq. quae iam temporum calamitate deperijsse videbantur, cum totius loci dignitate ad vitam reuocauit. Praeclarissimis tandem Principibus Aurijs obtemperat, quae Ioannis Andreae primùm imperia experta est, eius scilicet qui ad Italiae Principum inuidiā natus, omnem honoris, & gloriae amplitudinem terra,mariq. in sua ipsius perenni fama posuit; Caroli deindè filij Tursium Ducis,& Abellae Principis, in quo vno non tantum immortalium suorum gloria aemula praesefert nobilitatis, virtutisq. aeternitatem, sed quae valeat etiam rebus praeclatè gestis cum summorum Heroum gloria comparari. Quamobrem & originis vetustate, & conditorum nobilitate, & amoenitate situs,& agri vbertate (vt Abella,quasi Bella meritò dici queat) tùm praetereà Dominorum felicitate, inter Campaniae vrbis, feliciſſima, & fortunatiſſima habenda iudicatur.



AP.

APPENDIX.

De Stabiano situ litem dirimit Græcus lapis, quem indè ad me misit curiosissimus Ioannes Baptista Rosanius. Is est eiusmodi,

ΠΡΟΑΣΤΕΙΑ . ΛΙΜΙΝΤΕ . ΠΡΟΣ ΠΟΛ ΤΗΙΟΝ . ΚΑΙ . ΝΑΥΤΙ-
ΛΟΙΟΝ . ΕΠΙΤΗΔΕΙΟΤΗΝ . ΒΟΥΛΕΥΤΑΙ . ΣΤΑΒΙΟΙ . Σ. Σ.
ΔΙΦΙΛΟΣ. ΚΑΙΤΟΙ. ΒΡΑΔΗΣ . ΑΡΚΙΤ ΚΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΠΡΟΣΤΑΓΜΑ
ΟΜΩΝ . ΤΑΧΥΣ. ΕΡΓΑ . ΟΛΥΜΠΙΑΔΕ . Α

hoc est; *Suburbia, portumq. ad ciuium, & nautarum commoditatem, Senatores Stabienses constrni curarunt. Diphilus, quamuis tardus Architectus, ad iussum tamen celer, quinquennio absoluit.*

Quid ergo clarius, quàm propè portum fuisse Stabias ædificatas? quàm verò longius portus abest ab ea ciuitate, quam ad Vesuuij radices Stabias existimarunt? Nec ibi portus locum quisquam fuisse dicet.

Ad rem Neapolitanam faciunt lapides ex antiquis domus Marcelli Muscettolæ Neapolitani Equitis fundamentis eruti, qui ex tanta antiquitatis iactura seruati, nobilissimum illum Græcorum Reipublicæ statum maxima cum studiosorū consolatione repræsentant. In altero Gymnasiarchiam, Quatuoruiratum, Demarchiam, Quinquennalitatē, Venerisq. sacerdotium habemus,

ΟΙΠ ΑΙΤΑΙ Σ ΛΕΥΚΟΝ Τ ΟΝ Σ Α ΥΚΟΤ ΔΙΣ . . ΓΥΜΝΑΣΙΑΡ-
ΚΟΝ ΑΡΞ ΝΤΑ ΤΕΣΣΑΡΩΝ ΑΝΔΡΩΝ ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣ ΝΤΑ
ΑΡΧΟΝΤΑ ΤΟΝ ΔΙΑΠΕΝΤΕ ΕΤΩΝ ΤΙΜΗΤΙΚ Ν . . .
ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΕΥΝΟΙΑΣ . ΘΕΟΙΣ .

In altero, Demarchiam, Secretarij munus, & Quinquennalitatem, cum vetere Eoeniondeorum Phoratria,

Η ΦΡΗΤΙΑ ΗΟΝΙΟΝΑΕΩΝ ΛΕΥΚΙΟΝ ΕΡΕΝΝΙ Ν ΠΥΘΩΝΟΣ ΓΙΟΝ
ΑΡΙΣΤΟΝ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥ ΡΓΕΣΙΑΣ ΔΗΜ ΡΧΗΣ ΝΤΑ
ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΓΡ ΜΜΑΤΙΣΑΝΤΑ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΟΝ
ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝ . ΘΕΟΙΣ .

F I N I S.

Imprimatur. Petrus Antonius Ghibertus Locumtenens.
M. Cornel. Iirob Præd. Ord. Curiæ Archiep. Neap.



Errata.

Pag.	versus		
11	19	S ssa	Suessa
26	11	Gisy rasia	Gymnasia
27	21	Scaligerus	Scaliger
37	34	Parthenopes	Parthenope
49	10	scilicet	scribit
57	23	Magister	Magistrat.
93	5	Comites	Comitis
105	27	nominant	nominauit
107	17	Castrorum	Castorum
108	13	Quem Augustalis primus vt dixi	Quem Augustalem primum dixi.
111	15	Leapenos	Lecapenos
ibidem		Ananymus	Anonymus
132	10	ambitum	ambitus
137	4	mereteri	mereri
150	16	imtu	impetu
181	30	2437	1437
182	22	Ioannam	Mariam
185	14	lapidimus	lapidibus
188		Baccinam	Vaccinam
189	7	δημολρατιάτε	δημοκρατιάτε
193	14	vasibus	Vasis
302	25	coribus	vocibus
309	14	extollitur	extollantur
374	19	amantes	amentes
388	9	Cum eam	Cum ea
408	20	immorare	immorari
416	33	Aedifator	Aedificator
418	11	feudosq.	feudaq.
425	12	Salæ	Scalæ
435	14	charo	charus
441	24	vicinis agris esset allaturum	Vicinis agris detrimentum esset allaturum
444	17	Afram	Afrani
495	31	Rocches	Recchis
500	12	Iurepatronatus	Iurepatronatu
524	21	auros	aureos
664	7	Menalopum	Melanopum
686	19	Dictaeus	Didacus
689	13	ciassiario	classiario
744	11	poterit	poterat
8.7	7	femota	femotæ
	8	vtilissima	vtilissimæ
832	24	demum	domum





